TOMÁS DE VILLANUEVA, Santo

Ilustrissimi & Reuerendissimi Domini, D.D. Thomae a Villanoua, ex Ord. Erem. D. Augus... Concionum sacrarum tomi duo... -- Coloniae Agrippinae : Apud Antonium Boetzerum, 1619

[12], 330, [25], 277, [19] p., *4, 2*2, A-Z4, 2A-2X4, 2Y2, a-z4, 2a-2o4, 2p2 ; 4°

Port. grab. calc. arquitectónica. -- Texto a dos col., con apostillas marginales. -- Segundo tomo con port. propia, p. 1-277

1. Año litúrgico-Sermones 2. Liturgi urtea-Sermoiak I. Concionum sacrarum tomi duo... II. Título

R-6444 Primeras p. deterioradas, afectando al texto. -- Enc. perg., deteriorada

Illustrissimi & Reuerendissimi
Domini, D. F.

THOMÆ A VILLANOVA,

EX ORD. EREM. D. AVGVS.
ARCHIEP. VALENTINI,
SS. THEOLOG. MAGIST.

Concionum Sacrarum Tomi Duo.

OPVS QVIDEM OMNI STVdiosorum hominum generi vtile at commodum, Concionatoribus verò sacris vtilissimum, vtpote supellectilem variam & multiplicem subministrans, vnde suas conciones condire, fœliciterq; locupletare queant.

Permissu Superiorum

COLONIÆ AGRIPPINÆ
Apud
Antonium Boetzerum
M D C XIX.

PERILLVSTRIS AC REVERENDISS. DOMINI

D. F. IOANNIS MVGNATONII

EPISCOPI SEGORBIENSIS,

EX ORDINE EREMITARVM D. PATRIS NOSTRI AVGVSTINI,

De vita & rebus gestis ab Illustrissimo & Reuerendiss. D. D. Fratre Thoma à Villanoua eiusdem ordinis, Archiepiscopi Valentini.

PRÆFATIO.

VERSARE mecum cogitando sæpè soleo, impari tamen grauitate animi dolore, infœlicem ac calamitosam horum temporum in quæ incidimus, conditionem. Subeunt illic nefandum Barbarorum hostium terra mariqúe latè grassanti, fracta vires, numerosissimiqúe exercitus potentia vsq; subitis rerum successibus aucta, vt vniuersum propè mundum vexare, diripere, obruere etiam posse videantur. Hinc vero stis illa Lutheranæ pestis imago se oculis meis subijcit, omnes propè Christianas partes peruagata, sic in omnes sese Christianæ religionis prouincias lethalis nuans, vt penè vniuersa quæ Christiano nomine censentur loca contami fusoqúe veneno infecerit. Ab Hispanis nostris abstinuisse videri potest, ac optimus ne tacitis, & clancularijs afflatibus aliqua ex parte in nostr latenter ea contagio irrepserit, puraqúe & penitus illæsa arcana pectam insidiosè serpens nobis reliquerit. Pro cathedra pestilentiæ, vero iam pridem à Propheta compellata. Illud verò in vasto hoc calego iactatis nobis dolendum imprimis, alteqúe gemendum erat, qubitatis ac virtutis retinacula, quibus in officio continentur homines, aut dissipata prorsus, aut maxima ex parte labefactata oculis nostris

frixit ille amoris & pietatis ardor, quo in diuina inflammati rapiebamur. euanuit ille timor, quo à prauis studijs coercebamur. Nunc nunc maximè si vnquam meritò repetere Deus expostulationem illam veterem cũ populo suo posset. Si ego Pater, vbi est amor meus? si ego Dominus, vbi est timor meus? O mores perditos, ô tempora periculosa, hi mandant vitiorum ad nubes vsque intumescentes fluctus, effrænis peccandi licentia impudenter secum omnia rapit, perfricuit frontem, seseque vbique ostentat in immensum elata improbitas, iniustitia, fœditas, & turpitudo, bonum & æquum contemnitur, religio denique & omnis virtus posthabita tacet. Quocirca diuini hanc esse numinis vindictam exploratum satis & compertum habemus: immissiones hæ sunt, vt Prophetæ verbis vtar, per angelos malos, barbarorum immanitas, hæreticorum truculentia, aliæque afflictionum acerbitates, quas respublica Christiana cõtinenter perpessa est, flagella sũt superni iudicis in nostra, scelera sæpissimè iuxta ac æquissimè animaduertentis. Cæterum si Ecclesia Catholica excellentium virorũ copia abundaret, qui zelo diuini nominis succensi illud prophetici verè dicerent: Zelus domus tuę comedit me, & opprobria exprobrantiũ tibi cecidere super me, quique forma facti gregis Dominici, vitæ sanctitate cõspicui, se populorum & imitationem proponerent, opitularenturque reipublicæ laboranti, ac illos interciperent quibus se virus perniciosè diffundit, salutarijq; remedijs occurrerẽt, minus fortasse esset quod doleremus. At proh dolor, illud certè Hieremiæ iam nunc nostræ huic tẽpestati aptissimè quadrat. Nõ est qui innitatur tuũ, qui consurgat & teneat te, regnauit planè retro actis seculis peccandi vllas ætas vsq; adeo sceleris pura, quin vario flagitiorũ genere, ceu panno menstruatæ, fuerit cooperta. Verũ haud temerè affirmari posse crediderim, nullis à tẽporibus tam rarã sanctorũ, piorumq; virorũ raritatẽ esse visam ac hisce nostris: neq; tã sterilem & infœcundã vllorũ temporum sortem in producendis Dei summi cultoribus extitisse, quã nostrorum. Hãc annonæ caritatẽ deploratã esse à tolerãtissimo illo Iob, nõ sine causa censere possumus, ante faciẽ eius inquit, egestas. Hãc extremã aduentantis Antichristi fore præmunciam prophetice admonebat: neq; aliam rem esse causam mihi persuasum habeo huius vitiorum lernæ, quæ nũc innumeris capitibus in mundo impune grassatur, depopulatúrq; & vastat omnia, neq; vllã rerum conditionem incontaminatã esse sinit, quã insignium virorum paucitatem, penuriam, hic malorum fons, hæc totius labis origo, hæc certissima perditionis causa est. vt Hercules horum monstrorum domitores, qui ferro & igni subinde repullulantia capita, renascentesq; ceruices intercipiant, obtruncent, dissipent, & dilanient. Venit mihi hæc omnia, & pro mei ingenij imbecillitate, serio expendenti, commodè in memoriam occurrerunt viri eruditione & virtute insigniter præclari, qui antiquis temporibus fœliciter cum summa gloria floruerunt: illiq; potissimũ me in studij huius dilectionem excitarũt, qui priuatas monachorum religiones gloriosius illustrauerunt, cum non parum multos & mihi per ætatem agnoscere, & cum eisdem versari. Vnum vero ex omnibus iam ego eligam, quæ nunc præcipuè referam, cuius memoriã renouẽ. Ille autem est Magister F. Thomas à Villanoua dignissimus sanctitatis Valentinus, cuius quoniam nonnullæ conciones, spectataq; doctrina ne magna ex parte continẽtur, iudicaui non habere fructum me, si vel ipsum operis, lectori aliquid de eo viro deque illius immortalitate dicto non memorarem. Thomas igitur à Villanoua in Villa noua ortus est, vnde nomen accepit, quod oppidum in ea est parte citerioris Hispaniæ situm, quorum vulgus la Mancha de Aragon vocitat, olim agrum Lanuuinum cosmo-

cosmographis dictum, ad fontes nimirum Anæ fluminis, doctorum hominum est existimatio. Est verò editus parentibus honestis atque honoratis, natalibus etiam non Christianis solum, sed & ab omni impuritate labeque alienis, matrem præsertim fortitus est insigniter piam, egregieque in Deū & proximos caritatis fœminam, adeóq; flagrantis spiritus, vt suauitates illas, spiritualesque delitias à Deo hisce hominibus tribui solitas, quorum familiaris conuersatio in cœlis est, quorumq; animæ amore lāguēt diuino, ipsa etiā fuerit experta. Quanta filius de matre narrabat, vt Augustinū de matre Monica historiā texere diceres. Studio liberaliū artium iuuenis operam dedit in Complutensi Academia celeberrimo in hisce artibus Hispaniæ gymnasio, vbi haud longo post tempore eam disciplinarum liberalium eruditionem est nactus, & amque opinionem ac famam philosophicæ doctrinæ assequutus, vt publico in auditorio, & publico Academiæ stipendio, prælegeret ac doceret liberales artes. Tale iuuene adhuc eminebat ingenij acumen, viuidaque & prompta intelligendi ac pertrandi abstrusissima quæque vis animi. Prodiere tunc ex illius institutione adruditi innumeri discipuli, inter quos in historia de rebus gestis à Francisco Cardinali, Complutensis Academiæ cura, & Aluari Gometij Toletani operæ ob insignioris famæ celebritatem duo Thomæ à Villanoua discipuli memo Ferdinandus Enzinas, qui acuminibus quibusdam argutissimè excogitatis, ticam artem alijs admirationi, alijs verò ingenijs terrori esse fecit, & Do Sotus, qui cum initio eandem ire viam, quam Enzinas cœpisset tantum posto liberalium artium disciplinis solum, sed & in theologicis sacrationumque lu studijs promouit, vt & Dominicanum ordinem eius instituti Monachus, & Sa ticensem Academiam primarius Theologicæ Cathedræ Præfectus, & sui nomm moria & vtilium librorum editione auxerit. Tum ergo ob hæc ingenij & liter. merita, cum ob senilem in iuuenili ætate morum vitæque sanctissimæ probitatem, præclarum Diui Ildephonsi eiusdem Academiæ Collegium fuit collega coopt atus. derat in eodem tunc Collegio magnus ille Ioannes Vergara Doctor Theologus, sa entia, doctrinarumque omnium immortali fama percelebris, qui Thomæ a Vill. ua vitæ integritate, & in medijs literariæ palestræ concertationibus, atque studia æmulātium iuuenum quasi fluctibus sanctitatem, pietatemque in omni tio eximiam erga pauperes inopesque homines, frequenti prædicatione admir tus erat referre. Hinc demum à Salmanticensi Academia accersitus, vt cath quam vocant philosophiæ naturalis, moderari vellet, haudquaquā leui propo lario est rogatus. Cæterùm poscentibus in Salmanticensibus nunimè acquie put auit. Repudiauit libenter oblatum honorem tactus iam tunc profectò di diuinitusque ad perfectionis Christianæ viam affectandam impulsus. Et qu que honorum, neque aliarum commoditatum irritamenta Salmanticam per rant, Christi redēptoris imitatio, perfectæque virtutis studiū facilè co-per Quamobrem Salmanticæ in Monasterio religiosissimo Diui Patris nostri religionis habitū suscepit, anno suæ ætatis circiter 30. vbi toto illo tyrocinij tionis, vt dicunt, tempore, ac proximo etiam ab edita professione, ita vigili cationibus mirificè erat deditus, ea etiam vitæ modestia ac parsimonia co perabat, vt omnes penè ordinis nostri viros, in magnam spem erexe cellentisque virtutis, futurumque virum clarissimum haud vano p rent. Scholasticam Theologiam ibidem profiteri iussus librum sente chis prælegendum suscepit. Sacrarum mox concionum munus ea di mit, vt vel in ipsis initijs specimen clarissimum daret ardentissimi in L

studijsque admirabilis in cultum honoremque diuinum, spiritalemque proximorum salutem. Quo factum est, vt tota vrbe Salmantica Thomæ Villanouani fama, nomenque breuissimo tempore increbresceret. Accepi equidem grauissimorum hominum prædicatione, ac testimonio indubitabili clarissimum illum Patrem Ioannem Furtatum instituti Diui Dominici monachum (virum sine tota Hispania notissimum ob egregias prædicandi verbi Dei, necnon literarum, ac sanctitatis dotes) famæ illius celebritate adductum, vt concionantem pergeret audire, explorabundum accessisse, num res ita se haberet vt publico præconio iactabatur, peroratáque concione exclamasse, summas se diuinæ bonitati gratias agere, quòd Ecclesiæ suæ tam strenuum cultorem egregiumque operarium impendisset. Breui post tempore, eo videlicet anno quo Hispanici tumultus aduersus Regiam Maiestatem fuerunt excitati, Clerus Salmanticensisque Ecclesiæ capitulum eidem habendas per Quadragesimam in summa æde Conciones demandauit. Enarrauit ille tunc Psalmum perceleb. In exitu Israel de AEgypto, aderam ego inter auditorum cœtum nondùm mo[ta]s, sed laicus adhuc iuuenis. Ibatur ad illum plenis vijs, accurrebant admirati & propè attoniti homines, mirari nouum dicendi genus, mirari orationis in[ge]nium, auditorum animos quoquo vellet rapientem, mirari ardentissimos affectus ipsa hominum exurentes. Vsque adeo descendit prælat a doctrina in omnium populorum pectora, vt non populum ex laicis ciuibus constantem per id tempus [Sal]manticam vrbem diceres, sed monasterium rectè institutum esse putares, religioque fratrum conuentum. Afficit præsertim scholasticos homines literisque [stu]dentes in amplissima Academia, quæ in ea vrbe iamdiù floret, vitæque præsentis [de]lectationes illecebras, futurique seculi æterni inhiare bonis diuinisque rebus it[a] a se deat, docuit, vt non tantum eius vrbis monasteria nouitijs monachis redundarent, [sed] & finitimorum oppidorum cœnobia, & omnium propè vrbium conuentus, vix Regionis sacris initiari petentibus sufficerent, miris incrementis sese in dies singularis [il]us doctrinæ fama atque authoritas diffundebat. Illud verò summo studio curabat, [ut] doctrinam & eruditionem additis virtutis ac seueriores vitæ firmamentis commu[ni]ret: quo nimirum verbo & opere Ecclesiæ Dei adiuuaret, exemplóq; ad bene beate viuendum hominibus præluceret. Qua propter subito Hispaniam vniuersam [im]plenit, sanctitatisque & eximiæ religionis tantum non obstupefecit totam hanc Hispanici orbis oram, curiamque regiam, regalemque principis aulam clarissimo præconio penetrauit. Quo [fa]cto est, vt Carolus Quintus Imperator Christianissimus, idemque Hispaniarum Catholicus ac Dominus noster, necnon Augusta ipsius spectatissima coniunx, non [pa]ucis multis Quadragesimis, complurib[us]que alijs diebus festis concionantem auditientes ad se euocarent, ex illiusque oratione insigni animi consolatione perfundi, haud obscura significatione Christianissimi Principes declararent. [Ne]c tam miraculi loco mihi esse videtur, quod in vniuersum ex omni hominum [ge]nere, ex omni statu ac conditione spiritu quodam quasi æstro perciti homines [ad] conciones certatim contenderent. Mitto nunc promiscuæ multitudinis inhabile vulgus, quod velut sui ignarum pietate inflammabatur: proceres quoque mitto, quos suis etiam magistratus & ex equestri ordine spectatos [vi]ros incredibili ardore correptos imitabatur, sed (& quod magis demiror) [do]ctos homines egregiosq; concionatores, atque omnium propè religionum [pro]fessores non denique viros literis & eruditione æmulatos anxios, audiendi oblitos, vndequáque excitatos ad se rapiebat. Res sanè summa admiratione

ratione dignissima, tam diuersis hominum ingenijs vna eadémq; oratione tam plenè satisfieri posse. Sunt hæ liquidæ veritatis, synceræque virtutis diuinæ vires. Horũ ego testis sum oculatus, qui diligenter curabam, ne qua ratione vnquam ab eius viri cõcione abessem. Neque vero talentum vnicũ prædicandi verbi Dei Thomas hic clarissimus, de quo agimus, dũtaxat est diuinitus assequutus, sed & alia complura, prudentiam potissimum administrandæ Reip. singularem, commißaque proinde illi sæpè numero cura est regẽdi præcipua nostri ordinis monasteria, quæ ille sanctißimè moderabatur, illud in primis quod pater Augustinus obseruãdum prælatis in regula proponit, patiens sit ad omnes, temperareque modestiã cum infractæ authoritatis seueritate admonet, reipsa insigniter præstabat. Liberalitate insuper conspicuus omnium necessitatibus diligenter prospiciebat, mox exhibitis alacriter his quæ oportebat conferri. Charitate præsertim totus videbatur ardere, maximè erga monachos ægrotos, quiq; in valetudinario hospitio lãguebant. His rebus adducti patres religionis, expectatique illius in omne opus eximias dotes, bis priorem prouincialem designarunt: quib tandem cum diu restitisset morem gessit, ægrè enim à secretioris cubiculi, cellæ secessu diuellebatur. Hauriebat siquidem ex spiritali precatione ac meditatione, hil minus quam ex libris ipsis & literarum studio, vnde cõciones suas instruere concinnaret, quamobrem eiusmodi functiones & gubernandi curam vitabat, hebatur tamen inuitus & reluctans religione vehementer vrgente & publicæ modi tatem. Tantæ illi inerat sapientia & ingerenda Republica spectatißim dentia & grauitas. Illustriores multò quàm antea sui splendores cœpit solida virivirtus iam emittere: augebatur, vt veræ ac minimè fucatæ virtutis est ingen procedente tempore sanctitas, & simul sanctitatis fama se fundebat latius. accidit Deo ita rebus humanis consulente, vt eo tempore Archiepiscopatus Val nus antistite vacuus pastore destitueretur, & Valentina vrbs suo Præsule careret ta faliciter defuncto. Cæterum Imperatoris Caroli Quinti maiestas in eo præcipuas suas cogitationes potißimum ponebat, vt Ecclesiis Prælati præficerentur, qui numeris omnibus absoluti rem ecclesiasticam pro dignitate administrarent. Procul auten ab Hispania per id tempus Cæsar apud interiorem Germaniam agebat, Germani rebus valde perturbatis Imperatoria maiestate prospiciens, inter illos igitur mu norum bellorum æstus, heroica Thomæ à Villanoua virtus Cæsaris animo se obiic illa sola est quæ sanctißimi viri negotia gerit, illa quæ absentis, nihilque minus qu de honoribus ac dignitatibus ineundis cogitantis memoriam apud occupatißim Principem excitat. Nuncio itaque accepto, mox prudentißimus Imperator Thom à Villanoua Archiepiscopum ea vitæ sanctimonia, religioniſque singularis exem ad finem vsque vitæ rexit, vt expectationi, quam ampliſſimam de eo homines con perant, cumulatißimè responderet, populum frequentibus concionibus, vt verum P storem decet, pascens, summaque solicitudine nihil omittens earum rerum, quas P publicæ parentẽ præstare oporteret. Magister Segria Episcopus Sacerensis in S nia, vir planè literis & virtutis exemplo sat multum cognitus, quique studiosiss fuit assectator doctrinæ ac concionum illius, is mihi sermone familiari affirm grandius quid & ardentius insonuisse, superasséque seipsum post infima dignita acceptamque pastoralem curam, & maiori intentione acriorique zelo volu rasse in cõcione è suggestu, ex quo factus est Archiepiscopus, zelotypo, nin ctu, sponsa ducta succensus. Minimè vero mihi est animus euangelici illius gillatim virtutes percensere, quamque luculenta boni pastoris exempla negotio ediderit, immensa hoc esset opera, sed de eleemosynarum largitione

perſtringam duntaxat. Dubio procul certoque rei experimento compertum eſt, reditum proventumque omnium qui ad ipſum legitimè redibant, tam copioſam portionem pauperibus egeniſque erogare eſſe ſolitum, vt tantummodo ſibi ſuiſque rebus id relinqueret, quo nihilo delicatius vitam degere poſſet. Archiepiſcopus, quam olim monachus pauper in monaſterio degiſſet. Itaque eadem ſibi vtendum eſſe parſimonia in dignitatis gradum promotus animum induxit, qua in Religione & monachatu fuerat vſus, quo ſupereſſet vnde largiori beneficentia pauperibus conſuleret, effuſiorique benignitate prouidere poſſet. Quæ res quoniam vrbe Valentia totoque Valentino regno cognita ſatis explorataque eſt, in ea commemoranda diutius immorari nolo. His moribus viendique ratione vitam ſanctiſsimè perduxit, donec a Deo Optimo maximo accerſitus diem ſuum obiit anno ſalutis milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quarto, cum nimirum ſacramentis eccleſiæ ſuſceptis, ſano animo pietatique inſigni flagrans, ſereno que & æquabili vultu in alacritateque propenſo animam creatori Deo reddidit, maxima aſſidentium admiratione, tam ſanctum ac beatum vitæ finem demirantium. Fuere etiam lachrymis mentis & vario eiulatu ipſius obitum plurimi homines proſequuti pauperes pue, & egeni palam clamitantes ſibi ſuum parentem ereptum, cuius ſolicitudine & largitate ſuæ inopiæ & egeſtati hactenus fuiſſet conſultum. Tenebantur vero deſiderio clerus capitulumque Valentinæ eccleſiæ honorificentiſſimo ſepulchro apud ſe ſancti viri corpus ſepeliendi: miſſique ad eum paulò antequam vitam excederet, lectiſſimis de capitulo ac ſacerdotali ſenatu viris magnis precibus conderiunt, vt deſiderium hoc ſuum bonum conſuleret, ratumque haberet: decreuiſſe ſe eteri in eum obſeruantia ac veneratione in inſigniori templi loco tumulum erire quo conderetur. Negauit ille ſingulari modeſtia, monachum ſe eſſe reſpondens, in monaſterio ſui ordinis ac inſtituti debere tumulari. In monaſterio itaque Eremitarum Auguſtinienſium in æde virginis a ſuccurſu nuncupatæ, humili ſanè loco ad templi ingreſſum, ſuum demortui corpus ſepelri mandauit. Vbi quo magis, magiſque ille magnifici ſepulchri honorem fugiſſe videtur, tanto maiori populi honorificentia coturnumſitur que frequenter id ſepulchrum a totius vrbis Valentinæ popularibus, idemque preces ſuas pij homines ad Deum fundunt, vota que ſuſcipiũt, ſanctiſſimumque Archiepiſcopum patronum ſibi aduocant, illi præſertim, qui proprie & magis familiariter viuentem cognouerant. Cum vero in excellentis huius Præſulis ſacrarum rerum poſſeſſionem magna ex parte ego venerim (nam interciſſe aliquas non magna rei pretioſæ iactura certo ſcio) intelligamque quantum eximiæ vtilitatis diuinæ eccleſiæ Chriſtianæ illarum editio ſit allatura, hiſce potiſſimum temporibus quarum ſimilia ſorte ſupra incipiebam commemorare non omittam, vt tantus theſaurus in tenebris deliteſcat, ſed vt in lucem potius, & in oculos manuſque hominum veniat ſedulò curabo. His accedit, quòd cum olim, ego cum authore ipſo de manuſcripta editione agerem, illumque obnixè rogarem, ne pateretur tam fructuoſis videfraudari homines, qua ille erat modeſtia inſigniter præditus, reſpondit, non ſuarum rerum admiratorem eſſe, vt in tanta ſcribentium fœlicitate, prodebis quotidie præſtantiſſimorum authorum egregijs lucubrationibus, auderet tenuem anguſtæ ſuæ doctrinæ in publicum emittere. Cæterum cum iuxta conſuetum curſumque naturæ ego, qui minus quàm ille prouectæ eſſem ætatis, videremus ſupereſſe, facerem poſtquam ille vitæ eſſet functus, id quod magis è ore iudicarem, totum id quicquid eſſet negotij ſe mihi dare, pro meo, aut premerem, aut publicarem. Quare haudquaquam integrum tam mi-

hi

hie esse censeo non edere, cum tam vtilem immò necessariam Reip. editionem hanc esse videam. Misi itaque ea exemplaria, quæ apud me erant, patri Prouinciali, patribusq; Castellæ prouinciæ nostri ordinis, vt virum doctum deligerent, cui curam delegarent, recognoscendi, purgandi, emendandi etiam si quid in his scriptis librariorum amanuensiumve incuria (qui rudes sæpè & imperiti nobis contingunt) castigatione dignum videretur; daretque operam vt in voluminis formam conciones redactæ excudi possent, quando mihi per crebras meas occupationes, quibus necessariò distrahor, id perficere non licebat. Opere præstiterunt mox quod à me rogabantur patres, curamque eum delegarunt magistro fratri Petro Vzedæ, collegii nostri ordinis in Complutensi academia Rectori, cuius viginti annorum theologicis prælectionibus exploratæ eruditio, & inde confirmatum in sacra doctrina judicium, vota desideriaque mea abunde & cumulatè explebit. Summasque diuinæ bonitati gratias ago, quòd perfectam & absolutum opus video. Ex quo tametsi omne studiosorum hominum genus, moditates, & emolumenta magna haurire posse persuasum habeo, illis tamen, qui populum Christianum concionando, doctrina & bonis moribus imbuere cupiunt, multo ampliſsima laturos dubitare nemo potest. Hinc rationem inueniendi artem colligent, hinc disponendorum argumentorum artem addiscent, hinc dexteritatem orationis ductum haurire poterunt, suppellectilemque variam & multiplicem comparabunt; vnde suas conciones affatim condiant, feliciterque locupletent. illis proponimus exemplar ad quod sese effingant, quod Janè si fuerint imitati dubito quin serio, sedulóque ac magno spiritus ardore incumbant aduersus hominum peccata, flagitiorumque syluam, quæ tam altè in humanis pectoribus radices penitus emoliantur & vastent. Faxit Deus optimus, vt is ardor, sanctusque ille zelus quo horum concionum author deflagrabat, populumque Christianum suo tempore virtutis studium accendebat, excitetur modò, moueaturque in his hominibus, qui hunc librum in manus sument, hinc vitia euellant & destruant, illinc virtutes ædificent & plantent, quemadmodum & ipse operis author sanctè præstitit. Inter alia verè egregia documenta, quæ ecclesiasticos concionatores hinc mutuari oportet, illud num est commendatione dignissimum, quanquam non adeò magni ponderis aliquibus forsan videbitur, vt breues esse laborent, à prolixitate enim priscos concionatores qui sanctitate & literis ecclesiam illustrarunt abhorruisse ex eorum scriptis homnes liquidò constat. Quò factum est, vt glorioſus pater D. Franciscus suis religiosis fratribus in regula præscripserit, vt prædicarent virtutes cum breuitate sermonis: quidem eisdem penè verbis ex regula eadem desumptis Concilium nunc Tridentinum sio. 5. Pastoribus doctoribusque ecclesiasticis edixit, pascant, inquit, plebes cum brevitate & facilitate sermonis. Quam planè rem nisi in primis necessariam esse iudicaret, neutiquam tam anxiè admonendam putasset. Indulgere sibi animum in hac nostra tempestatis concionatores video, dum ex prolixitate concionis sibi auctoritatem conciliari opinari videntur: nullam rationem imbecillitatis & impatientiorum habentes. Neque enim animaduertunt coronam audientium ex promiscua multitudine constare, vbi alij inualidi, & debiles, & ægri, alij varijs negotiis distracti, alii alijs rebus impediti ad audiendum accedunt, concionique vacare vna hora licet, duabus non licet. In conuiuiis quidem quisque istum cibum duntaxat capit quo magis oblectatur, reliquos reiicit, nec fas est cogi & illata vi compelli inuitum ad edendum. Quo igitur iure in spirituali conuiuio, refectioneque animi pascendi sunt homines, vt fastidientes etiam sumant, quæ concoquere nulla

ſunt? Nunquid nefas eſt concionatorem in præſens quicquam omittere eorum quæ dicit, aut memoriæ mandauit? Hac ratione fieri non dubito, vt multi vix inducere in animum queant ad concionem accedere, multi inuiti, & reluctantes animo accedãt, nimirum prolixitatis concionum tædium veriti. Doleendum & magna commiſeratione gemendum eſſe videtur, quod cum euangelica doctrina, verbumque illud quod pectoribus noſtris inſertum, vt Iacobus Apoſtolus sãctiſsimus dixit, ſaluare poteſt animas noſtras, ita aliquorum vitio odioſum ſit redditum, vt adeum modum homines ab eo fugiant, quo ſolent qui è carcere elapſi ſeſe fugitiui in latebras abdunt. Habet vnaquæque hominum conditio vitæque genus ſua, quibus pulſatur, animi irritamenta, alli alias tentationum acerbitates patiuntur: cõcionatores eccleſiaſtici, vt mea fert ſententia, huic culpæ ſub obnoxii, qua tentantur cum magno Reipublicæ detrimento. Po-

quidem vnius horæ ſpatium, quod pro inſtituenda, confirmandaque plebe ſatis tetur, auſcultat, attendit, conquieſcit, beneuolum docilem & attentum ſe ex-

Quod ſi diutius concione detineatur, faſtidit, oſcitat, commouetur, detractat, ſigemmas & margaritas pro verbis illi obicias, & vt aiunt, roſas loquaris: ſibi ſolus placere ſtudet cõcionator, ſibi ſoli canit, ſuæ tantum voluptatis affectator. ortum ſorſan habet hæc dicendi libido ex nimio tacitoque ſui ipſius amore, ſuarumque rerum admiratione cum concionis totius nauſea. Vitauit ſummo ſtudio hic Eccleſiæ Antiſtes hoc in dicendo multiloquium, teſtes ſunt hæ conciones, teſtes ſunt qui dicentem ipſum audierunt.

PER

PER ILLVSTRI AC REVERENDISSIMO

D. D. FRATRI IOANNI MVGNATONIO Episcopo Segobrigensi, ex Ordine Eremitarum D. Patris nostri Augustini.

Frater Petrus Vzeda Guerrero sacræ Theologiæ Magister, & Rector Collegij Complutensis D. Augustini. S.

CVM mihi patres nostræ huius prouinciæ recognoscendarum sacrarum Concionum Archiepiscopi Vrbini, sanctissimi planè viri, Thomæ à Villanoua, quam amplitudini tuæ olim quasi postrema moriens voluntate, legârat, curam demandarunt, simul mihi ab eisdem patribus copiam fieri intellexi, gratias tibi quas possem maximas publico nomine agendi, quòd non priuatos vsus nobilem thesaurum cõuerteris, sed in communes potius meditates edendum publicandumq; curaueris. Nobilitasti planè in hoc beneficio vniuersum ordinem nostrum, in quem ille quondam coniectatus vixit: cumulasti singulari beneficio prouinciam hanc nostram, quæ tanti alumni splendoribus illustrata merito gloriatur: prouexisti mirum in modum studiosorum hominum studia: ecclesiasticorum denique concionatorum laboribus excellenti beneficientia prospectis defixisti tu sanè iam pridẽ in hoc vno cogitationes, rationesq; omnes tuas, vt Reip. Christianæ quo quo modo posses opitulare, subsidiaq; & adiumenta minime vulgaria sedulò conferres. Hæc tibi antiquissima cura, hoc indefessum desiderium, studiũ, totus in hoc incumbis. Tui igitur muneris est, Præsul amplissime, quòd opibus his spiritualibus orbis fruitur, tu illas è tenebricoso carcere, in lucem, & libertatem affers. Pijs hoc etiam authoribus maioribus officium à te deberi, dicare ausim quem ille tam eximia beneuolentia coluit, quem etiam non communis instituti ratione solum, sed arctissimo sacratioris amicitiæ iure est complexus. Quid igitur? cur non monachus tui ordinis monachum, ecclesiastes ecclesiasten, præsul præsulem (quòd apud sapientissimos quosq; plus momenti habere putatur) amicus amicum, non omnium beneficiorum genere prosequare? Equidem quod ad me attinet, pro virili mea portione, curaui, vt quàm emẽdatissimum manus hominum prodiret opus. A verborum autem & sententiarum mutatione, ita abstinere constituit, vt tamẽ interim illiberales quasdam & quasi plebei ordinis, aut sustulerim, aut cum alijs commutarim, ones præterea nonnullas, integrasque periodos, quas ille, ne qui

perfectum moraretur, vernácula lingua Latinæ concioni liberè admiscuerat, ita verterim, vt simili stylo & contextura sermo procederet, neq; Sicyonios calceos, vt dicitur, Socrati ineptè induerē. Cæterùm illud summoperè caui, ne qua loquendi formula, ne qua metaphora, ne qua exaggerandi ratio cauillis, aut sycophantijs ansam vllam calumniosis hilce temporibus præbere posset. Quid verò nostra hæc opera emolumenti attulerit ille exactius iudicabit, qui editionem hanc sanè tuam, Pater amplissime, cũ illis manu scriptis exemplis contulerit, quæ deprauata & ab imperitis scribis excripta vulgò circunferuntur. Qua re nõ solum autori nomini iactum, sed & doctrinæ al qui sanctissimæ periculum certum creari, non est non videat. Acceptum igitur à te immortale beneficium fert, cum tota respublica Christiana, tum noster ordo, priuatiq; instituti Religio. Pro quo summas tibi gratias agit, quas si tanto Præsuli tam principiq; viro minimè refert, nequaquam excellentis muneris ignoratio, sed magnitudo otius nullo officiorum genere coæquanda est in causa. Ego etiam, quod æqui boniq; consuleris mihi negotium concinnandi, & in melius restituendi sacras has Conciones esse datum, neque ea me indignum functione existimaueris, æterna me tuis obsequijs ratione deinctum intelligo. Seruet amplitudinem tuam Deus Optimus Maximus nobis quam diutissimè incolumem.

Vale, Complu-
ti, &c.

DOMI.

DOMINICA PRIMA IN ADVENTV DOMINI.

TVNC VIDEBVNT FILIVM HOMINIS venientem in nube, cum potestate magna, & maiestate.

Luc. 21.

IVdicij finalis seriem, modumque dicturus, te deprecor alme Spiritus, nostris ex alto illabere mentibus: præcordijsque tuorum benignus infunde re, vt tanto mysterio digna sentiamus, & si quid dignè sentimus, pleno eloquio profundamus. Da sermonem rectum, & bene sonantem in os meum: personetq; ab ore meo, velut à tuba, populo Dei eloquium tuum: *vt tinniant ambæ aures audientium eum, & conuertantur ad te Domine*: ne sicut viuentes in die illa absorbeat eos furor tuus. Fac hoc summe Deus, sanctæ Virginis precibus exoratus, cuius piũ suffragium deuota mẽte, flexis genibus, imploremus, dicentes. *Aue Maria.*

Hier. 19. v. 3.

Duo dicturi sumus de iudicio finali, scilicet propter quid fiet, & quomodo fiet: primò tangentes causas, & rationes, propter quas generale iudicium fiet: secundò historiam iudicij, non ex quibusuis vulgaribus libris, sed ex Euangelij fonte, & prophetarum dictis, meliori quo potuerimus modo, pro mediocritate nostra colligentes. Et vt euidẽter innotescat, propter quid iudicium futurum sit, formetur ratio prima ex hominis dignitate, sic. Homo, eo ipsò quod homo est, tenetur iudicio, solusq; potest in iudicio conueniri: est enim ex omnibus animantibus solus dominus suorum operum, habens in se plenam & libertatem, & facultatẽ eligendi, faciendiq; quod libuerit, neque cogi potest ab aliquo creato ad volendum, vel nolendum quamcunque rem: sed libero & spontaneo suo regitur arbitrio, habens in se principium proprium, & liberum sui motus. Non sic in alijs est, vel agentibus, vel animantibus, quæ naturali quadam necessitate coguntur operari, nullamque in se ipsis eligendi facultatem, aut libertatem habent: sed ad certos effectus à natura determinata sunt. Grandis humanæ naturæ dignitas, altissimaque prærogatiua est, vt ad Dei imitationem, ipsa quodammodo sui iuris sit, & suo arbitrio derelicta. Quid sublimius dari tuit creaturæ? Aut in qua magnificari potuit ex natura? *Deus, Sapiens, ab initio constituit hominem & reliquit eum in manu consilij*

Eccli. 15. v. 14. *apposuit illi ignem, & aquam, ad quod voluerit porriget manum suam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Quia igitur suorum operum Dominus est, ad rationem illorum reddendam tenetur coram Domino. Vnde omnia opera eius, cogitationes, & affectus, in libro Dei scripti sunt: & sicut ipse per Prophetam ait: *condita sunt apud ipsum, & signata in thesauris eius.* Vnde rursus talius Propheta inquit: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes*, scilicet defectus, *scribentur. Dies formabuntur*, id est, tuæ lucis radius fulgebit in nobis, *& nemo in eis*, scilicet, latebit. Non opera brutorum computantur à nobis, quia neque libera, neque rationis illa capacia sunt: in hac libertate, scilicet, & demerendi ratio est: hæc est eius bonitatis, vel malitiæ, motiua: & laudandum est Deum in alijs omnibus creaturis corporalibus, & simplex reperitur bonitas naturalis, secundum quam, & prototypo illo, & fini ad quem condita sunt, conformia inueniuntur: & hæc ad artem, & finem, conformitas, eorum bonitas est. In homine verò præter naturalem hanc bonitatem, aliam moralem bonitatem, non per conformitatem ad artem, à qua conditus est, sed per conformitatem ad legem, per quam in operibus, & affectibus regulandus est: cuius bonitatis fundamentum in hoc consistit, quòd illi regulæ conformati, diffamarique prohibito in manu sua est. Hucusque hoc apertè deduximus, vt ex hoc intelligamus, hominis naturam talem esse, vt de suis operibus propter libertatem suam meritò in iudicio conueniri possit. Dico vlterius, necessarium vt hanc rationem aliquando reddant homines, propter duo: primo, quia *perfecta sunt opera: sapientia enim attingit à fine vsque in finem fortiter*, nihil in rebus relinquit imperfectum. Item huiusmodi ratio non daret perfectum quid esset in orbe: homine bonum, & malum, meritum, & demeritum, & meritum careret præmio, & demeritum careret supplicio. Itaque taliter factus esset homo, vt merendi, & demerendi locum haberet, cuius tamen merito, & demerito nõ succederet præmium, neque supplicium. Cum autem meritum respiciat præmiũ, & demeritum supplicium, imperfectũ, & inconsummatum maneret opus Dei, propter quod facta sunt omnia, id est, homo ipse: & ita totus orbis propter ipsum factus maneret quodammodo incõsummatus. Secundò, quia esset maxima quædam inordinatio in mundo, & mundus iste Babylon, & labyrinthus quidam videretur. Cum enim in naturalibus tantus sit ordo in vniuerso, mirâque Dei arte rerum successus, & temporum ordinẽtur, si vt quidam delatrat, *hominum solos respuit actus* merito rector cohiberet. & vt alius inquit, *Super cardines cæli ambulat, neque nostra considerat:* quid hoc mundo peius quid in ordinatius? quid à vera sapientia distantius? Quæ enim maior inordinatio, quam, vt tanta mala maneant impunita, tanta bona sine præmio relinquantur? Quid ergo? dicemus Deum sapienter quidem omnia condidisse, sed nescire gubernare, quod condidit? absit, absit. Mũdus iste domus Dei est, & ordinatissima est, qualem decet esse tanti principis domum. quod si quæ inordinatè fieri permittuntur, ad maximum ordinem per Dei iustitiam, & pœnam debitam redigentur, neque minus sapiens rerum gubernator, quam creator Deus est. Hæc omnia exemplo lucidiora fient. quid verò, vt ille Deum blasphemet, deieret, & contemnat, legemque eius, & præcepta parui pendens subsannet, & irrideat, sacrilegus, prophanus, Dei sacrorumque omnium contemptor, & moriatur diues, & quietus, in delitijs opulentus, & crassus, & nihil vltra? Rursus proximum suum de se benè meritum, iustum, & innocentem expoliet alius, concutiat, & occidat, nullusque ei dicat; Cur ita facis? neq; ipsemet proximus ab eo læsus contra illum mutire audeat præ timore, moriaturque fælix, & prosper, bonis affluens, honoribus, & dignitatibus pollens, & nihil

Iob. 22. v. 14.

nihil vltra? Alius verò omniũ flagitiorũ facinorumq; perpetrator, obscœnus, vt libidinem suam expleat, omnia naturæ morumq; iura transgrediens, pro libito viuat, stupris, adulterijs, nefandisq; libidinibus replens omnia, omnia confundens, & quia potens est, neque superiore aliquo iudice cohiberi potest, in delitiis sit, & gaudeat impunitus, & nihil vltra? vbi igitur Deus? vbi fas? vbi lex? vbi veritas? vbi iustitia? vbi denique rerum facies, & incommutabilis ordo? Si res humanæ ita se habent, nihil vtique homine peius, nihil infœlicius, nihil inordinatius. Defraudati sunt igitur iusti, decepti martyres, inanis iustitia, vacua virtus, omnisque sanctorum hominum spes vana, & ridicula habenda est: sed non ita est, absit, absit, vt ita sit. Deus enim bonus, bonum quoque condidit mundum, nõ alia vtique ratione (vt ait Plato) quam, quia ipse bonus est. Ipsa igitur vitæ præsentis perspicua inordinatio, futuræ animaduersionis in malos apertum, & euidens argumentum est. Quo fit, vt nonnulli gentilium, quasi ipsa veritate coacti, iniquis hominibus etiam post vitam destinent pœnas: nimis enim rationi obuiare videtur, tantaque facinora manere inulta: humanarumque rerum nemini curam esse. Propter quod propheta lætabundus, populis denunciat, dicens. *Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.* Gaudeant, inquam, & lætentur populi, quia est iustitia, est veritas, est iudicium, est qui actus hominum quærat, & iudicet; est qui puniat, & vindicet; est etiam, qui sanctorum laborum præmia reddat. O quantum gaudium, ò qualis gentium consolatio, ò quam vera & iusta lætitia, ipsos denique peccatores, licèt reos, & timidos, ab isto gaudio non iudico secludendos. Quis enim non gaudeat de iustitia? bonum vniuersi proprio incommodo si æquitas viget, præferendum est? Timeant igitur, & tepident gentes, *sed lætentur* nihilominus, *& exultent, quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis*, non cogis. Sed qui negligit directorem, experietur iudicem: vnde, & alibi idem Propheta inquit: *Cognoui quoniam faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum.* Quasi dicat: non solum fide hoc credidi, sed naturali etiam ratione cognoui, quod Deus bonorum malorumque sit retributor: quia itavidelicet summam Dei sapientiam, bonitatem, iustitiamque decet, & rerum ordo deposcit, vt præcedentibus rationibus demõstratum est. O verè necessariam Gehennæ pœnam, verè decoram inferni vindictam, quæ creatoris sui iniurias vindicat: & inordinata per culpam, reordinat per pœnam. O verè pulchram creaturam mũdoque vtilissimam post reatum, quæ si post culpam deesset, defectus, & imperfectus mundus maneret. namque necessaria est ad vniuersi plenitudinem, & ordinem, retributio pœnarũ, sicut remuneratio meritorum. fortè dices, ad hoc iudicium parti re sufficit, quod in morte cuiuslibet quid opus est post hoc iudicium alterum generale? Deus enim non vindicabit bis in idipsum? Sed audi obsecro, & paucis tibi ostendam hoc ita expedire, rationique & iustitiæ ita consentaneum esse. Virtus enim non solùm meretur præmium, sed etiam & honorem: immo honor proprium virtuti præmium est, & illi maximè debitum. Similiter peccatũ non solum meretur pœnam, sed etiam confusionem, & verecundiam. Vnde iustissimè præcipiunt leges Imperatorum vt delicta reorum publicè puniantur: vt videlicet pœnam inflictam astantium verecũdia, & confusio comitetur. Quod si quis iudex secretò in carcere latronem pro furto flagellaret, non plenam egit de furto iustitiam: quia præcipuam quandam partem vitio debitam, scilicet confusionem latroni remisit, quæ non potest per quamcũque aliam pœnam corporalem suppleri, quoniam alterius generis est. Vnde vsque adeo confusio, & verecundia humana pœna vt hæc præcipua sit hominis quatenus homo est: nam, & flagellari, cruciari, occidi possunt

Psal. 139.

Psal. 66.

Psal. 66.

verecundari. Quo fit, vt ingenuus quilque malit aliquando secretò torqueri, quam publicè confundi: & libenter quamlibet pœnam secretò portare, vt publici pudoris confusionem euadat. Tunc igitur homo, maximè, vt homo punitur, quando pro delictis suis publicè confunditur. Oportet igitur ad perfectam, & integram iustorum remunerationem, & malorũ retributionem, vt fœlicitatem iustorum honor, & gloria, & miseriam iniquorum confusio, & pudor æmiterur. Si enim in secretò fieret retributio, nõ modica retributionis pars deesset vtriusque. Vnde quia Deus bonorum malorumque in summo iustissimus est retributor, iustis post gloriam sempiternam summum, possibilem, & sibi debitũ honorem non denegabit: malis quoque iustis, & legis suæ præuaricatoribus, Gehennam, summam quoq; confusionem præstabit. Itaq; vt iusto nihil desit eorum virtutis honorem, neq; iniquo plenam delictorũ suorum confusionẽ, omnem intellectualem rationalemque creaturam simul in illo iudicio congregabit, vt ab omnibus creaturis rationis, & intellectus capacibus iustus honoretur, & coram omnibus confundatur iniquus: propter quod non relinquetur in cælo angelus, neq; dæmon in inferno, neque quisquam hominum ex quo Adã conditus est, siue in cœlo sit, siue in inferno, siue in limbo, qui non astet in hoc iudicio, & bonorum malorumq; causam apertissimè cognoscat. Si enim quisquã illorum illi iudicio deesset, iam non plenus honor, neque cõfusio videretur: portio enim illa, vel honoris, vel confusionis deesset, quæ ex illius præsentia proueniret. Vnde honorabitur iustus apud omnes, apud quos honorabilis est: & confundetur iniquus coram omnibus; quibus confundi potest, vt integra, & perfecta Dei iustitia inueniatur. Quapropter etiam omnia secreta cordium, omnes cogitationes, affectionesque, & opera nudabuntur; omnia opera, siue bona siue mala publicabuntur, & ita omnium conscius erit alienarum cogitationum, affectionum, & operum, sicut suorum. Deo namque prodente omnibus omnia nota erunt; vt omnibus Dei iustitia manifesta sit. Neque mirandum hoc, nam sicut in radio solis atomi, quæ prius non apparebant, oculis fiunt notæ, ita in radio diuinæ lucis omnis illa congeries cogitationum, affectionum, & operum veluti atomorũ multitudo, apertè, & clarè videbitur coram omnibus. Si enim oculus noster corporalis propter lumen creatum, ad tantam distantiam, simul tantam videt multitudinem stellarum, quid miraris si irradiante Deo oculus intellectus, tam numerosam simul videat cogitationum, & operum multitudinem? Hoc est quod Dominus in Euangelio apertè insinuat dicẽs. *Nihil opertum quod non reuelabitur, neque absconditum quod non sciatur: quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur. &c* Et Apostolus; *Nolite ante tempus iudicare quò ad vsque veniat Dominus, qui manifestabit abscondita tenebrarum, & reuelabit consilia cordium.* Et Propheta. *Reuelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam in gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* Rursus Esaias ait. *Reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum, vltionem capiam, & non resistet mihi homo.* O confusionem nimiam, ô maximum, & terribilẽ pudorem: quis illum verbis explicare valebit, imò vel animo cogitare: *Dicent montibus cadite super nos, & collibus operite nos*, vt Dominus in Euangelio, & Ioannes in Apocalypsi testantur, vt tantum possint euadere pudorem; tolerabilior namque illis omnes cruciatus, & quantumuis amara mors videretur, quam coram Deo, & angelis eius, & tam graui multoque senatu, in tanta deformitate nudatis criminibus apparere. Quid dico? Immo vellent potius pro tunc inferni ignibus cruciari, quod Iob desiderat, dicẽs; *Quis mihi det, vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus? modo ibi non me reliquas, sed constituas mihi tempus in quo recorderis mei?* O intolerabilem malorum pudorem, quo etiam ipsa gehenna mitior est: latere enim impossibile, apparere autem intolera-

Simile notabile.

Luc.12.

1.Cor.4.

Naum.3.

Isa 47.

Luc:23.

Apoc. 9.

lerabile erit. *Verè illi* (vt psalmist. inquit) *beati erunt, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: verè beatus, cui non imputabit dominus peccatum.* Quorum autem tecta erunt peccata, nisi quorum hic fuerint Deo, & confessori reuelata? Noli homo, noli celare peccatum tuum; nè celes vni, nè vniuersitati nudetur. Reuela vni pudenda tua, ne reuelentur vniuerso. Si vsque adeò confunderis vni in secreto propalare peccatum, magis credo illud publicè, & coram populo dicere expauesceres. Quid ergo tibi euenturum putas, cum iam non verbo, sed facto, Deo, angelis, & hominibus, sicut factum est, propalabitur? neque enim scelus ita turpe est dictu, sicut factu. Pudet hic referre quorundam in suorum confusione delictorũ temerariam, friuolam, pernicioſamque palliationem, quæ æternum illis est paritura pudorem; Qui enim vnum peccatum, aut palliat, aut tegit, cætera prodidisse, nihil proderit: quoniam iuxta prædictum Prophetæ testimonium, illi solũ tegentur iniquitates, cui Deo propitio hic fuerint remissæ: vno autem celato cætera etsi prodantur, non remittuntur: non ergo tegentur. An verò ita tecta erunt, vt penitus non appareant, iuxta quorundam sententiam: aut, vt appareãt quidem, sed non confundant, iuxta aliorum sententiam: non est meum hoc loco disputare. Quod autem ad hoc iudicium vniuersa illa multitudo, de qua diximus, conuocanda sit, & quod ratione probare nitebamur, etiam propheticum testimonium adstipulatur, dicens: *Deus deorum, dominus locutus est, & vocauit terram à solis ortu vsque ad occasum: ex Sion species decoris eius, Deus manifestè veniet, Deus noster non silebit. Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida. Aduocabit cœlum desursum, & terram discernere populum suum. Congregate illi sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia, & annunciabunt cœli iustitiam eius.* Et ne de tali, ac tanta congregatione mireris, sequitur: *Quoniam Deus iudex est.* Quid ergo mirum, si creatori iudicanti omnis astipuletur creatura, sed iam de hoc tanto iudice apertius differamus, non enim parum refert ad reum causæ suæ propicium habere iudicem, etiam si iustitia seruanda sit in iudicio: hanc enim propitiationem Propheta petit à domino, dicens, *Viuet anima mea, & laudabit te: & iudicia tua adiuuabunt me.* Quis ergo tanti iudicij futurus est iudex? Non vtique angelus, vel archangelus, vel quantumuis illustris, & ex supremo ordine Seraph; non enim decet angelum tanta maiestas, sed Deum omnium conditorem: nec humanæ naturæ, qu sibi copulando ita honorare dign est Deus, tantam irrogabit iniuriam vt eam assistere faciat ad tribunal an iudicandam. Diuino itaque iudicio, infallibili iudicabitur homo: ille n futurus est iudex, quem neque faller neque fugere quicquam potest: qui nec decipere, neque decipi nouit. Cuius timorem Propheta commemorans, iniquos ità proloquitur, *dixi iniquis, nolite iniquè agere, & delinquentibus nolite exaltare cornu, nolite extollere in altum cornu vestrum: nolite loqui aduersus Deum iniquitatem*, propter quid ò Propheta? qua ratione? Sequitur, *quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à desertis montibus*, scilicet, fuga vobis patet, *quoniam Deus iudex est.* sub tanto ergo iudice quis audet peccare, qui omnium iudicandorum, & iudex, & testis est & quem nulla scelera nostra latent, neque tamen in forma Dei reprobos iudicaturus est. Tantæ enim maiestatis tribunali assistere quis auderet? apparere coram eo quis sustineret? Columnæ cœli contremiscunt ad nutum eius: *respicit terram, & facit eam tremere: montes, rupes sicut cera liquescunt à facie eius* poterit æstate coram eo fluxa, ebu & putrida caro? Vnde Propheta, *fluit cera à facie Dei.* Et Iob. *Oculi tui in & non subsistam.* Et rursus, *etiamsi lo fuerit homo, deuorabitur.* Quis igit ram illo iuri suo inniteturquis audebit asserere? non potius contractus, humilis, tremebu pauidus subsistet? Propter hoc Prop

Psal. 31.

Psal. 118.

Psal. 49.

tegius, nomine, & voce filiorum Adam
Psa. 71. ad patrem supplicat, dicens. *Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis, iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio.* Hoc est, non in tua maiestate nos iudica Deus, *sed vices tuas filio tuo Domino nostro committe*: illum ad iudicandum delega: ille meus iudex sit, qui fuit redemptor. Nec hoc pijssime pater peto, quod aut rectitudinem tuam, aut misericordiam tuam ignorem: rectus namque es domine Deus noster, & non est iniquitas in te: miserator, & misericors es dominus patiens, & multum misericors. Scio domine, scio, quia rectissimus, & mitissimus es natura, quid enim natura diuinius benignius, aut clementius? *Sed pons es Domine, & veritas tua in circuitu tuo*: horreo, trepidoque tuæ veritatis aspectum: neque meas infirmitates, miserias laboresque, quibus ab infantia fuisti, expertus es: illum supplico pater clementissime, illum mihi delega iudicem, qui esurire, frigescere, tristari, & angustiari mecum agnouit, qui miseram hominum sortem, & exiguitatem expertus est: qui malorum insidias, persecutiones, fraudesque sustinuit: qui tentari, & pati omnia nouit. In eo enim, quod tentatus, & passus est, ipse denegabitur, & eis qui tentatur auxiliari: didicit enim ex his quæ passus est misericordiam: ipse cognouit figmentum meum, ipse meam exiguitatem, & tempestatum validos fluctus, quib. in hoc mari naufragamur, simul agnouit. Quare libenter illi iudicio subeo, & amplector sententia, qui pro me miserrimo, & indigno seruo suo iudicatus, & mortuus est: & nè me damnaret ad Gehennam, ad crucem se damnari permisit, hunc non recuso iudicem, hunc habui redemptorem: agnum, inquã o me occisum, hunc iudicem efflagito, hunc desidero, hunc totis viribus conquiro. Non ipsius crudelitatem accuso, quia agnus est: non suspectam habeo amicitiam, quia frater meus, & quæ neque de rectitudine formidabo, quia & ipse Deus est; illius assistere tribunali non renuo, qui pro me profani iudicis tribunali assistere non est dedignatus, quicquid de me decreuerit ipse, libenter suscipio. *Iudicium tuum* ergò potentissime pater, *Regi da*: ipse sit meus iudex, qui pro me fuit iudicatus; eò enim quod indignè iudicatus est, ipse dignus est viuorum, & mortuorum omnium fieri iudex. Vnde ad illum merito proclamat omnis cœlestium militum multitudo, *dignus est agnus, qui* Apo. 5. *occisus est, accipere virtutem, diuinitatem, & sapientiam, fortitudinem, & honorem, & omnem creaturam, quæ in cœlo est, & quæ super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo* Exaudiuit dominus preces nostras, votaque supplicantis populi non despexit, filioque suo, domino nostro iudicium delegauit, illum constituit iudicem viuorum omnium, & mortuorum. Vnde id scimus: quia ipse vnigenitus nobis hoc aperte reuelauit. *Pater*, inquit, *non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio,* Ioan. 5. *quia filius hominis est.* Noluit enim Deus hominem, nisi per hominem iudicare, causamque suam cum homine iudicandam homini commisit: vt interdum, & hominem iudicet homo Deus: iudicet inquam, non solum, quia Deus, sed quia filius hominis est. Nolite mirari hoc, videlicet, si tanta dignitas homini cõceditur, quæ nõ cõceditur angelo: hic enim homo non solùm filius hominis est, sed & filius Dei est, & hanc omnem celsitudinem ipse promeruit: in eo enim quod humiliatus est vsque ad iudicium per obedientiam, exaltari quoque ad iudicium omnium promeruit per gratiã. Nolite ergò mirari hoc, quia filius hominis est. Quanta hominibus fiducia, quanta mortalibus spes in iudice isto? Quis non sperabit saltem, etsi peccator sit, & indignus, quando à patre pijssimo eius sententia ferenda est? Vndè Apostolus. *Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis est,* Rom. 8. *qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est, immò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, quia etiam interpellat pro nobis.* Quomodo condemnabit interpellator, qui ne damnaret, ipse mortis

tis subijt damnationem. Quando saluator damnabit, quos morte redemit? aut quando aduocatus in clientem suum poterit esse damnator. Fatebor enim, neque me dixisse pigebit, in hoc iudicio omnia terrent me, omnia me conturbant, neque sine timore nimio huius tanti iudicij valeo recordari: sola hæc mihi relicta consolatio est, domine mi, quia criminum meorum tu solus futurus es iudex, tu inquam redemptor meus, adiutor meus, aduocatus meus, pater meus, tota spes mea, & totum bonum meum, & solatium. Vnde sæpius cum Prophera clamito, dicens. *Si ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Et rursus: *Etiam si occiderit me, in hoc ipso sperabo.* Quid ni sperem, cum *ipse sit propitiatio pro peccatis meis?* Quid ni confidam: vbi in corpore mei iudicis salutis meæ impressa insignia fulgent. Certè etsi taceam ego, satis pro me loquentur vulnera illa: nec aliud *respondebo exprobrantibus mihi verbum*, nisi hoc solum. *Quia speraui in iustificationibus tuis semper.* Sed quamuis ista dixerim, nemo fratres mei, nemo se eiecũ ueniat, nemo dormitet, nemo in peccatis suis perduret in spe veniæ: maledictus enim, qui peccat in spe. Audite Psalmographum mirabiliter consulentem. *Deus* (inquit) *noster Deus saluos faciendi, & domini domini exitus mortis.* Ita est profectò Deus saluos faciendi, non damnandi: ab ipso enim non mors, sed exitus mortis. *Veruntamen* etsi ita sit, *Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis.* Nolite dicere: Deus saluos faciendi est, neminem damnabit: agnus mitissimus est, nescit irasci. Agnus quidem electis, reprobis autem ferocissimus leo tunc apparebit: Vndè Prophera *Sicut leo rugiet: & formidabunt filij maris.* Et alius Prophera: *Rugitus eius, vt leonis rugiet, vt catuli leonum, & frendet, & tenebit prædã, & amplexabitur, & non erit, qui eruat.* Secundum ergò iudicandorum conscientiam, iudex in se vnus varius apparebit, probis agnus, improbis leo. Sic enim etiam in humanis iudex filijs, vxori, & amicis beneuolus est, & benignus, facinorosis verò, & latronibus visus nimium incutit terrorem: non quia ipse terribilis, sed quia rei conscientia timida est. Hic quoque re ipsa terribilis apparebit, ac fortis: tum propter districtam iustitiam, & acerrimam in malos vindictam, tum propter admirandam maiestatem, & magnificum apparatum, grauissimumque angelorum, sanctorumque consessum. Non enim sicut in primo aduentu mitis, & humilis, sed potens, & fortis aduenit sicut in prothemate dicitur. *Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & maiestate*, non occultum, sed manifestum: non in virginis vtero, sed in altissimo solio, non vagientem in præsepio, sed regnante in throno, non iumentis vt prius, angelis comitatum. Præueniamus gò fratres tantum iudicem, & *præcupemus faciem eius in* delictorum nostrorum *confessione*, sicut monet psalmus: præoccupemus manus eius condigna pœnitentia, ieiunijs, & flagellis, & sententiam eius fletibus leniamus. *Ploremus coram Deo, qui fecit nos*, ne perdat nos, cordisque nostri maculas lachrymis diluamus, gemamus pro delictis assiduè: gemamus modicum, ne semper gemamus, ploremus modicum, nè in æternum ploremus, non parcamus nobis, vt parcat ipse. Quo enim quisque districtior fuerit in seipso peccatorum vindex, eo illi mitior tunc apparebit iudex. Fœlix, qui dicere poterit in illa die: *feci iudicium, & iustitiam domine, non tradas me calumniantibus me.* Iudicium facit contra se, quia reum agnoscit, & confitetur, & indicium iustitiam facit, qui peccata, quæ sententia damnat, pœnitentia punit. Et dæmonijs calumniantibus illa die non tradetur, quia modica, & tempestiua pœnitentia magnam prouocauit, & declinauit victimam: ò fœlices lachrymæ, ò fœlices gemitus, ò fœlices fletus, quibus perpetuos illos euitamus gemitus, & dolores: fœlix pœnitentia, quæ

Ps. 22.
Iob. 13.
Ioan. 2.
Ps. 118.
Ps. 67.
Ibid.
Ose 11.
Isa. 5.

liberat à Gehenna, Peccauimus fratres, pœnitendum eſt, aut ardendum: quanto melius modicum pœnitere, quam perpetuo ardere. Nolite putare, quod commenta, aut aniles fabulas vobis narremus, rem certam ſeriamque narramus. Heu heu quam ſecuri, & intrepidi hæc dicimus, & audimus, quaſi nos non tangeret hæc ſententia, quaſi ad nos non pertineret hiſtoria, quaſi alij non nos tribunali aſtare, rationemque reddituri eſſent, aut quaſi dies ille nunquam eſſet venturus: *ſed ad eſſe feſtinant tempora*, cum minus putauerimus feſtinus aderiet. Ne igitur iſta putemus, dictis ſuadiungit dominus mirabilem confirmationem: *cœlum* (inquit) *& terra tranſibunt, verba mea autem non tranſibunt.* Quam dictorum confirmationem, uic maximè loco apponendam idcirdominus iudicauit, vt ſopitos, & ſecuad pœnitentiam excitaret indubitati xaminis cognita certitudine. Vnde, & in epiſtola congruenter ſatis, & concinnè Apoſtolus velut tuba perſonat, dicens: *Fratres hora eſt iam nos de ſomno ſurgere, excutite ſomnum, pellite ſoporem:* hæc auditis in Euangelio, & dormitis? hora eſt corrigendi vitam, emendandi mores, expellendi vitia, ne nos incautos reperiat tantum malum. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: nõ indultam nobis hanc à Deo ſalutis opportunitatem negligamus, nè nos tranſeat hora, quia poſtea non erit hora. Veniet ecce tẽpus, quãdo præſentis opportunitatis recordabimur, eiulabimus, & flebimus, fruſtra clamabimus, cõtranos dicẽtes. Heu quia potui, heu quia nolui, hei mihi, quia tantã miſeriã euitare nõ curaui, cum in manu mea, & tam facilè fuerit: ò quomodo lætabuntur tũc, qui hęc non ſurdis auribus audierunt, quomodo ille ſalubreque conſilium pœnitendi dabunt, cum videbunt ſtultos pereũtes & peccatores cum diabolo infernibus deglutiri. *Confige timore tuo carnes* domine, confige cor meũ ſagittis, vt timeã te, & timendo pœniteã, pœnitendo præueniã, præueniendo ſecuad dexteram cum tuis electis audire mereat, *venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ante mundi conſtitutionem*, in quo cum Patre, & Spiritus ſancto viuis & regnas Deus, in ſæcula ſæculorum. Amen. Matth. 25

Deo gratias.

ALTERA CONCIO DE eodem Themate.

NOn vacat myſterio, quòd cum ex ſecretis alia aliis reuelata fuerint filiis prophetarum per Spiritum Dei, hoc tamen vnicum extremum, & vltimum omnium iudicium nulli ferè prophetarum fuerit occultatum: omnes enim ferè prophetæ de hoc iudicio aliquid prædixerunt. Nec ſolùm prophetis ſanctis, ſed etiã barbaris illis virginibus ex gentilitate, Sibyllis vaticinantibus ſecretum hoc Deo prodente eſt reuelatum. Vnde Auguſt. in lib. de ciuitate Dei, Erythrææ Sibyllæ plura, & mira carmina ponit, quæ in quibuſdam etiam eccleſiis ſacra natalis Domini nocte cõcinuntur, in quibus de iudicio, & ſignis illius vates illa virginea luculenter; & potenter ediſſerit. Quare hoc Domine? nempe, vt nullus in iudicio reus vllam tanti examinis futuri ignorantiam obtendat: nemo dicat, nõ fui conſcius, hoc me latuit, neſciui quòd operum meorũ redditurus eſſem rationem, ideoque imprudenter me geſſi, voluptatibus inſeruiui, nec opera mea, vt decuit obſeruaui. Voluit ergo Dominus, hoc tam gentibus, quam Iudæis notorium eſſe, vt legitimam non habeat coram eo excuſationem omnis caro: propter quod, & carmina illa Sibyllina toto orbe quæſita publicè in capitolio conſcribi, & in maxima haberi apud gentes authoritate fecit, vt iudicii ſermo neminem mortalium lateret. Hoc eſt quòd Propheta Elaias commemorat dicens: *Nunquid nõ ſcietis, nunquid nõ audiſtis, nunquid non annuntiatum eſt vobis ab initio, nunquid non intellexiſtis fundamenta terræ, qui ſedet ſupergyrum terræ, & habitatores eius ſunt quaſi locuſtæ, qua in cophinis colliguntur, & mittuntur in foueam, ne ledant terram?* Vnde ſicut ibidem dicitur. *Omnes gentes quaſi* Iſa. 49. Iſa. 40.

quasi non sint, sic sunt coram eo: & quasi nihilum, & inane reputata sunt ei: nam quasi locustarum, ita innumera illa hominum multitudo reputabitur coram domino, damnabiturq; incendio: Deus enim non reputat malos. Est etiam huius rei non modica causa, solicitudo quam de electis suis dominus habet: vndè sicut iniquis, ne vllam habeant excusationem, denunciatum est, ita & electis, vt tantum, & tam periculosum malum effugere possint. Vndè Psalm. *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.* Gratias tibi agimus domine, non quales debemus, sed quales nos miserrimi homunculi possumus: quia sic præuenisti nos: Quis enim seruus domino suo de bonis eius rationem redditurus, neque post deductam rationem vllam ab eo soluendi dilationem habiturus, non prius sedet, & computat sumptus, acceptam expensamque dinumerat pecuniam; vt cum rationis reddendæ dies aduenerit, securus, & intrepidus ad mensam accedat? Ita obsecro fratres mei, ita faciamus: ne postea ligatis manibus, & pedibus pro debito, in atrocissimum illum æternum, & terrorrimum carcerem perpetuo detrudamur. Mementote illius carminis Moysi, *gens absque consilio est, & sine prudentia, vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent*: & frequenter illud animo voluite. Sed iam huius iudicij ordinem, & modum, sicut promisimus principio enarremus, non ex vulgaribus communibusque authoribus, sed ex Euangelio, & Prophetis, veram, & certam historiam colligentes: eorumque testimonijs singula roborantes. Ante diem illum, dierum vltimum, dierum maximum grandem mortalibus futuram calamitatem nemo ambigit, qui in scripturis sacris, vel mediocriter fuerit eruditus. Omitto nunc diabolici hominis, antichristi persecutiones & clades, omitto tormenta etiam, martyrum præteritorum agonibus acerbiora, quibus fideles ad suam impietatem adducere tentabit iniquus ille: de cuius ortu, & apparitione apertissimè Apostolus scribit ad Thessalonicenses, dicens. *Rogamus autem vos fratres per Aduentum Domini nostri Iesu Christi, vt non citò moueamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam, tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini: ne quis vos seducat vllo modo, quoniam nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, &c.* Huius igitur pestiferi nebulonis persecutiones omittentes, & fraudes, ipsarum facies prope finem maximè detegetur: prius enim vt Dominus ait Euangelio, *insurgent prælia, dissensiones, rixæ, inimicitiæ, fames, pestilentiæ, ægritudines, aliaque innumera infortunia* non qualia à principio sæculi visa sunt sed multò maiora, & quæ finis sæculi apertissimum mortalibus ingeneta testimonium. *Neque enim si communia essent*, vt Augustinus inquit ad Hesychium, *insignum darentur à domino.* Erit enim tanta hominum dissensio, ita vt vbique terrarum Ciuitas cum proxima Ciuitate, oppidum cum vicino oppido, regnum cum regno, familia cum familia, domus cum domo, grauissimas exerceant inimicitias, & discordias: concitatisque vndique bellis passim homines consternentur, & trucidentur. Veluti cum serenam prius aquam tempestas ingruens à fundamento deturbat, atque in fluctus excitat monstruosos: talis erat tunc huius nostri maris facies, malorumque omnium in sæculo inundatio. Hanc autem hominum turbationem, motumque bellorum elementorum perturbatio subsequetur. Virtutes enim Cœlorum, id est, fluentiæ cœlestes, vt Dominus inquit, mouebuntur, distemperabunturq; à quibus omnis ista inferior machina gubernatur; quibus ita distempera omnis elementorum ordo soluetur confundetur; ac proinde fient inundationes maximæ in orbe, tonitrua fulmina fulguraque tremenda, tempestates horribiles, grandines incredibiles

Psal. 59.

Deut. 32.

Mat. 2.

Deut. 32.

Vide Bell. tom. 1.

2. Thes. 2.

Signa Iudicij præcedentia.

dibilis magnitudinis, terræmotus, hiatusque terræ formidabiles; fluctus autem maris intumescent adeò, atque littoribus imminebunt, vt videantur vniuersam terram deuoraturi: vnde tantus fiet eorum fragor, & sonitus, vt procul à littore audiatur, & erit in terra pressura gentium maxima, vt ait Dominus, *præ confusione illa sonitus maris, & fluctuum.* Alteratis namque, vt prædiximus, influentijs, necesse est omnem elementorum ordinem perturbari, mõstruososq; in aere, aqua & terra effectus ostendi hominibus apparere. O qualis erit tunc hominum vita, quam acerba, quam amara, quam tristis, & luctuosa, quis enim non horreat tantam inspicere confusionem, permutationemque rerum. Adè, & Dominus in Euangelio, *arescentibus* inquit, *hominibus præ timore, & expectatione eorum quæ supereuenient vniuerbi, obliuiscentur cibi, & potus, & omnium sæculi deliciarum, veluti qui in mare naufragium periculosissimum sustinet.* Itaque toto orbe mortales omnes naufragabuntur vbique. De hoc Ioannes in Apocalypsi ita inquit. *Omnis mons, & insulæ de locis suis motæ sunt,* videlicet à terræmotus magnitudine. Tantum enim motum, neque montes sustinere valebunt, quin corruant, & ab inundatione fluctuum, alijs operis aqua, aliæ de nouo maris insulæ alibi apparebunt. Propter quod vt ait, *timore agitati reges terræ, & principes, & tribuni, & diuites, & fortes, abscondant se in speluncis, & in petris montium,* ne videlicet horrendam, tremendamque rerum omnium videant confusionem, mundique pereuntis formidabilem casum. Qualem existimas esse futuram mortalibus vitam, quando reges, & primates, & qui cæteris videbant esse terrori, relictis vrbibus montes, & errabundi confugient ad cauernas, & veluti reptilia quædam exterriti, & stupefacti, nec se inuicem cognoscentes, montium perquirent latibula.

Vnde, & idem Ioannes Angelum vidit accinantem audiuit, atque clamantem *væ væ væ habitantibus in terra.* Optandum valde nobis est fratres, in pace vitam finire, & tantam mundi calamitatem non videre: neque temoueat, quòd Dominus in Euangelio ait: *sicut in diebus Noe, ita erit & aduentus filij hominis* Sicut enim ante diluuium *erant comedentes, & bibentes, & nubentes, & nuptui tradentes, vsque ad illum diem quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit aduentus filij hominis.* Et alibi, *attendite nè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa: tanquam laqueus enim superueniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ.* Et Paulus ad Thessalonicenses. *Ipsi enim,* inquit, *diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte ita veniet; cum enim dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugient.* Ex quibus & alijs scripturæ locis, Aduentum Domini inpræmeditatum, & repentinum mortalibus superuenturum apertissimè colligitur. Quomodo ergo præ timore arescent expectantes super venturam diem, & imminentem iudicis iram, neque enim ignorare poterunt fenescentis mundi ruinam, cuius tam euidentia experientur testimonia. Quomodo etiam tunc nubent, & nuptui tradent, quasi securi, & intrepidi, si reges montium, & petrarum præ timore latibula quærent. Sed facile soluitur quæstio, si ad diuersa tempora hæc scripturarum testimonia referamus, prius namque sicut in diebus Noe securi, & intrepidi voluptatibus, & negotijs sæcularibus homines incumbent, quibus ita agentibus repentina veniet dies illa, non dies vltima iudicij, sed tempus illud breue supradictæ confusionis, & inordinationis, quæ veluti quædam tempestas incautos occupabit, & vsque ad vltimam iudicij diem protendetur. Dies ergò ille pro toto illo tempore signorum accipitur, quod breue erit. Quod si de die vltimo intelligendum est, oportebit dicere, post tem-

Mar. 24.

Luc. 21.

1. Thess. 5.

tempus hoc formidabile ſignorum aliquamdiu ſerenitatem, & tranquillitatem rebus reddendam eſſe à *Deo*, vt præteriti timoris obliti mortales ad priſtinæ vitæ conſuetos redeant actus, & ita incautos opprimat dies illa. Sed prima reſponſio magis placet: ex quo enim cœperit diſſolutio, & diſtemperatio illa partium vniuerſi, veluti ingraueſcens ægritudo indies magis ac magis augebitur, & per ſuos curſus mundus paulatim in interitum deueniet. Sicut enim quiſpiam prius robuſtus eſt, & fortis in iuuentute, poſtea ingraueſcente ætate ſenio confectus, fluidus, & laſſus: ſi verò morbus debiles artus inuadit, humores illico diſtemperantur, alteratur anhelitus, eneruantur vires, diſſoluuntur artus, & ad vltimum hebetantur ſenſus, turbatur iudicium, totuſque ille potentiarum, & virium animæ ordo confunditur, donec corporali diſtemperie ſpiritus ſoluatur à carne, & tandem mors fiat: ita omnino in hoc orbe continget, poſt primam enim eius iuuentutem, quando fortis fortia, & robuſta quæque gignebat, iam in ſenium acto, priuſquam intereat, elementorum ſoluetur temperies: deinde veluti creſcente iam morbo, *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & aſtra de Cœlo cadent*, id eſt, cadere videbuntur cometis ſcintillantibus vndequaque, hæc enim veluti ſenſus in orbe ſunt. Ad vltimum verò flagrante igne, vt ait Apoſtolus Petrus, *Elementa calore ſoluentur, & vltimus orbis erit interitus*. Vndè Pſalmiſta. *Opera manuum tuarum ſunt cœli, ipſi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut amictum mutabis eos & mutabuntur.* Apertiſſimè namque defectum illum, permutationemque ſupradictam cœleſtium influentiarum, Cœlorum inueterationem nuncupauit, non quidem in ſubſtantia, ſed in apparentia, non in re, ſed in virtute; non quoad Cœlorum impaſſibilia corpora, ſed quo ad effectus eorum, & influentias, quæ veluti inueteratis orbibus inferiori mundo deficere, minuſque ad illius gubernationem ſufficere videbuntur. Omnibus igitur flagranti illo incendio conſumptis ſubito, & in cinerem redactis, è Cœlo miſſus tuba canet Archangelus, id eſt, in aſſumpto corpore validiſſima voce clamabit, cuius vocem audiet totus orbis, & quæ in Cœlo, & quæ in limbo, & quæ in abyſſo ſunt animæ: *in ictu ergo oculi, in voce illa Archangeli terribili, in nouiſſima tuba*, vt inquit Apoſtolus, *omnes reſurgemus*, cum eiſdem corporibus, quibus in vita viximus; *omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* Reprobi namque terreni Adæ imaginem portantes carnales, deformes, & ponderoſi, licèt incorruptibiles, ſurgent propemodum quales fuerunt in hac vita mortali: electorum verò noua progenies, in gloriam filiorum Dei permutata, in ſpirituali carne fulgebunt ſicut Sol in regno patris eorum; non quidem æqualiter, nam qui in ſancta ſimplicitate ab alijs edocti viam iuſtitiæ tenuerunt, *fulgebunt ſicut firmamentum: qui verò eos ad iuſtitiam erudierunt, ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates. Et ſicut ſtella differt à ſtella in claritate, ita erit reſurrectio electorum*; quo enim plus virtute, & merito claruerunt in Eccleſia, eò ibi amplius corporali etiam decore fulgebunt. Quantus tunc iniquorū gemitus, quantus planctus, quis dentium ſtridor, quantus aſtantis animi fremitus, & indignatio, cum præ oculis gloriam quam amiſerunt inſpexerint, & decorem filiorum Dei, quem neglexerunt, attenderint. *Exibunt ergo Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum*, quos ipſa exterior forma ſalutis diſcernet reprobiſque in terra reſidentibus, electorum multitudo aduenienti iam iudici obuiam rapietur in aera. Si quidem ſuper montis Olineti cacumine directo apparebit de Cœlo, ſeſim aduenies potentiſſimus iudex Angelorum milibus comitatus in nube lucida, veluti in triumphali curru uectus, ſigno Crucis veluti vexillo triumphi deſuper in omnium oculis radiante,

Simile.

2. *Pet.* 3.

Pſal. 101.

Mat. 24.

diantes. Hoc enim Matthæus apertè commemorat. O quantum gaudium, ò quanta lætitia, quantus tunc beatarum mentium iubilus, quanta cum laude aduentantem in suam Ciuitatem principem cum triumpho ouans suscipiet ciuium multitudo: permiscenturque vtriusque Hierusalem senatores, & dextras dextris coniungent in fœdus sempiternum, pacemque perpetuam, fœderati atque sub vno Imperatore vnam incolent Ciuitatem, in vnamque rempublicam conspirabunt, statuentur sedes, locabuntur throni, sedebunt circumquaque iudices orbis, iudicaturi non solum duodecim tribus Israel, sed & omnes gentes, populos, & nationes, ipsos etiam Angelos à principe Cœlorum apostatas. Vndè Propheta; *Quia illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domum Dauid*, id est, super Christi vniuersam Ecclesiam. sic enim illis Dominus in Euangelio, promiserat, dicens. *Sedebitis, & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel*. Nec Apostoli soli sedebunt coram eo, sed etiam omnis multitudo sanctorum, quorum iudicio iudicandus est orbis. Quanta tunc maiestas, quanta venustas, quanta ibi seueritas: astabit deorsum in valle Iosaphat, teste Propheta, & in omni confinio iudicandorum maxima multitudo, vallata dæmonijs vniuersis: ibi astabit Iudas cum proditoribus, & sicarijs: Caim cum occisoribus homicidis; Nero cum crudelibus tyrannis; Herodes cum parricidis; Pilatus cum iudicibus iniquis: Mahumet cum insanis: Arrius, & Lutherus cum hæreticis: Simon cum magis, & simoniacis: Ninus cum paganis: Sardanapalus cum infamibus voluptuosis, omnes in fasciculos conglobati adunatique ad ignem secundùm parabolam zizaniorum Euangelicam. Hi omnes sinistram locabuntur, vt hœdi proterui, & inquieti. Stabunt quoque ad dexteram electorum familiæ separatæ, vbi sanctissimus Patriarcha Abraham erit cum vxoratis, Ioannes cum his qui vitam cœlibem peregerunt dum vita manebant, Helias cum Eremitis, Petrus cum clericis, Augustinus, & Franciscus cum suis fratribus, Stephanus cum martyribus, Virgo virginum cum virginibus: suo ordine quisque apparebit, suæque professionis habitum gestabit, non ex lana, sed ex gloria intextum, neque latebit fructus quem quisque gessit in vita, sed suo quilibet labore decorabitur. Hoc est de quo Paulus apud Thessalonicenses nõ inaniter gloriatur, dicens: *Quæ est nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ: nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum in aduentu eius?* 1. ad Th. 2. Et ad Philippenses. *Fratres mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea, &c.* Phil. 4. Quia videlicet ex eorum salute fulgentissima tunc in capite eius corona fulgebit, immensaque illi gloria redundabit, quod reges, & potentes bubulcis ibi, & agricolis sociati silebunt. Quid illis tunc proderit gloria mundi? quid fastus, & pompa regalis? quid apparatus familiæ? quid pretiositas vestium? quid delicata, & numerosa ciborum multitudo? nemo ibi in alterum mutire audebit, neque garrire. Testatur hoc Iob, dicens. *Parvus & magnus ibi erunt, & seruus liber à Domino suo.* Iob. 3. Qui ergo in hac vita dexteram tenuerunt, ibi lævam tenebunt, & è contrario. *Cancellatis enim manibus*, veluti Patriarcha Iacob, populum suum Dominus *iudicabit*; Gene. 48. Quantus tunc tremor, quantus terror: vbique fletus, & vlulatus, & horribilis gemitus: *plangent enim se super eum omnes tribus terræ*, vt ait Propheta, videntes, scilicet, quia non eis profuit tanta dignatio, tam mira benignitas, quod homo factus est, quod natus, & passus est, & eos inæstimabili sanguinis sui pretio redemerit: neque grandis in iudicando mora, nam subito aperietur liber vitæ, aperientur quoque conscientiarum libri, & omnia patebunt. Non erit opus testibus, non locus excusationi, & fraudi: quia luce clarius omnium vita, actus, cogitationes, & affectus coram omnibus apparebunt; non ibi dilatio, aut appellatio, quia Deus iudex est, & ipse iudex, Apo. 1.

dex, & testis; & sicut per Prophetam dicit. *Accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, adulteris, & periuris, & qui calumniatur mercedem mercenarij, & humiliat viduas, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum:* omnibus præuaricatoribus testis velox apparebit, quia coram omnibus subitò radio claritatis suæ omnia eorum peccata nudabit. Hi sunt libri infallabiles, & veri, quos nemo poterit reijcere: ipsa enim cuiusque conscientia reatus sui testimonium palam omnibus exhibebit. Librum autem illum vitæ, in quo cuiusque reprobatio, & prædeuinatio relucebit, non omnibus perspicuus erit, sed supremis illis iudicibus, qui iudicandorum rationes in eo legent apertius, vel obscurius, prout donauerit ipse qui iudicat Deus: & per eos inferioribus patefient, sicut scriptum, *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis*, id est, sanctis illis verticibus sanctarũ mentiũ, *turbati sunt omnes insipientes corde*, suã in eis videntes damnationem. Et hæc forte est eorũ iudicialis potestas, & authoritas, qua ab inferioribus etiam electis discernuntur vt iudices: de quo satis luculenter edisserit Richardus de sancto Victore, cuius ne immoremur, scripta perlege. Hanc verò iudicis seriem, librorumque apertionem, magnificè satis Daniel præcinuit, dicens. *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. Vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda: thronus eius flamma ignis, rota eius ignis accensus, fluuius igneus rapiduſque egrediebatur à facie eius, millia millium ministrabant ei, & decies millies cẽtena millia assistebant ei. Iudicium sedit, & libri aperti sunt. Aspiciebam ergo in visione noctis: & ecce cum nubibus cœli, quasi filius hominis veniebat, &c.* Quid apertius, quid lucidius, quid potentius de hoc iudicio dici potuit? Mira res; ita distinctè vati illi huius iudicij maiestatem in visione imaginaria fuisse monstratam. Cõsonat illi Ioannes Apostolus in Apocalypsi. *Et vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum à cuius conspectu fugit terra, & cœlum, & locus non est inuentus ab eis: & vidi mortuos magnos, & pusillos, stantes in conspectu throni; & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ; & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* Quanta tunc confusio quorundam qui se sanctorum agminibus agglomerandos in hac vita credebant, cũ seviderint dãnatis annumerari? quomodo stupebant dicẽtes: *Domine* quomodo hoc? quid nã hoc est? ita ne frustrabitur spes nostra? *nonne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, multos ad fidem tuam cõuertimus, virtutes multas,* & miracula *fecimus*? Hæc ne laborum nostrorum retributio? hoc tantorum operum stipendium? Quibus dicet, *nunquam noui vos, discedite à me operarij iniquitatis.* Quanta turbatio, quãta in his verbis mæstitia, non enim ad modicum separantur, sed in æternum. Quod si prophetantibus, & prædicantibus eum, mandatorum eius præuaricatoribus hæc dicturus est, quid auaris, quid blasphemis, quid lasciuis, quid rapacibus, & profanis dicturum putas? Quid facies tunc ò auare, quid facinoraptor, quid ò superbe, & lubrice? quid inquam facietis in die calamitatis de longe venientis, ad cuius confugietis auxilium, & vbi derelinquetis gloriam vestram, ne incuruemini sub vinculo, & cum interfectis cadatis. Non ibi precandi locus, nullus vobis intercessor assistet, qui pro vobis verbum loquatur, non beata Virgo, non Angelus, non Apostolus, non amicus, nõ etiam qui te genuit pater propitiabitur pereunti. Vnusquisque in sua iustitia liberabitur, æquitas iudicij quæretur, nemo audebit pro te dicere testimonium. Vnde si iustus vix saluabitur, impius, & malus quid sperare poterunt? Ita enim ad amussim ibi discernentur nõ solum exteriores actus, & opera, sed radices quoque operum, intentiones, & voluntates; meritorum quoque, & demeritorum causæ, intentionumque, & desiderium fines, & circumstantiæ, vt vix vlla reperiatur pura iustitia, quæ non auxilio gratiæ, & misericordiæ egeat roborari. Vnde Gregorius: *vita quantumcunque laudabili, si remota pietate iudicetur*, & Psal. *Et non intres in iudicium cum seruo tuo*, & Iob: *Verè scio, quod*

Mala. 3.

Psal. 75.

Daniel 7.

Apoc. 20.

Mat. 7.

ita sit, & quod non iustificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere vnum pro mille. Et iterum, *vnum est quod locutus sum, innocentem, & impium ipse consumit.* Consonat Psalmus: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Non ait peccata, non scelera, sed iustitias; & alius Prophera. *Scrutabor Hierusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in fecibus suis. &c.* O lucernas Dei, & quis poterit effugere lucem? quid coram vobis poterit occultari? neque minus hoc pium erit in sanctos, quam in reprobos seuerum; nam & Psalmista hoc ipsum à Deo postulat dicens: *Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta.* Ac si dicat, non labores, non sudores, non pericula, & discrimina, non famem, sitim, nec nuditatem, non vigilias, & asperitates volo vt diiudices, hæc enim omnia, & auarus pro lucro, & gulosus pro cibo, & elatus prò honore, & lubricus pro voluptate, & cumulatius passus est, non ergo opera nuda iudices, non agones solos dinumeres, *sed discerne causam meam de gente non sancta*, de populo vano, hæc est iudicij tota ratio, hoc pondus, hæc totius spei meæ vnicum firmamentum, quia laborum meorum, & opera qualiacunque sunt, tu Domine causa, tu finis, propter te, & ad te sunt facta. Breui igitur tempore tantarum rerum summa finietur, sic enim omnes, quasi singulos iudicabit, sua enim quisque conscientia conuincetur, nec erit quid valeat respondere conuictus. sed sicut scriptum est, *omnis iniquitas oppilabit os suum*, & rursus, *impij in tenebris conticescent.* Vnde, & seruus ille nequam in Euangelio, quia quod pro se responderet non habebat: obmutuit. An verò solo interiori, & spirituali examine, an corporali quoque voce, & sermone hæc definienda sint, non multum refert, credimus tamen audibilem omnibus à iudice futurum sermonem, quem leonis rugitum nonnulli prophetarum, alius autem verbum asperum vocat, dicens, *Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aspero* Vnde, & alibi, sicut superius annotauimus (inquit) *Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit.* Et alius Propheta, *tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar, dissipabo, & absorbebo simul.* Omnem enim indignationem quam longo tempore præcedentium sæculorum in reprobos concepit, tũc effundet in eos. Væ miseris, & quis poterit sustinere? *Si enim*, vt ait Iob: *cum vix paruam stillam sermonis eius audierimus, trepidamus: tonitruum magnitudinis illius, quis poterit intueri?* Sed quidnam tunc dicturus sit, licet ex parte per scripturas nouerimus, magna tamen ex parte, vt creditur, ignoramus: plura enim quam scriptura commemorat, vt existimo; ac duriora loquetur. Et licet velle hoc diffinire forsitan temerarium videatur, satis tamen placet Beati Bernardi sententia, qui ferè in hunc modum aduersus reprobos eum asserit inuecturum *Audite me filij Adam, quique terrigenæ filij hominum audite, quid inueniſtis in me iniquitatis, quia recessistis à me, quid causæ est, quod inimico meo vestroque seruire magis libuit, quam mihi? neque enim ille creauit vos, sed neque pauit quidem, aut tempora vestra ipse disposuit. Etsi parua hæc videntur ingratis, non ille, sed ego redemi vos: sed quo precio? non vtique corruptibilibus auro, & argento, non sole, vel luna, non saltem aliquo angelorum, sed proprio vos cruore redemi. Testes sunt plagæ istæ, quas in meo corpore cernitis: testis crux illa, quæ superius rutilat in excelso: testes hi, qui morienti affuerunt, & adhæserunt.* O generatio stulta, & praua, quare cum labore huic teterrimo hosti obedire maluisti, quam mihi cum gaudio Deo tuo, redemptori tuo? *vocaui, & renuistis, pulsaui, & neglexistis: extendi manum meam, & contempsistis, despexistis omne consilium meum:* præcepta quoque, & leges meas pro nihilo habuistis. Dicite vos Angeli, dicite ò iudices, *iudicate inter me, & vineam meam, quid amplius illi debui facere, & non feci?* Attollent tunc omnes vocem suam, & dicent: *iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Tunc ad populum suum, quem fide, & doctrina illumi-

Psa. 49.
Isai. 41.
Iob. 26.
Prou. 11.
Isa 5.
Psal. 118.

nare

nare dignatus est, conuertet sermonem suum, dicens. *Populo meus quid feci tibi? aut in quo molestiùs tibi fui dicito mihi?* ò synagoga Satanæ, ò perfida, & incredula, quantùm pro te laboraui, quantum pro te sudaui, quanta miracula feci in te, quanta prodigia, quod tibi contuli beneficia? *quoties volui te congregare sicut gallina pullos suos sub alis, & noluisti misera?* insuper, & pro laboribus meis, & donis, tale mihi stipendium præbuisti. Et tu Christiane, qui nomine meo, & fide gloriabaris, factis & opere negasti me: *esurijt enim, & non dedisti mihi manducare: sitiui, & non dedisti mihi potum: hospes eram, & non collegisti me: nudus eram, & non operuisti me: infirmus, & in carcere, & non visitasti me. Tunc respondebunt ei ipsi dicentes, Domine quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi? Et respondebit illis dicens. Amen dico vobis, quandiu non fecistis vni de minoribus his, neque mihi fecistis.* His igitur, & similibus impijs increpauit. Vnde si ad illos, qui de suis facultatibus non dederunt, hæc dicturus est, quid fiet de illis, qui non solùm pauperes non pauerunt, sed ipsos etiam spoliauerunt, & oppresserunt? si qui non dedit damnatur, qui rapuit quo inferno punietur? Attendant diuites, qui satis probè se vixisse putãt, si aliena non rapiunt: si licitis modis ditantur: si nemini iniuriam faciunt, aut fraudem videant, quia non dedisse sufficit ad Gehennam. Si enim cum superest non dare indigenti, non esset damnabile, non vtique in hos tam acriter domini sententia desæuiret. Expleto itaque iudicio, & examine finito, ad impios intonauit dicens. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.* Ad electos autem *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio mundi.* Tunc ad verbum eius dehiscet terra hiatu grandi sub malorum pedibus, & deglutiet eos: iusti autem cum ipso perpetuo regnaturi cõscendent in gloriam: ad quam nos perducat idem Dominus noster, & iudex noster: Iesus Christus, cui cum Patre, & spiritu sancto est honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Mich. 6.

Ordo increpationis extremæ.

Mat. 25.

TRACTATVS DE ADVENTU Domini.

THEMA.

Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. Matth. 21

DE Aduentu Domini in carne, de quo hoc tempore sancta agit Ecclesia, quatuor dicemus, auxiliante Domino. Primò causas propter quas venit: secundo fructum quem in mundo fecit eius aduentus: tertiò gratitudinem, quam tanto debemus beneficio: quarto præparationem, quam oportet habere ad eum suscipiendum. De quibus sigillatim in quatuor Dominicis tractabimus, fauente diuina gratia, quàm per Virginem imploremus.

Hoc indubiè tenẽdum est fide, potissimã atque præcipuam causam aduentus domini in carne fuisse generis humani redemptionẽ, videlicet ad pacificandum hominem cum Deo: ad regni cœlestis ianuam aperiendam: ad satisfaciendum Deo pro peccatis totius mundi: *ad quærendam centesimam ouem quæ perierat in deserto.* Hoc enim non solum Euangelium, sed tota scriptura diuina testatur. Ex hoc quoque saluatoris nomen accepit, dicente Angelo: *quoniam ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Vnde Apostolus, *Fidelis sermo, quia Christus Iesus venit peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* Et dominus in Euangelio: *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Quamuis enim ex mirabili illa Dei, & carnis vnione grandis supra modum honor, & exaltatio humanæ naturæ peruenit, tamen præcipua causa Dominicæ incarnationis non fuit naturæ humanæ exaltatio, sed curatio. Vnde Augustinus: *magnus* (inquit) *è cœlo venit medicus, quia magnus in terra iacebat ægrotus. Tolle ægritudinem,*

Mat.

Mat.

dinem, & non erit opus medico: peccatum itaque Adæ, & filiorum eius Deum traxit ad terram. Felix culpa quæ talem, ac tantùm meruit habere redemptorem. Iam ergo ex hoc profunda nimis insurgit quæstio, licèt communis, & trita, videlicet, cum pluribus alijs modis Deus genus humanum posset redimere, cur elegit mori pro peccato? Quod enim alia media non defuerint, notissimum est: poterat namque Deus gratis culpam Adæ remittere ex pura misericordia poterat, & eiusdem Adæ qualemcunque satisfactionem acceptare pro suo peccato: & oratione, vel sacrificio placari poterat; & soli peccatum eius imputare, & non transfundere ad posteros. Immo si mortis sententiam in eis exequi libuisset, quid obstabat, vt non illi quasi transgressores morerentur, & alij de nouo ab ipso Deo crearentur homines, qui totius humani generis essent parentes, & ergo, prioribus, Adam scilicet, & Eua, propter suam transgressionem hoc honore priuatis? Quam iustum, quam piũ, quam facilè videretur hoc: Ex tot igitur remedijs, & pluribus aliis, non solùm possibilibus, sed etiam (vt videtur) cõuenientibus, quæ diuina sapiẽtia inuenire posset, quare Deus elegit medium, tam rigidum, tam asperum, tam difficile, vt pro peccato hominis exularet interra: & non solùm labores, & dolores, sed & mortem crudelissimam pateretur? Quis te compulit Domine ad patiendum pro homine, quis te coegit vt à temetipso tam crudelem, & asperam satisfactionẽ exigeres pro peccato? Si hoc pręuideras, cur creasti hominem, pro quo talia passurus eras? Cur ei præceptum dedisti, in quo te offensurus erat, & periturus, cuius transgressio morte tua punienda erat, aut certè cur non eum verbo tuo præuenisti, cum tentaretur à Satana? Cur eum non monuisti? Vide miser, attende tibi, serpens est, venenum habet, ne credideris. Quis morte luit quod solo verbo potuit euitare? Quod si genus humanum mortuum fuerat ex peccato, moriatur, & pereat. Nonne melius vt pereat creatura, quam vt creator eius benedictus, vel exiguum in semetipso detrimẽti patiatur? *O altitudo diuitiarum sapientiæ Dei,* Rom. 11.
quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? 1. Cor. 1.
quis ab ysſum hũc poterit penetrare? verè *mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eum.* Hoc opus Psſ. 139.
si ratione mensuretur, exuperat omnem sensum, transcendit omnem intellectũ: vnde stultitia magna videtur, sicut Apostolus ait: *Prædicamus Iesum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam:* stultitia quippe non parua videbatur, Deum pro sua creatura pati, & mori. Sed tamen sicut idem Apostolus ait, *quod stultum est Deo sapientius est hominibus.* Ad nos autem fratres charissimi 1. Cor. 1.
non attinet scrutari quare factũ est hoc, sufficit scire, quia proculdubio sic factum est, & summo Dei consilio sic factum est. Hoc ad æternam salutem scire cuilibet nostrum necessarium est, vt dicitur in Symbolo, causam quare sic factum est, domino relinquamus. Cum apparuerit, cum eum viderimus sicuti est, tunc 1. Ioan. 3.
cognoscemus quam miro diuinæ sapiẽtiæ consilio, quam summo Dei iudicio sic voluit, & sic fecit: nunc cautius faciamus, si sapientem audimus admonentem. Altiora te ne quæsieris, & maiora te ne scrutãtus fueris: *nam scrutator maiestatis opprimetur à gloria.* Verumtamen ne putent Pagani, quia sic fidem nostram obtegimus, & excusamus, dicentes quod mysterium hoc inscrutabile est, & omnem superat intellectum, maximè quia secundum Petri Apostõli sententiam, *debemus esse parati reddere rationem omni poscenti,* de ea quæ in nobis est fide & spe: propter hoc, quantum humana fragilitas attingit, & quantum ex reuelatione, & sacris literis possumus intelligere, quatuor præcipuè rationes potuerunt assignari cur factum sit tam admirabile mysterium, omissis pluribus alijs, quæ à doctoribus circa hoc in suis scriptis reduntur. Sic namque expediebat ex parte culpæ, ex parte transgressoris, ex parte Dei, cui facta est offẽsa, ex parte remedij: vndique ergo expediens fuit ita fieri.

Assignatur conuenientia ex triplici parte cur ita redempti simus.

ri. Fuit namque primo conuenientissimum hoc ex parte culpæ, quæ cum esset quodam modo infinita, propter infinitatem eius in quem commissa est, infinita quoque indiguit satisfactione, si ex æquo compensari debebat: infinita verò satisfactio non inuenitur sine infinito merito; quòd non potest esse in puro homine propter quod Deus factus est homo; vt pateretur homo, & satisfaceret Deus in homine, pro homine. Minimus namq; laborum Christi, & minima eius in carne fatigatio, sufficiens erat ex se, ad mundi remedium, & omnium peccatorum plenissimam satisfactionem, propter infinitatem personæ patientis, & ex consequenti propter infinitatem meriti. Quia omne opus eius, & quodcunq; seruitium Deo patri pro homine exhibitum infinitè dignum erat acceptari, & recipi, propter infinitam authoritatē personæ offerentis, & infinitum patris ad ipsum amorem. Vndè, sicut Apostolus ait, *Exauditus est pro sua reuerentia* Erat quoque in alia culpa redimenda infinitas, quæ eius aduentum exigeret, quia non solum pro peccatis, & flagitijs totius mūdi perpetratis, & perpetrandis, & quæ perpetrari possent, reddenda erat patri plenissima satisfactio. Quæ cum infinita sit debuit infinitè gratum esse opus redemptionis, quo omnia soluerentur: & magis illud Deo placeret, quam omnia mundi facinora facta, & quæ fieri possent displiceant. Huius autem opus à pura creatura fieri non potest: expedientissimū ergo fuit ad plenam peccatorum redemptionem, vt ipse redemptor hominum Deus esset. Secundo fuit conueniens ex parte hominis reparandi, vt videlicet per illum prototypum reformaretur quo fuerat ante formatus. *Creauit enim Deus hominē ad imaginem, & similitudinem suam: ad imaginem* (inquit) *suam creauit eum.* Repetit verbum vt cōmendet hominis dignitatem. O mira celsitudo, ò mira pulchritudo, mira excellentia hominis, suum referre creatorem, ac ad eius formam, & imaginem fuisse plasmatum. Sed homo tantæ dignitatis & gloriæ, *cum in honore esset, non intellexit, cōparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Mutauit enim gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum: peccato quippè deformatus, & deturpatus, totus obrutuit: & qui factus fuerat, vt Deiculus, peccādo factus est, vt bruticulus (vt sic loqui liceat.) Vndè hominem velut deridendo Deus illi exprobans post peccatū: *ecce* (inquit) *Adam quasi vnus ex nobis factus est.* Ac si dicat, qui vt Deꝰ eo se voluit, ecce ad quid redactus est. Decebat itaq; hominē sic deturpatum, primo illo quo conditus fuerat prototypo, & exēplari, reformari: sic enim calceum, vel pileum deformatū reformamus: sic imaginem æneam, vel plumbeam confractam, deformatam aut comminutam in pristinam formam conflantes reducimus. Quę est autē imago hæc consimilis patri, nisi verbum Dei? De quo Apostolus. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ: verbum* ergo *caro factum est*, vt dum conflatur in verbo caro, reformaretur caro. nihil aliud enim est Christus Iesus, nisi Deus hominem singulari modo indutus, vel homo Deo mirabiliter coniunctus, sicut calceus suo pede reformatus: sic enim ipse vocat corpus suum in Psalm. cum ait. *In Idumæam calceamentum meum*, id est corpus meum in sacro gentili populo conuerso tradant, cui calceamenti corrigiam Ioannes soluere se indignum iudicat, quia quo nexu verbum carni vnitum sit, comprehendere non valet. Non enim poterat homo Angelo, vel Archangelo, aut alio cœlestis exercitus spiritu reformari, quoniam non ad Angeli, vel Archangeli, sed ad Dei imaginem conditus fuerat. Ille itaque debuit esse reformator, qui conditor: vt qui fecerat, reficeret: & qui plasmauerat, reformaret. Huiusmodi enim obligatione non debuit homo alteri quam Deo teneri: cum non minus fuerit hominem redimere quàm creare: imò multo plus redimendo laboratum sit: qui enim solo dictu creauit, morte redemit. Sed obijciet forsitan aliquis, ex quo Deus pro homine reformando incarnari, & pati dignatus est, cur huiusmodi reformatio non ap-

Heb. 5.

Gen. 1.

Ps. 48.

Ps. 105.

Gen. 2.

paret? cur hominem in priſtinum illum ſplendorem & natiuum innocentiæ decorem non ſtatim reſtituit, vt omnibus Angelis, & hominibus innoteſceret tantæ dignationis & miſericordiæ fructus? Namque ecce morimur, laboramus, tentamur, vexamur, delinquimus ſicut prius: & quales nos inuenit, tales nos verbum incarnatum reliquit, peccatores, paſſibiles, & mortales. Vbi eſt ergo illa tāto reparatore digna reparatio? vbi eſt illa reformatio tanto Dei labore, & ſudore parta? Quis fructus aduentus Dei in terris? Apoſtolum audio ad Romanos dicentem, *quia lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati & mortis.* Sed quomodo liberauit nō video: cum adhuc sētiat aliā legem in membris ſuis repugnantē legi mentis ſuæ, & captiuantē eū in lege peccati: adeo vt coactus exclamare. *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Qui ſic de peccato & morte quæritur, quomodo à lege mortis, & peccati liber eſt? Ex parte quidem, non in totum, non vt peccatum nō ſentiatur, ſed ne regnet, non vt mors non ſit, ſed ne perpetuo dominetur, legem peccati quidem ſentit in membris ſuis. Sed quid agit? *Nihil damnationis eſt his qui ſunt in Chriſto, qui non ſecundum carnē ambulant, etiam ſi carnem ſentiant:* non enim ſentire peccatum, ſed conſentire damnabile eſt. Veniet aliquando merito Chriſti plena libertas, ſed quando? Vtique ſicut ipſe ibidem dicit, *cum qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit, & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.* Tūc ſiet ſermo qui ſcriptus eſt: *vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus?* Tunc reparatio hominis à Chriſto facta omnibus innoteſcet, quando fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno patris eorum. Siquidem *cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas domini filij, ecce merces fructus ventris benedicti*, ecce fructus aduentus domini in carnem. *Nam omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc, quia reuelationem filiorum Dei expectat:* & quidem iam filij Dei ſumus in merito filij Dei, *ſed cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quia videbimus eum ſicuti eſt.* Facta eſt ergo iam reparatio, ſed nondum propalata: inchoata eſt, ſed nōdum perfecta: imò perfecta quidem iam merito, ſed nondum effectu. Siquidem *ſaluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformauit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Venit ſaluator animarum, veniet iterum ſaluator corporum: iam viua eſt radix, ſed nondum rami viuificati. Sed quare non ſtatim viuificati cum radice, ad quid facta eſt iſta dilatio? moriēdo quippe mortem occidit, ſed nondum manifeſtata eſt mortis victoria, propter quid? Vtique vt fides locum habeat, & bonorum operum meritum non diſpereat. Vnde ad milites templi deuotus Bernard. quæſtionem iſtam tangit, & ſoluit dicens: *Si ergo lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit mē à lege peccati, & mortis, vt quid adhuc morimur, & non ſtatim immortalitate veſtimur?* Sanè (inquit) *vt Dei veritas impleatur. Quia enim miſericordiam, & veritatem diligit Deus, neceſſe eſt mori quidem hominem, quippe quod prædixerat Deus: ſed à morte tamen reſurgere, non obliuiſcatur miſereri Deus. Ita ergo mors, etſi nō perpetuo dominatur, manet tamen propter veritatem Dei.* Hæc Bern. Aug. in libro de Baptiſmo paruulorum alia via ſoluit quæſtionem: ait. n *ſic à Deo fuiſſe diſpoſitum, nè fidei meritum caſſaretur. Si enim poſt Chriſti aduentum baptizati fideles ſtatim impeccabiles fierent, & immortales, quis fidei locus relinqueretur? Nonne omnis paganiſmus ad baptiſmū curreret, ſi nō propter charitatē, ſaltē propter immortalitatē? Sed nec ſola fides, ſed meritorū magna pars euacuaretur.* Et quidem Chriſto domino perfacilè fuit humanum genus ad innocentiæ ſtatum ſtatim reducere, ſi hoc hominibus expediret: ſed propter nos vtique facta eſt iſta dilatio. Quantum enim honoris, meritis, gratiæ, & gloriæ electis Dei omnibus deperiſſet, ſi homo illico ad innocentiam priſtinam redijſſet? Quid Petro pro Deo crucifixo, Paulo decapitato, Stephano lapidato, Laurentio aſſato, Bartholomæo excoriato, cæteriſque martyribus, confeſſoribus, & virginibus, qui venerunt ad coronam ex magna tribulatione, decoris, excellētiæ, &

Phil. 3.

Pſal. 83.

Pſal. 76.

& gloriæ tolleretur? Quanto gloriosius illis fuit pro Deo vitam exponere, quam fieri à Deo immortales. Quanto honorificentius, cum tanto victoriæ triumpho gloriam promeruisse, quam sicut infantes baptizatos, sine labore, sine sudore, sine discrimine, Dei dono gloriam suscepisse? Vbi esset illa vox, *Lætati sumus pro diebus*
Psal. 89. *quib nos humiliasti, annis quibus vidimus*
Psal. 65. *mala* Et illã: *transiuimus per ignẽ, & aquã, & induxisti nos in refrigeriũ.* Tolle militiã, nũ erit victoria: tolle victoriã, nõ erit corona. Quomodo gloriaretur Paulus di-
2. Tim. 4 cens: *Bonũ certamen certaui: cursũ consummaui: fidem seruaui: de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quã reddet mihi iustus iudex.* Fuissent fateor sicut angeli Dei, beati sine labore: sed non modica est hæc sanctorum prærogatiua, non leuis honor, quod gloriam quam habẽt non pure gratis, sed sibi eam meritis, & laboribus sanguine, & morte, acquisierunt. Vnde neque ad tantum gloriæ fastigium, sola innocentiæ puritate peruenturos fuisse existimandum est. O magna Dei charitas, ingens diuinæ prouidentiæ consilium erga electos suos. Sic nos redemit, sic nos reformauit sanguine suo, vt nullum afferret nobis detrimentum, sed maximum, & ingentissimum meritorum, honoris, & gloriæ cumulum ipsa redẽptio. Labores, fatigationes, tentationes, dolores, tormenta, mortem, facilè subito suo aduentu auferre poterat, non abstulit, sed reliquit: vt hæc ipsa nobis pœnarum exercitia, fierent meritorum instrumenta, & arma virtutum. Scrupulosam quæstionem non nostro sensu, sed Apostoli, & sanctorum verbis, longius forsitã quam sermonis angustia patitur, enodauimus: nunc ad propositum redeamus. Decuit itaque ex parte hominis, vt eadem qua fuerat formatus imagine reformaretur: & ille fieret Dei, & hominis mediator, quia Deus esset, & homo, in se vniens & pacificãs quod peccatũ fecerat ante diuisum. Decuit itaque hoc etiã tertio ex parte Dei: vt videlicet in hoc opere diuitias misericordiæ, & bonitatis suæ ostenderet, & inæstimabilis charitatis suæ pondus manifestaret. Siquidem qui in primi Angeli peccato iustitiæ suæ seueritatẽ ostenderet, in peccato hominis protoplasti debuit misericordiæ & pietatis suæ magnitudinẽ declarare: vt in vno iudicis seueritas, in altero cõditoris pietas omnibus innotesceret. Paruũ fuit Deum peccatum hominis gratis sine satisfactione dimittere: sed hoc grande erat pietatis indicium, si ipse pro eo non debitor satisfaceret: vt qui in totius orbis creatione potentiam, sapientiam, magnificentiam, bonitatemque monstrauerat: pietatem, & charitatem suam, in hominis redemptione, super omnẽ sensum, & intellectum aperiret. Siquidem pro opere suo ex compassione, & pietate innocenter pati, & mori, solius Dei amor, solius Dei clementia est. Talis amor decet Deũ: talis amor non est nisi Dei: qui orbem creauit, vt Deus: hominẽ amauit vt Deus. Vnde Apostolus: *commendat* (inquit) *in nobis Deus charitatem suam:* qui scilicet in cœlis, & Angelis potentiam, magnitudinemque monstrauerat. Stupet cœlum, & terra super immensum pondus tam eximiæ charitatis: expauescit orbis super tam nimiam & inæstimabilem dignationem. Sic Propheta ait. *Consideraui opera tua, & expaui, in medio duorum animalium notum facies.* O inenarrabilem charitatis ardorem! Deus immensus, omnipotens, infinitus, æternus, ille qui sapientia, summè beatus, & fœlix est, in sinu patris inenarrabilibus gaudijs, & delitijs fruens, suæ creaturæ amore succensus: ad ima pauper, inops descẽdens, in stabulo inter animalia nasci, in patibulo inter sceleratos mori dignatus est, ne paradisi delitijs homo quem creauerat priuaretur. Quid dicam de te domine? Plantasti vineam quasi Noe, & bibisti ex ea, & inebriatus, & nudatus ex vini feruore. Et sic de te olim Propheta prædixerat. *Excitatus est tanquam potens crapulatus à vino.* O vinum dilectionis fortissimum, triumphum potentissimum charitatis, ecce Deus captiuus tuus factus est: si contra Deum potuisti, quantò magis contra hominem præualebis? O gloriosum triumphum, ò spolia amplissima, ò victoriam ineffabilem, vbi vincitur

inuincibilis: omnipotens ſuperatur: altiſſimus deijcitur: vita occiditur: & iudex omnium condemnatur, ſolo amoris feruore deuictus: ſola charitatis potẽtia ſuperatus. Vndè Dominus in Euangelio. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Et Apoſtolus. *Propter nimiam charitatem qua dilexit nos Deus &c.* Verè nimia, verè exceſſiua charitas filium dare pro ſeruo: vnigenitum pro vermiculo. Hæc Dei charitas mundum ſuperauit: hæc vniuerſum deuictum pedibus Domini ſubiecit atque proſtrauit. *Siquidem* (vt ait Bernard.) *hominem à ſe peccatis longiſſimè ſeparatum Deus pluribus modis tentauit ad ſe reducere*: primo timore, propter quod terribiles & horribiles fecit ab initio flagitiorum vindictam, ſubuertit mundum diluuio: ciuitates prophanas aduſſit incendio: currus Pharaonis ſubmerſit pelago: Dathan, & Abiron viuos diglutiuit hiatu: & plures alias atroces pœnas in flagitioſos exercuit, vt pœnarum timore homines deterreret à peccatis: ſed ſicut ſcriptum eſt *populus non eſt reuerſus ad percutientem ſe.* Tentauit ſecundo alia via hominem ad ſe reducere fauoribus, & promiſſis: elegit populum illum Hebræorum, fecit pro eo miracula multa; occidit primogenitos: aperuit mare: deduxit in columna ignis per deſertum; pauit manna de cœlo: ſiccauit Iordanem: introduxit eos in terram optimam: fouit eos ſicut gallina pullos ſuos, ſi fortè videns mundus tot tantoſque fauores, dicere cuerramur & ſeruiamus illi Deo pio, & optimo, qui ſic benignè & mãgnificè tractat cultores ſuos: ſed nec ſic mundus idololatria relicta reſipuit. Quid ergo faciam? (inquit) ecce neque minis, neq; promiſſis proficio: mundus in ſua duritia, & pertinacia perſtat, flagella contemnit, beneficia deſpicit. *Sed viuo ego, dicit Dominus, quia mi curuabitur omnis caro, & flectetur omne genu. Ego eos ſicut paleas triturabo, & ego cõminuam ſicut plauſtrum nouum habens roſtra ſerrantia. Ecce opus ego facio, quod qui audierit tinnient amba aures eius.* Venit in mundum, incarnatus eſt, humiliatus eſt, in terris viſus eſt, & cum hominibus cõuerſatus eſt, flagellatus, ſputus, illuſus, occiſus eſt, nunciatum eſt mundo tantũ & tam ineffabile ſacramentum, audiuit, credidit, intellexit, cognouit: tantamq; Dei erga ſe charitatem, benignitatẽ, clementiam, pietatem expertus, & tam immenſo beneficij põdere ſuperatus, ad pedes eius procidit, & adorauit, & quẽ non vicerat timor neq; fauor, vicit amor: non enim valuit tantæ dignationis, & bonitatis onus ſufferre. Viciſti me domine, & victus ſum: fortior me fuiſti, & inualuiſti: ſuperaſti domine duritiam cordis mei, & quaſi ceram igne potentiſſio charitatis me liquefeciſti: gratias tibi Deus, gratias tibi Deus, gratias tibi. Vnde Ambroſius exponens illud Apoſtoli. *Humiliauit ſemetipſum, &c: Multa* (inquit) *Domine feceras pro me, & non genuflexi: feciſti me, feciſti mundum pro me: Dominum orbis me conſtituiſti, & non genuflectens adorauí: at poſtquã te vidi pro me humiliatum, plagatum, & crucifixum, ſtare nõ potui, ſed tanto amoris pondere victus in terram proſtratus adorauí.* Ità ſe Deus geſſit cum mundo, ſicut quidam pater bonus & diues cum adoleſcẽte filio inſolente, fugitiuo, quem diligit, quem prius miſſis nuntijs, minis, & terroribus nititur reuocare, iurans & obteſtans, quod niſi redierit non eum amplius recipiet, & bonis omnibus, & diuitijs, & hæreditate priuabit: ſed non curat hoc adoleſcens inſanus, ſed perſiſtit in propoſito. Vndè pater videſ quia hæc via non profuit, mittit alios nuncios ſeniores domus ſuæ rogans vt redeat, promittenſque ſe illi omnia quæcunque voluerit præſtaturum: ſed neque minis, neque blanditijs molliri poteſt vt redeat. Vndè tactus dolore cordis intrinſecus pater, & filii deſiderium ſuſtinere non prævalens, præ amore videns animi eius obſtinationem, dilectione victus, & patris grauitatem, & authoritatem oblitus, ipſe vadit, & lachrymis ora perfuſus ad filii genua prouolutus, obnixè obſecrat vt redeat: qua benignitate, dilectione & humilitate adoleſcens deuictus, in terram proſtratus, veniam pro diſceſſu poſtulans, cum patre in domum redit, & pio paren-

Ioan 3.

Ephe. 2.

Phil. 2.

Simile.

tũ

renti tota animi voluntate, de cætero obsequitur & deseruit. Sic omnino, sic nobiscum egit pijssimus Deus. Sed hanc mundi insolentiam, atque duritiem, non sine debita vltione reliquit Deus, sed sicut decet summum & optimum iudicem, sic vltus est eam. Sicut ipse in Psalm. repetēs dicit, *Omnes gentes circundederunt me in nomine domini, quia vltus sum in eos: circundantes circundederunt me in nomine domini, quia vltus sum in eos. Circundederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis in nomine domini: quia vltus sum in eos.* Siquidem postquam anima Dei bonitate & charitate mundū deuicta resipuit, & ad verum Deum, & creatorem suum conuersa est, tanto charitatis ardore erga Deum exarsit, vt ludibria, tormenta, proscriptionem, pœnas, cruces, mortes, pro ipso non solùm patienter, sed & libenter sustineret. Bone Deus, quantus fuit ardor illorum, qui ad fidem primo conuersi sunt? quomodo vndequaque concurrebant ad Iesum, sicut apes ad fauum? quomodo exarserunt in eius amorem sicut ignis in spinis? Propter quid? *Quia vltus sum* (inquit) *in eos.* Sic sic ò rebelles, ò contumaces, perfidi idolorum cultores, sic vltus sum in vos, qui me relicto dæmonia colebatis: vocaui, & renuistis, perterrui, & indurari perstitistis, donec me de cœlo pro vestra salute venire, & crucis ignominiam subire feciſtis. Iustam ergo de vobis vindictam sumam, ego faciam, vt qui in mei contumeliam idolis oues, & boues incendebatis, ipsi pro me sicut sacrificia incendamini, iugulemini, laniemini, trucidemini, & non breui tempore, sed trecentis annis continuis hunc truculentum persecutionis ardorē pro meo nomine patiamini, & vobis parum hoc esse videatur pro debito & amore. O insignem vindictam, ò admirandam vltionem, vlciscere nos obsecro Deus, sicut & mundum tunc vltus es. Facillimū erat Deo statim post suam resurrectionem, & ascensionem, mundum ad se cōuertere sine vlla violentia, & resistentia, sed tanto tempore distulit, vt dignam de mundo exerceret vindictam, vindictam, inquam amabilem, vindictam desiderabilem, vt recompensaret pœnis, tormentis, & martyrijs pro Deo susceptis, rebellionem, contumaciā perfidiam, quam erga Deum tot retro sæculis habuerat, & mercedem quam oportuit erroris sui in semetipso reciperet: mortem amore subiens pro illo, quē tandiu errore contempserat. Sic itaque mundum vicit, sic de mundo amore triumphauit.

Vides quàm non modò opportunus & congruus, sed expedientissimus, & quodammodo necessarius fuerit Dei in mundum aduentus, non solùm, vt diuitias bonitatis, & misericordiæ suæ in hoc opere demonstraret, sed & vt tanto beneficij pondere, mundi angorem, & duritiem superaret, & hoc charitatis glutino sibi mundum conglutinaret.

Restat nunc vt ostendamus quarto, quomodo hoc, & ex parte culpę congruerit, peccatum namque commissum tali remedio curandum erat, quo homines maximè à peccando deterrerentur, & si peccare contingeret, citius subleuarentur. Hoc super omnia quæ fieri, aut excogitari possunt, facit mors Christi: quid enim magis homini peccati horrorem incutere potest, quam videre filium Dei pro peccato in crucis patibulo morientem, & terribilem passionis pro reatu hominis satisfactionem reddentem? O grande malum peccatum, pro quo talis vltio fit: non mihi inundantem mundū, flagrantes ciuitates, absorptos homines, non inferni & omnes eius pœnas obijcias. nam si mille proponas Gehennas, nō sic expauesco, & contremisco, sicut videre Deum pro peccato morientem, & peccati reatum morte soluentē. Qualis est macula, quæ Dei sanguine diluitur: qualis est culpaq; Dei morte vindicatur: Vnde Bern. *ex qualitate remedij morbi æstimo quantitatem. Filius Dei iubetur occidi vt pretioso sanguinis sui balsamo mederetur: ò atrocissima vulnera, quæ huiusmodi medicamento curantur. De cætero quis obsecro audeat peccare? quis vel leuissimam culpam nō expauescat?* Orig. *filius Dei*, inquit, *pro peccato mortuus est, & te peccare delectat? Si*

Simile.

quis namque princeps, vel imperator, adeo esset latronum inimicus, & vltor, vt pro furto, filium vnigenitum regni heredem furca suspenderet, in regno eius de cætero furari quis auderet? & audes tu in regno Dei peccare, postquam vnigenitus Deus crucifixus est pro peccato? Sed è contrario hęc ipsa mors Christi præ omnibus, & maximè lapsum peccatorẽ sublcuat à peccato. Quid times peccator? quid trepidas? quid diffidis? *cõuertere ad Dominũ, quia pius est, & benignus, & præstabilis est super malitia, Non vult*
18. *mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat* Nõ credis? huius rei testimonia credibilia facta sunt nimis. Ecce propter hoc crucifixus est: propter hoc pendet in cruce; propter hoc inter sceleratos moritur: quomodo te damnabit pœnitentem, qui propter hoc moritur ne damneris? quomodo te abijciet redeuntem, qui de cęlo venit quærere te? Vnde Apostolus. *Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est, & interpellat pro nobis* Dices forsan Agnosco Domini viscera, inæstimabilem dignationem intelligo, sed magna sunt peccata mea nimis & horrenda, & inueterata flagitia mea, pœnitentia verò modica aut nulla, quomodo possum saluus fieri? O stulte, non attendis qualem pro tuis peccatis satisfactionem filius Dei in cruce patri reddiderit? exaggera crimina, accumula peccata, aggraua quantum potes, maior est illa pœnitentia, potior est illa hostia. Quid miraris si pro vna lachryma, vel suspirio innumera peccata remittit Deus, cui in cruce talis est reddita satisfactio pro peccatis, *Dominus* (inquit propheta) *retribuet pro me*, iam non exquiritur à me condigna pro peccatis satisfactio: sufficit mihi ad omnẽ iustitiã crux Christi, non sola fide, sed vera Dei dilectione, & peccatorum displicentia apprehensa. Quam apertè hæc omnia quæ diximus Euangelista Ioannes intonuit in epistola: *Filioli mei, hæc*, inquit, *scribo vobis, vt non peccetis*, si quod filius Dei venit in mundum: quod passus & mortuus est pro peccato: *sed si peccauerit quis, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, Ac si dicat: si statis, hoc vos deterreat à peccato: si corruitis, hoc vos sublcuet à peccato, quòd Christus Iesus pro peccatis mortuus est. Deo gratias.

DOMINICA SECVNDA Aduentus Domini.

Tu es qui venturus es? Mat. 11.

GRandem Baptista Domino quæstionem è carcere per discipulos proposuit, dicens: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Non quia ipse nesciret, sed vt populum, & discipulos ex responsione domini in fide formaret. Super qua quidem quæstione diu nobis cũ synagoga cæca disceptatum est, ecclesia fideliter profitente, quia *tu es qui venturus es*, & synagoga è contrario perfide renuente, non, *sed alium expectamus*. Oportune satis nunc eam multiplici legis, & prophetarum testimonio conuincere-mus; quoniam Iesus quem colimus, ipse est verus Messias in lege promissus, sicut ipsemet illis quondam prædixerat. *Scru* *Ioan. 5.*
tamini scripturas, quia ipsæ testimoniũ perhibent de me Sed omittamus hoc, tum quia Iudæi non adsunt, & vobis hoc necessarium non est, qui veram & catholicam fidem toto corde & animo profitemini: tum quia vt sanctus Maximus ait: *iam non sine magno discrimine de religionis veritate disputamus, quam tantorum martyriũ sanguine confirmatam videmus.* Magni enim periculi res est, si post prophetarum oracula, post Apostolorum testimonia, post martyrum vulnera, veterem fidem quasi recentem adhuc discutere præsumas, & post morientium sudores otiosa disputatione contendas. Alia igitur via nobis procedendum est, qui coram fideli populo professam fidem, & certissimam prædicamus. Satius est ostendere, *Vtile mul*
quam consentaneum, quam expediens, *tum ho-*
quam vtile generi hominum fuerit, vt *minibus*
ad eius redemptorem vnigenitus Dei fi- *quod Chri*
lius aduenirent, sicut in prothemate af- *stus ipse*
feritur. *Tu es qui venturus es.* Ac si *aduenerit.*
dicat. Non Angelus, non Archangelus, non Patriarcha pius, aut propheta

egre-

egregius, non denique alius è cœlo, neque quidem pater, aut Spiritus sanctus, sed tu ò verbum Dei, ò gloriæ princeps, tu, inquam, ipse, tu es qui venturus es. Sed vt hoc ipsum plenius ostendamus, à principio nobis exordiendum est, vt egregius doctor Aurelius Augustinus in in libro de ciuitate Dei testatur. *Magna Dei misericordia fuit, quod per peccatum humano generi propitiandorum filiorum virtus ablata non fuit, & in primis illis parentibus præuaricateribus, sicut promeruerant, penitus euulsum, & eradicatum hominum genus non fuit.* Neque enim erat Deo difficile, cum propter peccatum Euæ malediceret dicens, *in dolore* Gen. 3. *paries*, non sic dicere, sed dicere, nunquam, inquam, paries: perijssetque cum eis simul omne genus humanum. Quod quamuis ex nimia passione, & acerbissimo dolore, vt videtur, Iob in sterquilinio optabile fuerit: cum humanis infirmitatibus, & miseriis consideratis, diei suæ malediceret, dicens. *Pereat dies in qua natus sum: & nox in qua* Iob. 3. *dictum est, conceptus est homo, &c. Quia non concluſit ostia ventris qui portauit me: neque abstulit mala ab oculis meis. Quare nō in vulua mortuus sum: quare egressus ex vtero non statim perij: quare exceptus genibus. Cur lactatus uberibus* Grande tamē fuit humano generi beneficium, vt conseruaretur in pluribus, quod in vno indiuiduo iam propter peccatum diutius conseruari non poterat. *Ex tunc* igitur domine *in nos ira tua*: sed ex tūc etiā misericordia tua: quia cùm *iratus fueris mi-* Psal. 75. *sericordiæ recordaberis*: Ipsa enim tua do- Abac. 3. mine increpatio, benedictio erat, cum velut iratus, prævaricatrici mulieri sententiam protulisti, dicens. *In dolore paries.* Gen. 3. Cui tūc flexis in terra genibus cū omni deuotione respondendum fuerat. *Gratias tibi domine, gratias tibi, quia vtcunque tamen paritura sum: dolorem libenter accepto, postquam prolem ex meo crimine non amitto.* Sed & hoc ipsum maioris clementiæ signum fuit: iam enim ex illo tunc hominibus insinuasti, *quia cogitares super nos cogitationes pacis, & non* Hier. 29. *afflictionis*. Neque enim piissimus & misericors Deus hominum genus multiplicari permitteret, nisi ei prouidere de remedio cogitaret. Vt quid enim nascerētur homines futuri torres inferni perpetuō, & cibus ignis? Vnde Psalm. *Secun-* Psalm. 88. *dùm altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.* Altitudinem, inquam illius æterni consilii quod pectore voluebas tuo, demittendo filium, vt redimeres seruum. Neque tamen innotuit hominibus statim redemptionis modus, sed tempore procedente cœpit clarius aperiri. Iam enim legis tempore, in populo illo notum fuerat, & publicum, quòd Messias quidam magnus venturus esset, qui populum à miseria liberaret. Sed neque persona ipsa Messiæ, neque liberandi modus omnibus innotuerat, exceptis pauciſſimis amicis tuis Patriarchis, & Prophetis, quibus grandi tuo munere reuelatum est, quòd Messias hic à populo expectatus, Deus esset futurus, & per mortem, & sanguinem, non ab inimicis gentibus, sed à peccatis, Dei populum per totum orbem liberaturus esset. Quanta illos admiratio, quantus stupor eorum mentes inuasit, cum hoc illis innotuit primo quam supra, quam dici, vel credi potest, super tanta dignatione tua domine lætati sunt: inde illis omnis agonia illa videndi Christum: inde clamores, inde desideria, inde lachrymæ, & petitiones assiduæ acclamantium. *Emitte agnum domine dominatorem terræ, &c.* Isa *Vtinam dirumperes cœlos, & ve-* Isa *nires. Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, &c.* Isa Neque enim viri perfecti & docti, auiditate tanta videndi Messiam promissum æstuarent, nisi illius maiestatem, diuinitatemque in spiritu cognouissent; miro quo videndi eius desiderio tenebantur. Vnde quidam eorum, *& statim*, inquit, *veniet ad templum sanctum suum dominator quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis: & quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis stabit ad videndum eum?* Et alius, *& homo est* (inquit) *& quis cognoscet eum?*

De

De quo etiam in Euangelio ipſe Dominus, *Beati*, inquit, *oculi qui vident, quæ vos videtis: dico enim vobis, quia multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierũt.* Mira populi illius cæcitas: qui eum qui de cœlo venturus eſſet, vt vaticinia clamabant, pluſquam hominẽ futurum non agnouit, idipſum etiam prophetarum ardẽtiſſimo deſiderio proteſtante. Sed iam obſecro patet pie, ediſſere nobis obſecro, quænam hæc fuerit apud te conſilij ratio, quis ſapientiæ modus, vt pro vili vermiculo vnigenitũ tuum dilectiſſimum, tibi coæternum, & coæqualem, in crucem & mortem traderes? Quis etiam te compulit, ò verbũ Dei, vt à te ipſo pro alieno peccato talẽ vindictam exigeres, talem requireres pœnam? Nunquit non tua ſunt omnia? An tibi innumera media ſuppetebant noſtrã redimendi naturam? Poteras vtique gratis relaxare peccatum: poteras etiam poſteris parentis Adæ non imputare peccatum: potuiſti vel ipſam Adæ confuſionem, vel quodlibet aliud ſacrificium, pro ſuo acceptare delicto: poteras rurſus alium ex eodem limo formare hominem, genus innoxium, ac ſi re periſſet Adam cum poſteritate ſua. Nonne hoc facilius, quam omnipotentem Deum, vel modicum in perſona ſuſtinere detrimentum. Quis non ſtupeat: quis nõ miretur, quod in tanta remediorum ſylua difficiliorem, & tibi acerbiorem modum elegeris? O magnum diuinæ ſapientiæ ſecretum, ò profundum myſterium. *Sed quis cognouit ſenſum domini, aut quis conſiliarius eius fuit?* quis pectoris eius poterit arcana ſapientiæ penetrare? Non ſimus fratres in hoc indagando ſecreto curioſiores quam oportet: ſufficiat nobis ſcire, quia ita eſt: ſufficiat agnoſcere & credere, quia ita diuinæ placuit maieſtati, & pro tantæ dignationis eximio beneficio diebus, ac noctibus gratias agere largitori. Noli amplius quærere, ò Chriſtiane, noli eſſe ſcrutator maieſtatis ne opprimaris à gloria. Sed quia Apoſtolico præcepto eccleſiarum prælatis, & verbi Dei prædicatoribus, reddere rationem, de ea quæ in nobis eſt fide, hæreticis maximè, & infidelibus incumbit: ideo cum omni humilitate huius tanti ſacramenti congruentias quaſdam, prout humana facultas Deo reuelante ſuggeſſit, placuit aſſignare: non quibus infidelis & hæreticus conuincantur, ſed quibus ab eorum laqueatibus vera fides à fidelibus defendatur. Omitto nũc acriores rationes, quas Auguſt. & Anſelmus in libello (*Cur Deus homo*) acutiſſimè tradunt: quibus Beatus Anſelmus hoc ferè ſe exiſtimat demonſtraſſe: planiores tantum, & populo intelligibiliores mihi nunc mens eſt aſſignare. Cur igitur Deus homo factus eſt? Vtique vt per hoc homo exaltaretur, dœmon confunderetur, peccatum deſtrueretur, homo repararetur, & ad creatorem ſuum alienatus homo reduceretur. Innumeræ aliæ congruentiæ ſunt, ſed has ſufficiat indagaſſe. Primo igitur ad hominum exaltationem factum eſt hoc: poterat ſiquidem alijs plurimis medijs homo redimi, ſed non cum tanto fauore & honore ſuo. Quãta gloria noſtra fratres, quod Deus noſter eſt frater noſter, quod homo Deus ſedet à dextris, adoratur ab Angelis, ſupereminet aſtris, adoratur à cunctis, quod humana natura ſuper Angelorum vertices collocata, cum Deo diſponit omnia, gubernat vniuerſa. Ignoſcat Angelus, nam in hoc maior, & ſuperior eſt gloria noſtra, *nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Quantum ex hoc munere obligaſti nos Deus. Nam etiam ſi Adam non peccaſſet, & homo remedio non indigeret, inæſtimabile Deus hominum erat, ad diuini honoris faſtigium exaltari. *Fœlix culpa* quæ homini tanti decoris, & honoris cauſa fuit: & vt Gregorius ait, *quæ talem, ac tantum meruit habere redemptorẽ.* Quantum ex hoc confunditur diabolus, quãta inuidia cruciatur. Si enim ex peccato ſuo hominem ad tantæ dignitatis honorem peruenturum cognouiſſet, nunquam, vt exiſtimo, hominem de peccato tentaſſet, neque enim tantum de innumerabilium hominũ perditione

Luc. 10.

Preu. 15. 1. Pet. 3.

Cauſſa Cur Deus homo factus ſit.

Heb. 2.

gratu-

gratulatur, quantum de hac hominis exaltatione torquetur. Denique hominem quem deijcere peccato, & sibi subijcere procurauit, super astra sublimatū videt, imperare sibi & dominari: & ad eius nominis sonitum cunctas dæmonum phalanges præ nimio timore prosterni. Turbatur autem amplius, & cōfunditur, quia hoc totum non alio medio factum est, quam quo ipse hominē deijcere procurauit: & quoniam suo se laqueo captum videt, neque semel tantum, sed sæpius & frequentius cōsilio suo deceptum, subijcere enim peccato voluit hominem, & vsq; ad Deum sublimatus est, sublimatū verò interficere curauit, & morte sua captiuos omnes redemit, hæc omnia vidēs,

Psal. 111. vt psalm. ait, *nimis in seipsum irascitur, dentibus suis fremit, & contabescit, & præ inuidia totus aduritur & marcescit.* Illusisti ei Domine sapienter, nam sicut scriptum

Psal. 103. est, *formasti eum ad illudendum ei*, videlicet vt in nimia eius astutia dum capitur, sapientiæ tuæ abyssum liquido demonstrares. Siquidem

Gen. 2. *serpens astutior erat cunctis animantibus terræ*, neque erat potestas super terram, quæ ei valeret comparari, sed tu Domine illusisti astuto, & præualuisti forti, rapiens de manu eius spolia, & animas quas iniustè possidebat potenter ab eo diripiens. Est etiam aliud, propter quod maximè Deus venit in mundum, vt sicut Ioānes testatur

1 *Ioan.* 3. *opera diaboli*, id est, peccata *dissolueret*, non solum satisfaciendo pro culpa, & chirographum decreti è medio auferendo, & cruci illud

Col. 2. *Rom.* 8. affigendo, sicut in passione fecit, de peccato damnans peccatum in carne, id est assumens pœnam, vt destrueret culpam, sed etiam à peccandi audacia morte sua homines deterrēdo. Si enim vllus in nobis esset sensus, aut ratio, quis post talē, ac tantam delictorum punitionem, nouam auderet incurrere culpam? Vnde Origē. *Filius Dei pro peccatis mortuus est, ò Christiane, & te peccare delectat? Deum ò homo, pro peccato conspurcatum, flagellatum, laniatum, crucifixum vides, & peccas? Satis Domine, & plusquam satis, ad omnem culpam vitandam passio tua sufficeret, si mens non laua fuisset. A principio siquidem quātum odisses omne peccatum, vindictam terribilem quidem demonstraueras: nam propter peccatum, gratissimus tibi, & pulcherrimus angelus cælo deiectus est: propter peccatum homo cum sua posteritate paradiso priuatus: propter peccatum totus aquis submersus est mūdus: propter peccatum exarsit sulphureo igne adusta Pētapolis: propter peccatum terra dehiscens veritatis æmulos deglutiuit. Ægyptus ponto submersa est, & innumeri populi vastati sunt. Nunquid non ad peccati detestationem satis generi humano talia exempla sufficerent. Sed nihil me domine ita deterret, nihil me sic à peccato detinet, sicut videre filium tuum dilectissimum vnigenitum propter peccatum clauis affixum, latronibus associatum, & crudelissima morte mulctatum. O infinitā audaciam peccatoris, quis post tale spectaculū peccare nō formidat. Dicite obsecro, si quis Rex latronibus adeò foret infensus, vt filium suum vnicum, regni sui hæredem, pro leui quodam furto furca suspēderet, in eius regno de cætero quis committere furtum auderet? Et filius Dei pro vnius pomi furto crucifixus est, & hoc scientes offendimus omnes? quo reatu, quo supplicio, quo inferno? Vndè Bernardus: *ex consideratione remedij peccati æstimo quantitatem. Ecce filius Dei iubetur occidi, vt meis vulneribus pretioso suo sanguinis balsamo mederetur. Agnosce ò homo, quia grauia sunt vulnera, pro quibus necesse est dominum Christum vulnerari.* Et Augustin. *satis apertè constat grauissimas esse causas peccatorum, pro quibus Deo talis rependitur satisfactio.* Heu heu quanta obliuio mortalium occupat sensus, quanta agitantur insania mentis. Videas plurimos ioco & ludo lethalia committere crimina, imo sicut scriptum est, *lætari cum malefecerint, Pr*
& in rebus pessimis exultare. Quibus profectò, quia hic non licuit agnoscere culpam, licebit quandoque experire pœnam. Ludite nunc ò stolidi iuuenes, agitate capita, spernite minas, mandata *A*
contemnite: *viuit Deus, & iurauit dominus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias*

liquias veſtras in ollis feruentibus, & per aperturas exibitis altera contra alteram: & proijciamini in Armon Venite ergo ad Bethel, & impie agite ad Galgalam, & multiplicate præuaricationem: plorabitis verè gemitibus ſempiternis, & ſtridebitis contra vos dentibus veſtris, & non erit vltra ſpes vlla ſolatij: tunc vobis innoteſcet, tũc apertè ſcietis quanti piaculi hoc ſit, quod nunc iocando committitis, & committendo contemnitis. Sed etiam ſi nouerimus, quia homo non ſolum Dei creatura eſt, ſed etiam plaſma (*ad imaginẽ enim Dei factus eſt*) homo innoteſcet amplius, quia deformatum opus per ſuum prototypum decuit reformari. Homo enim cum in tanto honore conditus eſſet, *non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis: mutauitque gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*, conditus fuerat ſimilis Deo, & factus eſt ſimilis bruto. O miſerandam mutationem, ò miſerabilem caſum, miſſa eſt ergò de cœlo imago Dei, quæ peccato deformatum hominẽ in priſtinam reduceret dignitatem, & ampliorem gloriam quam perdiderat: indutaque natura hominis perditam ei reſtitueret formam, amiſſumque decorem. Quid enim aliud eſt Ieſus, niſi Deus homine ineffabiliter indutus, & homo Deo inſertus? Pileus ſuo capite & calceus ſuo pede formatus eſt, ſic enim ipſe corpus ſuum nominat in pſalmo dicens. *In Idumæam extendam calceamentum meum*, id eſt, gentilitati, *corpus meum in cibum ſalutis donabo*. Deformis calceus per ſuam formam in decorem priſtinum reformatus eſt, non enim poterat homo per aliam reformari naturam, niſi per imaginẽ Dei ſolam, ad cuius ſimilitudinem conditus fuerat. Tu igitur ò verbum Dei, tu es qui venturus es, non Angelus, non Archangelus, aut alia quælibet creatura, ſed tu ò fili Dei, forma mea, & exemplar meum, tu meus futurus es reformator, qui in initio fuiſti & conditor. Alienam formam non recipio, alterius opere non reficior, an minus eſt reformare, quam condere. *Imò* (vt Ambroſius ait) *plus debeo Domine vulneribus tuis, quia redemptus ſum: quam operibus tuis, quia creatus ſum* Huiuſmodi honor non decet Angelum, non Archangelum, non Seraphin, aut aliam quamlibet creaturam, neque decuit inſignem creaturam hominem, alteri quam Deo huiuſmodi debito ſubijci, obligarique. Quid enim profuiſſet condi, niſi redimi contigiſſet? An non melius eſſet non eſſe, quam miſerum ſemper eſſe? Omnino non decuit vt alteri plus deberet homo, quam Deo. Sed eſto, fieret redemptio, per aliam quamlibet creaturam, & alicuius vel angeli, vel hominis oblationem pro toto humano genere Deus acceptaret: quis obſecro, poſſet hominem ſic elongatum à Deo & abſtractum, in Dei culturam & obſequium reuocare? Quid prodeſſet aperire cœlorum ianuam, ſi nullus ingrederetur per eam? *Ecce totus mundus in maligno poſitus erat*, idolatra, carnalis, cupidus, luperbus, elatus, innumeris vitijs immerſus, inextricabilibus tenebris inuolutus, ex huiuſmodi carnali beſtialique mundo ſpiritualem & angelicum facere quis poterat, niſi Deus? Denique vt agnoſcas, quia alia via homo in Deum reduci non poterat, per quinque mille annos & eo amplius dilatum eſt remedium, quòadusque conſtaret, quòd aliud quippiam non ſufficeret. Quot Patriarchæ, quot Prophetæ, ſanctiſſimi viri iſto tempore miſſi ſunt: ſed non audiuit eos orbis, neque eorum doctrina in bonis operibus reformatus eſt. Quem enim oues audirent, niſi paſtorem ſuum? Denique quid in tam longo tempore non intentatum eſt, vt homo in Dei culturam, & vitæ ſanctimoniam reduceretur? ſed incaſſum, ſed fruſtra quaſi humano more Deo omnia intentante, ſi poſſet forſitan filij eius dilectiſſimi exinanitio, & labor, & dira mors, quolibet alio excuſari medio: aut verius hoc Deo inſinuante, quia aliud humano generi ſalutis remedium non pateret. A principio ergo minis & terroribus mundum ad ſe reducere tentauit: dira ſupplicia in præuaricatoribus exercẽs, ſi fortè talibus exemplis mundus à peccatis abſtineat, & conuerſus ad dominũ reſipiſcat. Indè illa quæ ſupra diximus

Mundus qualis fuerit in aduentu Domini.

Gen 7.
Gen. 19.

vltri-

vltricis iustitiæ terribilia monumenta prodierunt: mundus aquis submersus,
Exo.14. Pentapolis adusta, Ægyptus vastata, & populus in deserto prostratus: & innumera alia quæ enumerare longum esset,
Exo.32. & legentibus scripturas notissima sunt: Sed in his omnibus nihil profectum est: nam vt Prophetа commemorat. *Populus*
Isa.9. *non est reuersus ad percutientem se.* Alia igitur hominem aggreditur via, beneficio allicit quem timore non pungit: vocat
Gen.18. ad se Abraham, & ex eo peculiarem sibi populum familiaremque delegit, quem vt filium foueat, instruat, protegat, viamque veritatis & sanctimoniæ doceat, si forte expleatur in illa portione, quod non impleatur in orbe. Bone Deus, quibus cum fauoribus, quibus gratijs, quibus muneribus extulisti. Potenter in
Psal.79. manu valida ex Ægypto eum transtulisti,
Gen 14. Rubrum mare rudisti, Iordanis flumen
Iosue.3 siccasti: manna pauisti, aqua de petra
Exo. 16. potasti: in columna ignis & nube illum
Num.20. duxisti, dissipasti regna, destruxisti gentes, & plantasti eum, innumerisque fauoribus supra modum illum auxisti: hæc
Exo.33. tam innumera & præclara beneficia illi populo collata sunt, propter hoc maxi-
Psal.79. mè, si fortè audiens mundus tanti Dei munera, eximiosque fauores, conuersus ad cor diceret intra se, reuertamur ad tam benignum & pium Deum, qui talia præstat dona cultoribus suis, & sic tractat seruos. Sed econtrario euenit, non solum enim idololatra gentilitas huiusmodi exemplum in veri Dei cultum prouocata non est, sed & populus ille electus huiusmodi fauoribus in dies deterior factus est, sicut de illo Moyses prædix-
Exo.32. erat olim. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, & dilatatus, dereliquit Deum factorem suum: recessit à Deo salutari suo, prouocauerunt eum in dijs alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt.* Quid iam ageret Deus? aut quem vltra quæreret modum? Misit nuncios suos & occiderunt eos: iterum misit alios, & irriserunt eos: multiplicauit Prophetas, & non crediderunt eis: minis territi nõ sunt, neq; blanditijs allecti, neque muneribus prouocati. Quid vltra restabat, nisi vt mitteret vnigenitum filium, *si forte reuereãtur eum?* Mat. 21. sicut in euangelica parabola dominus exposuit. Vndè per Prophetam, quasi de hac mundi peruicacia admirãs ait. *Quid* Osea.6. *faciam tibi Ephraim, quid faciam tibi Iuda? scio* (inquit) *quid faciam. Amore deuincam eos.* Inuenit salubre consilium diuina sapientia: nouerat enim quia nihil amore potentius ad trahendum, quid enim ad amandum sic allicit, sicut amor: Vndè Seneca. *Frustra* (inquit) *quæritis maleficas ad amorem, ostendam ego tibi maleficium potens, ama & amaberis.* Venit ergo in mundum, familiarem se exhibet & socium, obsequitur, obtemperat, seruit, agit pro homine grandia, & patitur pro illo indigna, expandit viscera, ostendit amorem, vidit mundus, & audiuit, considerauit & attendit, obstupuit, obriguit, expauit, & tantæ dignationis & charitatis munere deuictus, tantique beneficij põdere superatus, ante domini sui pedes prostratus occubuit. Quis enim aut ferreus aut saxeus posset tantæ dignationi resistere? aut quem non emolliret, & non liquefaceret, vel adamantinam duritiem tam eximiæ charitatis potentissimus ardor? Saxa durissima sub pedibus eius in morte confracta sunt, quanto magis humana corda? Resonante ergò per totum orbem apostolica tuba, & clara voce hoc mortalibus personante, quoniam Deus pro homine homo factus est, crucifixus & mortuus, & hoc ipsum multiplici miraculorum testimonio comprobante, ad hanc vocem attonitus orbis, charitate deuictus, quod tot sæculis ante non fecerat procidit & adorauit. Vicisti domine, sicut par erat: fortior mundo fuisti, & inualuisti: superasti amore duritiam cordis nostri: & sicut cinerem emollisti nos: deniq; anima nostra liquefacta est, postquã dilectus locutus est. Sagittasti nos charitatis tuæ sagittis, & procidamus corã te, sicut Propheta ptę dixerat. *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent.* Videres tunc populos sitibũdos vndequaque ad veram Dei fidem: & cultum aceruatim defluere, sicut scriptũ est. *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut*

ignis in ſpinis in nomine domini, quia vltus ſum in eos. O inſignem vltionem, ò præclaram vindictam: exarſerunt ſpiritu Dei ſpinoſa prius corda, & veluti apes ad fauum, ſic agglomerantur ad Chriſtum. Videas alios in plateis crucifixos, alios exuſtos, alios lapidatos, alios laniatos, alios excoriatos, dira tormenta, non ſolum patienter, ſed etiam libenter toletantes pro illo, in quem fuerant ante blaſphemi. Sic ſic ò rebelles, indurati, pertinaces, ſic oportet vos eſſe, talia pro homine meo decet vos pati: *vacaui, & renuiſtis, oſtendi manum meam, & neglexiſtis:* ego duritiam cordis veſtri emolliam: ego faciam vt amore meo ardeatis, & æſtuetis, & pro nomine meo cum atroces crudeleſque paſſiones, & mortes ſuſtinueritis, parum vos præ amore egiſſe putetis. Ita domine obſecro, ita vindicate etiam nunc de hac noſtra duritia, vt emollias eam, & tui amoris igne ſuccēdas nos: da nobis noſſe myſterium, ſentire beneficiū, & pro tantæ dignationis munere in tui amore penitus inflammari. Quid enim proderit dediſſe beneficium, niſi dederis & ſenſum? Hæc eſt ergò victoria quæ vicit mundum, quia audierūt homines, quoniā *verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*: hoc inſigne pietatis, & amoris opus indurata corda cōfregit, & in domini obſequium emolliuit. Vndè Ambroſius exponens illud Apoſtoli. *Humiliauit ſemetipſum, &c. propter quod & Deus exaltauit illum*, &cæt. ſic ait: *Quanta fecit dominus audeo dicere, & non flexi ei genu: ſed flexi ei poſtquam ſe humiliauit.* Fecit pro homine cœlos, fecit terram cum germinibus ſuis, fecit maria cum piſcibus ſuis, fecit corporalia omnia, & ea homini tradidit poſſidenda: ſed non pro his omnibus genua flexit. At verò cum filium Dei pro ſe humiliatum vidit, ſtare non potuit, ſed tantæ charitatis pondere ſuperatus pauimento proſtratus, adorauit. Quicquid Deus faceret ad remedium, quemcumq; mundo mitteret ad ſalutem, non ei proſterneretur homo niſi humiliaretur Deus. Quid profuit virgam mittere cum puero? non ſuſcitatur ad baculū mortuus, niſi è cœlo veniat propheta magnus, & puero commenſuretur, eiuſq; calore frigida pueri carne confota ſepties oſcitet, reſpiret, aperiatque oculos, & de cætero vita viuat. Auditis fratres, vt noſtra potuit inueſtigare fragilitas, qua ratione, qua cauſa Deus homo factus eſt, & quam altiſſimo & profundiſſimo ſapientiæ Dei conſilio hoc myſterium pro homine patratum eſt. *Viſa hæc eſt gētibus ſtultitia*, ſed in reiveritate admirabilis ſapientia erat, ſicut ipſe dominus in pſalmo ad patrem ait: *mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.* Sed ſi adhuc præcipuam & omnimodam ſacramenti huius cauſam noſſe deſideratis, vno verbo dicam, non ego, ſed Apoſtolus. *Dilexit me* (inquit) *& tradidit ſemetipſum pro me.* Amor fecit, amor impulit, amor traxit, amor vicit, amor Dei filium à patris gremio in virginis vterum auolare fecit. Deniq; *ſaluum me fecit*, non alia quidem cauſa, non alia ratione, non alio merito mei vel ſeruitio, *ſed quoniam voluit me*, quia dilexit me. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*, & in acerbiſſimam mortem traderet. O potentiſſimam vim amoris, ò inſignem charitatis triumphum, ò amor fortiſſime, quam glorioſa ſpolia reportas? Omnipotentem ſuperaſti, Deum viciſti, altiſſimum potentiæ tuæ vinculis alligaſti, contra omnipotentiam triumphaſti, agnoſco ſpectabilem luctam. Mirabile certamen: homo cum Deo luctatur tota nocte, & percutitur homo, ſed vincitur Deus, femur hominis emarcuit: in certamine, ſed licet claudus, gloriatur tamen quia in lucta victor euaſit. Vnde dictum eſt ei. *Si contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis?* Sed vndè victor? quibus armis? quo telo? vtique non alio quam amore. Hic hominis amor violentus cœlum inuaſit, paradiſi atrium potenter irripuit: omnipotentem dominum carneis vinculis alligauit, vniuerſa eius abſtulit arma, & ſpolia eius diſtribuit, diuitias eius immenſas hominibus dedit, & ipſum maieſtatis Dominum triginta tribus annis ligatum hominis obſequio mancipauit, ſeruire eum fecit

1. Cor. 1.

Pſal. 138.

Gal. 2.

Pſal. 7.

Ioan. 3.

Gen. 32.

fecit duro ſeruitio, & tandem morte crudeli damnauit eum. O amorem crudelem & ſæuum, ò amorem rigidum & ſeuerum: ut maieſtatem laceras? cur bonitatem damnas? cur in Deum piiſſimũ & optimum tam crudeliter ſæuis? *Verè fortis es vt mors dilectio, & durior inferno æmulatio*: quæ pro vermiculo Deũ tradis, pro vernaculo Deum morti exponis, & cum piũ te omnibus exhibeas, piiſſimo Deo ſoli factus eſt ſæuus. Parce obſecro maieſtati, parce bonitati, ſed ſi dimittitur Deus, damnabitur mũdus. Quid ergò eligam? quid petam? in anguſto poſitus sũ. Gratias tibi domine, gratias tibi, quia victus viciſti, & ſuperatus, charitate meam miſeriam ſuperaſti. Dilexiſti me Domine ſupra modum, dilexiſti me ſine modo, & qui omnia in numero, põdere, & menſura feciſti, in diligendo me modum, pondus, atque mẽſuram exceſſiſti. Vnde Paulus apoſtolus, *Propter nimiam* (inquit) *charitatem qua Deus dilexit nos, &c.* Verè nimiam, verè exceſſiuam, verè immoderatam & immenſam. De hac Auguſt. *Dilexiſti me* (inquit) *Domine pluſquam te, quia mori voluiſti pro me: tam caro pretio redemiſti me, de ſupplicio reuocaſti me, de ſeruitio retraxiſti me, pudeat non redamare te pro tanto amore tuo, pudeat pudeat, & vehemẽter pudeat.* Sed vnde te amabo, niſi tu Domine dederis amorem tuum? Speciosa hæc margarita eſt, & non facile eſt reperire eam. De cœlo ergo mitte ignẽ in oſſibus meis, & liqueſcant amoris tui calore medullæ oſſium meorum, intra me, & anima mea vt cera in tui deſiderio liquefiat, vt ſciam, vt intelligam, vt ſentiam, quæ à te donata ſunt mihi, & hoc tibi amoris glutino ſic adiungar, vt vnus tecum in æternum ſpiritus fiam, te præſtante, te donante domino meo, redẽptore meo, Cui cum patre & Spiritu ſancto eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum Amen.

Deo gratias.

Cant. 8.

Sap. 11.

Eph. 2.

DE EODEM THEMATE.

Tu es qui vẽturus es, an alium expectamus. Matt. 11.

INter alia fidei noſtrę myſteria, vnum præ cæteris ad credendum mundo difficilius fuit, incarnatio verbi Dei. Hoc enim ſicut totius fidei baſis & fundamentum eſt, ita ad perſuadendũ grauius fuit: videbatur enim mundi ſapiẽtibus & philoſophis auditu indignum dicere, quòd Deus eſſet homo, propter tria. Primo, quia iudicabãt impoſſibile, quod duæ naturæ tam diſtantes, Dei & hominis, tam intime vnirẽtur in vno eodemq; ſuppoſito, & vnus & idẽ eſſet verus Deus, & verus homo, non denominatione aliqua, ſed natura. Nam ſi hoc in angelo, & homine creaturis finitis admodum videretur difficile ad credendũ, quòd vnus, ſc. eſſet angelus & homo: quãto magis in duabus naturis, quarũ vna infinita, & altera finita eſt? Secũdo, quia indecens videbatur eis diuinæ maieſtati, vt pueri infunderetur corpuſculo, puellæ clauderetur vtero, & vagitus, inediam, ſitim, frigus, laſſitudinẽ, mortem, & alias hominum paſſiones experiretur. Grãdemq; ſupra modũ blaſphemiam iudicabant, hæc & ſimilia Deo tribuere: ac propterea Chriſtianos hoc aſſerentes ignaros, idiotas, ſtultos, prophanos & blaſphemos nuncupabant. Tertio, quia mirabilis quędam ſtultitia videbatur, quod creator omnipotẽs pro ſua creatura quam ipſe ſponte condiderat moreretur: & quòd nullo cogẽte ipſe gratis à ſe talẽ pro delicto alieno ſatisfactionem exigeret. Quis creare compulit hominem? quis peccato laſſum ſic eum reſtituere coegit, cur tanto diſpendio ſubuenitur crimini, quod facilè p[o]terat indulgentia dilui? Hæc & ſimilia Porphyrius in lib. de regreſſu animæ, quem contra religionem Chriſtianam edidit, ſtultiſſimè delatrat. Sed ò *quam magnificata ſunt opera tua domine: nimis profundæ facta ſunt cogitationes tuæ, vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc. Audẽ*

Cur ſapientibus huius ſæculi visũ fuerit indignũ Deum min[i]ſſe

Pſa. n

barbare, intelligepagane, ait Aug. *quid tibi tam indignum & tam indecēs videtur, quòd Deus fiat homo? imo dico tibi, nullum fuit opus in orbe in quo Deus magis suam potentiam, suamq; sapientiam, suam benignitatē, clementiam, misericordiam, pietatem, charitatem, magnitudinem, cæteraque omnes virtutes suas eximias, & in quo magis se Deum esse monstraret, quàm in hoc.* Quid miraris, si pijssimus ac clementissimus Deus, vt diuitias bonitatis ac clementiæ suæ ostenderet, pro redimenda sua creatura talia pati dignatus est? aut in quo hominem ad se conditum ad se magis allicere, atque ad amandum, colendum, reuerendum creatorem suum amplius obligare potuit? Non est hæc blasphemia, vt ipse blasphemas: propter hoc maximè in cœlo, & in terra ab angelis, & hominibus Deus laudatur in sæcula. Est alienum (inquis) à Deo pati, & mori, & extraneum non negamus: sed vt faceret opus suum, alienum est opus eius ab eo: vt operaretur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo. Opus Dei saluare, redimere, liberare, subuenire, *dominus enim soluit compeditos: dominus illuminat*
144. 67. *cæcos: dominus erigit elisos: & Deus miserendi dominus, & domini, domini exitus mortis.* Vt faceret hoc, quod suū erat, extranea & aliena nimis se pati dignatus est: neque in alio quopiam opere summa illa Dei bonitas, & clementia magis potuit innotescere, quam cum sit immortalis moriatur vt benefaciat, & cum sit impassibilis patiatur & liberet. Talis est Deus, talis est eius pietas & charitas: neque quipiam tam excessiuum, & arduum excogitari potest quod ardorem illum diuini amoris adæquet, & eius superet pietatem. Hoc opus super omnia mihi declarat quis sit ille Deus, quem super omnia colimus & veneramur, quā bonus, quam pius, quam beneuolus, quam magnificus, quam potens, quam sapiens: qui non solum omnia ex nihilo, sed etiam hominem ex se ipso facere nouit, & potuit. Et quid obsecro indignum diuinæ maiestati, vt sibi vniat hominem quem creauit. Nonne spiritibus illis beatis tam angelicis quam humanis sic illabitur, vt eos sua intima vnione, & infusione deficiet penitus, & transformet, multo intimius & veracius quam ferrum igniatur ab igne, & plus de Deo quam de seipsis habere videantur, sicut carbo ignitus plus de igne quam de carbone? Quid ergo mirum si vnam ex illis animabus super omnes benedictissimā sibi quam charissimam, speciali quodā & ineffabili modo intimiori & sublimiori, & illa mediante carnem in vnitatē suppositi ad gloriam suam mundo manifestandam, & ad generis humani vitā peccato perditam recuperādam dignatus est sibi adiungere? Ad hæc infinitati Dei non repugnat, vt sic vniatur creaturæ finitæ: imo ex hoc super omnia magis resplendet: quia enim infinitus & immensus est Deus, ideo magis vnibilis est creaturę, quam angelus, vel quæcunque creatura creatæ. Cum enim omnem perfectionem creaturæ virtualiter, & eminenter contineat, nulli perfectioni creaturæ repugnat: aque ideo solus potest illabi & inhabitare mentes hominum: vnus autem gradus alteri gradui disparato & distincto non sic connectitur. Sed stultū est (inquis) hoc & ridiculum. Sic vtique nescientibus mysterium videtur: sed hęc stultitia omnia sapientia maior est, *& quia quod stultum est Dei sa-* 1. Cor. 1.
pientius est hominibus, superat omnem intellectum, excedit omnem rationem diuinum consilium, & sapientiæ eius arcanum. Et propterea si ratione metiaris, quia metas excedit, stultitia videbitur, sed re vera summa sapientia est. Hæc tua vera & indubitata stultitia, velle quæ supra rationem sunt ratione comprehendere: & infinitum diuini pectoris pelagus, impenetrabilem inquam sapientiæ eius abyssum intellectus tui vasculo cōcludere. O hominum stultissime, si Deus à nobis comprehendi posset, non est admirabilis: si de operibus eius à nobis integra ratio reddi posset, nō est ineffabilis. Quæ ante oculos habes Dei opera non intelligis, quomodo Dei sapientiam cōprehendes? Humilia ergo, & *captiua in-* 2. Cor. 10.
tellectum tuū in obsequium fidei, audi & inclina aurem tuam, vt credas his, quæ pla-

placuit Deo nobis reuelare de seipso.
Prou. 25. Noli scrutari maiestatem, ne opprimaris à gloria. Audi vt videas, crede, vt intelligas quia nisi credideris non intelliges,
Psal. 44. non per intellectum ad fidem, sed per fidem ad intellectum peruenies. Ne innitaris tuæ prudentiæ, ne fidas tua sapientiæ, quia scriptum est. *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum.*
1. Cor. 3. His & similibus rationibus facile deijci, ac dissolui possunt argumenta paganorum, & gentilium, contra incarnationem: & confundi illius morbidi canis rabies aduersus fidem catholicam delatrantis. Sed nō mirum, si mundus in re tam ardua & sublimi aliquantulum hæsitauerit, quia verè omnes vires humanæ facultatis exuperant tanti & tam immensi beneficij magnitudo. Vnde hoc ipsum præuidens Deus, per prophetam ait. *Opus ego facio quod*
Abac. 1. *nemo credet cum narrabitur: opus super quo mundus stupeat, & omnis hæreat intellectus: neque quisquam nisi per me adiutus sufficiat ad credendum.* Gratias tibi Deus, gratias tibi, qui talia pro nobis fecisti, quod neque ea credere sufficimus: tu potuisti facere, & nos non dico intelligere, nec credere valemus, & quia hoc tuæ maiestatis omni potentia & virtutis celsitudo, & gloria demonstratur. Præuidens itaque Deus huius incredulitatis incōmodum multo ante præuenit mundum, promonendo, & pronuntiando quæ facturus erat, non solum per notissimas prophetias, sed etiam per figuras, per sacrificia, per ritus, & alia opera legalia, hoc ipsū variè & multipliciter præfigurantia: vt cum fieret crederetur. Quid enim fuit vniuersa lex Mosaica, nisi Christi venturi præfiguratio, & prænuntiatio? Vnde
Ad Rō. 10. Apostolus *Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti.* Attende & vide si non vniuersus vitæ Christi cursus apertè per prophetas fuerit præmōstratus? prophetata mater, *ecce virgo concipiet:* prophetatus locus,
Isa. 7. *& tu Bethlehem terra Iuda:* prophetatū tēpus, *in hebdomadibus Danielis:*
1. Mac. 3. prophetata temporis conditio, *orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis.* prophetati principes, *non auferetur sceptrum de Iuda:* & prophetata opera, *tunc aperientur oculi cæcorum:* prænunciati mores, *non erit tristis neque turbulentus:* prænunciata doctrina, *aperiet os suum in parabolis:* prænūciata passio, *sicut ouis ad occisionem ducetur:* prænunciata resurrectio, *tu autem domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis.* Et quid moror? dies non sufficient, vt singula commemorem. Decuit namque sic apertè & expressè omnia Christi opera, actus, & vitam prænunciari, vt ad rei incredibilis fidem mundus disponeretur, & præpararetur: Et ne quid omnino deesset, & ne populus ille incredulus & durus prætendere ignorātiam posset, missus est Ioannes propheta homo grauissimus & sanctissimus qui eū non nutibus, & signis insinuaret, sed intuentiū oculis digito demostraret, dicens, *Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi.* Quis in tanta testimoniorum claritate cæcutire poterat, nisi penitus esset cæcus? Vnde dominus inuidos suos ad scripturas remittebat, dicens *Scrutamini scripturas, quia ipsæ testimonium perhibent de me* Sed ò lamentabilem illius populi cæcitatem, tam expectatus, tam desideratus, tam præfiguratus, & prænunciatus cum fuerit, non est agnitus ab eis. *In mundo erat & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt: sed, dicunt, damonium habet, & in Beelzebub principe damoniorum eijcit damonia. Euenit eis* (vt ait Gregor.) *quòd & eorum patri Isaac, qui de filio suo Iacob multa prædixerat in futurum, quem coram se positum non agnouit.* Videns itaque Ioannes illius populi duritiam, & cæcitatem, & quomodo neque prophetarum oracula, neque ipsius de Christo testimonium suscepisset, tactus dolore cordis intrinseco, & nimia illius populi compassione commotus, morti proximus, excogitauit modum quo Christus illis se proderet admirabilem: mittit duos ex discipulis suis ad Christum, qui eum publice coram omni pupulo interrogarent. *Tu es qui venturus es, in alium expectamus?* Ac si dicat: ego de te testimonium perhibui,

Dan. 9. Psal. 71. Gen. 49. Isa. 3. Isa. 42. Psal. 77 Isa. 53. Ioa. Psal. Ioan. 5. Ioan. Ioan Luc Gen Ioa

neque

neque creditur mihi: tu de teipso testimonium perhibe, si forte credatur tibi, sapienter excogitans domini responsionem magnum de se lumen humanis mentibus allaturam, vt sicut in Iordane apertè à Spiritu sancto de Christo testimonium acceperat, ita & nunc à filio de seipso ad perpetuam fidei firmitatem & integrum robur testimoniū acciperet, & populus à Christo de seipso hac occasione instructus, in eius cognitionem, audita huius interrogationis responsione deueniret. Hęc huius legationis potissima ratio & causa fuit, vt existimo, quamuis multi grauissimi doctores hāc legationem ad discipulorum suorū plenam de Christo intelligentiam & cognitionem excogitatā potius existimēt, vt moriens eos in Christi tutelam, & patrocinium relinqueret, per hoc nobis præbēs exemplum, vt nostrorum famulorum salutem zelemus, & de nostra familia curam habeamus. Noli dicere, ego cibum & potum eis præbeo, debita eis stipendia soluo, de animabus suis ipsi viderint, non sum episcopus, non sum prælatus, nam pro eis domino tuo & illorum communi in die iudicij magnam redditurus es rationem. Et si mihi non credis, apostolum audi. *Qui suorum maximè domesticorum curam non habet, hic fidē negat, & est infideli deterior.* Dices forsitan, quomodo fidem nego, quomodo infideli deterior sum, nunquid quia familiam negligo Christianus non sum; aut hæresim profiteor? aut fidem nego? Vtique negas non dictis, sed factis, sicut illi, de quibus idem apostolus ait. *Fatentur se nosse Deum, factis autem negant,* nam qui futuram bonorū & malorū retributionē, id est gloriam & infernū diffitetur, quomodo christianus est? nunquid non est hic hæreticus & infideli deterior? Et tu hæc agis, dum familiæ tuæ peccata negligis, quomodo enim gloriam, & infernum credis, si pereuntibus filijs, & famulis tuis nō subuenis? si in tanto discrimine cōstituris cū possis nō succurris? Vtiq; si crederes subuenires: peccant in oculis tuis, & taces; offendūt, & rides; adulterantur, & pro nihilo ducis, quomodo igitur futuras pœnas de peccatis credis? Certè si credis hoc, operibus nō ostēdis. Exemplo id notum fiet. Si domo tua corruente clamaret quispiam, egredimini quia labitur domus, & tu ad mensam sederes lætus, & quietus, neque surgeres, neque exires, die mihi, nūquid notum non esset, atque perspicuum quod clamanti non credis, qui exire negligis, & contemnis? nam si crederes periculū vtique vitares. Sic in proposito mortē æternam operibus diffiteris, qui pereūti familiæ succurrere negligis, & in hoc infideli deterior in iudicio reputaberis. Quia non tam acriter punietur qui futuram retributionem ignorauit, sicut qui contempsit. Quisquis ergo paterfamilias, à Deo familiam regendam accipit, de cætero curam de suis habeat, qualiter viuant non ignoret, si confitentur: si ieiunant, si audiunt Missam diebus quibus audire tenentur, si ludunt, si iurant, si fornicantur, si nequiter viuunt diligenter discutiat, & si quem deprehenderit in peccato, pro virili arguat, ac corripiat, & si incorrigibilis apparuerit, à domo sua pellat statim, ne alienis peccatis inuoluatur, sicut faciebat rex ille sapientissimus Dauid, *non habitabit in medio, &c.* Opræclarum Baptistam, qui instante mortis suæ tempore pro suis discipulis amplius quam pro se solicitus erat, non vt temporalibus bonis affluerent, sed vt eos Christo domino commendaret. Hūc omnes ecclesiarum antistites, omnes Episcopi, omnes Principes imitentur, & sequantur, sic animarum sibi creditarum salutem procurent. Videns ergo dominus Ioannis zelum & feruorem, & pium desiderium, hac eius pietate commotus, propter ipsum populo indurato, & immerito de seipso dignatus est dare testimoniū clarissimum, neque palam dixit, *ego sum,* ne diceretur ei, *tu de te ipso testimonium, &c.* sed factis melius respondit, non solum verbo asserēs, sed opere potius comprobans esse verum Messiam in lege promissum. Fecit namque in illa hora plurima miracula, & non qualiacunque, sed qualia factorum esse messiam proph-

Matth. 3.

im. 5

Ps. 100.

phetica oracula prænunciauerant, eaque oracula citans, & commemorans respondit. *Ite & renunciate Ioanni, quæ audistis & vidistis, cæci vident, & cæte.* Mat. 11.
Ac si dicat, hæc opera ego facio, ex his quisque cogitare poterit, an ipse sim de quo quæritis. Ex duobus sufficienter probauit se esse Messiam, scilicet ex operibus, & ex scripturis; ex operibus quidem non solum quia fecit miracula, nam & hoc alij viri sancti fecerunt: sed ex multitudine miraculorum, ex modo quo faciebat, quia imperando vt Deus: ex causa quia faciebat illa in testimonium huius veritatis, Ego sum verus Christus in lege promissus. Vnde cum solus Deus possit vera miracula facere, & non possit esse testis falsitatis, consequens est verum esse quod asseritur, cum in aliquo miraculo corroboratur. Probauit etiam hoc ex scripturis compendiose allegans duas prophetias ex Esaia, vnam, qua dicitur: *tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, & saliet claudus sicut cervus:* & aliam qua dicitur: *spiritus domini super me: eò quod vnxerit me euangelizare populo meo:* in quibus prænunciatum fuerat Messiam facturum esse illa opera, quæ tunc coram eis ipse faciebat, innuens se illum esse de quo quærebatur. Vndè adiungit, & *beatus qui non fuerit scandalizatus in me:* propter passionem, scilicet & paupertatem meam: *nam & lapis offensionis, & petra scandali.* Esaias dicit, *erit vobis in sanctificationem, & petram scandali duabus domibus Israel, & in laqueum & ruinam habitantibus Hierusalem.* O populi obstinati duritiam, ò nimiam cæcitatem eorum qui tot inspectis miraculis & testimonijs nõ crediderunt, & solo prostrati non adorauerunt: quam meritò propter incredulitatem expulsi sunt. Benè de eis cecinerat Esaias: *Excæca domine cor populi huius, vt videns non videat, & audiens non audiat, &c.* Sed dicent forsitan, & quale signum erat Messiæ, quod pauperes euangelizarentur, nonne & Prophetæ pauperibus euangelizabant? sed si actiuè legatur, vt quidam exponunt, facilè solnitur: non animi modicum signum erat, quod rudes piscatores totius orbis fierent prædicatores & doctores. Sed & passiuè aliquale signum est, nã alij Prophetæ ad reges & principes mittebantur, sed Christus dominus non ad reges sed pauperes instruendos destinandus erat. *Euangelizare,* (inquit,) *populo meo, me non regum, & imperatorum, sed pauperum & egenorum magistrum & doctorem.* Sic namque & toto vitæ suæ tempore cum pauperibus & non cũ diuitibus conuersatus est: cum eis loquebatur; cum eis edebat; cum eis ambulabat; inter eos nutritus & educatus est. Ex quo enim Deus pro hominibus pauper, & egenus fieri dignatus est, cœpit paupertas in pretio haberi in cœlo & in terra, suo namque exemplo nimis honorauit paupertatem, ex paupere matre genitus, in tugurio paupere natus, pannis pauperculis inuolutus, præsepio pauperi reclinatus, pauperibus prænunciatus, inter pauperes enutritus, inter pauperes versatus, pauperibus apostolis associatus, pauperum socius & amicus, pauperes ad apostolatum, pauperes ad fidem, pauperes ad societatem elegit. Vndè Apostolus. *Videte fratres vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat fortia: ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt vt ea quæ sunt destrueret.* Lætamini pauperes, exultate egeni, quia etsi mundus vos despicit, sic tamen reputamini à domino Deo vestro & angelis eius. Gaudete & exultate, quia talem magistrum, talem principem, talem patronum sortiti estis. Dominus Iesus pauper & mendicus pauperum, & egenorum hominum pauperrimus, cœli & terræ dominus à Deo constitutus, ad dexteram Dei sedit pauperum omnium patro us & fautor. Caueant diuites & potentes ne supprimant vos, est enim qui quærat, & iudicet, nouerint quia patronum potentissimum habetis in cœlis, qui pro vobis respondeat, & iudicem seuerum, qui iniurias vindicet huius mundi. Timeant offendere defensorem qui ait, *propter miseriam inopum, & gemitum pau-*

Isa. 35.
Isa. 6.
Isa. 8.
Isa. 6.
Luc.
1. Cor. 1.
Ioan.
Psal. 11.

perum nunc exurgam dicit dominus. Vndè Propheta, *Cognouit quia faciet dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum*. O quot iudicia occulta & secreta quotidie fiunt in terra propter hoc in pauperum spoliatores & vexatores. Vtinam cognoscerent & horrerent qui eos tam inique & sine timore quotidie vexant, & spoliant. Habito itaque hoc responso discipuli redeunt ad Ioannem. Quibus abeuntibus cœpit Dominus mirificè laudare & commendare Baptistam. Noluit hoc facere in discipulorum præsentia, ne adulari & assentiri videretur; nam magistri honor in discipulos suos redundat; per hoc nobis præbens exemplum, ne quempiam in præsentia commendemus, ne adulatores & assentatores simus. O nostri sæculi perditionem, ò mundi pessimam corruptelam, ò mundum mēdacijs & adulationibus plenissimum. Non est veritas in mundo, non est qui loquatur verum cū proximo suo, quicquid hodie vulgus loquitur, fraus & adulatio est. Docuerunt enim linguas suas loqui mēdaciū: in hac schola exercitati sūt; in hac edocti; vt discerent fallere, mentiri, adulari, exultare praua, exigua attollere: ex tumulis montes facere, ex culicibus elephantos; hæc ciuilitas, hæc affabilitas; & inurbanus est quilquis fallere, & mentiri non nouit. Si quis verax, si quis fidelis & probus, rusticus & stupidus reputatur; *verè diminutæ sunt hodie veritates à filijs hominum; vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde & corde locuti sunt*. Et hi blandi adulatores si vertas caput, fiunt statim acerrimi detractores. Præsentem laudant, & exaltant, absentem vero rodunt & lacerant. Horum typum inspice in Ammonitis illis, qui legatis Dauid dimidiam barbam raserunt, & vestes vsque ad nates præciderunt, & sic contumelijs affectos dimiserunt. Ita & isti in præsentia barbam radunt, in absentia vestes rodunt; vt appareat turpitudo. Coram blanditur & adulantur, post tergum omnes defectus & vitia produnt; sicque non integram barbam, sed dimidiam radunt. Nam & cum laudant, si sui similes ad manum habeant, innuunt oculis, & terunt pede, simul laudant & laudando subsannant; verbis applaudunt, & oculis irridentes; sermonibus blandiuntur, & nutibus vilipendunt. Denique vt ait Psalm. *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula*. Fugiamus hoc vitium fratres, ab hac peste caueamus: nō solum quia peccatum coram illo est, sed etiā quia leuium & vilium personarū est vitiū. Vndè si diligenter verba laudis attēdas, apertè inuenies quòd dum præcursoris Christus personam laudat, eius de se ipso testimonium roborat. Propter quatuor enim alicuius testimonium solet esse suspectum: primo si persona leuis est, vilis, atque mutabilis: secundo, si ex laude commodum aliquod quæsiuisse creditur: tertiò si fortè amicitia vel amore aliquo ad id motus fuisse putatur: quarto, si fortè is qui approbat seu testificat, verisimilitudine aliqua decipit, aut falli posse probabiliter existimatur, vbi hęc desunt, testimonium validum est. Hæc quatuor impedimenta dominus in hac sua commendatione miro artificio remouet à Ioanne. De primo ait, *quid existis videre in desertum, arundinem vento agitatam?* id est, hominem leuissimum, qui facilè vento elationis ad assensionem moueretur, vt digito protenso diceret, *Ecce agnus Dei*, non certè: non erat talis Baptista. Nam à principio mundi non est natus homo tantæ authoritatis, & grauitatis sicut Ioannes: quippe totius populi iudicio homo reuerendissimus, honoratissimus, grauissimus, constantissimus, sāctissimus, optimus, maximus credebatur, & reuerentia dignissimus; vnde in re tanta, nulla poterat deco leuitatis suspicio suboriri. Tanta erat Ioannis apud omnes Iudæos authoritas, vt omnis Hierosolyma & Iudæa exiret in desertum ad audiēdum illum, magni, parui, diuites, pauperes, sacerdotes, sæculares, etiam ipse rex Herodes, interfector eius, libenter eum audiebat, & ad eum veluti ad quoddam mundi miraculum, & sanctitatis prodigium cūcti properabant. Vndè facta legatione solenni, cum pro Messia recipere voluerunt, bea-

Psal. 54.

Laus solida S. Ioānis ex amotione impedimentorum veræ laudis.

Mat. 11.

Luc 3.

tos

tos se esse reputantes si talem eos contingeret habere Messiam: etsi dixisset, *ego sum*, sine vlteriori testimonio eũ pro suo Messia libentissimè recepissent. Quę maior authoritas excogitari potest in homine? sed cõmodo aliquo fortè moueri poterat ad dicendum, quod nesciebat, ita certè ad domum & familiam sustentandam, ad fastum & pompam ampliandam, ad cibos & vestes preciosas perquirendas, quis obsecro tale suspicari poterat de homine cilicio & pellibus camelorum induto, & solis agrestibus locustis cum melle siluestri pasto? Quid inquam huiusmodi vir aliquo expectare, aut desiderare potuit, vt illum falso cõmendaret? Hoc est quod ait, *existis videre hominem mollibus vestitum*, qui scilicet, ad tales vestes parandas, pecuniarum copiam, aut commoda sua perquireret? Sed neque de amicitia suspicio maior, à sua enim infantia septennis in deserto nutritus, inter bestias & feras, nulla hominum familiaritate coniunctus fuerat, donec venit in Iordanem: neque Christum viderat, aut faciem nouerat, sicut ipse testatur, nisi eum spiritus domini demonstrasset. Sed fortè deceptus est, sed quomodo obsecro decipi poterat in re tanta Propheta, & plusquam Propheta? Ad hæc, à Deo missus est & natus, vt Christũ Dominũ præiret & populis demonstraret, sicut de illo tot retro sæculis fuerat prophetatũ. Qui nũcius Dei erat in hoc ante Christum destinatus & natus, quomodo in hoc fallere aut falli poterat? Vides quam artificiosè omnem scrupulum à Ioannis testimonio remouet, vt eundem se esse de quo quærebatur efficacius comprobaret. In cuius rei fidem illud quoque Malachiæ vaticinium allegauit. *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Si enim Ioannes ille angelus præcursor erat, consequens erat Messiæ tempus aduenisse, & se illum esse de quo quærebatur. Grandis excellentia Ioannis, talem suæ virtutis habere præconem, & tali ore non breuiter & in transitu, sed ex proposito, & fixo sermone commẽdari. Plures enim Dominus laudauit in hac vita mortali: laudauit Nathanaelem dicens. *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est*: laudauit Petrum dicens, *Beatus es Simon Bariona*: & laudauit Magdalenam dicens, *Sinite illã, bonum opus operata est in me*: laudauit Cẽturionem dicens: *Amen dico vobis non inueni tantam fidem in Israel*: laudauit Chananæam dicens. *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Sed non sic Ioannem, sed longam in eius laudem orationem composuit, non vnam, aut duas, sed multiplices eius virtutes commendans: constantiam laudat, cum ait: *Existis videre arundinem vento agitatam?* Vitæ asperitatem, cum ait: *Existis videre hominẽ mollibus vestitum?* Prophetam cum ait, *Ego dico vobis propheta est: & plusquam propheta*: angelicã puritatem, cum ait: *Ecce ego mitto angelũ meum*: præcursoris officium cum ait, *Qui præparabit viam ante me*: ne quicquam deesset ad plenam & perfectam laudem, adiungit, *Inter natos mulierum non est maior Ioanne Baptista.* Potuit ne amplius addi? Si vel leuiter à Christo commendari, grandis est honor, sic ab eo exaltari & sublimari, quantæ excellentiæ est? Sed hæc omnia (vt dixi) merito & non sine proposito, vt sic eius de se testimonium ad mundi fidem & vtilitatem confirmaret, ei stabiliret. Non quod tu domine à Ioanne commendari indigeres: nõ enim tu ab illo, sed ille à te clarificari, & vt ita dicam authorizari debebat: vndè ait. *Ego ab homine claritatem non accipio*, id est, nullius egeo testimonio, sed omnis homo potius indiget meo. Nam etsi de Ioanne scriptum sit, *quia hic veniet in testimonium*, &cæt. non quia lux demonstrari debeat ab alio, sed *quia lux in tenebris lucet, & tenebræ eum &c.* Ideo fuit homo missus à Deo, qui tenebris testimonium perhiberet de lumine: non, propter lucem, quæ de se satis clara erat, sed propter tenebras, quæ lucem ipsam comprehendere non valebant. Non poterant (inquam) homines tenebris assueti, limpidis oculis & itreuerberato visu cernere solem: præmissa est lucerna quam inspicerent, vt per eam ad videndum solis radios inualescerent: erat enim

Mala 3.

Ioan. 1.
Mat. 6.
Mat. 25.
Mat. 8.
Mat. 15.
Ioan
Ioan
Ibia

nim Ioannes lucerna ardens & lucens. Propter homines ergo testimonium Ioannis, non propter Christum. Vndè cum dixisset, *ego testimonium ab homine non accipio*, protinus adiungit: *habeo ego testimonium maius Ioanne, nam qui misit me pater, testimonium perhibet de me: & opera quæ ego facio hæc testimonium perhibent de me:* & horum vtrumque Ioannis testimonio maius est. Ita est Domine Iesu, plurima & fortia de te habes testimonia, *& testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Tres enim sunt qui testimonium dant in cælo, pater, verbum, & Spiritus Sanctus: & tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis.* Valida, & grauissima testimonia, neque sola hæc, cœlum, terra, mare, astra, elementa, iumenta, arbores, pisces, & durissimi lapides, & omnia quæ in mundo sunt de te testimonia perhibuerunt: sola Iudæorum duritia ignorauit. Omnes creaturæ testantur creatorem suum venisse, angeli, homines, dæmones, scripturæ, miracula, vaticinia, martyria, apparitiones, reuelationes, inspirationes, omnia de te perhibent testimonium: & illud omnium maximum quam intimum est, quod ipse cordi fideli in secreto cubili perhibes de teipso, de quo Ioannes, *qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Verè cœlum & terra solui possunt potius, quam hæc tua testimonia fallant. Obruis nos domine testimonijs & conuincis, & nisi te fidei nostræ meritum detineret, omnino nos impelleres ad credendum, imò fidem ipsam rei aperta notitia euacuares. Nostra te detinet vtilitas, quia nobis fides quam scientia de te pro nunc vtilior est: sed qui culmen attigerunt, te donante nonnunquam per fidem ad intellectum perueniunt, sicut Propheta ait. *Nisi crediderit is, non intelligetis.* Desiderantur nonnulla.

Ioan. 5.

91.

DOMINICA TERTIA Aduentus.

Thema. *Tu quis es?* Ioan. 1.

BReue Thema, sed magnum pelagus: vtinam scires, vtinam intelligeres, *tu quis es*, plus tibi prodesset, quam scire omnes scientias mundi, & omnes bibliothecas. Quid enim prodest tibi scire motus cœlorum, & influentias astrorum, virtutes herbarum, proprietates animalium, & vt totâ naturam scias, & nescire teipsum? Bern. ad Eugenium, *A te ipso tua incipiat consideratio, in te finiatur: tu tibi primus, tu vltimus. Non es sapiens si tibi non es.* Ecce curam habes de domo, de hæreditate, de negotio, de familia, de mula quam habes in stabulo, & te ipsum solum negligis? Omnibus tuis das partem aliquam diei & curæ, & tibi nullam? Teipsum tam vilem æstimas, & sic parui pendis, vt non digneris de te curam habere. O anima misera, quid extra te vagaris: effusa & diuisa per mundum à te alienata & exul? Recollige te, redi ad te, habita tecum: non sis sicut oculus, qui cum omnia videat, seipsum non videt. In quo enim melius potest intellectus tuus & tua consideratio expendi, quam in teipso? aut quid melius potes contemplari quam teipsum? Dico tibi, nulla peior ignorantia quam tui. Si ignorauerit logicam, philosophiam, & omnes artes liberales, mechanicas, & omnia iura, & leges, & medicinã, saluari potes: sed si te ignoras, non saluaberis. Quomodo obsecro saluaberis sine pœnitentia? Quomodo pœnitebis, si te ipsum, tua desideria, actus, cogitationes malas, & peccata nescieris? Itaque vt habeas humilitatem & pœnitentiam, opus est nosse teipsum vt habeas charitatem, opus est nosse Deum, & eius misericordias, & beneficia quæ præstitit tibi. Vndè Augustinus, *Nouerim te, nouerim me, in his duobus perfecta & vera sapientia est.* De te autem tria oportet cognoscere, sc. quis sis natura, quis professione, quis officio. Natura homo, professione Christianus, offi-

Bern ad Eugeniũ. Cognitio suipsius præclarissima quoad naturam.

officio prælatus, vel princeps, vel iudex, vel sacerdos. Quis sis natura quo ad corpus, interroga mortuos, & dicent tibi: vade ad sepulchra & cœmeteria, & aperte videbis, non opus est alia schola. O qua vilis & abiectus, homo, putredo, & filius hominis vermis. Væ tibi homo à tua superbia, qui tali fine concluderis? intumesce, eleuare quantumuis, velis nolis in hoc finies, quicunque sis, siue rex, siue pontifex, siue miles. Quid miseri homines auertitis oculos ne videatis? quid dissimulatis? quid curatis non videre, vt gaudijs, & voluptatibus perfruamini, & sæculi delicijs ingurgitemini? Quanto prudentius & sapientius faceretis, si hoc quotidie, imò semper præ oculis haberetis. Vnde in Esaia legitur. *vox clamantis* Isa. 40. *clama: & dixi, quid clamabo? omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri, &c.* Hoc clama, hoc vociferare vocibus acutis & fortibus, quia obturatas habent aures. Non prædices aliud, hoc sæpius repete, hoc frequenta; Ipsi auertunt oculos ne videant: tu sæpius eis obijce hoc ob oculos, vt vel inuiti videant, & agnoscant qui sunt, si forte redeant ad seipsos, & videant dolum maximum & phreneſim in qua sunt, si forte refrigescat ardor ille pestilens & libido possidendi: si forte repescat rabies illa famelica, & fames rapida auaritiæ, & temporaliũ voluptatum, qua vexantur, quasi semper sint victuri & in hoc sæculo permansuri. O cæcitas lamentanda, *exiccatum est fœ-* Isa. 40. *num, & decidit flos*, & quam velociter, & quam cito. *Homo* (inquit Iob) *natus de* Iob. 14. *muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, & conteritur, marcescit post modicum vt flos.* Videas puellam pulcherrimam formosissimam quasi nascentem rosam, expecta modicũ, & videbis eam vetulam, rugis aratam, deformem, turpem, abominabilem. O puella, dic mihi vbi est illa tua pulchritudo, venustas, decor & lepos? Vbi illa rubedo faciei, ille color albus, illi nitores viui? Vbi illa iucunditas, lætitia, gaudiũ, illa sensuum viuacitas? & loquendi sales. *Exiccatum est fœnum, & decidit flos?* rosa illa pulcherrima cito emarcuit. Væ miseris mulierculis, quæ in hoc fœno poliendo, adornando, fucando, decorando vitam expendunt, vestes pretiosas, & iocalia & murænulas, & alia puerilia & vana curiosius perquirendo, factæ velut laquei dæmoni ad capiẽdos stultos passeres, & veluti araneæ tela ad capiendas muscas, quasi non sufficeret corruptio ipsa naturæ quam deploramus, sed alia perquirunt libidinis irritamenta ad decipiendos oculos. O quam deceptas se inuenient in morte, quando viderint vitam & operam perdidisse. Itaque fratres mei, quod sumus, hoc sapere, hoc considerare summa sapientia est. O si qui haberet plenam lucem, & apertos oculos, & intellectu comprehenderet temporis breuitatem: quæ humilitas, quis contemptus omnium temporaliũ, quæ obliuio omnium honorum, quæ animi serenitas, quę pax, trãquillitas esset in eo. Quomodo quasi ex alta specula hominum cæcorum labores anxietates vanas, & stultos sudores conspiceret. Quomodo vel ploraret eorũ miseriam, vel rideret stultitiam, sicut illuminati à Deo viderunt Sancti, & Anacoritæ, & ideo omnia contemplerunt ex hac quippe ignorantia, omnis hominum cupiditas & fatigatio vana procedit. Vnde Plato, *summa* (inquit) *philosophia est, continua* Gen. 1. *vel saltem assiduæ mortis meditatio* Neque minor sapientia, si te agnoueris quoad animam, est: quippe ingenua & nobilis creatura, perpetua & immortalis, angelo simillima, ad imaginem Dei facta, Dei capax futura quandoque, ciuis cœlorum & angelorum socia: *habemus quippe thesaurũ istum in vasis fictilibus* (vt ait a- 2. Co. postolus.) O anima si cognosceres excellentiam & dignitatem tuam, tam perpetuam & ineffabilem gloriam, & sublimitatem quam expectas: quomodo dignareris deijcere te ad amorem & cupiditatem horum terrenorum lucrorum: quomodo horreres fœdare tuam pulchritudinem fœdo isto luto libidinum: quomodo fumum istum & ventum inanem honorum sæcularium paruipenderes. Væ tibi à tua cæcitate quam in peccato primi hominis incurristi: nam si

lumen oculorum tuorum, quo te ipsam cernebas, non amisisse, nunquam in tantam miseriam deuenisse. Omnis quippe noster labor & afflictio ista terrenæ cupiditatis, & affectus & desiderium terrenorum, & vilitas, & abiectio ex hac ignorãtia venit, teste psalmista. *Homo* (inquit) *cum in honore esset, non intellexit*, scilicet excellentiam & dignitatem suam: *& cõparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*, mercedem quam oportuit honoris sui in semetipso recipiens, & ignorantiæ suæ dignam pœnam persoluens. Vnde sponsa in canticis terribiliter minatur sponsus: *Si ignoras te ò pulcherrima inter mulieres*, id est, tuã pulchritudinẽ, *egredere*, scilicet, de sanctuario meo, corde tuo, *& abi post vestigia gregum tuorũ*, brutorum animalium, *& pasce hœdos tuos*; sensus inquietos & petulantes, *iuxta tabernacula pastorum*, id est, in his corporeis voluptatibus. Vides quod in pœnam ignorantiæ brutalitatem comminatur. Quanta sit ista pœna, & quam terribilis comminatio spirituali animę, in belluã sicut Nabuchodonosor conuerti, & electam ab interiori cordis tabernaculo in quo cum domino oblectabatur, more secularium in exterioribus delectari, Bernardus testis est: qui ad tempus infernum experiri tolerabilius, & excludi à corde quasi à paradiso reputat. Vides quantum malum in ignorantia sui. O homo agnosce qui es, intellige tantam dignitatem vt talis sit vita qualis est natura. Homo es, vitam age humanam, ne degeneres ad vitam brutalem: viue vt homo. Rationalis es natura, & ratio tibi à natura data est quasi regula tuorum operum, viue vitam rationalem: viue secundum tuam regulam naturalem. Et quid est vita rationalis, nisi vita virtuti dedita? virtus enim non est nisi habitus vel actus ratione regulatus. Vides quod ipsa tua natura te obligat ad virtutem? Vnde Ambrosius in exameron, exponens illud Gen. *Germinet terra herbam virentẽ, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, & tu* (inquit) *homo iuxta genus tuum viue, non adulteres genus tuum.* Vis illud nosse, attende apostolum in actibus dicentem. *Genus cum simus Dei, &c.* Ber. *lignum generi respondet suo, & nõ respondes generi tuo? Tritici granum sparsum terra generis sui granum reddit, & tu à te degeneras? fruges non adulterant sui sinceritatem seminis, & tu adulteras puritatem animæ vigorem mentis, corporis castitatem?* Hæc Ambr. Non inquã pudet te homo cum sis vitam agere belluinam, comedere, bibere, dormire, luxuriari vt brutũ: ad quid obsecro recepisti animã rationalem? profecto *in vanum eã accepisti*, vt ait Psal. in te otiosa & vacua est, homo in te mortuus est, solum brutum viuit: solã hominis effigiem habes: nã in reliquo bellua es. Quanta vilitas, quãta deiectio, quanta miseria: deniq; si nõ essent homines brutales, non diceret dominus in Euãgelio, *Dicite vulpi illi*: & iterũ, *nolite sanctum dare canibus, nec mittatis margaritas vestras ante porcos.* Et Psa *nolite fieri sicut equus & mulus* Et iterum, *Computruerũt iumenta in stercore suo.* Ecce hominem vulpem, hominem porcum, hominem canẽ, hominem equum, hominem mulum, & sic de alijs, & totum hoc ex ignorantia sui, quia vt diximus, non agnoscunt homines dignitatem suam, & finem ad quem conditi sunt. Et hoc ethnici etiam in lumine naturali intellexere: hoc volebat Diogenes, quando foro hominibus referto, in meridie lucerna accẽsa, clamabat: *hominem quæro*, cæteros quasi bestias reputãs. Vides quam necessaria & vtilis cognitio sui secundum naturam.

Psal. 48. 1. Petr. 1. 4. 1. 17. Psal. 15. Mat 3. Mat. 17. Psal. 3. Ioel. 1.

Vtilissima cognitio suiipsius quo ad cõditionem.

Secundo oportet vt cognoscas quis es conditione, siue professione, non natura es Christianus? & quid est esse Christianum, nisi esse discipulum Christi, de schola Christi, militẽ Christi, imitatorẽ Christi? Hãc quippe regulã professus es, sc. Christianismã: vnde oportet te vitã agere Christianã. Ad hoc autẽ tria debes cõsiderare, sc. professionẽ tuam, regulã quã professus es, & exemplar regulæ cui te debeas conformare. Professio tua altissima est: si eam bene consideres, vt credo, totus cõtremisces: ecce in baptismo quando professus es hanc regulã, & patrini tui quasi fideiussores tui, tuo nomine tecũ astiterunt coram Domino in ecclę-

eſeſia, primo interrogatus es, abrenũcias ſatanæ & omnibus põpis ei⁹: & ore illorũ reſpõdiſti, abrenũcio: nõ. n. poteras Deo ſeruire & dæmoni: & ideo an numerãdus familiæ Chriſti oportuit primote abiurare contrariũ, deinde immerſus es in aquã, & domino cõſepultus, vt ſoli illi viuas, qui ſuã vitã dedit pro te mortu⁹ mũdo. Deinde tertio vnctus chriſmate & oleo ſancto, & sãctificatus domino in tabernaculũ, domiciliũ, & ſanctuariũ sẽpiternũ. Quarto indutus es veſte cãdida, & dictũ eſt tibi, accipe veſtẽ candidã, immaculatã quam præferas ante tribunal Chriſti, per quã deſignatur innocẽtia baptiſmalis, quæ tibi data eſt mũdato originali peccato. Quintò data eſt tibi lucerna ardẽs, q̃ deſignat fidẽ charitate formatã, quã polliciti⁹ es incensã cõſeruare, vſq; ad mortẽ. Ecce tuã profeſſionẽ: an ſeruaueris eã tu videris: certè nihil horũ quæ promiſiſti Deo cuſtodiſti. Nã non minus quã Iudæus, vel Paganus, ſæculi põpas & diuitias perquiris, mundo non Chriſto viuis: & in mũdialibus negotiis & gaudijs quaſi totã tuam vitam expendis: corporis sãctuariũ millies prophanaſti & polluiſti, & Spiritu ſancto expulſo dæmoniorũ ara & ſtabulũ factus es: innocentiã baptiſmalẽ ingreſſus annos diſcretionis, ſtatim perdidiſti: & veſtem illã ſæpius ſordidaſti: polluiſti cæno & sãguine cõculcaſti, & cõſcidiſti fide mortua & ſine charitatis lumine. Quid dicã tibi? ſic viuis quaſi oppoſitũ ſpopondiſſes: neq; voti tui & ſponſionis Deo factæ memor fuiſti. Quid ergo dicturus es in iudicio ſolo nomine & profeſſione Chriſtianus, vita & moribus pluſquã paganus? Auſus es ò prophane Chriſto mẽtiri, mẽtiri ſpiritui S. Nõ attẽdis quã fecerat Deus vltionẽ in Ananiã & Saphirã propter hoc mendaciũ? Sed & regulã quã profeſſus es in paucis, aut in nullo ſeruaſti. Regula tua euãgeliũ eſt, hęc eſt regula Chriſtianorũ perfectiſſima, puriſſima, & ſtrictiſſima. Videtur tibi ampla; ſed non eſt; nã teſte Aug. *tota vita Chriſtiani ſi ſecundum euangeliũ viuit, crux eſt.* Et Paulus ait. *Qui Chriſti ſunt, carnẽ ſuã crucifixerũt cum vitijs, & concupiſcentijs.* Denique quid dicatur in tua regula attende. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* & iterũ. *Qui non tollit crucẽ ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus:* Ecce aſperitatem, attende puritatẽ: *ſi quis viderit mulierẽ ad concupiſcẽdum eã: &c.* Hieronimus. *Væ nobis qui toties fornicamur, quoties concupiſcimus*: ſi attendas ad cupiditatẽ, *non concupiſces rem proximi tui:* ſi ad patientiam: *ſi percuſſerit in vnam maxillã præbe aliã:* ſi ad manſuetudinem, *non ſolum non occides, ſed ego dico vobis, qui iraſcitur dignus erit iudicio:* ſi ad damnũ famæ, *non ſolum nõ dices falſum teſtimonium, ſed nolite iudicare:* ſi ad ſilentium, *omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, &c.* & alia huiuſmodi præcepta legis in tua regula. Quid quæſo amplius Carthuſia habet quantũ attinet ad mores, & ſanctitatẽ: & puritatem exceptis cæremoniis & votis: dic mihi ò Chriſtiane hanc formam vitæ ſeruaſti? O quam longè ab illa. Quid obſecro mihi diceres, ſi me videres in habitu ſæculari, in platea ſaltantem cum puellis & ludẽtem? O prophane, ò irregularis, vbi eſt regula tua: & ego ad te ò Chriſtiane, & tu ſerua tuam. Sed heu nunciatur hoc, quia maiori ex parte ſic viuitur: multitudo peccãtium pudorẽ peccãdi adimit: quia rariſſimus eſt perfectus Chriſtian⁹ qui euangeliũ cuſtodiat. Audi quid dicat Picus Mirandulanus. *Et quidẽ* (inquit) *euangelio tam confirmato & probato tot teſtimonijs non credere, grandis induratio & pertinacia eſt; ſed credere & profiteri, & oppoſito modo viuere maior inſania eſt.* De tertio verò quomodo ſequaris exemplar regulæ tuæ, id eſt, Chriſtũ, nõ opus eſt quærere: nõ ſolũ nõ imitaris, ſed omnino cõtrariè viuis: Chriſt⁹ in paupertate, tu in diuitijs: Chriſtus in humilitate, tu honorib⁹ fiſtis: Chriſtus in laboribus, tu quæris delicias: Chriſtus in doloribus, tu voluptatibus implicaris, totus aduerſ⁹, tot⁹ antichriſt⁹, & vis cũ Chriſto regnare? Quod ſi ad alia exẽpla ſanctorũ attẽdas, quid es ad illos cõparatus, niſi velut formica ad Elephantẽ? In libro Numeri legim⁹, miſſos exploratores ad terram promiſionis rediiſſe dicentes, *Vidimus monſtra*

Mat. 16.
Mat. 10.
Mat. 5.
De.
M.
Ma.
Mat.
Mat. 7.
Mat. 12.
Act. 5.
Gal. 5.
Num.

de

degenere giganteo, quibus comparati quasi formicæ videmur. Sic omnino exploratores, & contemplatores cœlestis patriæ quoties gigantum, id est, sanctorum, qui ibi sunt vitam moresque considerant si viuentes modo Christianos cum illis conferant, quasi formicæ videbũtur, qui per hoc tempus excellunt maxime. Ecce quis es professione, & quam longe à tua professione. O hypocrita non attendis
Rom. 1. quod scriptum est *quia qui in lege peccauerint, per legem iudicabuntur.* Tua professio si non te corrigis, nõ erit tibi ad salutẽ, sed ad iudicium Magnum est esse Christianum: sed difficile & arduum est esse perfectum & bonum. Vnde Hiero. *Nil fœlicius Christiano, cui regnum cœlorũ promittitur: sed nihil difficilius, de cuius salute continue certatur.* Sed restat adhuc scire quis es officio, siue statu, & quidem non parum feceris si natutæ satisfeceris, vt sis integer & perfectus homo, & si professioni, vt sis verus & catholicus Christianus, sed adhuc deest tibi aliquid, si habes officium, vt officio satisfacias. Quã multi enim boni viri, & boni Christiani in humili statu saluarentur, qui in alto dignitatis gradu positi perierunt, aut propter inhabilitatem, aut propter negligentiam? Vnde August *in quo loco* (inquit) *sciebam non esse episcopum, ne illo accederem cauebam, vt in humili saluarer, ne in alto periclitarer.* Fælices qui solum de seipsis in die iudicij reddituri sunt rationem, nam altitudo dignitatis officij quasi præcipitium timenda est.

ipsius vs cogquoſta

Quis es tu? Sum imperator, Rex, princeps. Magnus status, sed maius pondus: magna dignitas, sed laboriosa & periculosa: *noli altum sapere, sed time* Psal. *Ab altitudine diei timebo.* Oportet te tantum
ō. 11. cæteros homines præcedere virtute, quantum præcedis dignitate. Sed quia alibi per occasionem de boni principis officio latius dixisse me commemini, in hoc loco non immoror ea in re.

Petr. 5. *Tu quis es?* Sum prælatus. Et quid est esse Prælatum? esse pastorem, non dominum, non principem: *non dominantes in clero* (ait Petrus) *sed forma facti gregis, exemplum sanctitatis in populo.* Sed cuius gregis? vtique illius, pro quo filius Dei vitam posuit: quem non auro & argento, sed sanguine suo pretiosissimo emit. Et quantus grex? lx. millia, centum millia ouium: difficilis cura. Vnus angelus vnam sibi ex illis omnibus sufficere putat, & tu tanta? Et quæ conuentio cum domino gregis: *Custodi* (inquit) *virum istum, & si lapsus fuerit erit anima tua pro anima illius, sanguinem eius de manu tua requiram, non ostensa pelle satisfacies mihi, sed perpetuo inferno damnaberis* O terribilis obligatio, & est qui velit ad hoc obligare seipsum; Sunt multi qui non solũ volunt, sed cupiunt & exambiunt. O cæcitas filiorum Adam. Ber. *Accedit ad cumulũ solicitudinis & pondus timoris, quo cũ meã, & proximi conscientiam seruare necesse sit* Isa. 21. *neutra mihi satis est nota; vtraque abyssus est, vtraque mihi nox est, & nihilominus exigitur à me vtriusque custodia; & clamatur, custos quid de nocte; & non est mihi dicere cũ Caim. Nunquid custos fratris mei sum ego?* Gen. 4. Hæc Bern. qui paucas & bonas oues habebat in custodia, & clausas in claustro. Reuereamur fratres prælatos, & honoremus, & obediamus illis, qui ad tantum periculum animas suas pro nobis exposuerunt, *Obedite* (inquit Apostolus) *præpositis vestris & subiacete eis, commiseremini illorum: ipsi enim perui gilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* Heb. 13.

Tu quis es? Ego dominus temporalis, comes, dux. Et quid est esse dominũ tẽporalem? nunquid habere multam familiam: equos phaleratos, domos & palatia, opulentam mensam, magnificas & pretiosissimas vestes, argẽteis, aureis, vasis fulgentem abacum, & pulcherrima aulæa peristromata: insuper & canum, & accipitrum omne genus, non vtique ad hoc sunt in populo, sed vt sint patres & patroni subditorum quibus præsunt, vt eos in pace & iustitia regant, & defendãt eos à molestantibus, & subueniant eis in necessitatibus suis. Formam dominorũ audi in beato Iob scriptam, qui vtique fuit magnus dominus temporalis. *Oculus* Iob. 29. *fui cæco, pes claudo, pauperum pater eram. Si negaui quod volebant, & oculos vidua expectare feci. Conterebam molas iniqui, & de dẽtibus*

tibus illius auferebam prædam, si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea, quia ab infantia mea creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum, &c. Videant magnates nostri temporis si tales sunt: videant qui mensas opulentas ex laboribus & sudoribus pauperum replent, & mille calumnijs & exactionibus crudeliter subditos premunt; non patroni sed prædones, audiant quid dominus per Prophetam cõminetur huiusmodi. *Amos.6.* *Væ qui opulenti estis in Sion, optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel. Audite hoc vaccæ pingues, qui calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes. Iurauit dominus Deus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis feruentibus, & per aperturas exibitis altera contra alteram, & proijciemini in Armon,* dicit Dominus. *Amos 4.*

Tu quis es? Ego sum iudex, prætor, decurio, præfectus, magistratus, censor. Et nunquid seruas rectam virgam? non possum omnino, sed necesse est aliquando aliquãtulum flectere, præcibus & rogatu aliquorum procerum, & præcipuè eorum qui apud regem gratia & fauore præstãt; intercedit amicus, cui si nego, cum vituperio reijciar ab officio. Et nunquid accipis muneras? aliquando, inquis, nam non possum sustentare domum meam; salarium est modicum, sumptus immodicus; non equidẽ agros fodere, aut arare queo, ex meo officio alẽdus sum, & vtinã agros arares vel foderes, melius enim fuisset esse aratorem, quam iudicem. *Isa 8.* Audi quid de te dominus dicat. *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij, iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ; &c.* defectu, sc. iustitiæ. Et causam addit, *principes,* id est, iudices *tui infideles, socij furũ omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Propter hoc ait dominus exercituum sanctus Israel. Heu ego consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis* Lõgum esset modo prosequi per singula officia; de prædicatoribus, de sacerdotibus, & religiosis dicere ad quid teneantur ex officio, sufficit tetigisse de maioribus statibus, vt videant ad quid tenentur. Hæc sunt quę oportet te cognoscere ò homo, vt videas si respõdent naturę, professioni, & officio; hæc oportet diligenter considerare, & sæpius ponere te coram te, & examinare teipsũ, nec viuere more brutæ pecoris nulla vitæ ratione habita. Psalm. *Psa. 48.* *Sicut oues in inferno positi sunt,* quid si tu te ipsum integrum reciperis tuum? implebit *Psal. 49.* dominus quod promisit. *Arguam te, & statuam cõtra faciem tuam:* Proh quantum tibi dolorem propriæ fœditatis aspectus afferet. Sed fac, vt dicit Abacuc. *Super cu- Aba. 2.* *stodiam meam stabo.* Sic faciamus fratres, discutiamus nos nunc, ne iudicet nos Deus: vt cum venerit, mercedem accipiamus æternam. O si hãc rationem sæpius tecum faceres, & teipsum tibi sæpè præsentares, & historiam vitæ tuæ plenè recenseres. O quot fructus ex hac consideratione eliceres: vtiq; humiliares te, tuos defectus agnosceres, deplorares, corrigeres, vulnera animæ tuæ sanares, iudicatũ & non iudicãdum teipsum Christo præberes: damnationẽ euaderes. Sed tu velut bestia degis vitã sine consideratione, sicut scriptum est, *sicut oues* [redacted]*ferno positi sunt,* *Psal. 48.* *mors depascet. Non erunt hæc,* inquit Ber. *ò anima fenestræ sensus, per quas exeas, & exules à teipsa, & obliuiscaris tuorum vulnerũ, sed perpetuò videbis te, & abominaberis teipsam, & fremes contra te.* Vndè propter hoc, damnatorum vermis non morietur in æternum, quia nunquã ei deerit iste pastus quo alatur. Quanto sapientius facies, si modo, cum vales animam tua coram teipso posueris, sicut scriptũ est: *anima mea* *Psal.* *in manibus meis semper;* & maculas vulneraq; ipsius solicitè inspexeris, diligenter diluere atque sanare curaueris, neque solum hoc, sed etiam bonis operibus, & virtutibus ornare, vt speciosa appareat coram domino. Facit hoc muliercula, vt placeat viro, & non magis tu vt placeas Deo? & non solum, sed valdè delectabilis est fratres ista cõsideratio sui, dico vobis inveritate, nulla historia sic delectat animam iusti quam historia propria. Oquãdo recensẽt singula Dei beneficia, quæ recipit, & considerat mala quæ euasit, & misericordias domini quas expertus est, & quando se videt liberum à priori cæ-

citate, & seruitute vitiorum, & transacta nebula obscura in sereno die luminis cõstitutus, quomodo exultat, quomodo lætatur, quas gratias Deo agit, quomodo inuitat ex corde omnes creaturas ad laudandum Deum pro tanta bonitate, quia ipse non sufficit: quomodo accenditur in amorem benefactoris sui: quomodo delectatur videndo, quia sic amatur à Deo, & quomodo sperat futuram gloriam, ex testimonio amoris Dei: quomodo properat recuperare tempus amissum, & seruire benefactori suo totis viribus, quomodo compatitur his quos videt simili modo laborare: & si deplorat præteritam seruitutẽ, nõ sũt lachrymę illę amarę, sed dulcissimæ. Sunt & plures alij fructus in hac consideratione quos longum esset enarrare, melius sentiuntur quam dicũtur. Vndè credite mihi, inter omnes considerationes hæc tui consideratio vtilissima, & potissima est, propter quod

n.1. cum sponsa ex amore peteret. *Indica mihi quem diligit anima mea:* responsum est, *si ignoraste*: ac si diceretur ei, quid modo sponsi visione [illegible] poscis? potius cura agnoscere temetipsam, quia per hanc tui considerationem, si eam frequentaueris, ad visionem quam exposcis peruenies. *Beatus enim est, quia ascensiones in corde*

Psal. 83. *suo disposuit, vt de virtute in virtutẽ procedens, videatur Deus Deorũ in Sion* in sua gloria, ad quam nos perducat Iesus Mariæ filius. Amen.

DOMINICA QVARTA
Aduentus.

THEMA.

Vox clamantis in deserto, parate viam domini. Isa. 40.

Littera Euangelica narrat tempus in quo cœpit prædicatio, & prophetia Baptistæ, sub quibus principibus, & sacerdotibus, more antiquorum prophetarum: deinde narrat quid prædicabat,

c. 40. *Ego vox clamantis in deserto:* ex authoritate Isa. Et quoniam non intendimus immorari in litera, hæc sufficiant. Circa thema duo dicemus, primo loquimur de voce ista quæ clamat in deserto, secundo de præparatione ad quam inuitat.

Cõparatur peccator eũ deserto.

Desertum hoc est peccator, habet deserti conditiones, quia horridus est, & inculcus, nulla fruge commoda seminatus, generat spinas, & tribulos, sentibus & vepribus densis prauarum cogitationum & desideriorum est obsitus vndique, & fit habitatio bestiarum siluestrium, & ferarum, & serpentium, & scorpionum, sicut ait Isai. *Erit cubile draconum, & pascua struthionum*: denique nullus fructus in eo nisi glandes porcorum, sed solitudo, siccitas, sterilitas, horror & pauor. Quanta solitudo vbi Deus non est? quanta siccitas vbi pluuia cœlestis non cadit? quanta sterilitas vbi deest calor solis, & cultus spiritus. Huic deserto non cessat dominus loqui, vt conuertatur & redeat, à die qua incipit vti ratione, vsque ad sepulturam, non cessat clamare magna clementia: ipse offensus, ipse rogat, ipse inuitat, Hier. 3. & in Apo. *Ego sto ad ostiũ, & pulso,* &in Prouer. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam*, scilicet, *creaturarum. Vsquequo, paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sunt sibi noxia cupient, quærẽtes*, scilicet, *præcipitia vbi pereant.* Sed quatuor voces sunt principales, quibus dominus loquitur huic deserto, scilicet, vox gratuitæ donationis, vox exterioris prædicationis, vox acerrimæ corruptionis, vox interioris inspirationis. Prima vox est beneficij, qua Deus tractat peccatorem primo benignè, & beneuolè, dat ei salutem & bonos successus temporaliũ, honores, diuitias, & facit, vt ei omnia ad libitum succedant, si fortè conuertatur & dicat: anima mea seruiamus tam bono & pio domino, qui tam benignè nos tractat: qui pro tormentis tot largitur beneficia, & pro inferno quod meremur, dat nobis rerum temporalium abundantiam: sicut scriptum est in Hieremia. *Non dixerunt in corde suo metuamus dominum Deum nostrum, qui nobis dat pluuiam temporaneam & serotinam in tempore suo, plenitudinem annuæ messis custodientem nobis,* &c. Et quidem si boni essemus ad eũ modum beneficijs acceptis respiscceremus: sed quia mali sumus & peruersi, oppositũ euenit: nam beneficijs & donis deterio-

Hier. 3. Apo. 3.

Hier. 5.

Gen. 40.

res

res sumus, & amplius insolescimus sicut vilia mancipia, & succedentibus prosperis, obliuiscimur donatoris, & superbimus. *Pro.1.* *Prosperitas stultorum perdet illos.* Benè stultorum, nam si sapientes essemus & cordati, magis nobis proficeret. O ingratitudo, ò ferocitas filiorum Adæ, & quibus verbis te exprimam? Omnes feræ sentiunt beneficium, & beneficijs cicurantur, & mansuescunt: videas leonem ferocissimum suo magistro colludentem, & versum in domitum iam cicurē, & ludentem cum eo à quo pascitur, & elephantem monstruosum obedientem sessori. Indo vt quem mansuetam: omnes bestiæ benefactorem agnoscunt, & beneficiorum gratiam reddunt, tu solus homo rationalis, vt fera truculenta, vt vipera venenata, & basiliscus, pascentem mordes: benefactori tuo aduersaris, non recognoscis benefactorem tuum, blasphemas & offendis. O ferocitatem supplicio vltimo dignam, hanc vocem quocunque te vertas audis. *Omnes creaturæ* (vt ait Augustin.) *quid sunt nisi voces Dei?* Clamat cœlum, ò homo, ego tuis cōmodis, & vtilitatibus voluor: clamat sol, ò homo, ego te foueo, & illumino, ego terram tibi tempore veris velut paradisū reddo, ad tuam recreationem, & cōsolationem: clamat terra, ego tibi homo, fructus, segetes, herbas, legumina, & cibaria præbeo; & mare, ego tibi tot piscium genera profero: agnosce datorem, esto gratus largitori, sed sumus sicut porci edētes glādes capite demisso. Vox totius naturę, accipe, redde, caue, si non esset aliud peccatum, sola ingratitudo sufficiebat ad infernum. Conqueritur dominus. *Cognouit bos possessorem suum.* Sed quia hæc vox obscura est, & non ab omnibus intelligitur, vtitur Deus ad peccatorem secūda voce, scilicet, doctrina & prædicationis, qua ipsum hortatur, vt redeat ad seipsum: vox enim prædicationis non prædicatorum, sed Dei æstimanda est. Vndè Ioa. *Ego vox clamantis*, scilicet, pro me non clamans, *non estis enim vos qui loquimini, sed spiritus patris mei qui loquitur in vobis.* Et iterum. *qui vos audit, me audit.* Et Apo ad Thessa. *Gratias agamus Deo sine intermissione, quia cum accepissetis à nobis verbum Dei, accepistis illud non vt verbum hominum, sed sicut verè est verbum Dei.* Hac voce non cessat vocare Deus frequentissimè peccatores, non itaque de nostro loquimur, sed [illegible] ba Dei sumus. Hac tuba vos excitat & vocat, sicut scriptum est in Psalm. *Abyssus abyssum inuocat, in voce cataractarum tuarum.* Abyssus bonitatis, & misericordiæ Dei, abyssum iniquitatis, & malitiæ, peccatorem inuocat *in voce cataractarum tuarum*, id est, nubium, nam prædicatores nubes sunt, qui totam terram animaliū fidelium irrigant imbre, & pluuia doctrinæ euangelicæ, vt fructificent fructus bonorum operum. Et licet multa in prædicatione dicantur, hæc tamen principalis intentio est, reducere ad Deum abyssū profundissimam peccatorum. Vnde ad Prophetam dicit Dominus. *Clama ne cesses, annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Ad hoc propositū facit, *si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Et verba Sapient. *Si conuerteris, conuertam te*, dicit dominus ad peccatorē, vt sic inuitatus animosius id peragat. *Surgens diluculo mittebam prophetas meos.* O misericordia diuina, quid tua interest? meum est commodum, mea res agitur. Quantæ virtutis fuerit ista vox olim omnes nostis: hac enim voce prædicationis Deus ad se totum mundum conuertit, modo autem inualida est, ratus est peccator, qui hac voce resipiscat, propter quod dominus nostris tēporibus magis vtitur tertia voce, sc. castigationis. Excitat igitur dominus peccatorē voce castigationis, quia enim nō auditur vox beneficiorū, vox doctrinę, ideo dominus multiplicat plagas & aduersitates, dat ægritudines, infortunia, afflictiones peccatoribus, vt redeāt. Sic enim sopitos grauissimo somno, quando non audiunt voces, manu pullantes excitare solēus. Sic tacit Deus, si fortè vexatio dabit intellectū, sicut vulgariter dicitur, malo suo edoctus stultus sapit. Sic olim Fratres Ioseph in angustia positi cognouerunt peccatū suum, dicētes. *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrē nostrum, videntes angustias animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audi-*

Creaturæ clamant ad nos. *Mat.10.* *Luc.10.* *1.Thess.2.* *Isai.1.* *Hier.* *Hier.7.* *Similiter* *Isai.2* *Gene 4*

uimus, idcirco venit super nos ista tribulatio. Vnde ista voce quidam excitantur, & conuertuntur ad dominum timore adducti, sicut scriptum est. *Conuersus sum in* Psa.31. *ærumna mea, dum configitur spina*, scilicet, doloris & ægritudinis. Alij autem aperiunt oculos dicentes: heu peccauimus, malè egimus, sed statim redeunt ad somnum suum. Alij excitantur & surgunt, proponentes relinquere peccata, concubinas, vsuras, & confitentur, sed quotidie propnount, & nunquam faciunt, dicentes, modo ecce modo, expecta paululum & modo, & modo non habet modum, & paululum, & paululum in longū procedit, donec venit mors & rapiuntur ad infernum. De quibus Isai. *Expecta reexpecta, manda remanda, modicum ibi modicum ibi.* Alij autem tam lethargico somno tenentur, vt nec sic excitentur: & est miserabile videre manum domini aggrauatam super eos, percutientem eos terribiliter, & ipsos somno peccati deceptos nō corrigi, sed efrænatius peccare. Videas hominem leprosum, infamē, v.5. perditis faculiatibus, multis plagis affectum vt Pharaonem, & amplius induratur. *Percussi*, inquit, *eos, & non doluerunt, &* cod.8. *iterum, frustra cōflauit conflator, rubigo illius* er.5. *non est consumpta* Et Psalm. *Dissipati sunt,* c.6. *nec compuncti* Et Isai. *Super quo percutiam* l.24. *vos vltra addentes prauaricationem?* Væ nobis fratres tales sumus hodie. O domine quomodo aggrauasti manum tuā super nos? Quot bella, quot flagella, quot infortunia? & non est qui redeat, non est qui pœniteat: insensibiles facti sumus, & quò amplius percutimur, eò amplius desipimus *Propheta non est qui surgat & teneat te.* Quid restat huic peccatori tā proteruo, & indurato, nisi quarta vox potentissima inspirationis, de qua Psalm. *Vox tonitrui tui in rota*, id est, peccatore. Peccator enim rota qua voluitur, inuoluitur: itaq; vox in rota, vt cesset rotari in peccatis; benè dicitur tonitruum, quia fortissima est, & quæ sufficiat penetrare aures quātumuis surdas. Apostolus. *Viuus est sermo Dei, & efficax, penetrabilior omni gladio.* Bernard. *Vox est non sonans, sed penetrans: non loquax, sed efficax: non auribus obstrepens, sed affectibus blandiens.* Huic voci non est duritia quæ possit resistere, quia scriptum est. *Nunquid non verba mea sicut ignis, & malleus conterens petras?* Et Psalm. *Intonuit de cœlo dominus, & altitudo dedit vocem suam grando, & carbones ignis.* Hierem. *Et factus est sermo domini quasi ignis in corde meo.* Et sponsa *vox dilecti mei.* Hæc vox conuertit Paulum, Matthæum, Magdalenam, & publicanum. Sed valdè notandum est quod ait, *ignis, & malleus, grando, & carbones.* Quia dupliciter loquitur Deus ad animam: nam quædam est vox interior amoris & inflammationis, qualis fuit illa Magdalenæ, cùm Deus intus mittit scintillam amoris, & deuotionis, & inflammat animam in suum amorem, vt redeat: de qua Psalmist. ait: *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Sicut discipuli dixerunt. *Nonne cor nostrum ardens erat, dum loqueretur in via?* Et sponsa *Anima mea liquefacta est, postquam dilectus locutus est mihi.* Et hæc designatur per ignem, & carbones ignis. Alia vox est interior acris & fortis, terribilis increpationis, & redargutionis, quia Deus peccatorem redarguit, & redarguendo conuertit. sicut fuit fortitan illa Pauli, *Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Et iterum: *ego ostendam illi quanta oporteat illum pro nomine meo pati.* Et hæc designatur per grandinem, & malleum: hæc fratres dico vobis fortissima est, & quis poterit eam sustinere? arguit enim vt Deus. Dico vobis, facilius est sustinere omnem mundi redargutionem alligatum columnæ publicæ in medio foro coram toto mundo, nihil ad hāc redargutionem Vnde Psal. *A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus; pro iniquitate corripuisti hominem, & tabescere fecisti sicut araneam animam eius.* Hæc increpatio ossa hominis comminuit, sicut ait Iob. *Increpat quoque per dolores in nocte, & omnia ossa eius marcescere facit:* intolerabilis est fratres, experti estis, sed amabilis & desiderabilis. Vnde Psalm. *Ad te domine clamabo, ne quando sileas, aut taceas:* volo affligas, volo arguas, &c. hoc enim magni a-

Hie.23. Psal.17. Hie.20. Ca.2.&5. Psa.118. Luc.24. Can.5. Act 9. Psa.38. Iob.33. Psal.27.

nĩ amoris signum est, sicut ipse ait. *Ego quos amo, arguo, & castigo:* vnde pater filium legitimum hæredem delinquentem arguit, increpat, sed spurium abire finit. Magni amoris, & electionis æternæ signum est, quando hominem redarguit, *Apoc. 3.* increpat, neq; finit quiescere donec exeat à peccato. Sicut prima vox intimè sentitur, & cum adest, inurit ac depingit in anima subito memoriam beneficiorum diuinorũ, stimulando ad amorem, & pudefaciendo nos ob non amatum Deum: sic hæc secunda imprimit terrorem timoris incõparabilis domini. Si vani alicuius terriculi metus horrorem incutit, quia superior natura: quid illa visio increpationis Dei, vt nos tremore contraheret? nunquam ne ad iudicium vos vocari somniastis? Sunt enim hæc somnia velut vestigia religiosi sermonis interdiu habiti. Hac voce attrahit Deus animam citra coactionem vllam, arreptam tamen. Væ miseris qui in peccatis gelati, sicut scriptum est. *Coagulatum est sicut lac cor eorum.* Hanc vocem fratres petamus, *Psal. 18.* hanc postulemus in hoc paschate pro principibus nostris, *vt loquatur dominus pacem in plebem suam,* & inspiret eis con- *Psal. 84.* cordiam, & pastoribus nostris: vt intendant ecclesiæ reformationi, nam vt videtis, totum perijt, etsi non fuerit ecclesiæ aliqua reformatio, non est spes melioris status.

Ecce voces fratres quibus Deus loquitur ad desertum: nos audiuimus Apostolum admonentem. *Hodie si vocem* *Hebr. 3.* *audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut* *Ps 94.* *fecerunt illi quibus iurauit in ira sua: si introibunt in requiem meam,* propter solam duritiam, nam cor durum malè habebit in nouissimo. Sed quid dicit omnibus istis vocibus audiamus. *Parate viam Domini,* *Isa. 40.* non petit grandia, non difficilia, non vt ditemus nos donis, & gratijs, nam suum est ditare cor, sed solùm vt nos præparemus, vt nos disponamus: nam & hominis est Deo præuenienti parare cor, sed Dei est perficere, vt *Prou. 16.* non resistamus ei volenti ingredi inhabitaculum cordis nostri. *Parate,* inquit, *Apoc. 3.* *viam domini,* hoc sufficit ne resistatis. Vide quia dicit, *quia stat ad ostium & pulsat:* rogat maiestas vt accipias, vt aperias. *Aperi mihi soror mea, sponsa mea, columba mea.* *Cant. 5.* Quanta peruersitas, quanta cæcitas nolle aperire, nolle hospitari. Hoc sufficit ne resistatis: tollite petras, & scopulos, & spinas viarum vestrarum: tollite peccata horrenda, rixas, dissensiones, odia, inimicitias, vsuras, simonias, adulteria, furta, inuidias, superbias, nã peccata diuiserunt inter vos & Deum vestrũ, mundate conscientiam scopis confessionis, rigate & purgate lactymis, & bonis desiderijs & contemplationibus ornate, & orationum fragrantia, seu suffitu fumigate, & in satisfactionem peccatorum vestrorum aliqua ieiunia, vel vigilias offerte, & eleemosynas non habentibus date: hæc enim præparatio sedis Dei, vt ait Psalm. *Psal.* *Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ.* Etsi feceritis, ipsa maiestas dignabitur venire & inhabitare corda vestra, & implebit omnibus bonis, & gaudio, & lætitia in præsenti animas vestras. Ego quidem meam libenter astringo vobis fidem, quod feliciter hæc paschalia solennia Deo authore succedent illi, qui Deum ipsum cordis hospitio susceperit: inibit in gratiam, & postmodum futuram gloriam, ad quam nos perducat, &c.

IN DIE NATALIS DOMINI, sermo primus historialis.

Transeamus vsque in Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est. Luc. 1.

HOdiernæ festiuitatis sacramentũ fratres, sacrumq; mysterium non tã lingua, quam affectu colendũ est: non tam verbis, quam gaudijs celebrandum. Obsecrandus est Deus, vt præstet homini sentire quod colit, colere quod accepit: & qui tãtum homini præstitit donum, præstet & sensum ne tanto beneficio ingratus inueniatur. Quid enim proderit grandia recepisse donaria, & hoc ipsum ignorare quod accepit, nisi ad ingratitudinis labem, O fœlicem, ò acrum diem, quo Deus homo factus, ex-

vtero virginali veluti nouus sol oriens illuxit mundo! O iucundissimam lucem, quæ vno ictu & Pastorum, & Magorum alios subito radio perstrinxit, hos stellæ lumine, illos diuina claritate ducens ad præsepium. Vt enim ait Euangelista: *Claritas Dei circumfulsit illos.* Quis huius diei sacram venerandamq; lætitiam valeat explicare sermone. Vidit in spiritu Prophetа diem istũ, & gaudio repletus, ponduſque lætitiæ ferre non valens, exæstuans spiritu, gratulabundus erupit in exultationis præconium, omnes inuitãs creaturas ad laudem: omnes inuocans in adiutorium sibi, vt ad persoluendas tanti beneficij laudes ipsum adiuuare conueniant. *Latentur*, inquit, *cæli, & exultet terra, commoueatur mare, & plenitudo*
95. *eius: orbis terrarum, & qui habitant in eo. Iubilate Deo omnis terra: cantate, exultate, & psallite. Psallite domino in cithara, & voce*
97. *Psalmi: in tubis ductilibus, & voce tubæ cornex. Iubilate in conspectu regis domini: moueatur mare, & plenitudo eius: orbis terrarum, & qui habitãt in eo. Flumina plaudent manu simul montes exultabunt à conspectu domini.* Propter quid ò propheta, & ad quid tam vniuersalis omnium, & immoderata lætitia? *Quia venit* (inquit) *quoniam venit. Notum fecit dominus salutare suum: viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri. Recordatus est misericordiæ suæ, & veri-*
gei 5. *tatis suæ domui Israel.* Impleuit quod pro-
lesa. 36. miserat antiquis patribus Deus mittens *desideratum gentibus* filium suum in carne: *vt prophetæ eius fideles inueniantur. Paruulus enim natus est nobis, & filius*
ai. 9. *datus est nobis.* Et qualis paruulus? Cuius celsitudinem admirentur Angeli, stupeant Cherubin, paueant gentes, populi contremiscant. Siquidem vocabitur nomen eius, *admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis* Hæc sunt fratres, quæ vobis hodie enarranda suscepimus, hæc sunt quæ viuo magis quam ornato sermone dicere concupiscimus: rem ipsã prout gesta est, ex sacra euangelij historia compilantes, proprioque & natiuo vt gesta est ordine proponentes. Astate, & omnibus vos animo exhibete præsentes: quo enim facilior sunt intellectu, quæ dicimus, eo ardentiora sunt affectu, si digno, vt par est, feruore animi pensitentur. Nascitu- *Mich. 5.*
rum dominum in Bethlehem longè ante propheta prædixerat, neque hoc populi illius scribas, & magistros latebat. Sed ne omnibus palã esset altitudo mysterii, veluti casu prophetia impleta est. Inscriptio præcipitur ab Augusto, & dũ Maria, Ioseph describendi veniunt in Bethlehem disponente Deo Christus ibidem nascitur & vaticinium impletur. Cur hoc ita? Cur non potius virgo Bethlemitica fuit, & illius incola ciuitatis, ne in tenero saltem corpore, partui proxima tam longam peregrinationem subire cogeretur. Nẽpe vt sigillato mysterio admitterentur digni, arcerẽtur indigni, hoc namque plurimos illius gentis domini æmulos vehementer scandalizabat, quoniam Nazareus erat eorum iudicio, illum in Nazareth ortum esse putantes, & nõ in Nazareth, sed in Bethlehem nasciturus erat Christus. Vnde & Nathanael huius vaticinii non ignarus. Philippus Ioseph filio à Nazareth Christum sibi prædicanti, *à Nazareth* (respondit) *potest aliquid boni esse?* Et cum Gamaliel partis domini fautor in concilio pro domino responderet, ab æmulis domini dictum est illi. *Lege scripturas & vide quia* *Ioan. 7.*
à Galilæa propheta non surgit. Impingebãt enim iam in illum *lapidem offensionis, & petram scandali*, quam prophetans olim prędixerat Isaias. Altissimo ergo Dei profundoque consilio hoc ita dispositum esse cognoscamus, *non enim dandum erat sanctum canibus, nèque margaritæ porcis cõmittendæ* Neque hic leuiter prætereunda virginis angustia est, cum vicina partui lares proprios dimittere, & alienas petere cogitur ædes, longam terrere viã, & per montosam exulare regionem. Virgo (inquã) tenera, & grauida, virgo publici nescia, domi assueta, virgo super omnes fœminas prudentissima, neque minus viri sancti anxietas, & afflictio dissimulanda, cum peruagatis singulis quibusque domibus nullum virgini reperit domicilĩu, nullũ sibi & spõsæ adinuenit hospitium. Tristabatur, vtique & seipsũ

Cur in Bethlehẽ natus sit Christus.

Ioan. 1.

Ioan. 7.

Isai. 8.

Matth. 7.

forte

sorte talibus infortunijs improperabat, sibique vni hospitii repulsam attribuebat, & quanto magis illam omni honore dignissimam cogitabat, tanto magis illam videns inhonoratam dolebat, sed sacræ virginis temperabatur eloquio, illum adhortantis, vt libenti, forti, & alacri animo ista pateretur, sciens sine decreto Dei nihil fieri posse, & quod vir bonus quicquid ei acciderit æquo animo debet sustinere. Siue igitur necessitate cogente, siue quia aduenarum tumultũ, & frequentiam diuersorij virgo horrebat, in porticum quandam ciuitatis muro proximam hospitari consiliũ fuit. Est locus sub rupe caua, non hominũ manibus, sed Deo fabricante constructus, quẽ tanto mysterio ab initio natura formauerat, & ne vnquam sacra deficeret ædes, non ex lapidibus, non ex lateribus sed ex fortissima & durissima rupe omniũ creator defixerat, vnde & hodie omnium sacrarum illius temporis ædium sola permansit, cæteris, aut bello, aut vetustate consumptis. O locum sacrum, ò locum benedictum, ò porticum cœlo parem, mystico illo tabernaculo digniorem, sãctorum sancta sanctiorem, quem tibi, & Angeli, & homines non debent honorẽ, cum in te nascatur Dominus, & Angelorum, & hominum? O quanto purpuratum, inauratum, & gemmatum dignitate superas templum: templum, in quã, illud magnificum Salomonis, tanta mole constructum, toto orbe celeberrimũ, cunctisque mortalibus admirandũ, Fœlix Bethlehem tanti regis ditata natali: fœlix creatoris tui patria quæ de tãto filio gloriaris, lætare Bethlehẽ, & per omnes vicos tuos festiuum hodie alleluia cãtetur. Quę tibi ciuitas, quę regio, quod regnum pretiosum illud stabulum non inuideat? Hoc te toto orbe celebrẽ fecit: hoc famam nomenque tuum cunctis gentibus vbique terrarum publicauit: hoc tuam super astra gloriam euexit: propter hoc vbique laudaris, vbique desideraris, vndique terrarum confluentibus in te gentibus auidissime frequentaris. Non oriens suos detinet Indos, & occidens ad te suos mittit Iberos, vt à solis ortu vsque ad occasum tua gloria decurrat. Hoc sacrum sacellum sæpius (vt existimo) regius Propheta Deum adoraturus intrabat: prænouerat enim spiritu monstrante loci dignitatem, & sanctitatem, & quorum futurum esset quãdoque hospitium non ignorabat. Hoc est quod in Psal. legimus. *Ecce audiuimus eam in Ephrata, inuenimus eam in campis syluæ, introibimus in tabernaculũ eius: adorauimus in loco vbi steterũt pedes eius*, & infra: *Ibi producã cornu Dauid*, id est, saluatorem Messiam, per quem regnum, & potentia Dauid in sęculum confirmabitur. Quibus vtique verbis, & futuram in Bethlehem Domini natiuitatem apertissime prophetam cognouisse, atque in illo sacro natalis Domini loco sæpius eundẽ adorasse monstratur. Neq; te moueat, quòd de præterito enunciat (*steterunt pedes eius*) hoc. n. commune est prophetis, propter certitudinem prophetiæ futurum tempus in præteritum commutare. Intrat igitur virgo regia pauperis hospitii incompositas angustias: intrat domicilium paleis, & animalium stercore sordidatum: domũculamq; vento, & frigore peruiam grauiter inhabitat. Nõ ibi sella, nõ lectus, non mensa, non ignis, nõ deniq; alia supellex, præter humile præsepiũ pascẽdis animalibus aptũ. Hęc sunt bone Iesu partus solatia quæ matri puerperæ præparas? hæc deliciæ, hæc ampla palatia, hę opes, hic ministrantiũ apparatus? Quis iã de aduersa fortuna conqueratur? quis de sua sorte audeat indignari? quis quãtũlibet aduersa patiatur, nõ æquo ferat animo? Mater Dei hęc sustinet? mũdi domina, & regina cælorum tali hospitatur hospitio? & indignabitur vilis vermicul⁹, quicquid illi accidat, quomodocunque tractetur, & pauper non gratias aget in tam despecto loco filium Dei videns? se similem Dei nostri in paupertate cognoscens? & si dura sibi acciderint, nonne in ipsis gloriabitur, cùm tam dura & aspera matrẽ, & filium, & pro seipso pati perspiciat? Aderat iam hora illa sacra, hora aurea, hora rutilans, super omnia tempora benedicta, *Psal.* 131.

cta, hora mundi ſolatio ab initio deſti-
Sap. 18. nata, *& nox in ſuo curſu medium iter agebat*, cum ecce virgineus vndique vultus immutatur, rubent genę coloribus, candidaq; alioquin facies tota purpuratur, itavt liliis candidis aſſimilare illam poſſes purpureis mixtis roſis, feruido agitatur ſpiritu, inſuetiſq; ardoribus beatiſſima illius anima inflammatur, æſtuabat in tus deliciis, mundanteſque gaudiorum impetus tenerum pectus portare nequibat. O virgo benedicta, nonne iſti ſunt facti partus dolores? iſtæ puerperii intolerabiles anxietates, hæ torſiones, quas ſolent tali tempore ſuſtinere prægnantes? Prænouit alma puerpera ſui partus indicia, & ſpiritu Dei plena, deuotione feruida, manibus oculiſque in cœlum leuatis, flexiſq; genibus totam ſe Deo deuouens, ipſius beneplacitum expectabat. Aderat & ſanctus Ioſeph rerum nouitate perterritus, oranſq; & ipſe ſilentio rei exitum attendebat: cùm ecce virgineo elapſus vtero decorus infans, nuda terra coram eis eiulans palpitabant: infans omnipotens, mirandus infans, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*: infans paruulus, &
Simile. vol. 2. Deus immenſus. Qualis ex purpureæ gremio aurore cum rutilans oritur ſol, qualis radius, cum vitream penetrat feneſtram integramque relinquit, qualis ſtella fulgorem, aut vernans roſa placidum ex ſe mittit odorem, talis decora puella ſuo vtero edidit ſaluatorem. Adorat mater quem peperit filium, & prius vt Deo deuotum offert mētis obſequiū, quàm vt puero neceſſarium exhibeat matris officium. Quis tuam virgo nunc explicet mentem? quis tui cordis gaudiū valeat referare? cum Dei tui, creatoris tui matrem te vides & virginem? gaudiū matris habētem cum virginitatis honore? O partum ſtupendum, ò partum mirandum, ò partum denique qualē decet omnium conditorem. Hūc partum admirans propheta, in mentis ſtupore a-
Iſa. 66. ctus exclamat, *Quis audiuit vnquam tale? quis vidit huic ſimile? antequam parturiret peperit, & antequam veniret partus eius peperit maſculum.* Et ne illius partus modum ignoraſſe ipſum exiſtimes, alio in loco dicit, *Germinans germinabit ſicut lilium, & exultabit lætabunda*: & laudans apertiſſimè immunitatem, lætitiamque parientis deſignans. Quo me vertam fratres? quid prius dicam? extra me, me poſitum inter tanta miracula cerno. Deus naſcitur, virgo parit, partus dolorem non affert, virgo lacte cibat, alitur omnipotens, pannis inuoluitur, obmutescit verbum, lætitia plorat, & manibus portatur ille qui ſuſtinet orbē. Hoc ſpectaculo attonitus Ioſeph tremebundus aſtabat, contremiſcit, & gaudet, turbatur & exultat, nec ſuum in virginem audet attollere vultum. Lacta ò vir gō beata, lacta Deum tuum, panem angelorum, ò benedicta refice vbere de cælo pleno. Inuolutum ergo infantem mater in præſepio locat, quoniam non erat ei locus in diuerſorio: non erat (inquit) in alieno hoſpitio locus illi, qui condidit locum: illi qui omnem replet locum, illi qui cunctorum eſt ipſe locus. O extremam paupertatem, loci indigētiam: cui deeſt in orbe locus? Quid mirum ſi cuncta deſint cui etiam in diuerſorio alieno deerat locus? Alieno naſcitur loco, alieno conditur ſepulchro, aliena in vita vtitur hoſpitio, & nihil penitus differt à ſeruo, cum ſit dominus omnium. Age iam infans decore, noſtras inci[illegible] ſentire miſerias, noſtros incipe portare dolores, ſalutis noſtræ aggredere præludia, maior poſtmodum maiora
Pſal. 44. factus: *accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime, exulta vt gigas* alacriter
Pſal. 18. *ad percurrendam* laborioſam vitæ mortalis *viam*. Laborioſum iter aggredere, & opus incipe ad quod veniſti. *longa enim*
3. Reg. 19. *tibi reſtat via*, plura remanent periculoſa diſcrimina, innumera tibi vincēda certamina, acerrimiq; pro nobis ſubeundi dolores. O elegantē puerū, ô puerū pulcherrimum tantis laboribus natum, fœlices lachrymæ quibus noſtra abluūtur crimina: fœlices ploratus quibus æterna gaudia poſſidemus: fœlices panni quibus noſtra nuditas operitur, & gloria nos immortalitatis veſtimur, fœlix arctitudo præſepii, qua nobis cœli amplitudo

tudo donatur. Tu enim Domine iaces in præsepio, vt nos sedeamus in gloriæ & honoris throno: tu brutis animalibus associaris, vt nos angelicis inseramur cuneis, tu virgineo lacte cibaris, vt perpetuas nos mereamur degustare delicias. Meum tua paupertas patrimonium est, & mea virtus infirmitas tua, mea gloria deiectio tua, & mea est sapientia infantia tua, meum est totum quod pro me pati dignatus es. Mei sunt ploratus, meæ sunt lachrymæ, meum est quod sustines frigus, & mea quam pateris omniū indigentia. Totus es meus bone Iesu, totus es meus, & in meos vsus expenderis. Me illa arctitudo dilatat: me illa indigentia ditat, me vagitus ille lætificat, me stabuli abiectio sublimat. Quanta mihi in his omnibus fiducia, quanta gloria: plus nāque domine iniurijs tuis debeo quibus redemptus sum, quam operibus tuis quibus conditus sum, & plus me tibi subditum facit humilis hæc deiectio tua, quam portentosa illa maris diuisio, & mirabilium operum apud Ægyptios perpetratio. Longè enim plus est minimum quodque pro homine impassibilem pati, quam mirabilia cūcta pro homine omnipotentē perpetrare. Sed iam ad historiā redeamus. Iacet in præsepio totius mūdi gaudium & honor, & veluti fœnū brutis exponitur animalibus: sic enim olim fuerat per prophetam dictum *Consideraui opera tua, & expaui: in medio duorum animalium cognoscēris.* Mira res & cui similis à sæculo nō est audita. Agnoscunt supernaturali instinctu creatorem suum irrationales bestiæ, genua flectunt bruta, & insuetis naturæ motibus reuerētiam exhibent conditori: rudis alioquin asina coram illo trepida reuerenter: & quia eloquio nescit, mugitu bos diuinam personat laudem. Prosternitur (inquam) brutum factori suo, quid facturus est rationalis homo? Deus pro homine homo factus est, brutum prosternitur, iumentū adorat, & non sua beneficia recognoscēs stabit homo? silebit homo pro quo Deus factus est homo? Quantū extremæ huius ingratitudinis conqueritur dominus per prophetam dicens. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israel autem me non cognouit.* Israel (inquam) pro quo veni, pro quo hæc omnia pertuli, me cæteris omnibus adorantibus ignorauit abiecit, & vilipendit, cū insensibilia omnia in maiorem eius infamiam venienti mihi in mundum reuerentiā & obedientiam præstiterint. Me Magis cœlum stella radiante monstrauit, aer me iubente cōticuit, mare pedibus meis sē solidum & calcabile præbuit: terra me moriente contremuit, solvt meā nuditatem pallia reret radios suos abscondit: saxa etiam durissima, vt meā sentire mortē viderētur, me morientes sūt scissa, aruit iussa ficus, pisces me imperante glomerātur ad rete, animalia muta exposito mihi genuflectunt infanti, me omnia creatorē suum suo modo venerata sunt, & coluerunt, solus me carnalis populus, ad quem & propter quem venerā ignorauit. O cæcā nimiū stoliditatē, ò stolidam supra modū cæcitatem, ò ingratitudinem inauditā, digno vtique supplicio vindicandam: accede saltem iam nunc rationalis homo, accede ad præsepium istud, & qui peccādo iumentis insipientior es, *& similis factus es illis*, creatorem tuum, vel inter ipsa iumenta recognosce: me ipsis etiā iumentis posteriorem te viliorem q; demōstres. In præsepio tibi angelorum cibus apponitur, vt conditionis tuæ deiectionisque memineris, dignitatisque pristinæ recorderis. Grandis clementia cōditoris: quia enim tu brutalem tibi superinduisti figuram, *& mutasti gloriam tuam in similitudinem vituli comedentis fœnum*, ipse quoque fœni locū non abhorruit, & gloriā suam transtulit in similitudinē fœni, vitulo ad comedendū exposito: *verbū. n caro factum est, & omnis caro*, iuxta Prophetam, *fœnū.* Accede igitur deuotè, & reuerenter, & perspicaci intuitu pērsepiū istud in uere. neq; enim cōsu putandum est accidisse, quod puer Iesus in præsepio poneretur: Non deerant virgini vires ad sustinendū puerū, neq; illū vtiq; tali loco posuisset, nisi magnū aliquod in illo præsepio mysteriū ageretur, altissima nāq; nobis inde paratur eruditio, magna cathedra præsepium illud, ex quo cunctis mortalibus

Exod. 14. Exo. 7.

Abac. 3. ex transl. 70.

Isa. 1.

Mat. 2. Mat. 8. Mat. 14. Mat. 27. Mar. 11. Ioa. 11. Isai. 1.

Psa. 48.

Psa. 105.

Ioan. 1. Isa. 4.

Dei loquitur sapiẽtia, cęlestis in stabulo magister legit. Venite ergo gentes, & ad tanti magistri scholam vndiq; properate, state *omnes docibiles Dei*. Quid miseri? quid
Ioan. 6. stolidi; inanes Philosophorum scholas auidissimè frequentatis? Quid humanas tenebras, falsas hominum inuentiones, tam alacriter sequimini? Quid labruscã acerbam tam placitis pręponitis vuis? Veritatis vobis magister adest, noua de cœlo proponitur disciplina, *accedite ad eum, & illuminamini*, accedite, & erudi-
Psal. 33. mini, *& facies vestræ non confundentur. Venite properate, & haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris*, aquas limpidissimas, aquas dulcissimas, aquas purissimas, aquas salubres; non turbidas, non infectas, non venenatas, quales vobis philosophici fontes, non sine magno labore propinant; *sed aquas vitas in vitam æternam salientes*, aquas salu-
Isai 12. tis, & vitæ, aquas veritatis, & gratiæ. *Omnes igitur sitientes venite ad aquas* istas: *venite emite absque argento, & absque vlla cõmutatione vinum, & lac*, vinum spiritus,
Ioa. 4. & lac doctrinæ gratis vobis propinatur, cœlestis sapientiæ, dulcissimum poculũ, nihil pro illo à vobis exigitur nisi sola voluntas. Audite nunc exemplo docẽtem,
Isa. 55. quod postea docturus est verbo. Quicquid enim vobis postmodum angelica personat tuba, humilis nunc ostentat abiecti præsepij angustia. Discite paupertatem, discite humilitatem, discite patientiam, discite obedientiam, discite charitatem, discite virtutum omnium, iustitię, & charitatis normam, discite deniq; verbum bonorum omniũ huius sæculi contemptum. Probate quod probat, reprobate quod reprobat sapiẽtissimus infans, qui ideo ab initio suæ Conceptionis *butyrum, & mel comedit, vt sciat reprobare*
Isa. 7. *malum, & eligere bonum*. Non vobis contemptibilis appareat infans facerrimus, quia pannis inuoluitur, & præsepio recli natur. Vestros sursum leuate oculos, & videte desuper Angelorum cuneos, velut apum examina, circa puerum volitantes, & inter noui trepudia partus mira Deo suo laudum præconia personantes. Erigite sursum aures, & dulcissimam percipite harmoniã, quam nato regi cęlorum intonant potestates. Videte tripudiũ, attendite gaudium, sentite iubilum quo vniuersum vndique personat cælum; Rutilat ingẽti luminẽ atra prius nox, depulsisque tenebris meridianum claritate sua vincit fulgorem. Admirantur nimis cœlestis curiæ principes immensam intra tenerrimi corporis sacellũ inhabitantem domini maiestatem: & vt quondam Helisæum Propheram puero, ita nũc infinitũ 4. Reg. 4.
Deum infanti exiguo mensurarum: & sicut scriptum est, *ascendunt, & descendunt* Ioan. 1. *super filium hominis*: intrant, & exeũt: intus potentiam, foris clementiã admirantes. Stupẽt oceanum infinitum modico vase conclusum lucidissimum, ardentissimũque solem leui nubecula circumuelatũ; se mutuo respiciunt expauescentes, neq; est præ stupore proferre fermonem. Quã miro diuinæ sapientię artificio, humanis diuina, terrenis cœlestia, abiectis sublimia in hoc natalitio copulantur: quomodo vicissim permixta humilibus cœlestia resplendent. *Vere attigit Dei sapientia* Sap. 8. *à fine vsque ad finem fortiter, vt disponeret cuncta suauiter*. Et vt ex ipsis primordialibus gestis, conditionem modumque nascentis possis deprehendere infantis, maiestas eius, & humilitas simul eodem spectaculo proponuntur. Nascitur ex muliere sed ex virgine: iacet in præsepio, fulget in cœlo: sociatur brutis, & adoratur ab angelis, pannis inuoluitur, & à prostratis coram se regibus colitur: obmutescit in gremio, & proditur radiante cælo, abscõditur in stabulo, & cœlestibus hymnis ei⁹ natalitia celebrantur. Quanta maiestas, quanta humilitas. Facta sunt hæc, vt in vna eademq; persona duplicem naturam, diuinam, & humanam, ex gestis nequeas ignorare. Homo namq; est qui ex muliere nascitur, sed Deus est qui ab Angelis adoratur, homo est qui pannis vestitur, sed Deus qui summa deuotione à regibus colitur: homo est qui vagit in puellę gremio, sed Deus qui gentibus prædicatur à cęlo, homo est qui propter famẽ lactatur à matre, sed Deus qui propter hominem gignitur sine patre. Ab ipsis igitur incunabulis statim cõgruenti testimonio nostra

ſtra fulcitur fides, vt ſequentibus ſignis initia quoq; ipſa reſpõdeant, & fidelis habeat vnde in fide glorietur, & infidelis vnde de ſua pertinacia nõ excuſetur. Sed inter hæc omnia illud maximè ponderãdum, quod non ſcribis, & phariſæis, non ſacerdotibus, & doctoribus, nõ principibus, & diuitibus, ſed ruſticis paſtoribus, apud Bethlehẽ hoc ſecretum reuelatũ eſt, quos Dei claritas circumfulſit, vnuſq; extripudiantibus angelis ad illos, *annuncio* (inquit) *vobis gaudium magnum quia natus eſt vobis hodie ſaluator, qui eſt Chriſtus dominus in Ciuitate Dauid* Quantum, & quã euidens de Chriſto teſtimonium: & ne ab vno tantum dictum eſſe videretur, facta eſt cum Angelo multitudo cœleſtis exercitus laudantium, & dicentium: *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* Etſi de vnius verbo fortè dubitas, plurium te multitudo cõfirmet. Erubeſcat Iudæorum perfidia, quibus ad Chriſti fidem nec tantum ſufficit Angelorum oraculum. Properãt alacriter ſimplices videre natum regem præſepio recumbentem; inueniunt, agnoſcunt, adorant, iubilant, cæloſtibuſque hymnis ruſticas interſerunt laudes. Hi ſunt primi Eccleſiaſtici lapides ædificij, hi prima Eccleſiæ ſurgentis initia, quos paſtor paſtorum paſcendis gregibus aptos ab ipſo natalis exordio ad ſui ouilis curam conduxit: quia.n magnum ſibi emere ouium gregem poſtmodum ſuo ſanguine deſtinauerat, à principio paſtores locat, quibus ſui poſtea ouilis curam commitat. Quãtum horum deuotione ſimplicium virgo lætata eſt, quantum de illorũ præconio iucũdata gaudebat: quia Deo prodente notum cæperat eſſe hominibus diuinæ dignationis myſterium, quod pro illorum ſalute in eius vtero geſtum eſt. Gaudebat, quia cęleſtium vnguentorum odorem iam mundus odorabat, & in *eorum fragrantiam* (ſicut ſcriptum eſt) *ſponſa currebat*; gaudebat notam hominibus à ſupernę Ciuitatis filiorum lætitiam quã iam dudum ipſa beatis auribus audierat. Gaudebat, & tacito intus animo cuncta volvebat, *cõſeruans omnia verba hæc*, vt ait Euangeliſta, *& conferens in corde ſuo*. Sicut prudentiſſima, ſicut ſapientiſſima, ſicut honoris Dei communiſq; vtilitatis vera zelatrix, cuncta myſteria cordis armario reſeruabat ſuo tẽpore reuelãda, prophetarumq; oraculis conferebat: nõ tam vt ſibi faceret fidẽ, cui plurima ſuppetebant veritatis teſtimonia omni fide maiora, quãvt cum opus eſſet, ad omnium vtilitatem rei ordinẽ, prout geſta eſt, fidelibus aperiret. Vnde abilla, vt creditur, poſt dñi paſſionẽ diſcipuli dñi & Apoſtoli, eorum quæ nunc de his Euangelica narrat hiſtoria, multa didicerũt. Imitentur hodie paſtores eccleſię paſtores iſtos, qui illorũ typum figuramq; geſſerunt: vigilẽt ſuper gregẽ domini, & cuſtodiãt vigilias noctis ſuper ouile cõmiſſum, vt diuino perfundãtur lumine, & ſecretorum cæleſtiũ participes fiant. Quærant mentis feruore alacres in ſpiritus gaudio puerum Ieſum nõ iam cum animalibus in humili præſepio iacentẽ, ſed cum angelis ad patris dexterã in glorię & maieſtatis throno ſedẽtẽ. Ad modicum oues relinquãt, vt Ieſum in legis gremio, & ſcripturarum abditum perſcrutentur, & cum inuenerint & adorauerint, redeant ſtatim ad gregẽ ſibi cõmiſſum, & illius ſolicitè curam gerant. Atque hoc, non vt iſti ſemel, ſed ſæpius iteratis vicibus agant, euntes, & redeuntes, aſcendentes, & deſcendentes ſuper filium hominis. Proh dolor, non enim ita fit: ſuper reditus, & primitias ab omnibus maximè vigilatur, de ouibus vltima cura eſt: ex paſtoribus namque alius in principum curia degit, alius negotijs ſæcularibus implicatur, alius ludis, & venationibus vacat: alius ampliandæ dignitatis gratia Romã perit, & oliuæ Chriſti mercenarijs relinquitur ſpoliandum, & dilaniandum, & diſpergendum. Lupis ouium cura committitur, quid facturus eſt eſuriens lupus, niſi laniare, perdere, & mactare? Hinc eſt quod diuinorum ſecreta, & ſpiritualium reuelationum lumina, à prælatis hodie ad vltimas gregis ouiculas tranſierunt. Vbi hodie Epiſcopus miraculis clarus, ſanctitate conſpicuus? ſpiritu feruidus? ſcripturarum indagator? doctrina fulgidus? cœleſtium ſcrutator, tẽporalium contemptor? qui propter nimiam

Luc. 1.

Ibidem.

Can. 1.

Luc. 2.

miam ad Deum familiaritatem, & secretorum eius conscius sit, & velut alter Moyses irato domino, *murum se opponere possit pro domo Israel*. & propter vitæ eximiam sanctitatem, singularemque doctrinam, *gregis dominici forma factus sit, & virtutum exemplar*. Rarus nunc in Ecclesia talis, & qui digito monstrari possit. Heu sicut populus, ita & sacerdos, imo quod sanguineis deflendum est lachrymis, nonnunquam vltimus de populo vita, & moribus sacerdos est. *Posita est* hodie *Hierusalem in pomorum custodiam, & pueri dominati sunt eius*: pueri (inquam) non ætate, sed sensu. Rara sapientiæ canicies in prælatis: antistes Ecclesiæ qui virtutibus, & sapientia fulgere debuerat, auro niter, & serico; & animarum ornatus hodie in corporis cultum permotus est. Fauore non merito Ecclesia regitur: & ad curam gregis non sapiens pastor, sed potens quæritur; non innocens, sed diues, & qui populum Dei magis potentia opprimat, quam vita ædificet, & sapientia doceat. Sed de his hactenus: hoc enim ad nos sicut dicere attinet, ita prouidere non spectat. Magis autem, & nos trãseamus cum pastoribus istis fratres vsq; Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est; videamus diuinæ dignationis beneficium gratis nobis præstitum; videamus immensum charitatis pondus, quo dilexit nos Deus; & totis præcordijs, & ex intimis medullis immensas ei gratias cum iubilo mentis reddamus. *Quid retribuã tibi Deus*, quid retribuam *pro omnibus quæ dedisti mihi*? Superat. n. omnẽ sensum, excedit omne iudiciũ pietas tua, dilectio tua, clemẽtia tua. *Sacrificium laudis reddam tibi*; nõ quia sufficere existimem, sed quia aliud quo tibi reddere possim in promptu non habeo. Suscipe domine libenter, quia quod habui hæc, & feci. Hoc totis his diebus, imò omnibus diebus vitę nostræ agamus fratres, hoc continuè meditemur, semper quærentes puerum Iesum in via, donec trãseamus in Bethlehem istam, & videamus eum non à matre iam tẽporaliter nascentem, sed à patre æternaliter oritũem. Bethlehem domus panis interpretatur, & illã significat de qua dictum est; *Beatus qui manducat panem in domo Dei*. Illa domus panis est, in qua cœlestes spiritus & beatorum animæ frumenti adipe satiantur, & epularum opulentia saginantur. Trãseamus fratres in istã Bethlehem, spiritu interim dum non licet corpore: trãseamus à terrenis, & caducis istis voluptatibus ad cœlestes illius ciuitatis delicias; trãseamus à vetustate carnis in spiritus nouitatem. Ignominiosas carnis illecebras relinquamus, & cælestibus nos epulis inferamus, pudeat pudeat, sanguinibus vitiorũ humanam sordidare naturam, quam Deus sibi in vnam hypostasim sociauit. Deferamus naturæ nostræ propter hoc vel maximè, quia ita in Christo sublimata est. Meminerimus, quia fratres eius sumus, *os de ossibus eius, & caro de carne illius*, & vnius cũ illo naturæ consortes: & valdè pertimescamus in nobis illã fędare naturam, quam in Christo sociatam Deo non ignoramus. Quã terribiliter dominus per Prophetã huiusmodi naturæ humanæ violatoribus cõminatur dicens: *Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, & cibum ignis*. Et huius causam assignans, addidit. *Paruulus enim natus est nobis, filius datus est nobis, &c*. Vestimentum mixtum sanguine, caro est luxuriæ sordibus maculata, quæ animus veluti indumento vestitur; quæ ab omni contagione sanguinis huius, & fędæ coinquinationis si seruata nõ fuerit, erit in perpetuã gehẽnæ cõbustionẽ, & cibum ignis: non solum quia *Domini templũ in ea violatum est* (vt inquit Apost.) sed etiam quia naturæ, cuius tantus hic paruulus factus est particeps, grauis iniuria irrogata est. Trãseamus igitur mare rubrum carnalium concupiscentiarum cũ spirituali Israel; inundante sq; earum fluctus disciplinæ virga flectamus: neque trãseuntes apud Hierico Ciuitatem, id est, sæculi pompam, & vanam inanemq; huius mundi gloriam; resideamus; sed vsque in Bethlehem, istam Ciuitatem domini opulentam, gressu celeri festinãtes, trãseamus celeriter, trãseamus viriliter: quia nisi trãsierimus, non videbimus, defixis enim in fæcibus, & sepultis

Exo. 33.
Eze. 3.
1. Pet. 5.
Esai. 24.
l. 78. ver. 5.
115.
l.
nodo
nos
erẽdeus
natalis.
Luc. 14.
Gen. 2.
Isa. 9.
Ibi.
1. Cor. 3.
Gen. 14.

tis in terra cordibus, verbi huius nō panditur sacramentum: sicut scriptum est. *Nunquid narrabit aliquis in sepulchro*, scilicet, vitiorum, *misericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? Nūquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terra obliuionis*, verè terra obliuionis sæculum istud, in quo tam immensa Dei beneficia obliuioni tradita sunt, & quasi nihilum à memoria hominum exciderunt. Non ita in terra illa viuentium, in Bethlehem illa Ciuitate præclara, vbi pro his omnibus indesinenter perpetua continuo redditur Deo laus, & gratiarum actio, perpetuus iubilus, & perpetua benedictio cū innumerabili omnium lætitia & gloria. Ad quam nos perducat ipse Iesus Christus Dominus noster, cui cum patre, & spiritu sancto, est honor, & imperium in sæcula sæculorum. Amen. Deo gratias.

Psal. 5.

Psal. 30.

Simile.

IN DIE SANCTO Natalis Domini.

Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.
Canticorum 3.

GRandis festiuitas hæc fratres, & eximio cordis iubilo celebranda occurrendum est cum gaudio, & tympanis aduentanti regi in hanc nostram miseriæ vallem, & tota veneratione & honore possibili, tanta est à nobis suscipiēda maiestas. Nemo ab huius alacritatis participatione, secernitur, quia vna cunctis lætitiæ communis est ratio. Quis tam ferreus, quis tam mortuus à corde, vt in hac sacra die lætitia, & exultatione non repleatur; Si enim natalitia principum apud domesticos, & seruulos tanto gaudio celebrantur, regis regum, & æterni principis natale, quo tripudio colendum est? domesticū se negat, quisquis huius lætitiæ participem non se præbet. Vacemus igitur tanto mysterio: nulla nos cura, nulla nos terrena solicitudo impediat. Liberos huic sacramēto animos, liberos exhibeamus affectus: nihil nos ab huius mysterij contemplatione disturbet: vacuumque ab omnibus cor huic meditando, venerando, colendoq; præstemus. Hoc est quod adolescentulas feruida sponsa in assumpto themate commoner, dicens. *Egredimini filiæ Sion, &c.* non ignara mysterii, sed experta suauitatis abundantiam, dulcedinis copiā, quā de huiusmodi susceperat contēplatione sacramenti, filias prouocat in idipsū, cupiés & ipsas similia experiri; cōsimilia degustare; & ideo illas inuitans clamat, & dicit. *Egredimini filiæ Sion*; Egredimini (inquit) ab huius sæculi præpedientibus curis: Egredimini à torquentibus, & tumultuantibus mundani huius fori negotijs: egredimini à carnis huius demulcentibus illecebris, & temporariis voluptatibus: egredimini ab inexplebilibus fallacium diuitiarū desideriis; egredimini à praua morum consuetudine, & peccatorum onere, vos in infima deprimentes, egredimini demum de medio Babylonis huius, vt tantis possitis interesse mysteriis, & nectareos è cœlo percipere hausus. Si enim non egressæ fueritis, non gustabitis, nō gaudebitis. *Vacate ergo, & videte quam suauis est Dominus*, eius enim suauitas nisi à vacantibus non gustatur. Vnde, & magnus ille Moyses cum ad ardentem, & incōbustum rubum accederet, diuino prohibitus est eulogio dicens. *Solue calceamētum de pedibus tuis, locus enim in quo stas sanctus est.* Et quid ad locum sanctū calciamenti solutio? Quid sanctitati cum calceo? Locus spinosus est domine, & calciamentum deponere iubes? Non ait, tolle pileum, genua flecte, prostern ete coram domino: quæ insignia solent esse cultus, & reuerentiæ: sed calciamen t n solue. O magnum ibi latens sacramentum: rubum enim quem viderat Moyses incombustum, conseruatam agnouimus tuam laudabilem virginitatem sancta Dei genitrix. Tu virgo beata, tu es ille rubus ardens, & inconsumptus, tui typum vmbra illa gerebat, tuam partu non violatam, sed sacratam virginitatē

Cant. 3.

Hie. 50.

Psal. 43.

Exo. 3.

rubus ille ſignabat, te demonſtrabat illa figura. O igitur quiſquis non iam ad vmbram, ſed ad ipſam veritatem paſſibus cordis accedis, vide ne procaciter irruas, accede reuerenter, accede deuote. Si enim vmbra ſic colitur, ſi ab vmbra ſanctus arcetur, tu peccator, & ſordidus ad veritatem ipſam qua audacia properabis? Accede ergo, ſed cum timore multo, & reuerentia: & ſi vis intelligere myſterium, ſolue calceamentum: calceatis pedibus, non acceditur ad ſacra. Calceus animæ affectus, & cogitatus: horum calceamenta pedum carnis paſſiones, appetitus, cupiditates, & illecebræ. Hæc ergo calceamenta de pedibus tuis ſolue: exue affectus tuos ab his: dimitte eos liberos, & accede. Calceato
Matth. 7. non conceditur acceſſus ad ſacra: *canibus non datur ſanctum*, neque mittit Deus *margaritas ſuas ante porcos*: terrenis curis oppreſſus animus cæleſtia non deguſtat, multo puluere fœdatus oculus magnum Salomonem non poterit videre coronatum. Excute ergo de pedibus calceos, ſi ardentem, & incombuſtum rubum cupis videre. Quid enim Deus in carne niſi ignis in rubo? An non rubus ſpinoſa caro quam aſſumpſit, plena doloribus, plena punctionibus, plena pœnalitatibus? Credite mihi fratres, hæc ſunt quæ nos à cœleſtibus auocant: *corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam: atque deprimit*
ap. 9. *terrena hæc inhabitatio ſenſum multa cogitantem* Si has excutimus paſſiones, ſtatim ad cœleſtia ſponte rapietur affectus: ſpiritualis is, qui eſt animus, & ſpiritualibus delectatur, ſi tam ponderoſa mole non ad hæc infima, & vilia traheretur. Vnde ſicut accipitres depoſito oculorum capitio, & ſolutis pedicis, ſtatim viſa præda in illam cum impetu volitantes feruntur, ita ſi ab oculis cordis capitium terrenæ affectionis tollamus, & de affectibus noſtris pedicas paſſionum carnalium diſſoluamus, cogitatus noſtri ſtatim euolant ad ſuperna. *Egredimini* igitur *filiæ Sion*, vos inquam quæ toto animi deſiderio ſponſum die ac nocte requiritis, vos quæ pro ipſo omnia contempſiſtis, vos quæ ad ipſum totis viſceribus anhelatis, & faciem eius ſemper quæritis, non filias Babylonis alloquor, quarum affectus omnis in terra, quarum omne ſtudium vanis, & ſpurcis voluptatibus indulget: quarum mens ſopita cupidine nullum poteſt veri luminis intueri fulgorem. Vos igitur filiæ Sion, vos regni cœleſtis hæredes; Deo nubiles, amabiles domino, ſponſi famulæ, Hieruſalem Ciuitatis incolæ, Deo deuotæ, ea egredimini, expedite vos curis, vacate myſterijs, & videte regem Salomonem pacificum, regem ſapientiſſimum, Dei ſapientiam, & veram pacem omnium: qui ad hoc natus, & ad hoc miſſus eſt, vt omnia pacificaret, & pace omnibus daret. Noſter n. hic Salomon vſq; adeo Salomon eſt, vt non ſolum pacificus, ſed & ipſa pax ſit. O verè magnum Salomonem, & pacificum regem, qui hominem Deo, hominem Angelo, hominem homini fœderauit, per Crucem interficies inimicitias in ſemetipſo, Deo debitam rependens delicti ſatisfactionem in proprio ſanguine, vt Deus homini illam ad quam conditus fuerat gloriam condonaret. Ipſe enim eſt pax noſtra, *qui* Epheſ. 2. *fecit vtraque vnum*, & populum in vnam fidem coadunauit, *ſoluens parietem materiæ medium*, & in ſuo ſanguine *faciens pacem*, pacem his quæ longè, pace his qui Epheſ. 2. prope. Hunc ergo magnum Salomonem videte in diademate, quo coronauit eum mater ſua; mater beata, mater ſancta, mater virginea, mater ſuper omnes fœminas benedicta: diademate, inquam, non aureo, non argenteo, ſed carneo ex viſceribus ſuis artifice Spiritu ſancto fabricato: diademate decoro, florido, vernante, omniumq; odorum varietate fragrante. Videte nunc in præſepio Salomonem hunc à matre ſua diademate laureatum, viſuræ quandoque eundem in throno à patre ſuo magnifice coronatum. Opreclara corona, quæ capiti impoſita totum corpus venuſtat, & decoret: ô diadema gloriosum, quo cuncti mortales titulum, & ius in regnum Cælorum ſortiti ſunt. Corona noſtra caro Chriſti eſt: per hanc regnum cælorum poſſidemus: per hanc in regnum Cælorum ingreſſum habuimus: nullus enim quantumuis perfectus & ſanctus, ante hanc potuit regni cælorum gloriam poſſidere,

neque

neq; propheta egregius, nec patriarcha primus, neque ipſe Domini præcurſor Ioannes, *quo maior nõ ſurrexit in orbe.* Hoc diademate coronauit eum mater ſua in die deſponſationis illius cum humana natura, quando in virgineo eius thalamo *ſponſam ſibi ſine macula, & ſine ruga,* ſociauit in coniugem fœdere ſempiterno. A quo nunc thalamo egreſſus in mundum, ſuæque ſponſę, ideſt, Eccleſiæ conſpectibus præſentatus, miro eam ſua pulchritudine inflammauit amore, quippe quia *ſpecioſus forma* non ſolum *præ filijs hominũ,* ſed etiã præ millibus Angelorum. Vnde ad ipſum ſtatim in paſtoribus properat, & in regibus dexteram coniungere dextræ, confirmare connubium, ratificare coniugium, ſibiq; eum in ſempiternũ, & ſponſum, & dominum indiſſolubili fœdere ſociare. Hæc eſt *regina illa Saba quæ à finibus terræ venit videre ſapientiam Salomonis,* hæc eſt Æthiopiſſa illa coniux Moyſi, propter quam Aaron, & Maria cũ ipſo rixati ſunt: ſed magnus iſte noſter Moyſes, qui venit non per aquã ſolũ, ſed per aquam, & ſanguinẽ, qui etiã ſponſus ſanguinũ factus eſt, illi dilectã ſuã Æthiopiſſam non dimittet. Murmuret Aarõ, rixetur Maria, id eſt Iudęorũ ſacerdotiũ, & ſynagoga, non abiiciet magnus dux Æthiopiſſã ſuã quã amauit, quã ſuo ſãguine candidauit, ſuo corpore ſubarrhauit. *Nigra ſum,* inquit, *fateor, ſed formoſa, ſed decora:* decorante me Deo *ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. Nolite meconſiderare quod fuſca ſum,* ſed conſiderate etiam quia formoſa ſũ. Nolite aſpicere idololatriæ præcedentis nigredinẽ, ſed inſpicite magis ſuccedentis fidei eximium decorem: hic dies deſpõſationis illius cum Eccleſia: hic dies quoque lætitiæ matris eius. O virgo beata, quis tuã hodie valet explicare lætitiam? Quis æſtimare gaudiũ poterit cordis tui? cũ Dei, & Creatoris tui matrẽ te cõſpicis, cũ virginitatẽ tuã illibatã, & integrã ſentis, cũ omni creaturæ prælatã iure te vides: mũdi Dominã, Angelorũ reginam, hominũ aduocatam. Neq; n. dignitatẽ tuã ignorabas quãdo prophetico ſpiritu, in Deo ſalutari tuo exultãs, beatã te ab omnib⁹ prædicandã præcinuiſti. Attẽdite fratres, ſi cui noſtrũ infallibili ſigno ſua pãderetur prædeſtinatio, & q̃ cæleſtis illius Hieruſalẽ domeſticus, & indubitat⁹ ciuis eſſet futurus, quo gaudio iubilaret, qua lętitia exultaret: quã lõgè ab eo triſtes extarẽt, & lachrymæ & luct⁹? Cui ergo palã erat, nõ quidẽ vnã ex cęleſtibus incolis, aut ex ciuibus illis ſupernis futurã ſolũ, ſed maximã, & reginam põderate quo perfundatur gaudio: ſentite quo exultet tripudio? Hoc eſt ſpectaculũ virgines, ad q̃ vos hodie alma inuitat Eccleſia: ſpectaculũ grãde, ſpectaculum glorioſum, ſpectaculum omnium maximum, & viſu digniſſimũ, prodigiũ ſuper omnia prodigia, magnus ille noſter Salomon. *Egredimini & videte* Deũ in puero: æternũ in tenero: Dei maieſtatẽ inuagientis: videte leonẽ in agno: gigantẽ in paruulo: Dei potentiã teneræ carnis ergaſtulo circũcluſã: videte cibũ eſurientem: fortitudinem trepidantem: portatũ manibus qui ſuſtinet orbẽ: Deus pendet ab vbere: omnipotens pãnis inuoluitur: & animaliũ fœnum factus eſt cibus Angelorũ. Ægredimini, & videte potentiſſimũ illum Sãſonẽ ligatum manibus, capillis ſciſſum, in Dalilæ gremio quieſcentem. Hæc eum nobis de cęlo traxit, hæc ſuo decore captum carneis nexib⁹ ligatũ, & infirmũ, nobis tradidit q̃ populi ſui ſalute irridẽdum, & occidẽdum. Decora Dalila cuius pulchritudo ita placuit altiſſimo. Eſtne aliq̃ ſpectaculũ in mundo, q̃ huic valeat comparari? Obſtupeſcite virgines ſuper hoc, admiramini vehemẽter, egredimini rationis metas, egredimini præfixos humanæ cognitionis terminos, trãſcendite humanos ſenſus, & in profundũ extaſim deducimini, ſuper tantam, & tã inęſtimabilem pietatem, ſuper tam admirabilem Dei noſtri dignationem. Amo hominum hæc omnia ſuſtinet Deus, pro vili vermiculo hæc portat altiſſimus: pro creatura ſua creator mortalis naſcitur, pannis inuoluitur, vbere lactatur, præſepio iacet, animalibus ſociatur. Hęc die nóctuque animo voluite, hęc aſſidue contemplamini, hęc vbiq; & ſemper in cordibus ruminate, talia enim, & tanta

ſunt

Matt. 1.
Ephes. 5.
Pſal. 18.
Pſal. 44.
3. Reg. 10.
Num. 12.
Exod. 2.
2. Ioan. 5
Cant. 1.
Cant. 3.
Luc. 1.
Cant. 3
Iud. 16.

sunt hæc, vt merito è memoria nostra nunquam excidere debeant. Videte etiã regis hospitium, videte cunas, videte comitatum, videte regium apparatum. Nõ sub nobile ostrum regale, nec eius membra, vt decebat regem, purpura tegũtur; non diadema fulget in capite, non ibi multitudo famulorum, non regia domus, non aureæ cunæ: in stabulo nascitur, in præsepio reclinatur, iumentis associatur. O extremam omnium paupertatem, vltimam egestatem. Venite principes, venite potentes, qui vestibus pretiosis auro, & gemmis intextis induimini, qui mollibus stratis recumbitis, qui pretiosis, & delicatis cibis perituũ breui corpus, & vermibus esca futurum, tã crudè impinguatis, venite, & videte regẽ regum omnium Salomonem, quo nascitur palatio, quo residet throno. Audite primam eius lectionem, quã in silentio docet, *Et discite ab eo quia mitis est, & humilis corde.* Matt. 11. Discite humilitatem, discite paupertatem, discite asperitatem, discite patientiam, discite obedientiam, discite indigentiam, discite charitatem, discite tandem omnium quæ in hoc mũdo bona putantur, verum contemptum, cum hic illa videatis ab hoc summo rege contemni, quia verè illa contemptu digna sciebat. O magna cathedra præsepium illud, in quo residet diuina sapiẽtia magister orbis. Totum ibi legitur Euangelium, quicquid enim ò bone Iesu, postea verbo docuisti, hic statim ortus opere demonstrasti. Quid enim aliud homines quærunt, nisi delicias, diuitias, & honores? Quod cælestis magister damnat, mundus probat: quid ille probat, mundus condemnat: vide cuius vis esse discipulus. Et si opere mundanus es, ne dicam paganus, noli de Christi nomine gloriari: si autem Christianus es, Christum tuũ sequere, Christum imitare, Christi tui adhære doctrinæ, *respice in faciem Christi* Psal. 83. *tui*, & consimilia operare. Si Christum non sequeris, qua ratione Christianus nuncuparis? cur te Christi discipulum esse mentiris? Nouimus Athenis plures philosophorum sectas, alios Platonicos, alios Pytagoricos, alios Epicureos, alios Stoicos, quisque iuxta opinionem suam, & nomen sortiebatur, & vitam cõsimilem sectabatur. Si tu igitur Christianus es nomine, esto & re. Cur Christi doctrinam amplecteris, & vitam in contrarium agis? nomine Christianus, vita mundanus. O nimiam cęcitatem, ò maximam mundanorum stoliditatem: Christo applaudunt vocabulo, & opere contradicunt, quasi non ipse cum venerit veros à falsis nouerit discipulos separare. Sed iam ad propositum redeamus. Postquam igitur videritis regem Salomonẽ pannis inuolutum, in præsepio recumbentem, ipsumque adoraueritis, & vos illi, toto corde obtuleritis in obsequiũ, videte etiam ipsius præclarissimam matrem, nimio gaudio lætabundam. Aspicite qua deuotione adoret, qua reuerentia tractet, quam solerti diligentia seruiat. Videte lactantem, quem adorat: adorantem, quem lactat. Animaduertite virginem puerperam, euacuatam neque viciatam, gaudium matris habentem cum virginitatis honore. Videte partum admirandum, partum stupendum, partum sacrum, partum Deo dignissimum, & obstupescite cum propheta, dicentes: *Quis audiuit vnquam tale, quis vidit huic* Isa. 66. *simile? Antequam parturiret peperit, ante quã veniret partus eius perperit masculum.* Neq; post hæc omnia, dedigneminí illum cernere sanctissimum virum Ioseph, in tam prodigiosa re trepidantem, hærẽtem, & ad tanta, & tam noua miracula expauescentem Stupet, & gaudet; admiratur, & lætatur: feruet intus spiritu, neq; audet in tantam maiestatem attollere vultum. O fœlicissime Ioseph, quam verum esse cernis quod dictum est tibi ab angelo; Mat. 1. *quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Vidisti certè sacri partus prodigium: vidisti, & omnium quæ gesta sunt testis fuisti. Vide quantam sortitus es à Deo gloriam: attende quo ministerio seruiendũ est illi, cui pro Fescenninis angeli concinunt. Videte quoque post hæc prostrata iumenta in præsentia Creatoris: videte mugientem bouem; & quia humani eloquii expers, mugitus pro laudibus referentem. Pudeat pudeat conticescere,

vbi

vbi iumenta loquuntur. Nemo sit mutus loquẽtibus illis. Deus pro homine homo factus est. Bos agnoscit, & asinus adorat, iumentum prosternitur, & stabit homo & silebit, & genua non flectet ingratissimus homo? O quam vera, & iusta est domine quærimonia tua per Propheram quando per ipsũ dixisti. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autẽ me non cognouit: & populus meus non intellexit* Solus ille ingratus est pro quo hæc omnia pertuli. Accede igitur homo & adora; accede, & lauda; noli dicere, peccator ego sũ, iniquus sum, *factus sum quasi iumentum coram illo*; nam ecce inter iument apositus, iumenta non abijcit. Videte etiam pastores adorantes, & rusticos illos spiritu plenos gaudio lætãtes, Deo suo, Christo suo rusticis laudibꝰ concinentes. Leuate quoq; oculos, & videte desuper Angelorum cuneos, velut apum examina circa puerum stupentes quidẽ primo, deinde laudantes. Cernunt namq; abyssum luminis in laterna: solem in nubecula; oceanum infinitum paruo corpusculi vase conclusum. O quanta in supernis illis spiritibus admiratio, quantus stupor. Et forte illæ sunt filiæ Hierusalem, quas hortatur sponsa egredi de paradiso, ad videndum suum Salomonem diademate laureatum. Quis enim in cælo mansit Angelus, qui ad tantum spectaculum nõ veniret? Festiuum natalis Domini sui celebrant diem: corporeoque Domino, ipsi quoq; in assumptis corporibus mirificas cõcinunt laudes. Resonat vndiq; cælestis harmonia, & clangore tubarum, & organorum musica personat cælum. Alij autem per aera volitantes, canoro iubilo iteratis vocibus dicunt. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hæc sunt virgines Deo deuotæ quæ in hac sacra die videre admonemini, nõ quidem corporeis oculis, hoc enim paucis datum est. Quantũ hoc prophetæ desiderauerunt, & quibus hoc lachrymis postularunt, vt Deũ inter homines cõmorantem, & colloquentem in hac vita videre & audire mererẽtur, testis est ipse Dominus; qui ad Apostolos suos de hoc loquitur dicens. *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis: dico enim vobis, quod multi reges, & Prophetæ voluerunt videre quæ videtis, & nõ viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt.* Vnde & quidam Prophe- *Mala. 3.*
ta hoc æstuans desiderio dicebat. *Ecce veniet dicit Dominus, & quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis stabit ad videndũ eum?* Sed, & hodie quid non pateremur, quibus non periculis nos exponeremus, quid non daremus, si tãta nobis mysteria cernere possibile foret? Testes sũt huius, qui non modico vitæ suæ periculo, inter tot discrimina rerũ per mare, per terras, cauatam rupem illam, & sacrum huius natalis locum, ex longinquo videre festinant, tanta cum cordis auiditate, vt se in hoc adipiscẽdo felicissimos reputent, etiam hic viuentes. Sed quia hoc iã sperare non licet, egredimini mentis excessu, si forte videre possitis in spiritu, qui corporali oculo non iam finitur. Verum tamen est quod deuotis mentibus, & in ipsum valde anhelantibus, hoc etiam nonnunquam largitur Christus: sicut illi deuotissimæ Paulæ, teste Hieronymo præstitum est: *quæ quoniã pro Christo omnia dimiserat, & relicta vrbe in Bethlehem sitibunda permanserat, videre meruit quod optauit*. s. nascentem dominum: gratulantem virginẽ: ouantes angelos: Magos cum pastoribus adorantes: & cętera omnia per ordinem, quæ hac sacra nocte ibidem gesta fuere. Quid pro suis sanctis nõ faciet dominus? quid dilectoribus suis non præstat omnipotẽs? Bernardus quoq; deuotus virginis famulus, hac nocte, hora natiuitatis, infantem meruit videre nascentem, & gratulatus est. Neq; dubium, quin alijs pluribus hoc fuerit aliquando concessum. Quod si vobis sic tantis non contigerit interesse mysterijs, saltem videte animo, videte oculo mentis: & profunda hęc meditatione pẽsate, totos hos dies his sacris meditationibus incũbentes, & quia corpore non potestis, præsentes vos singulis mente & spiritu exhibete. Hæc est enim vera solẽnitas, hæc placita Deo festiuitas, quæ non vestibus, & cibis, non ludis, & cachinnis, sed spirituali gaudio intra cordis cubiculum celebratur, sicut scriptum est, *Lætabuntur in cubilibus suis*. Et rursus. *Psal. 149.*

S. Bernardus apparet parum.

Psal. 75. *Reliquiæ cogitationis diem festum agẽt*, Tibi hæc spiritualis, & iucunda festiuitas sine mẽtis excessu nõ agitur. Egredimini igitur, & lætamini, & iucundamini; Sed non est in hominis potestate egressio ista: nõ egreditur, nisi qui manu Domini extra ducitur: nemo intrat cellam vinariam, si manu regis non fuerit introductus. Sic Can. 2. enim ait, *Introduxit me rex in cellam vinariam*. Vnde conscius propheta clamat Psal. 141. ad dominum. *Educ de carcere Deus animam meam.* Solue (inquam) intellectum ergastulo sensus alligatum, vt libero volatu rapiatur ad alta: corporeis enim sensibus immensus, spirituales nescit discernere gustus. *Educ* ergo *de carcere*, nõ morte, sed spiritu, Deus, *animam meam.* Psal. 105. Sed ad quid? *Ad videndum* (inquit) *in bonitate electorum tuorum: ad lætandum in lætitia gentis tuæ: ad laudandum cum hæreditate tua.* vt videam mysteria hæc ea perspicacia, & deuotione, qua vident electi tui: & videndo gaudeam, non temporali gaudio, sed lætitia gentis tuæ, & videndo, & gaudendo, tandem sicut te laudat hæreditas tua domine, hæreditas illa, quam & hic temporaliter possides per gratiam, & in cœlo æternaliter per gloriam: ad quam nos perducat ipse qui natus est pro nobis, dominus noster Iesus Christus: cui cum patre, & spiritu sancto, est honor, & gloria, in sæcula sæculorum. Amen. Deo gratias.

IN DIE NATALIS DOMINI Concio Tertia.

PRopheta regius huius nostræ solennitatis gaudio inebriatus, spiritu feruens, deuotione succensus, ita inquit. *Deus docuisti me à iuuentute mea,* Psal 70. *& vsque nunc pronunciabo mirabilia tua:* Tho. 3. *& vsque in senectam, & senium Deus, nè* q. 35. qu. *derelinquas me, donec annunciem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est: potentiam tuam, & iustitiam tuam Deus, vsque in altissima, qua fecisti magnalia: Deus quis similis tibi?* O miram eloquij cœlestis phrasin, ò ardentissimam spiritus elocutionem. Operæpretium erit fratres, in ea exponenda, vel ad modicum demorari: *declaratio enim* Psal. 11 & *sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis, Deus* (inquit) *docuisti me à* Psal. 70. *iuuentute mea, & vsque nunc* toto vitæ meæ tempore. Tu solus mihi magister, tu doctor meus, ex ore tuo didici quicquid scio, alienam doctrinam penitus ignoro, alterius me non miscui disciplinæ, tu meus sol, mea lux, & mea sapientia solus. Tu pro tua in me benevolentia, & charitate in schola cordis mei *incerta,* Psal. 50. *& occulta sapientiæ tuæ,* dignatus es aperire mihi. Propter quod non tacebo, sed pro mea virili pronuntiabo hominibus mirabilia tua, quæ te magistro cognoui: non vno quidem, aut duobus mensibus, aut annis, sed vsque ad senectam, & senium, dum vita durat, quamdiu vixero, & quousq; spiritus hic meos rexerit artus. O Deus meus te obsecro, te deprecor ne derelinquas me non auferas gratiam tuam, lucem tuam, & sapientiam tuam à me, *donec annũciem brachium tuum,* filium 2. Cor. 3. tuum, *generationi omni quæ ventura est.* Esai. 1. Nam populus iste Iudaicus, rudis, carnalis, rusticus, & terrenus, non sapit quæ Dei sunt: cœlestium sacramentorum capax non est: veniet autem scio, futuris tẽporibus generatio alia multum ab ista differens: generatio fidelis, generatio sapiens, spiritualis, & pulchra, populus docilis, prudens, sanctus, & perfectus. Huic ego vehemẽter sitio pronunciare, & aperire mirabilia tua, operumq; tuorũ mirãda mysteria. Quænam obsecro rex, quænam sunt ista mirabilia, quæ narrare Exo. 3. cupis? Nunquid portenta illa Ægypti, Exo. 7. incombustum rubum, versas in sanguinem aquas, serpentem deuorantem colubros, primogenitosq; mactatos, diuisũ Exo. 12. virga mare, summersos fluctibus equos, Exo. 14. cœlo cibatum populum, ortygometris, Exo. 14. id est coturnicibus, compluta castra, siccatum flumen, ruentesq; tubicine muros? Deu 8. Ios. 3. Sunt nè hæc quæ tanto tempore venturæ Ios. 6. generationi sæculisque futuris pronũtiare cupis? Audiuimus olim ea, & scriptura narrante didicimus. *Non* (inquit) *non,* Psal. 70. *sed potentiam tuam, & iustitiam tuam Deus vsque in altissima, qua fecisti magnalia:* maiora multo, & præclariora sunt, quæ

pro-

quæ pronũtio ſtupenda timendaq; prodigia ſuper quæ cœlum ſtupeat, & terra contremiſcat Deus carne velatur, Deus de virgine naſcitur, Deus pannis inuoluitur, vberibus paſcitur, præſepio reclinatur, virgo concipit, virgo parit, virgo
Lu. 1. & 2. in partu dolorem non ſentit. Menſuratur puero maieſtas immenſa, & intra teneriſſimi corpuſculi vaſculum clauditur, qui continet orbem. eſt mirabilem infantem, ò prodigioſum puerum, ò vnicũ omnium miraculorum, & prodigiorum portentiſſimum, & maximum. Hæc ſunt myſteria, quæ ardenti deſiderio cupit enarrare propheta, in quorum conſideratione liqueſcit omnis anima, non antiqua illa portenta, quæ ad hæc comparata minima ſunt. Vnde in Eſaia dominus ait. *Ne memineris priorum, & antiqua*
Eſa. 43. *nè intueamini: ecce ego facio noua, nunc orientur, vtique ſcietis ea.* Id eſt, faciam ego alia noua opera, multo illuſtriora, & clariora, quorum magnitudine, & claritate obſcurentur antiqua, & obliuioni tradantur, ac pro nihilo reputentur. Vbi eſt dies hæc? vbi nunc obſecro memoria Ægypti? vbi arca teſtamenti? vbi vrna manna? phaſe antiquum, & illorum monumenta factorum? quis hodie pro illis canticum canit? quis pro illis nunc gratias agit. Succedentibus vtique nouis incomparabiliter maioribus anticeſſerunt, & obliterata ſunt. Sicut Heremias propheta prædixerat. *In diebus illis* (ait) *non dicent vltra arca teſtamenti Domini, neque aſcendet ſuper cor, neque recordabuntur illius.* Tantum enim noſtra ab illis diſtant, quantum rẽs ab vmbra, veritas à figura. Vndè te hodie, ò Iudæa cæca conuenio, tuamque conſcientiam intus interrogo, quæ nam obſecro iſta ſunt noua, quæ facturus erat Deus, quorum magnitudine obſcurentur antiqua? quæ nam facta ſunt poſtmodum illis miraculis clariora? quando vobis poſtmodum, aut mare diuiſum, aut ſiccatum eſt flumen? quod manna de cœlo datum? quando petra vobis fudit aquas, aut aliquid ſimile, nè dicam maius, præſtatum eſt prodigium? cum tamen promittat per prophetam dominus, ſe maiora multo facturum, quorum reſpectu non memorentur antiqua? Si dixeris, quia ventura ſunt, obſtat promiſſio *nunc orientur.* id eſt, cito. Si dicis, quia in ſecretò facta ſunt, litera contradicit, cum ait. *Vtique ſcietis ea.* Quia ergo ſignare non poteris, veni mecum in Bethlehem, & his multo maiora videbis. Miraris populo diuiſum mare, modicum eſt: ecce oceanus infinitus modico corpuſculi vale cõcludi- *Exo. 14.*
tur. Miraris quòd rubus arſerit incombuſtus, parũ eſt: ecce virgo parit intacta. Miraris quòd virga Aaron ſine aliquo humore fronduerit, nihil eſt: ecce virgo *Exo. 3.*
regia ſine virili opere Deum atque ho- *Num. 17.*
minem parit. Miraris eximium prophetã Moyſem poſitum in caniſtro, parum eſt: mirare amplius regem cælorum poſitum in præſepio. Miraris columnam ignis, *Exo.*
& nubem populum per deſerta ducen- *Exo.*
tem, mirare potius ignem deitatis flagrantiſſimum, tenui nubecula clauſum, ducem, & magiſtrum orbis exortum. Quid dicam amplius? miraris retro actũ Iolem Gabeone deuicto, mirare potius *Ioſ. 10.*
humiliatum Deum, diabolo ſuperato. Miraris Heliã prophetam magnum ex *3. Re. 17.*
iguo puero cõmenſuratum oculis oculis, manibus manus, & os ori, & pedes pedibus applicantẽ, mirare potius diuinam illam maieſtatem in exiguo puero incuruatam, virtuteſque diuinas pueri viribus cõmenſuratas. Sed quid moror? dies non ſufficeret ad dicẽdum, in ſingula ſingulis applicarem, vt horum ad illa innoteſcat exceſſus. Vmbra illa erant (vt diximus) & *Col. 2.*
veritas iſta: & in horum typum, & figuram illa facta ſunt. Vndè ſapiens quidam ſapienter orat. *Innoua ſigna, immuta mira* *Eccl. 36.*
bilia, glorifica manum, & brachium dextrũ. Id eſt, renoua, & reitera, quæ facta ſunt ſigna, ſed non ſicut facta ſunt, ſed immuta in rem ipſam vmbram, & in ipſam veritatem figuram. Sed in quo innouantur, in quo immutabuntur: vtique in brachio dextero tuo filio tuo. Ideo ſequitur, *Glorifica manum, & brachium dextrum.* Hæc ſunt mirabilia tua domine, quorum memoria non delebitur in æternum: de quibus cœlum, & terra, & omnis ſtupeat creatura. O mirandum ſæ-

culis omnibus ſpectaculum: videres angelorum cuneos ruſticis hominibus & iumentis permixtos, ſolo proſtratos, reclinatam in præſepio adorare maieſtatẽ, nulla in eis ambitio dignitatis, vbi tanta inſpicitur humiliatio maieſtatis. Admirantur attoniti, ſtupent, hærent, reſpiciunt ſe mutuo, neque valent præ ſtupore proferre ſermonem. Harmonicis alijs canticis foris reſonant, & laudibus modulantur: amœnis agglomerantur ad puerum ſicut apes ad fauum alcendunt, & deſcendunt ſuper filium hominis, ingrediuntur, & exeunt: intus maieſtatem, foris infirmitatem: intus potentiam, foris infantiam: intus deitatis theſauros, foris paupertatis pãnos oculis linceis inſpiciunt: alternantibuſq; concinunt epigrãmata choris, impletum eſt quod per propheram de Meſſia dominus prædixerat. *Vitulus, & leo, & ouis ſimul morabũtur, & puer paruulus minabit eos: & leo quaſi bos comedet paleas.* Nam ecce angelus cum bouc, & ruſtico paſtore aſtat ad præſepium, & inde cum illis ſuo paſcitur cibo. Nam quod ſequitur; *Et delectabitur infans ab vbere, ſuper foramina aſpidis, &c.* nemo dubitat in Magorum vocatione fuiſſe completum, quos à faucibus draconis, ab vberibus virginis infans recens potenter eripuit. Nam etſi nulla ſit creatura in qua Dei potentia non reluceat, quia creare ad ſolam omnipotentiam pertinet, & infinitam virtutem arguit in creante: neque poſſet vnicum folium, aut florem vniuerſitas angelorum ex nihilo producere: ſed non ſic patuit in cæteris quid poſſit Deus, ſic patuit in hoc facto. Quid mirum enim ſi Deus angelos, aut cœlos creat? quis etiam admiretur, ſi creator pulchras, & nouas ediderit creaturas? illa vtique ſupra modum admiranda potentia, qua creatrix eſſentia, & creata, impaſſibilis, & paſſibilis: immortalis, & mortalis, Deus, & homo, intimo, & indiſſolubili nexu mirifice ſic in vno ſuppoſito cõiuncti ſint, vt quicquid Deo cõuenit, cõueniat homini, & è conuerſo. Hoc eſt q̃ angelicos illos ſpiritus in extaſin rapit, videre tam diſpares naturas, tam intima, & indiſſolubili connexione ligatas. Deus meus quid non potes, qui hoc potes? Miraculum grande in natura conditus fuerat homo, in quo omnipotens conditor ſpiritum corpori, & animam carni miro quodam artificio connexuit à principio, atque ſic concordi affectione ligauit, vt terribilis, & amara nimis eorum per mortem diſſolutio fiat. Sed quid hoc ad hanc verbi, & carnis in vno ſuppoſito vnionem? quæ vtiq; tanto mirabilior eſt, quanto plus Deus ab homine, quam anima diſtat à carne. Vnde in Euangelio Dominus ait. *Vnum opus feci, & omnes admiramini.* Hominem ex limo facere inſignis eſt potentiæ, ſed multo potentius hominẽ facere ex Deo, quam ex limo non ſicut ex materia, ſed ſicut ex termino. Vnde ſi ſuperior quædam poteſtas, angelus, archangelus, aut cherubin, cyniphi, aut formicæ ſic vniretur, vt idem eſſet angelus, & formica, miraretur vniuerſum opus inſigne. Quãto ergo mirabilius, quanto potentius eſt, quòd limo profundi coniunctus eſt Deus ſicut ipſe in pſalmo commemorat, dicens: *Infixus ſum in limo profundi.* Admirandum verè opus excelſi, in quo Dei omnipotentia clariſſimè illuceat, & virtutis eius celſitudo inſigniter appareat, neque potentia ſolum, ſed & iuſtitia. A ſæculo non eſt auditum, neque audietur in poſterum talis iuſtitiæ rigor, qualis in hoc opere monſtratus eſt: monſtratur tremenda ſeueritas in angelorum punitione, quorum multitudo innumera tumore quodam ſuperbiæ à cœlo depulſa, & miſeriæ barathro perpetuo deiecta eſt. Sed non ſic me hæc vltio turbat. Non ſic conſternit, ſicut ea quæ in hominis delicto facta eſt. Seuerior mihi domine parcendo, quam vleiſcendo viſus es: atq; plus me hominis pia redemptio, quam angeli dura perditio terret. O inæſtimabilem diuinæ ſeueritatis rigorem: quia homo deliquit, occiditur Deus: & pro quadam hominis culpa, filius Dei vnigenitus morte mulctatur. Quid hac ſeueritate ſeuerius, quid hac iuſtitia humano ſenſu rigidius? Terribilior vtique apparuiſti redimendo Deus, quam ſi nunquam redimeres: & iuſtior miſerando, quam

Ioan 7.

Pſal. 68.

2. Pet. 2.

Iuſtitiæ maximus rigor apparet in Chriſto incarnato.

quam si perpetuo perderes. Quis enim huius iustitiæ tuæ modum intelligat? quis de vltionis huius æquitate non stupescit? Ignosce domine obsecro, ignosce huic peccatori honoris, & gloriæ tuæ ardentissimè cupido: nam de hac tua iustitia, nisi blasphemando, nequeo explicare quod sentio: excessisti factis, excedam verbis. Dicam audacter, & licet cum stupore, & tremore, tamen cum magna fiducia dicã: excessisti supra modum omnis iustitiæ metas: & dum nimis videri vis iustus, plus iusto factus es iustus: imò si dicere auderem, præ nimia iustitia (nisi quia Deus es) dicerem vtique, quia appareres iniustus. Quænam enim est hæc iustitia, vt filius moriatur pro seruo: innocens pro reo: omnipotens pro vermiculo? An non plus ponderat iudicii huius pœna, quam culpa? Non plus redditur offenso, quam debitum fuerat? Verè supra modum adiectum est ad delicti mẽsuram in vindicta: excessus est iste, non æquitas: vbi ergo nõ æquitas, quomodo erit iustitia? Vtinam rectissime iudex, vtinam *appenderes peccata nostra* quibus iram tuam meruimus, & filii tui acerbissimam mortẽ, *in statera: vtique quasi arenam maris hac grauior appareret.* Sed nunquid apud Deum iniustitia? absit. Iustitia hæc est domine, sed apud te: nos enim nõ intelligimus eam, sed veneramur, sed colimus, sed miramur, & omni qua possumus dilectione, & deuotione illam amplectimur. *Ecce potentiam, ecce iustitiam tuam Deus*, quam pronunciare populis exoptat propheta regius, *vsq; in altissima quæ fecisti magnalia*: verè altissima, verè magnalia, quæ nemo comprehendere valeat, sed eis inspectis exclamare cogatur. *Deus quis similis tibi?* Sed nũquid sola potẽtia, & iustitia in hoc splẽdet mysterio, & nõ potius omnis diuinæ virtutis, & maiestatis celsitudo? In hoc Dei bonitas, sapientia, charitas, misericordia, clementia, magnificentia, pietas, quicquid aliud diuinæ virtutis insigne monstrari potest, copiosius innotuit. Amplius Deus innotuisti in filio quam in mundo, & perfectius in homine quam in orbe. In hoc monstrasti quis esses, quid saperes, quid posses, quantum amares, quantum ignoscerres, quam pius, quam bonus, quam misericors, & quam magnificus esses: in hoc omnium tuarum virtutum infinitas, & immensitas quædam, pluſquam in cæteris omnibus relucet apertius: Quis enim nè dicam hominum, sed neque angelorum, qui à sæculo vident te, amoris tui immensum pondus & ardentissimam vim tam plenè cognosceret? Quis eorum, vel suspicari posset à longe, tãtæ charitatis ardorem? quòd sic amares, ita diligeres, vt te ipsũ cruci, & morti exponeres pro vermiculo? Excedit, exuperat supra modum hæc charitas tua domine, quam in nostra redemptione monstrasti, omnem scientiam, & omnem sensum non solum humanum, sed etiam angelicum. Et vt Apostolus ait, etiam illis, qui te ab initio speculantur, *principatibus, & potestatibus, ex hoc vtiq; mysterio innotuit per ecclesiã multiformis sapientia tua*, sed & benignitas tua & charitas tua in homines, non solũ hominibus, sed etiã angelis innotuit. Siqui dẽ cũ sis in cæteris honorabilis, & amabilis, in homine admirabilis apparuisti: & sicut propheta inquit, *in consilijs super filios hominũ terribilis.* Vnde super hoc sacramẽto mirabili, & abscondito admirans idẽ propheta, inquit: *Domine quid est homo, quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum.* Innotuisti ei, innotuisti in eo: neq; enim quid posses in cæteris omnibus (vt diximus) vt in homine demonstrasti. In hoc diuitias gloriæ, & bonitatis tuæ inuestigabiles aperuisti: in hoc splendidius quam in alijs effulsisti: in hoc ardentia pectoris tui desideria (*vt stylo hominis scribam*) abundantius explesti, quia enim bonus natura es, ardentissimè bonitatẽ tuam diffundis: neque erat in quo ardorem hunc benefaciendi pro libito exp[le]res, donec homo conditus est, qui tibi (vt dicitur) manus plenas, & largam præstitit benefaciendi materiam. Ideoque cũ angelorum innumeras differentias creasses, cœlos, astra, terram, maria, corporum quevarias naturas condidisses, in his omnibus non quieuisti, sed homine cõdito, vt scriptura ait. *Quieuit Deus ab*

Iob. 6.

Psal. 70.

Psal. 34.

Epne. 3.

Psal. 65.

Psal. 143.

Isa. 8.

Gen. 2.

omni opere, quod patrauerat. In homine quieuit Deus, non in angelo, non in cœlo, quia benefaciendi innotescendiq́ue sufficientem, affluentemq́ue sibi in eo materiam dari prospexit. Cũ enim, Salomone teste, *omnia propter seipsum fecerit altissimus*, non quidem in seruitium, quia non indiget, sed vt innotescat in eis, homine condito quieuit: quoniam innotescendi in eo plenam reperit facultatem Hęc sunt mirabilia tua pijssime Deus, hæc sunt altissima magnalia quæ hodie colimus, & quibus debitum exhibemus, non tantum obsequium, sed amorem, sed gratulationem, sed exultationem, sed laudem, sed gloriam, & honorem. Hæc vsque in senectam & senium pronunciare cupit propheta egregius: hæc nos quoque diebus, & noctibus, vbique & semper totis viribus, toto corde, tota mẽte, cum omni deuotione, & amore ruminare, sentire, eloqui & laudare cõcupiscimus. Deus ne derelinquas nos, sed illumina, & inflamma corda nostra, vt tanti amoris & pietatis dignationem & agnoscamus & sentiamus: & quia condignas nequimus, debitas saltem pro tanto amore gratias referamus: ne ingrati tanto, ac tam inenarrabili beneficio coram te inueniamur, & vertatur in damnũ quod prẽstitũ est in remedium: *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis*: Væ sæculo ingrato, tepido & trãsitorum beneficiorum oblito. Refrixit hodie fratres deuotio illa sanctorum antiqua, ardentissimus feruor & feruentissimus ardor. Illi quidem quoniã rogo cę lesti proximi fuerũt, amore calebãt: nos vero velut distantes elongatiq́; ab igne, mentis gelicidio laboramus. *Recens Christi sanguis* (vt Hieronymus ait) *tunc in cordibus hominum feruebat, hodie in nostris cordibus antiquatus deferbuit, & gelatus est.* Quid dicam de tempore huius miserabilis gelicidio? *à maiori vsque ad minorem, à propheta vsque ad sacerdotem, omnes auaritiæ student*, negotiis implicantur humanis, lasciuiis & libidinibus vacant, honoribus & fauoribus inhiant: *oblitioni datus es domine tanquam mortuus à corde.* Vbi feruor ille antiquus? vbi illa populi deuotio? vbi flagrans charitatis incendium? vbi indefessa laus? & gratiarum actio? vbi stillans dulcedinem horum tuorum operum iugis, & perpetua meditatio? Hoc vnicum & maximum fidelibus tunc erat negotium *diebus, ac noctibus in operibus manuum tuarum meditari*, & immensas pro eis Deo gratias reddere, ò ingratissimam gentem, quę taliũ sustinet donorum & beneficiorum obliuisci. Conqueritur, & merito, huius nostræ obliuionis dominus, per prophetã diceus: *Nunquid obliuiscetur virgo ornamẽti sui, aut fasciæ pectoris suæ? populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris.* Et adhuc acrius per Isaiã prophetam redarguit, dicens, *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperã, vt vino æstuetis, cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs vestris, opus Domini non respicitis, neque opera manuum consideratis*: hoc inquam opus, & illa opera, de quibus angeli admirãtur, & dæmones contremiscunt. Quid enim hac festiuitate magis oblitum quam ipsa festiuitas, ludo non laude festiuitas sacra recolitur. Quòd etsi omnes fideles hæc dominici increpatio pũgat, sed eos, maximè, quibus hoc cõpetit ex officio: quos stipẽdiatos populus fidelis habet ad hoc, vt pro eis debitas Deo gratias reddant. Quia enim sæculares ad vitæ necessaria sibi, & suæ familiæ perquirenda temporalibus lucris deseruire coguntur, occupatiq́ue negotiis diuinis laudibus vacare non possunt, decimatũ stipendio cleticos in hoc opus conducunt, vt per eos expleant quod per se non possunt: quibus durius iudicium in fine reseruatum est, si in tanto negotio egerit negligenter. Nullam enim pro se afferre poterũt excusationẽ, qui duplici debito ad hoc astringuntur Dei scilicet beneficio, & populi stipendio. Fælices vos, ò virgines Deo gratæ, quibus datum est, vt in his ruminandis, speculandis, degustandisq́; mysteriis totam vitam expendatis: quarum omne officium est, pro his donis, diebus, ac noctibus, cum omni cordis gaudio, & iubilo, redemptori Christo

Pro. 16. *Psal. 30.* *Psal. 118.* *Hier. 2.* *Isa. 5.* *Esa. 1.* *Hier. 6.*

laus-

laudes, & gratias personare. Moneo ergo vos, & exhortor in domino, ardenter tã pio, tam iusto, tam debito, tam sancto operi instare. *Laudate cum gaudio, frequẽtate canticum, repetite laudem, cantate, exultate, psallite, psallite domino in cithara, in cithara, & voce psalmi, in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ: iubilate in conspectu regis domini à facie eius, quoniã venit, quoniã venit iudicare terrã*, id est, potẽti eã iudicio ab oppressione dæmonis liberare. Hæc sit lætitia vestra, hæc exultatio vestra, hæc omnis cura, & meditatio vestra. Gaudeant alii in diuitiis, & deliciis, in cibis, & potibus, & vestibus pretiosis: lasciuiant in conuiuiis suis, & lectis eburneis: vobis alia lætitiæ ratio est, de qua dicitur. *Ego autem delectabor in domino, & exultabo in Deo Iesu meo.* Lætamini ergo cum sponso vestro, qui vobis tantã contulit dignitatem: *præcinite in confessione*, vt satiemini ab vberibus consolationis eius: & inebriemini vino exultationis illius. Audite prophetam sedulo hoc ipsum vos admonentem. *Qui reminiscimini dominum ne taceatis, neque detis silentium ei, donec stabiliat, & ponat Hierusalem laudem in terram. Vos* (inquam) *quæ reminiscimini domini*, id est, quæ in hoc opus in hac claulura deputatæ estis, quæ in hoc vitam & animas deuouistis, non vobis hoc opus excidat à memoria, & quod memoria tenetis assiduis laudibus personate; ne taceatis, ore, neque detis ei silentium corde, aliquando enim tacendo loquimur, & loquendo tacemus. Laudate ergo ore, laudate mẽte, à laudibus nolite cessare, donec stabiliat in terra vestra, carne vestra hanc laudem, ne laudãdo sicut modo fatigemini: id est donec à corporali hac, & alternante laude ad æternam, & inconcussibilem cœlestis Hierusalem laudem transferamini: ad quam nos perducere dignetur ipse dominus, & redemptor noster Iesus Christus, cui cũ Patre, & Spiritu sancto est honor, & gloria in sæcula sæculorum.

Amen. Deo gratias.

Esai. 23.

Psal. 97.

Psal. 101.

Esai. 66.

NATALIS DOMINI
Concio Quarta.

In die Sancti Stephani.

THEMA.

Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius Esa 9. cap.

SOlent natalitia principum ingenti gaudio celebrari, etsi ab hominibus incolis regni, sed à domesticis amplius: & meritò, quia bonus reipublicæ status à principe pendet. Si ergo principis terreni ad modicum temporaliter regnaturi natale, tantam vbique hominibus lætitiam parit, regis æterni, cuius regni nõ erit finis, & à quo omnis nostra fælicitas pẽdet, natalitius dies quo gaudio, quo tripudio colendus est? Nouerit certè alienum se esse à domo, & familia Christi, quem huius diei festiuitas non tangit: hilaritas non afficit. Quis enim domesticus, qui de sui domini ortu non gaudeat? Proinde audito prophetico prothematis nuncio, ecclesia catholica quæ domus est Dei, in matutinali officio omnes inuitat creaturas ad laudem, quia tanti se regis imparem præconio credit. *Lætentur* (inquit) *cœli, & exultet terra, commoueatur mare, & plenitudo eius: orbis terrarum, & qui habitant in eo: flumina plaudent manu, simul montes exultabunt à conspectu domini, quoniam venit.* Commune sit gaudium, quia commune est bonum, vniuersalis sit lætitia, quoniam vniuersalis vtilitas est. Lætentur angeli, quoniam eis nascitur reparator: lætentur homines, quoniam illis nascitur redemptor: lætentur omnes creaturæ corporeæ, quoniam eis nascitur restaurator. His enim titulis noster paruulus decoratur: angelorum reparator est, hominum redemptor, & totius creaturæ potentissimus innouator. Neque enim solis hominibus nascitur, quã-

Simile.

Ti. 3.

Ps. 95.

uis

uis pro ſolis hominibus naſci dignatus eſt. Venit filius hominis opera diaboli, id eſt peccata diſſoluere, & inſtaurare damna quæ in cœlo, & in terra per peccata facta ſunt: ideo *iudicabit in nationibus, & implebit ruinas*, quas olim virulentus ille draco cauda ſua cœlis intulerat: homines etiam perditos reuocabit ad propria: mundum quoque ſenſibilem peccato deformatum in priſtinum reducet honorem. Sed non reparabitur hæreditas, donec reparentur hæredes: *omnis enim creatura ingemiſcit vſque ad huc, quia reuelationem filiorum Dei expectat. Sed cum reformauerit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, tunc videbimus cælum nouum, & terram nouam, & erit lux luna ſicut lux ſolis, & lux ſolis ſeptempliciter maior*: elementaque omnia in melius mutabuntur, & totus renouabitur orbis. Qua cauſa, quo merito? non vtique alio, quam teneri huius infantis vagientis in præſepio. *In ipſo cuncta condita ſunt*, in ipſo renouabuntur vniuerſa. O mirabilem potentiam pueri, ò infantulum tenerum angelicis poteſtatibus tremendum: ò granum ſinapis, quantam intus virtutem contines. Contunderis aliquando, & quid intus lateat apparebit: *omnibus enim oleribus maius fies, vt aues cæli ſub tua vmbra reſideant*. Quod ſi ita eſt: cur ergo hominibus ſolus eius natiuitas imputatur? *paruulus* (inquit) *natus eſt nobis, & datus eſt nobis* (inquam) nõ angelis. Et iterum angelus ad paſtores. *Annũcio vobis gaudiũ magnum, quia natus eſt vobis hodie ſaluator mũdi. Vobis* (inquit) *hodie natus eſt*, qui nobis natus eſt ab æterno. vobis hodie naſcitur ex matre, qui nobis ſemper naſcitur ex patre. Meritò vtique nobis totum hoc beneficium imputatur, quia & ſi omnibus naſcitur, ſed propter homines ſolummodo natus eſt: homo enim illi cauſa naſcẽdi, non angelus. Nõ propter angelos venit, licet angelis eius aduentus profuit, ſed ſicut eccleſia canit: *Quam propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine*. Qui ergo propter hominẽ ſolum aduenerat, aduentu ſuo non ſolis hominibus, ſed cunctis ſe exhibuit clementiſſimum largitorem. Eſt & alia ratio, propter quam ſolis hominibus eius imputetur aduentus, videlicet, quoniam illis maximè conducibilis fuerit. Angelis enim licet de ſuæ ciuitatis plenitudine gratulentur, nulla tamen ex hoc beatitudo eſſentialis accreſcit, quæ in ſola Dei viſione, & fruitione conſiſtit: aliæ etiam creaturæ corporeæ perfectionem non ſentiunt quam eius beneficio ſortiuntur. Homo verò, qui à perpetua illa beatitudine propter quam conditus fuerat eiectus eſt, & perpetuis tenebris, & atrociſſimo carceri mãcipatus, *vinctus in mendicitate, & ferro* ſub crudeli tyranno diram ſuſtinens ſeruitutem, quanto ampliori munere donatus eſt, cum per eius aduentum à tam atroci ſeruitute liberatus, & ſuæ libertati reſtitutus, in perpetuam illam gloriam reuocatur! Hęc hominum tam miſeranda miſeria, hæc filiorum Adæ tam extrema calamitas viſcera diuinæ pietatis commouit, vt à sũmo cælo in eius auxilium aduolaret, ſicut in pſalmo ſcriptum eſt. *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam*, dicit Dominus. Miſeratus eſt pius, & miſericors Deus vicem noſtram, & ſortem noſtram, & ſe morti temporali oppoſuit, vt nos ab æterna morte liberaret: vt vel ex ſolo opere diſcat homo, quanta eũ Deus ſuus proſequatur charitate. O quomodo me amas amor meus, quomodo me amas. quãtum tibi debeo gloria mea, & heu cæcus ignoro. Vnde pſalmus: *Liberauit pauperem à potente, pauperem cui non erat adiutor, Parcet pauperi, & inopi, & animas pauperum ſaluas faciet ex vſuris, & iniquitate. Redimet animas eorum, & honorabile nomen eorum corã illo*; Quanta ſunt hæc beneficia Deus, vt homo obliuiſcaris eorum, & non potius pro illis die, ac nocte inceſſanter tibi gratias reddat. Nobis ergo puer natus eſt, nobis filius Dei datus eſt, Meus es, ò bone Ieſu, & vndequaque meus es, Mihi natus à matre, mihi donatus à patre, Duplici te iure poſſideo, meus es totus, & in meos vſus expenſus: te mihi mater genuit, te mihi pater dedit: omni ex parte

meus

Pſal. 109.
Rom. 8.
Philip. 3.
Apoc. 21.
Eſa. 30.
Col. 1.
Mar. 4.
Eſai. 9.
Luc. 2.
Pſal. 106.
Pſal. 11.
Pſal. 71.

meus es, iuri huic meo in æternum non renũcio: *tenui teneque dimittam, donec introducã te*, imò donec introducas me in domũ *matris meæ, & in secretum cubiculum genetricis meæ*, cœlestis Hierusalem, quæ est mater nostra: vt in illo perpetuo deosculer, & amplexer te, & iucundissima tua pulchritudine, & pulcherrima tua iucunditate, cum angelis perfruar in æternum. Vtrique ergo debitores sumus, & patri à quo filius datus: & matri, de qua paruulus natus est nobis. Hæc virgo beata nobis Deum protulit & hominem: hæc sua eum pulchritudine, & decore à cœlis allexit: amore illius captus est, & humanitatis nostræ nexibus irretitus: sicut in psalmo scriptum legimus. *Et dilectus quemadmodum filius vnicorniũ.* O comparationem mirificam: vnicornis enim, Isidoro teste, cum sit animal ferocissimum, & agile, nulla arte, nulla industria capi potest, sed hac eum venatores arte deludunt: opponunt ei virginem decoram, modo venusto ornatam, cuius decore ex natura sua, ita capitur oculis, vt deposita feritate, velut mansuetissimus agnus, apud virginis pedes aduoluatur, & se tractandum illi ludens, & beneuolus exhibeat: quæ dum leniter illi blãditur, collo eius laqueum furtiuè immittit, & à venatoribus propè latentibus fortiter retinetur. Mira naturæ vis, quæ feroci bruto puellarem gratiam sic conciliat. Quid mirum si fortes viros eneruet fœmina, quæ ferociss imos vnicornes sola pulchritudine domat. Quid enim filio Dei similius quàm filius vnicornium? captus est, & ipse amore virginis, & maiestatis oblitus carneis vinculis irretitur. Vndè in canticis quasi capturam suam præuidens, ex amore ad virginem clamat. *Auerte oculos tuos à me, ipsi me auolare fecerunt*: auolare (inquam) à sinu patris in vterum matris. à summo cœlo ad infimum limum. Et iterum. *Vulnerasti cor meum soror mea, sponsa mea, in vno oculorum tuorum: in vno crine colli tui*. Licet enim omnis huius puellæ venustas ei grata fuerit, oculi tamen, & crinis maximè sepulchritudine teneri, vulnerariq́ue fatetur: quia fides, & humilitas Incarnationis opus in ea præcipue perfecerunt. Vndè, & à Beata Elisabeth protinus de fide laudata est: & ipsa in cantico suam præcipuè humilitatem commendat, dicens. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, &cæt.* Oculus ergo fidem, capillus humilitatem designat: quibus potentis Dei filio virgo maximè complacuit, illumq́ue vno capillo colli sui, licet fortissimum, & potentissimum, fortiter alligauit. His nimirum virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoque mentis pariter, & corporis decore præfulgida, specie sua, & pulchritudine sua in cœlestibus agnita, cœli ciuium ad se prouocauit aspectus: ita vt in sui amorem, regis animum inclinaret. Extat huius rei eximia figura, licet in affectu carnali, in fortissimo illo Samsone pulcherrimæ Dalilæ amore capto, ligato, tonso, irriso, & inimicis tradito. Qui vir à sæculo potentissimus, in fortitudine corporis nemini comparandus, post tot peractas victorias, post tot res benè gestas, post mille hostes asini mandibula superatos; mirabile dictu, ipse vnius puellæ pulchritudine victus est, ligatus & tonsus, inimicisq́ue suis ad illudendum expositus. Quis vnquam vidit virtutem viri, & fortitudinem in capillis? Quis vnquam audiuit hominem per solam capillorum tonsionem infirmari, debilemq́ue, & sine viribus reddi? In musculis & neruis robur esse solet, non in capillis: non dubium est, magnum aliquid portendere hanc capillorum fortitudinem, & grande aliquod in portentoso viro latere mysterium. Neque enim humana fortitudo erat, vnius mandibulæ telo exercitus cuneus superare: agnosco fortissimum Samsonem in egressu populi ab Ægypto asini mandibula cuneos principum superantem. Quid enim populo illo Hebræorum debilius? quid infirmius? Nunquid non mandibula asini est vsque hodie? Cum enim pusillanimitatis ludibrio quemlibet annotamus, Iudæum eum

Can. 3. Gala 4. Cant. 6. Psal 32. Can. 6. Cant. 4. Luc. 1. Iud. 16. Iudic. 15. Iudic. 16.

vocare ſolemus: quia nihil Iudæo debilius inuenitur. Et tamen bone Deus, gentium & populorum ſtrages hac debili mandibula illo tempore perpetrasti? quot regna, quot reges illo populo ſubiugasti: vt per hoc brachij tui potentiam, & nimiam fortitudinem tuam oſtenderes, qui tam infirmo populi inſtrumento, tales ac tantas victorias obtineres: & de gente alioquin fortiſſima toties tam mirificè triumphares. Hic ergo ipſe, qui tantæ fortitudinis & vigoris magnitudinem oſtenderat, qui toto orbe terribilis, & formidabilis apparuerat, vnius virginis amore prehenſus, hodie infans, infirmus, ligatus, & tonſus, æmulis exponitur illudendus: neque enim teneretur niſi homo, neque crucifigeretur, niſi homo. Quæ ergo eum carne veſtiuit, & ipſa illum ligauit, ipſa eum ludibrio, & morti expoſuit. Vide nunc ò anima deuota, inſpice Samſonem illum potentiſſimum, infirmatum, ligatum, & tonſum, in dilectæ ſuæ Dalilæ gremio recumbentem. Vbi nunc capilli qui de capite eius, id eſt, diuinitate profluunt ab æterno, in quibus virtus eius tota conſiſtit? vbi ſapientia, vbi potentia, vbi æternitas, immenſitas, immutabilitas, infinitas, & virtutes aliæ diuinæ, quibus ſacrum illud caput inundat? Tonſus eſt noſter Samſon, tondente ſe Dalila: non eius crines euulſi ſunt, ſed detonſi: intus in capite radices manent, ſed aliquando prodibunt. *Expecta me* (inquit) *in die reſurrectionis meæ.* Expecta modicum, expecta modicum, vt noſter Samſon adiungatur ad templi columnam, id eſt, fortiſſimam crucem: ſi enim exaltatus fuerit à terra, omnia trahet ad ſe ipſum, & morietur Samſon, & ſimul omnis æmulatio diſſoluetur: plures enim moriendo, quam viuendo proſternet, & in morte quam in vita potentior apparebit. O ſacram Dalilam, ò fœliciſſimam virginem, quæ fortiſſimum alligaſti, & omnipotentem Deum noſtris commodis infirmaſti: quã læta, quàm iucunda hodie de Samſone triumphas? Quis tuam valeat explicare lætitiam? Quis tuos poſſit gaudiorum fluctus exprimere, cùm Deum ac creatorem tuum gremio foues, pannis inuoluis, vberibus paſcis, oſculis, & amplexibus lenis? Quanto prius de te propheta prædixerat: *Germinans germinabit ſicut lilium: & exultabit latabunda, & laudans.* Sicut enim lilium ſine læſione ſpirat odorem, ità tu ò virgo beata ſine corruptione peperiſti ſaluatorem. Mirabilis partus & ſacrum puerperium, cui pro doloribus lætitia, & pro anxietatibus gaudia compenſantur: fœlix Ioſeph, cui donatum eſt talibus intereſſe myſterijs, horum gaudiorum fieri conſortem: qui duleiſſimos audire concentus, cœleſtium ſpirituum ſentire tripudia, videre obſequia, ouantes Angelos, adorantes Reges, lætantes paſtores beatis oculis inſpicere prometuiſti. O ſi cui ex nobis daretur hæc omnia in ſpiritu cernere: ò ſi mente inſpiceremus obtutu, quod corporalibus videre oculis non eſt datum. His ergo fratres myſterijs ſpiritu & mente, prout poſſumus, præſentes nos exhibeamus: in horum deuota contemplatione dies iſtos ſacros expendamus: ſigillatim animo ſingula ruminemus: contemplemur mente, quod videre nobis non licuit corpore: ſic enim Deo erit grata noſtra ſolennitas, ſi in his meditationibus, & contemplationibus expendatur: cupidos enim horum, & curioſos Deus ſuo illuſtrabit lumine, vt videant, & fruantur, & illorum fiant participes gaudiorum. Sed ad tantum ſpectaculum nemo pollutus accedat: longè fia: omnis immundus, prius mundetur conſcientia, quam erigatur aſpectus. Nam grauis fit iniuria puero, ſi Dei virgineſque puriſſimum filium quiſpiam manibus pollutis attingat. Vnde vt huius nos puritatis admoneret propheta, aſſumpti pro thematis eulogio ſapienter præmiſit. *Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & veſtimentum mixtum ſanguine erit in combuſtionem, & cibum ignis.* Et ſtatim quaſi rationem aſſignans, adiungit. *Parvulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* Ac ſi diceret, mundam ſibi ex hoc quiſquam carnem ſuam cuſto-

am. 11.

Iudi. 16.

Iſai. 9.

Iſai. 9.

ſodiat, quoniam verbum Dei factum eſt caro: alioquin æternum ſibi paratum nouerit incendium; veſtimentum enim mixtum ſanguine, caro eſt libidinibus ſordida: violenta prædatio, anima eſt tentationis impulſu ſuperata. Quiſquis ergo vel in animo malitia ſuperatur, vel in carne concupiſcentia ſordidatur, futurum ſe nouerit in perpetuam combuſtionem, & cibum ignis. Quis enim non formidet in ſe illam violare naturam, quam filius Dei vnigenitus, princeps pacis, in tantum gloriæ faſtigium ſublimauit? Deus illam ſuper Angelos collocauit; & tu eam beſtijs, & iumentis inſipientibus ſociabis? Purus ergo iam vel ex nunc fiat omnis homo, quoniam Deus pro homine fieri dignatus eſt homo. Sed etſi quiſpiam peccatis grauatur, non diffidat, ſed humilis, & ſupplex accedat; peccatis enim mundandis hic naſcitur puer. Non eum aſtantium Angelorum multitudo deterreat, quoniam & ibi inuenitur ſocietas iumentorum. Qui ergo ſanctus eſt, accedat cum Angelis: qui purus accedat cum virginibus: mater enim, & cuſtos infantis virgines ſunt. Qui diues, accedat cum regibus: qui pauper, cum paſtoribus; qui autem peccator eſt, habet iumenta quibus aſſocietur: quia non deſpiciet peccatorem humiliatum, qui ſordidum non deſpexit ſtabulum. Inter iumenta naſcitur, vt omnibus fiduciam præbeat accedendi. Paruulus natus eſt nobis mitis & humilis: ad paruulum accedere quis formidet? Paruulorum mores omnes agnoſcitis, vna lachrymula placatur offenſus: vno ſuſpirio grauiſſimas dimittit offenſas, iniuriam non recordatur: pro exiguo ſeruitio cœleſtia regna condonat: neminem deſpicit: neminem abijcit; omni volenti ſe tradit. Accedite ergo ad eum peccatores, nunc dum paruulus eſt, dum generis & maieſtatis videtur oblitus. Accedite, nolite timere, irafci neſcit, ferre non nouit. *Non enim venit filius Dei in mundum vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum:* non pu-

Simile.

Ioann. 12.

niendis, ſed ſanandis peccatoribus naſcitur. Vndè rectè de illo adiungitur. *Et factus eſt principatus ſuper humerum eius.* Debiles & infirmos ipſe leuabit, ipſe portabit. Clementiſſimus princeps regnum ſuũ ſuper humerum geſtat; pijſſimus paſtor laſſam ouem humeris ſuis ad ouile reducit; & ſicut propheta ait, *in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit.* Ego (inquit) *feci, ego feram, ego portabo & ſanabo.* Fortiſſimus noſter Samſon ualuas ciuitatis arreptas humero impoſitas geſtat in montem; ciuitas ſuperna patet; nulli iam negatur ingreſſus. Qui voluerit intret cœlum, penetret paradiſum; intret cœcus, intret claudus, intret pannoſus & deſpectus, poſſideat regnum quod Abraham, Iſaac, & Iacob hucuſque poſſidere non potuerunt. O magnam gratiam redemptoris; iam nos fratres non tetra limbus, ſed hians paradiſus expectat: cur ſtamus? cur heremus? cur pauemus? Pauebant exire Patres, quia quantumuis boni, quantumuis iuſti, inferna luſtrare neceſſe erat. Illuc Iacob Patriarcha, vt lugeret filium ſuum deſcendere geſtiebat: illuc etiam ſanctiſſimus Iob poſt vermes & vlcera properabat: illuc Dauid venturum ſe nouerat, cum aiebat. *Quis eſt homo qui viuit, & non videbit mortem? eruet animam ſuam de manu inferni?* Quaſi dicat, nullus. Nam ſicut nemo viuens excuſatur à morte, ita nemo moriens excuſatur ab inferno. Nunc verò martyr Stephanus cœlos apertos videt, hiantem gloriam, patentem paradiſi ianuam, lætus agonem aggreditur prouocatus à præmio. Cur enim celerem pertimeat pugnam, qui æternam ſibi parari videt coronam? Cur momentaneos lapidum paueat ictus, cui cœleſtis gloriæ patet introitus? Quare Stephanus hodie ingreditur cœlum, quia lugens Chriſtus heri ingreſſus eſt mundum: heri puer Chriſtus natus eſt nobis, hodie puer Stephanus naſcitur Angelis: Stephanus hodie ſociatur Archangelis, quia Chriſtus

Gene. 42. Iob. 17.

Pſal. 88.

Isai. 9. heri sociatus est brutis. Hæc regis humilitas militem in tanti honoris gloriam sublimauit. Heri cecinimus homines, *puer natus est nobis, & filius datus est nobis*: hodie idipsum de Stephano canunt Angeli: hanc enim in sancti Bernardi obitu, ouantes Angelos quidam Monachus audiuit cantare cantilenam: eandem (vt opinor) in triumpho Stephani cecinerunt. Exultant domestici, quia domini sui nouam hodie secum recipiunt prolem: exultemus & nos quia magnum cœlo misimus aduocatum: quando enim deserat deuotos suos, qui pro inimicis lapidantibus exorauit? O mirabilem martyris charitatem, lapidibus per aera crepitantibus oblitus est vulnerum, & memor est animarum: plus illum proximi, quam sua solicitant vulnera: quid hac pietate mirabilius? Quam bellè, quàm mitè certantis domini vestigia miles sequitur? Clamat dominus, *pater ignosce illis*. Clamat miles, *domine ne statuas illis hoc peccatum*. Clamat dominus, Luc. 23. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*. Clamat miles, *Domine Iesu in* Act. 7. *manus tuas commendo spiritum meum*. Et quod valde mirandum est, qui stando submisse pro se orauit, cum clamore magno pro inimicis genua flexit: illic acriorem orationem adhibuit, vbi maior difficultas apparuit impetrandi, Act. 7. nam sibi patere cœlum videbat, lapidantibus verò iustum, quænam erat salutis spes? Nec tamen sine fructu fuit tantæ charitatis oratio: nam Paulum nobis doctorem gentium prædicatorem vtilissimum impetrauit, qui huius martyris merito ex lupo factus est agnus: Vtinam idipsum nobis è cœlo nunc impetret aduocatus: vtinam lapidea corda nostra in carnea vertantur, & cordis nostri saxea durities emolliatur: hæc enim nobis impetrare lapidati martyris propria functio est: in hoc ipsum ecclesiæ Dei clientelam apud principem gerit. Ab alijs martyribus alia petere consueuimus, & in his quæ passi sunt ipsi, similia patientium aduocati constituti sunt. In peste Rochum, in ophthalmia Luciam, in carcinomatè Agatham, in dolore dentium Apolloniam imploramus. Huius verò lapidati martyris hoc est munus, duritiam cordis suis precibus emollire, indurata corda in Deum conuertere: *proferre de petra aquas, oleũque de saxo durissimo*. Deu. 32. Extat huius rei præter insignem illam & mirabilem Pauli conuersionem, miraculum grande quod Augustinus in libro de Ciuitate Dei commemorat, de quodam pagano iam iam morituro: cuius filia Christiana & gener, cùm non illi catholicam fidem persuadere potuissent, neque eorum precibus, neque fletibus vt saluus fieret acquiesceret, maritus filiæ flores ex altari huius sancti martyris sumptos, in manipulos colligatos ad caput illius nocte posuit: qui euigilans clamare cœpit, vt Episcopum aduocarent qui tunc temporis cum Augustino erat: vocatus est ergo presbyter, baptizatus statim fidem professus est, & confessionem peccatorum cum lachrymis, & gemitibus adhibuit, & ab illa hora vsque ad mortem clamare non destitit *Domine Iesu accipe spiritum meum*, Act. 7. nescius quia hoc ipsum Stephanus in agone dixisset. Quanta est huius sancti martyris virtus, qui paganum hominem damnationi proximum, ab inferno retraxit. Ad hunc igitur martyrem deuotis precibus accurramus: illi nostra negotia solicitè committamus. Fidelis & pius, quod pagano contulit, libentius impetrabit Christiano: non dubium est enim, quòd qui tanta in terra positus charitate flagrauit, ampliorem nunc in homines affectum habeat locatus in paradiso: in qua cum domino suo inter Angelorum cuneos triumphat & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

IN

IN NATALI DOMINI, Concio quinta.

THEMA.

Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ioannis 1. c.

Isai. 6. VIdit Isaias Dominum *sedentem super solium excelsum & eleuatum, & plena erat omnis domus à maiestate eius & Seraphim sex alis alatos iuxta eum, duabus alis velabant caput eius, & duabus velabant pedes, & duabus volabant* : quibus acclamantibus, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, liminaria domus commota sunt, & domus repleta est fumo. Hac visione percitus propheta clamauit. *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, & regem dominum exercituum vidi oculis meis. Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari & tetigit os meum, & dixit. Ecce tetigi labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum mundabitur.* Quo mundatus calculo, ad prophetandum quod videratipse se obtulit, dicens, *Ecce ego mitte me.* Nostro proposito fratres hæc omnia valde consonant: nam ecce annis superioribus de corpore Domini nudo & aperto, id est, de natiuitate eius secundum carnem, historico more, plano & intelligibili modo, quam deuotè potuimus vobis sermonem fecimus: hodie iã de velato capite & pedibus, id est, de generationis æternæ, & incarnationis mysterio, iuxta Euangelium Ioannis locuturi sumus. *Væ mihi quia vir pollutus labijs ego sum : mirabilis facta est hæc scientia tua à me, confortata est & non potero ad eam.* Non homo animalis hæc vobis mysteria personare debui, sed si quis mundus, si quis sanctus, si quis in populo angelico pollens intellectu, & seraphica lingua, ille nobis hæc tanta & tam profunda mysteria debuit publicare. Limpidissimus quidam intellectus in hoc pulpito statuendus erat, vnde nobis claritatis suæ radios potentissimus ille sol mirificè quasi à luna quadam reuerberaret. Sed quoniam licet impulsus & coactus hunc locum hæc vobis sacramenta expositurus ascendi, deprecor vos, regem illum maiestatis, de quo nobis futurus est sermo, obsecrate mecum, vt mittat aliquem ex Seraphim, qui calculo ignito de altari, polluta & sordida labia mea purificet: de altari (inquam) illo sacro virgineo, de ara illa cãdenti, in qua mũdi sacrificium nouem mensibus reconditũ est. O quibus ardoribus hodie flagrat, ò quanto spiritus igne sacerrima illa ara succenditur hodie. O virgo sacra quis impressiones illas feruentissimas & lucidissimas infusiones, quis ignitos illos influxus & micantes fulgores, quibus vndique tota perfunderis, valeat explicare? Sol enim ille iustitiæ ex tuo vtero iam iam proditurus te quasi aurorã, & purpurantibus coloribus decorauit, & fulgurantibus radijs illustrauit. Hæ sunt partus angustiæ, hi dolores quos paterisvirgo, his anxietatibus torqueris. Crediderim ego, neq; me fallit opinio, non potuisse vllo modo virginis corpusculum tenerrimum, tam fortes, tam feruidas, tam potentes impressiones sustinere, nisi ille qui eam talibus spiculis, & fulgoribus percellebat, grandi eã miraculo sustentaret interius. Quid enim? *montes & petræ sicut cera fluxerunt à facie eius, & tenerrima virginis caro eius præsentiam sustinebit?* Vtinam vtinam ab hoc altari candenti, & flagrantissimo nobis hodie scintillæ quædam prosileant, quæ & labia dicentis mundent, & cor illuminent, & flamment: alias ad hæc proferẽda quis idoneus ? Profundum, & vastum pelagus hodierni Euangelii intraturi sumus, in quo quiuis & quamuis magnus elephas submergatur: pelagus quod omnino non potest transiri, quia supra modum intumuerunt aquę illius: in quo fateor margaritę pretiosæ sunt, sed nisi desuper fundatur oleum quod clarificet cœruleam & profundam aquam, eas videre minimè poterimus: Oremus igitur deuotè & humiliter Christum dominum, quem pater *oleo isto lætitiæ vnxit præ participibus suis*, qui cum

Psal. 138. 1. Cor. 2. Psal. 96. Isai. 6. Psal. 44.

cum oleo, & vnctionibus in terris hodie apparuit, vt sacram nobis è cœlo proferat vnctionem, quæ mihi prolaturo labia mundet, & cor illuminet ad dicendum, & vobis audituris cor & aures aperiat ad audiẽdum. Sed quem mittemus: aut quis ibit nobis apud Christum mediator & intercessor, nisi ipsa pia & humilis virgo, qui eum nobis hodie ex visceribus suis protulit: Huic igitur deuotè supplicemus, vt legationẽ nostram suscipiat, offerentes ei consuetum seruitiũ, salutationem Angelicam. *Aue Maria.*

Multò aliter Christi natiuitatem, quam cæteri Euangelistæ nobis Ioannes personuit: illi enim longam atauorum seriem, prosapiam nobilem, & antiquũ genus, angelicam annunciationem, admirabilem conceptionem, virgineum partum, & cætera quæ ad humanitatem Christi pertinent: historico more, tanquam pueri cuiusdam illustris, potentis, & prodigiosi, qui verus esset Messias in lege promissus, longa narratione prosecuti, de illius diuinitate breuissimè attigerunt. Ioannes autem nouo tunc in ecclesia Ebionitarum errore super hoc pullulante, ad scribendum percitus, velut aquila grandis expansis alis super nubes leuatur, non modò cæteros, sed & seipsum supergrediens, sicut scriptum

Ezech. 1. est *Et aquila desuper ipsorum quatuor.* Vnde supra humanam æstimationem & facultatem in altum progressus, ascendit su-

Psal. 17. per Cherubim, & volauit, *volauit super pennas ventorum:* qui carnis parentibus Abraham, Isaac, & Iacob, cum cæteris prætermissis, altiorem infantis originem, ex sublimi diuinitatis stirpe deducens, qualis & quantus sit iste qui nascitur, profundo nimis eloquio ita pertonuit. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, &c.* Modum verò hodiernæ generationis arctissimo compendio describens, consequenter adiungit: *Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Ac si diceret. Ita sentite de Christo, ò Ebionitæ, non satis est quod de Spiritusancto conceptum, & de Virgine natum confiteamini, non sufficit sanctissimum, & maximum omnium qui sunt, & fuerunt, & futuri sunt, & verum Messiam istum puerum profiteri: sed & verum Dei filiũ, à Deo æternaliter genitum, patri coæqualem, consubstantialem, & coæternũ, Deum de Deo, lumen de lumine oportet vt credatis eum Agnoscite latẽtem ma- *Col. 2.* iestatem in puero, & in sacculo carnis teneræ diuinitatis thesauros omnes recõditos intuemini. Nisi enim Deus esset iste qui nascitur, non cœlum & terra in eius natalitio mouerentur: non proderetur à cœlo, non coleretur ab Angelis; nõ adoraretur à regibus, nõ agnosceretur à bestijs, non tot canticis, & laudibus illius fœcennina cęlestium chori cum iubilo personarent. Ita dico vobis ò Ebionitæ, ita sentite de Christo: sic antiquissimi vates, quorum oraculis catholica fides fulcitur, intelligere docuerunt. Vnde Isaias, *Paruulus* (inquit) *natus est nobis,* *Isai. 9.* *& filius datus est nobis: & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, princeps pacis, pater futuri sæculi.* Et Michæas. *Tu Bethlehem Ephratæ, paruulus* *Mich. 5.* *in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit saluator in Israel: & egressus eius ab initio à diebus æternitatis.* Et Psalmista. *Ipse tan-* *Psal. 18.* *quam sponsus procedens de thalamo suo. Exultauit vt gigas ad currendam viam, à summo cœlo egressio eius* Quàm apertè hæc omnia vaticinia & humanã Christi natiuitatem, & diuinam eius potentiam profitentur *Paruulus datus est nobis, sed vocabitur nomen eius Deus, fortis. In Bethlehem Ephratæ orietur, sed egressus eius à diebus æternitatis. Tanquam sponsus de thalamo suo*, id est, à virginis vtero: *sed à summo cœlo egressio eius* Quid est à summo cœlo, nisi quod euangelista pertonuit. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Inde primam suam originem traxit iste puer: non ab Abraham, Isaac, & Iacob. Hoc magnum est fidei nostræ mysterium, & vnicum fundamentum, cui quisquis vera dilectione innixus fuerit, saluabitur: &

qui

1. Cor. 14. *qui illud ignorauerit, ignorabitur.* In hoc omnis animarum salus, & vita consistit: hoc est insigne illud amoris indicium, & inexplicabile beneficium, quo nos sibi deuinxit diuinitas: hæc maxima, & suprema gratia quam contulit orbi: quia sic hominem exaltauit, & sublimauit, vt qui erat Deus noster, fieret frater noster, *os de ossibus nostris, & caro* Gen. 2. *de carne nostra.* Quanta nobis inde spes, quanta vitæ fiducia fratres? Hoc est mysterium illud absconditum à sæculo, *quod nemo principum huius mundi cognouit*: 1. Cor. 2. non doctus Plato, non eloquens & verbosus Demosthenes, non argutus & ingeniosus Aristoteles, non denique superba philosophorum caterua, vacuo sapientiæ supercilio turgida. Sed quid de hominibus loquor? etiam Angelis Dei à principio non fuit cognitum, sicut reuelatum est sanctis prophetis amicis Dei, à quibus illud plures Angeli didicerunt, Apostolo teste. *Vt innotescat principatibus, & potestatibus, per ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Quia enim propter Ephe. 3. homines maximè hoc tam insigne & præclarum opus à Deo dispositum est, prius eis oportuit innotescere. Sciebatur in pago, & nesciebatur in palatio: innotuerat in villa, & ignorabatur in curia. In hoc mysterio angelos discipulos habuimus, in hoc magisterium nostrum dedignati non sunt magistri nostri. Didicerunt ab oraculo quod nondum viderant in verbo, Deo etiam pro nobis sic melius prouidente, vt eis contemptibiles non essemus. Neque tamen hoc de omnibus Angelis dixerim, sicut de aliquibus non dubitauerim. Nouerant quippe omnes Angeli à principio beatitudinis suæ, à quo, in quo, & per quem conditi fuerant, sed propter quem non ita fortè sciebant: nondum eis innotuerat hæres ille vniuersorum, cuius obsequio destinati sunt: *omnes enim sunt administratorij* Heb. 1. Heb. 2. *spiritus*, omnes domus magni Salomonis secundum varia officia deputati sunt officiarij. Et quemadmodum si rex quidam 3. Reg. 4. Simile. diues & potens domum ignoto filio suo instituens ædificet, regale palatium construat, officiarios eligat, officia distinguat; alios œconomos, alios camerarios, alios secretarios, alios repositarios, alios pincernas, & cubicularios, sicut magno principi decet, statuat: ampliſſimam supellectilem comparet, superbum equorum, & famulorum apparatum exquirat, mirabuntur omnes curiales quid sibi velint hæc omnia, donec prodente patre pusillus princeps omnibus innotescat. Sic omnino in filio Dei vnigenito contigisse putandum est: omnis hæc mundialis machina tam ampla, & mirifica domus illius est, quam illi cõstruxit pater: Angeli sunt officiarii secundum suos ordines, prout illius ministerio decuit, distributi. hominum etiam diuersi in ecclesia gradus iuxta Apostolum, *in opus ministerij distincti sunt.* Cœli cœlorum, & quicquid supra cœlum, Ephe. 4. & sub cœlo est, in huius sacerrimi infantis obsequium conditi sunt: *propter ipsum sunt omnia, ipse est finis omnium.* Hic inquam infans qui pannis inuoluitur, & in præsepio iacet, hic est princeps, & dominus, & hæres vniuersorum, & quæ in cœlo, & quæ in terra, & quæ in abysso sunt: sicut in epistola Apostolus commemorat. *Quem constituit hæredem vni-* Heb. 1. *uersorum: per quem fecit, & sæcula.* Innotuit autem in fine temporum, cum patri libuit illum mundo manifestare. Vsque tunc mundus ipse vacuus quodammodo, & otiosus erat, quoniam illius finis nondum apparebat. Sicut enim quando Deus condidit mundum cũ cælos, terram, maria, arbores, Genes. 1. & iumenta creasset, hæc omnia otiosa videbantur, donec homo, qui omnium illorum proximus finis erat, creatus est: sic de omnibus iudicandum, donec incarnatus est Christus. Quod Ioannes insinuat cùm ait. *Verbum caro* Ioan. 1. *factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre.* Quasi vnigeniti, quasi principis, & hæredis omnium. Et Paulus. *Quando venit plenitudo temporum, misit* Gal. 4. *Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Plenitudo temporum illa

illa est, in qua ostēso omnium fine consummatus est mundus: namvsque tunc vacuus erat, & imperfectus. Cui etiam consonat Isaias dicens. *Quis suscitauit ab oriente iustum* ? Et sequitur. *Quis hæc operatus est, & fecit, vocans generationes ab exordio?* ideſt, consummans omnia quæ ab exordio condita sunt Decebat enim eum propter quem omnia, sicut ait Apostolus, qui multos filios in gloriā adduxerat, authorē salutis per passionem consummari. Et alibi, omnia vestra sunt: *vos autem Christi: Christus autem Dei.* Et iterum. *Manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum in carne, & iustificatum est in spiritu: apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mūdo, assumptum est in gloria* Vnde quāprimum egressus de vuginis vtero, quasi sponsus de thalamo, cælestis princeps, mundo innotuit: statim ei sicut domino cælestia, & terrena famulantur. Properant Angeli regem suum adorare, sicut scriptum est. *Et adorent eius omnes Angeli eius*: festinant reges à longinquo, totius gētilitatis nomine nouo principi famulatum, & obedientiam exhibere: pastores etiam ex propinquo Israelis nomine seruitutem profitentur: omnia sicut domino, sicut Deo, sicut patris æterni vnigenito obtemperant, & obediūt. Hoc cunctis in Euangelio Ioannes Euangelista intimat, hoc docet, vt dignè de puero sicut de Dei vnigenito sentiamus. Cui Apostolas mirificè consonat in epistola, dicens. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansq; omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, &c.* O cœlestes fistulæ Ioannes & Paulus, quam concorditer, quam sublimiter personatis? ò Spiritus sancti lyræ, quàm potenter, quàm dulciter concinitis? Quænam est obsecro, aut esse potest hac harmonia concinnior, quæ iucundior, quę suauior? Sed iam abyssum hanc profundissimam cum omni humilitate, duce spiritu subintremus, sacrosanctæ matris ecclesiæ examini & iudicio submittentes, quicquid & hic, & alibi, siue dicto, siue scripto exponere & docere tentauerimus. Primò igitur inquiramus, quænam est causa, quòd Dei filius in scripturis sanctis *Verbum* soleat nuncupari. Non enim Ioannes primus hoc nomen inuenit: nam prior psalmographus dixerat olim. *Verbo domini cæli firmati sunt.* Et iterum. *Eructauit cor meum verbum bonum.* Et iterum. *Misit verbum suum, & sanauit eos* Et Isaias. *Exiccatum est fœnum, & cecidit flos; verbum autem domini manet in æternum.* Et iterum. *Videbit omnis caro pariter quod os domini locutum est*: ideſt, verbum Dei. Antiquitus ergo hoc filij Dei vocabulum prophetis sanctis fuerat reuelatum, in quo non modica diuinæ generationis notitia hominibus data est. Si enim filius verbum est, ipsa generatio proculdubio per intellectum est: verbum namque intellectu gignitur & concipitur Quantas ex huius nominis reuelatione diuinitati gratias homines debeamus, non facilè dici posset, plus enim vno hoc vocabulo, quam vno libro integro continetur, vt ex sequentibus patebit. Neque tamen per hoc illi quæstioni satisfeciſſe credimus, quæ apud sapientem inquiritur. *Quod est nomen eius, aut quod est nomen filij eius, si nostri* Itaque quod filius Dei verbum sit, ex sacris literis irrefragabiliter cōuincimus: sed quomodo verbum sit, diffusius exponamus. Est enim apud nos duplex verbum, oris scilicet, & cordis; vnumquod profertur exterius, alterum quod concipitur interius. Sed de quo istorum in diuinis intelligendum sit, propheta exposuit, cùm ex persona patris, in psalmo ait. *Eructauit cor meum verbum bonum.* Vnde miror, cur neotericus quispiam in hoc loco transtulerit, in principio erat sermo: licet enim, ὁ λόγος vtranque significationem admittat, tamen verbum Dei non tam sermoni quem proferimus, quàm interiori verbo cordis assimilari existimandū est. Est autem verbum cordis, imaga quędam & similitudo rei, per intellectum producta, ei immanens: id est, quoddam simulachrum intellectu formatum, & ei inhærens: vnde merito partus cordis, & filius mentis poterit nūcupari. Est enim à natura vis talis insita menti, vt possit

Isai. 41. *Heb.* 1. 1. *Cor.* 3. 1. *Tim.* 3. *Psal.* 18. *Hebr.* 1. *Matt.* 8. *Hebr.* 1. *Psal.* 32. *Psal.* 44. *Psal.* 106. *Isai.* 40. *Ibidem.* *Prou* 30. *Psal.* 44.

om

omnium rerum exteriorum in seipsa, velut in tabula quadam, imagines depingere, atque formare: ac propterea cum intelligimus, imaginari dicimus: quia per intellectum rerum imagines cognoscendo formamus. Mira profectò intellectus facultas, vt in se ipso producat in esse cognito, quicquid Deus extra produxit in esse reali: & sicut Deus omnium creator est, ita quoque omnium plasmator quodammodo intellectus sit. Quod maius prodigium, quam vt in mente alius mundus intelligibilis sit, qualis ad extra est iste sensibilis? Ibi cœlum, sol, astra, maria, terra, arbores, animalia, arbusta, montes, petræ, flumina: ibi leones, vrsi, equi, elephantes, aquilæ, & cætera omnia quæ exterius videmus effigiata sunt. Vnde Aristoteles. *Intellectus agens est quo est omnia agere, intellectus possibilis quo est omnia pati*, id est, recipere imagines: ergo rerum & simulacra intellectu producta, & in eo manentia, sicut diximus, verba dicuntur. Ponamus ergo intellectum quendam tanti vigoris & efficaciæ, vt intelligendo rerum omnium essentias, non fictitias & imaginarias, quales noster intellectus format, sed veras, reales, & essentiales formas ad extra producat. Exempli gratia, veros leones, veros elephantos, veras aquilas, & veras columbas: ita vt ego (exempli gratia) modo ex hoc pulpito campum istum leonibus, vrsis, equis, aquilis, intelligendo replerem, & extra me non imagines rerum, sed formas istas veras, & reales ex quadam mentis plenitudine, foras dicendo ipuerem. Quæro à vobis, nonne tunc omnes illæ formæ ad extra per intellectum productæ verba etiam dicerentur? Vtique nam omne quod dicitur, verbum est: & illa intellectu dicuntur, quæ intelligendo producuntur: talis est intellectus diuinus. Vnde meritò Ambrosius, verbum leonis, verbum equi, verbum elephantis vocat, quia intelligendo producta sunt. *Ipse enim dixit & facta sunt.* Et in Genesi. *Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux. Dixit Deus fiat firmamentum, & factum est firmamentum*: & ita de alijs. Qua obsecro lingua dixit? non vtique alia, quam intellectu: intelligendo enim dixit, & dicendo creauit. Et vide, ne forsitan sic illud Angeli eulogium intelligendum sit. *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Hæc itaque differentia est inter intellectum increatum, & creatum, quòd formas fictitias & imaginarias, quas intelligendo noster intellectus in seipso fingit, intellectus diuinus veras, & reales propter infinitam eius virtutem, & efficaciam, ad extra producit. Vndè sic intelligendus est Deus mundum istum sensibilem condidisse, sicut tu apud te mundum alium in mente tua intelligendo formare soles: intellectus enim noster intellectus diuini similitudinem quandam habet, vt sit ipse effigiatiuus, quorum est ille formatiuus. Sed procedamus vlterius inquirentes. Hic intellectus tam efficax, & potens qui non fictitia in se ipso, sed realia ad extra verba intelligendo, & dicendo producit, nunquid essentiam ipsam infinitam, increatam diuinitatis, sicut creabiles essentias intelligit? notum est, quòd sit. Rursus petamus, nunquid Deus propriam essentiam intelligendo, sicut in cæteris per intellectum verbum producit, an non? Quis etiam proteruus philosophus verbum in diuinis negare audeat? Ridiculum enim esset, vt qui ad essentias creabiles & finitas tam potens & fœcundus est, ad se ipsum, & essentiam suam infœcundus, & sterilis inueniatur. Vnde per Esaiam. *Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? & qui cæteris generationem tribuo, sterilis ero?* Simile nunc diceretur, nunquid qui ad alias naturas fœcundus sum, ad me ipsum & meam naturam sterilis ero? Producit ergo verbum non vtique fictitium & imaginatium, sed v[illegible]am, realem, essentialem imaginem deitatis: quam intelligit, sicut in cæteris naturis supra declarauimus. Nam sicut intelligendo essentiam leonis, veram & realem formam leonis, id est, verum leonem: & intelligendo essentiam equi, veram & realem essentiam equi, id est, ve-

Simile.

Psal. 148.

Gene 1.

Luc. 1.

Isai. 66.

rum equum producit: & ita in cæteris: ita intelligendo essentiam deitatis, veram, & realem imaginem, & figuram deitatis, id est, verum Deum producit: neque potest rectè assignari discrimen. Hoc verbum Dei, ego voco filium Dei: verbum Dei, quia intellectu deitatis productum: filium Dei, quia in naturæ similitudinem producenti similis generatum: hoc enim est esse filium. Cætera Dei opera, verba Dei quodammodo dici possunt, non obiectiuè, sed productiuè: non intra dicta, sed ad extra prolata: verba Dei, sed non verba deitatis, id est, non intellectu diuinitatis in eius similitudinem producta, sicut filius Dei. Videquam concinnè Euangelistæ Apostolus respondeat in epistola, de eodem verbo dicens. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius:* adde intellectu producta, & erit integra diffinitio verbi: hoc enim supra diximus esse verbum. *Figura* (inquit) *substantiæ eius*, id est, imago non fictitia quidem, quales noster intellectus intelligendo formare solet, sed substantialis, realis, essentialis, & vera. Verbum igitur quod Euangelista nuncupauit, Apostolus exponendo diffiniuit. His tertiam Prophetæ vocem addamus, & integra erit harmonia. *Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi: lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Quàm succinctè complectitur omnia quæ dicta sunt, quàm potenter vtramque exprimit productionem? *Eructauit cor meum verbum bonum*: ecce productionem ad intra. *Dico ego opera mea regi*: ecce productionem ad extra. Sed sigillatim exponamus, nullum enim verbum à mysterio vacat. *Eructauit*, id est, ex illa plenitudine, ex illa immensitate, ex illa abundantia deitatis, ex memoria fœcunda, quasi ex amplissimo quodam vtero Dei, ex omnibus quæ sunt in essentia, & notitia patris, vt Augustinus ait, plenè, perfectè, infinitè, ab intimis produxit. O pulcherrimam expressionem, ò verbum ad exprimendam diuinam generationem aptissimum: per quod & plenitudo illa naturæ, & productionis efficacia, vis & intimitas exprimitur. Ab intimis eructatum, non à foris creatum. Vnde sequitur: *cor meum*, id est, non de nihilo, sed de corde, de mea substantia productum: non de nihilo factum, de corde & vtero Dei verbum Dei eructatur. Sicut alibi ait. *Ex vtero ante luciferum genui te.* Ex corde, quia per intellectum: ex vtero, quia ex memoria fœcunda patris. Ecce producendi modum. Et si per intellectum, ergo verbum non quidem fictitium, & imaginarium, sed bonum, id est verum, reale, essentiale, perfectum, qualis est natura bonitatis ex quo producitur. Sic ad intra dico, & semel dico, sicut scriptum est. *Semel locutus est Deus.* Ad extra verò multipliciter. *Dico ego opera mea regi.* Dico, id est, dicendo produco: opera sunt, sed quia dicta, verba quoque dici possunt; non quasi immanentia, sed quasi prolata. *Dico opera* O mirabilem locutionem: nos opera nostra facimus, non dicimus: Deo autem dicere, facere est. Sed cui dicat, & propter quem dicat, attendamus. Regi Christo domino, ex virgine nato: regi, ad quem videndum filias Hierusalem exire inuitat, dicens. *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater sua.* Regi, de quo in alio psalmo orat: *Deus iudicium tuum Regi da.* Huic regi, & propter hunc regem sicut supra exposuimus, omnia Dei opera dicta & condita sunt: propter illum fecit omnia: ipse est finis omnium. sed quomodo dixit ea, sequitur: *Lingua mea calamus scribæ*, &cæt. Si lingua, quomodo calamus, si calamus quomodo lingua? Lingua est quæ dicit, & dicendo producit: sed quia non verba transitoria, sed realia & permanentia dicit, quia dicendo format ad extra quod dicit, ideo calamus scribæ. calamus enim verba exterius scriptura format, & transitorijs verbis permanentes effigies reddit. *Velociter scribentis*: sed quàm velociter? *Ipse dixit, & facta sunt.* In momento, subito, sine mora, sine labore, sine tempore. Nõ mediocapio prælætitia, quoties sacrarum literarum inter se, & cum ratione tantam consonantiam intueor. Ex his (ni fallor) qua-

Heb. 1.

Psal. 44.

Psal. 109.

Psal. 61.

Psal. 44.

Cant. 3.

Psal. 71.

Psal. 44.

qualiter in diuinis verbum intelligendum ſit, & qua ratione filius Dei verbum dicatur, & quomodo à patre generetur, ex parte quantum humana fragilitas attingere poteſt, declaratum eſt: ſed quid huiuſmodi verbo Ioannes attribuat, audiamus: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipſum facta ſunt, In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum.* Quam ſublimiter de verbo ediſſerit, quàm ſuccinctè percurrit Deo coæternum, conſubſtantiale, coæquale principium: Vitam, lucem aſſerit eſſe verbum: *In principio* (ait) *erat Verbum*: Id eſt ab æterno: Audi rationem, Ab æterno fuit intellectus, ergo ab æterno erat verbum: neque enim Deus ſine intellectu, neque intellectus ſine verbo eſſe poteſt: *& verbum erat apud Deum*; id eſt in eſſentia deitatis. Patet: nam ſi in cæteris naturis per intellectum diuinum producitur verbum, ergo à fortiori in natura diuina: non enim ad propriam tantum naturam ſterilis erit intellectus diuinus, ſicut ſupra diſſeruimus, *Et Deus erat verbum*. Hoc etiam liquet: nam diuinus intellectus, ſicut diximus, nõ fictitias rerum imagines, & intentionalia verba, ſed veras, eſſentiales, & reales formas intelligendo producit, ergo verbum à Deo per intellectum deitatis productum, imago realis, vera, ſubſtantialis eſt deitatis, ergo Deus. Cum enim in forma Dei ſit, non rapinam Deo facit, eſſe & nominari ſe Deum: alioquin ſi alternarius naturæ verbum Dei eſſet, iam non verum deitatis verbum, ſed quaſi fictitium exiſteret: & creatæ & increatæ naturæ vnum & idem verbum eſſet, quod eſt impoſſibile. Quòd ſi Deus erat verbum, ergo ęquale & conſubſtantiale producenti: nam in Deo non eſt diſparitas: etſi in principio, ergo coæternum. Vnde ſequitur, *hoc erat in principio apud Deum*, id eſt, coæternum, conſubſtantiale, & coæquale producenti ſe Deo: Diſtinctionem quoque in diuinis ipſa productio apertè probat: cum nihil poſſit producere ſemetipsũ: Neq; eſt inutilis iſta repetitio, nam prius Deus eſſentialiter, & poſtmodũ notionaliter accipitur, vt reor, *Omnia per ipſum facta ſunt*: & merito quidem, nam cum verbũ ſit vera, plena, eſſentialis, & adæquata imago deitatis, omnia quæ in abyſſo illa immenſa deitatis continentur, verbo referuntur: omnium ergo creaturarũ ideas in ſeipſo formaliter cõtinet, vt primum earum exemplar, & prototypon *Omnia ergo per ipsũ*, vt per exemplarium facta ſunt: *& ſine ipſo factum eſt nihil: Sed quod factum eſt in ipſo vita erat* Nemo hoc dubitat: nam domus quæ non viuit in ſe, viuit in artifice viuo, Sed ſi aliter legere literam iſtam iuuat, grandior eſt ſententia. Lege autem ſic: *Sine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt*: & ſequitur, *in ipſo vita erat*, Id eſt, verbum eſt vita omnium quia omnia ſuſtentat, & omnia ab eo habent dependẽtiam, ſicut eccleſia canit: Pondus rei vertibilis verbo virtutis ſuſtinens: Et Apoſtolus, *Portans omnia verbo virtutis ſuæ*. Sed vnde iſtam dependentiam comprobabimus? Vtiq;, quia Deus erat verbum: ſed ex ratione verbi magis ratio perquirenda eſt, Verbum Dei, ſicut deduximus, omnium creaturarum exemplar eſt, quæ per ipſum in ratione cuiuſdam aſſimilationis, & quaſi veſtigia quædam fiunt: ſicut ergo imago ſpeculi ab obiecti præſentia dependet, & radius à luce: ita etiam à verbo cuncta. *Et vita erat lux hominum*, imo angelorum, imo omnium intellectuum. Hoc ſatis apertè deducimus, Obiectum enim illuminat intellectum ſui præſentia, cum illum vitaliter in ſui cognitionem immutat: cum itaque verbum ſit primum, & vniuerſale omnium, repræſentantiuum omnium, ideas in ſe ipſo continens, in omnium cognitionem omnem intellectum illuminare poteſt, potentius vtique & verius quam obiectum ipſum creatum in ſui cognitionem illuminet; eſt ergo verbum vniuerſalis lux omnium intellectuum: vnde merita beati omnia in verbo videre dicuntur, Sed quia dixit, vita erat lux, inſinuatur per hoc, quòd inde habeat verbum quòd ſit lux omnium, intellectum, vnde quòd ſit via omnium exiſtentium, propter rationem idealem: inde enim dependentiam, inde quoque illuſtrationem ſupra deduximus. *Et lux*

Ioa. 1

Phi. 2.

Ioan. 1.

Heb. 1.

in tenebris lucet. Creaturas maximè corporeas, tenebras nominat: ſicut enim quaſi illius veritatis & luminis vmbræ quædam, formam ſpiritualis ideæ exteriori corpulentia præferentes : vnde propter quandam ſimilitudinem cum exemplatio ſuo, in quandam illius notitiam ducunt: Sicut Apoſtolus ait: *Inuiſibilia Dei , per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur. Sed tenebræ eam non comprehenderunt,* Quia infinitè milius eſt illa lux quam per tenebras repræſentetur, infinitos etiam mundos creabiles in ſe continet, quorum formas hic orbis non refert: vnde quia naturalis hæc cognitio luminis , quæ per creaturas eſt hominum , non ſatis erat ad vitam , *fuit homo miſſus à Deo*, &cæt. Audiſtis quid de verbo Dei euangeliſta ſonuerit, audite nunc Apoſtolum prorſus ſimiliter concinentem. Euangelij enim , & epiſtolæ mira eſt concordia . Ioannes de verbo Dei concinit , & Paulus Dei verbum diffinit, dicens. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ , & figura ſubſtantiæ eius.* Ioannes ait: *Deus erat verbum.* Et Apoſtolus ad filium. *Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi.* Ioannes ait, *omnia per ipſum facta ſunt.* Et Paulus. *Quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula.* Ioannes ait. *In ipſo vita erat lux.* Et Paulus, *portans omnia verbo virtutis ſuæ.* Ioannes ait, *vita erat lux hominum.* Et Paulus, *purgationem peccatorum faciens.* Eſt enim illuminatio purgatio quædam vt Dionyſius ait. Vidiſtis & mirabilem concentum & harmoniam. Non attenditis, quàm dulciter cœleſtes fiſtulæ eodem ſpiritu perflatæ ſibi correſpõdeant? Hæc omnia de verbo Dei & eius productione tam diffuſe deduximus, non quod fidem probare velimus, abſit abſit à nobis tanta vecordia: ſcriptum eſt enim, *Generationem eius quis enarrabit? Non ambulabo in magnis , neque in mirabilibus ſuper me.* Infinitè melius & perfectius verbum & eſt , & gignitur , quam à nobis vel dici vel cogitari poſſit: ſed cum omni humilitate de ſupercœleſtibus ratiocinati ſumus: tum vt abyſſum ſapientiæ in hoc Euangelio abſconditam ex parte demõſtraremus , vt ſciant philoſophi , quia non eſt ſine ſapientia fides: tum vt fidem rationi & veræ philoſophiæ non eſſe contrariam, contra inſultantes paganos oſtenderemus : tum etiam vt viam fidelibus panderemus ad intelligendum, qualiter philoſophi fidei noſtræ ſimilia prædixerunt. Aſſerit enim Auguſtinus, in libris Platonicis eadem in ſententia licet non eiſdem verbis , quæ in hoc Ioannis Euangelico exordio , prælegiſſe. Non Euangeliſta Platonizauit, ſed Plato Euangelizauit. Vndè enim Ioannes inde Plato accepit: licet aliter per ſcalam intellectus noſtri , ſicut ſupra diximus, philoſophia ad diuinum intellectum, & diuinum verbum conſcenderunt, & modo ſupradicto ratiocinantes de verbo Dei fidei ſimilia conſcripſerunt; non ab eis accepimus, ſed omnes à veritate. Scripſit etiam ille Triſmegiſtus philoſophus antiquiſſimus, vt fertur, librum de verbo Dei; & Platonici de eodem verbo multa dixerunt triplicem mundum ſtatuentes, idealem in verbo, intelligibilem in intelligentia, ſenſibilem in rebus. Conſimiliter ad id quod Euangeliſta nunc ait. *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit.* Sed magi Pharaonis in tertio ſigno (ſicut ait Iſidorus) defecerunt ; cum namque de verbo Dei, & de ipſo Deo, multa conſcripſerint, de Spiritu ſancto nihil penitus cognouerunt; quamuis Plato Trinitatem quandam poſuerit, à noſtra non longe diuerſam, ſcilicet, Deum, verbum, & animam mundi , quæ anima Spiritu ſancto quodammodo reſpondere videtur ; ſed non ſicut fides, omouſion , ſed ſubſtantia, perfectione, & dignitate inter ſe diſtantem; cuius philoſophicam inuentionem ſtolide ſecutus eſt Arrius. Quod autem Euangeliſta conſequenter adiunxit. *Et verbum caro factum eſt,* Hoc Philoſophicum ſupercilium penitus ignorauit. Non fuerunt digni huius ſæculi ſapientes , quibus tantum myſterium panderetur , Vnde ſaluator ipſe ſuper hoc Deo Patri ſuo gratias agens ; *Confiteor* (inquit) *tibi pater domine cœli , & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & pru-*

Rom. 1. *Ioan. 1.* *Heb. 1.* *Ioan. 1.* *Heb. 1.* *Ioan 1.* *Heb. 1.* *Iſa. 53.* *Pſal. 130.* *Luc. 10.*

prudentibus, & reuelasti ea parvulis; ita pater, quoniam sic placitum ante te. Verbi potentiam, & excellentiam ex parte attigerunt, sed deiectionem, & humiliationē penitus nescierunt. Imo cum postmodum in orbe ab apostolis prædicaretur,
1. Cor. 1. scandalum illis videbatur tāta dignatio; & quod ad amorem, & laudem prouocare debuerat, incitabat ad risum. Quam è contrario nunc noster Euangelista, vt magnificaret amplius dignationem, ponderauit expressius deiectionem; non enim dixit, verbum homo factum est, sed caro; vt inter extrema distantiora admirabiliorem transitum denotaret. Quid enim verbum? quid caro? In spiritualibus ascende quantum poteris, per angelos, archangelos, thronos, dominationes, & potestates,
Heb. 1. *tanto vtique melior omnibus effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit.* In corporalibus vero descende quantum poteris, nihil carne infirmius, nihil corruptibilius, nihil debilius. Denique sicut propheta ait.
Isa. 40. *Omnis caro fœnum, verbum autem domini manet in æternum.* Filius Dei pro te ò homo sic humiliatus est; & vt Apostolus fortius
Phil. 2. sonat, *exinaniuit semetipsum*, id est, ferè ad nihilum se redegit. Et sicut ipse in psalmo ad patrem clamat. *Infixus sum in*
Psal. 68. *limo profundi, & non est substantia.* Attēde, & considera quid pro tanta dignatione tuo rependere debeas conditori; & non scandalizat, sed inflammat; non perturbat, sed humiliat nos ista deiectio. Non cum philosophis irridemus, sed tāti beneficii pondere victi succumbimus, ad huius verbi sonitum prostrātes nosmetipsos. *Attigit verè sapientiā à fine vsque ad*
Sap. 8. *finem fortiter, vt disponeret omnia suauiter.* Si enim potenter voluisset, multis aliis modis hominē redimere potuisset. Stupēda prorsus tam distantium naturarū, tam intima & indissolubilis vnio, vt sicut in diuinis, in tribus personis vna est substantia, ita & in vero Deo, & homine Christo, in tribus substantiis diuinitatis,
Ber. de consid. ad Eugi. 5. scilicet, anima, & corpore, vna sit persona. Arcem quidem tenet vnitas Trinitatis, qua tres personæ vna substantia sūt; secundo tamen loco illa præcellit qua è conuerso tres substantiæ in vna Christi persona sunt. Quam mirificè in libro regum hæc verbi exinanitio vsque ad carnem, per illam propheræ incuruationē ad puerum designata est, expressa quidē huius rei figura, qua in tota lege signatior non est vlla; sed quia olim eam exposuimus, nunc repetere non est opus. Mira Dei exinanitio vsque ad carnem, mira quoque carnis exaltatio vsque ad Deū. *Inclinauit cœlos*, id est, attributa diuina, *& descendit.* Sed vsque quo? *Et caligo sub pedibus eius. Et ascendit quoque caro, & volauit.* Sed vsque quo? *super cherubim, super pennas ventorum.* Descendit Deus vsque ad mortis caliginem, ascendit caro vsque ad Dei æternitatem; descendit Deus vsque ad passiones carnis, ascendit caro vsque ad proprietates Dei; Deus humanatus est vt caro deificaretur; Deus factus est homo, vt homo fieret Deus. Verbum caro factum est, vt nos à carnis onere, & seruitute liberaret; erat enim ante importabile carnis onus, non tolerabile iugum. *Gigantes gemebant sub*
Iob. 26. passionū *aquis*; & inundantes carnis impetus viri etiam perfecti vix sustinere valebant. Sub grauissima sarcina debilis, & infirma hominum natura premebatur; neque erat qui liberaret à iugo. *Vidit Deus, & misertus est nostri*, miseratus est vicem & sortem nostram, *misit manum suam ex alto, & liberauit nos, & eripuit nos de aquis multis, & de manu filiorum alienorum.* O inæstimabilē dignationem, ò in-
Psal. 143. effabilem charitatem, de throno maiestatis suæ descendens pijssimus, ac clementissimus rex, sarcinam quæ infirmū ac debilem opprimebat hominem, humeris suis accepit, & cum ab onere subleuauit, assumpsit in se carnem, & assumendo curauit, & curando leuificauit. *Ascendit Deus super nubem leuem, & ingressus Aegyptum omnia simulacra Aegypti à facie eius mota sunt*; id est, Deo
Isa. 19. carnem assumente, & mundum intrante, turpia carnis idola, & lubricitatis simulacra corruerunt. Quam mirificè hoc Dei erga nos tam insigne beneficiū Esaias cecinerat olim, qui postquam verbi incarnationem & natiuitatem spi-

Isa. 40. ritualem enarrauerat, dicens, *Consolamini, consolamini popule meus, dicit dominus, loquimini ad cor Hierusalem, & aduocate eam, quoniam completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius, suscepit de manu domini duplicia pro omnibus peccatis suis, &c* Et infra, *omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & reuelabitur gloria domini, & videbit omnis caro pariter, quod os domini locutum est,* adiūgit illico *Vox dicentis, clama.* Quasi diceretur ei, ò ingrate, hæc vides & taces? hæc agnoscis & siles? Tale hoc beneficiū est, vt possis sustinere silentium, & non potius viscera rumpantur præ gaudio, & fauces à laude rauescant? *Clama, & dixi quid clamabo.* Superat omnem linguam istam dignatio, vincitur à maiestate locutio. *Clama* (inquit) sicut potes; & dic, *omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri; Exiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus domini sufflauit in eo.* Et exponens adiūgit. *Verè fœnum est populus, exiccatum est fœnum & cecidit flos, verbum autem domini manet in æternum.* Quid lucidius, quid apertius? fœnum est populus, fœnum est caro, *verbum caro factum est.* Et exiccatum est fœnum, & exaruit caro, Sed quomodo siccatum est? quia spiritus domini sufflauit in eo. Effudit de spiritu suo super omnem carnem, & exiccata est, vt flos eius cecidit. Olim homo per peccatum totus degenerarat in carnem, sicut scriptum est, non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est, carnē illam assumpsit Deus, & totus homo mutatus est in spiritum, Deo facto homine; homines ex carnalibus in spirituales, ex terrenis in cœlestes, ex bestialibus in angelicos demutati sunt, factus est Deus filius hominis, vt filios hominum filios Dei faceret. Vnde Ioannes dicturus quia *verbum caro factum est,* vt huius tanti operis finem vtilitatemque monstraret præmisit; *dedit eis potestatem filios Dei fieri,* non omnibus, *sed his qui credunt in nomine eius,* *Gen. 6.* *Ioan. 1.* *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Sed quid solum autoritatibus agimus? experientiam, si placet, consulamus, & apertius innotescet. Dicite fratres ante Christi aduentum verbo nondū incarnato, quales genuit natura homines, quales filios humanitas procreauit? In tanto temporū curriculo quos legistis virgines? quos cælibes inueniſtis? Vix duo, vel tres, Helias, & famulus eius Helisæus; neque hos virgines quidem legimus; sed vxores habuisse non legimus; cæteri omnes etsi sancti, in coniugio seruierunt. Nunc verò carne à filio Dei assumpta, quot virginum choros, quot cælibum cuneos, quot continentium castra in ecclesia videtis? An non exiccatum est fœnum, & cecidit flos? an nō omnis vigor carnis exaruit, & emarcuit vigor eius, postquam Deo coniuncta est. Cōsiderate post domini incarnationē Aegypti & Palæstinæ eremum: illustrate solitudines angelicis hominibus plenas, qui sic in carne, quasi extra carnem degebant: carnem quidem supra se portantes, sed passiones eius & grauedines ferè penitus ignorantes. Nunquid non in eis caro exiccata, & leuificata erat? nunquid non flos eius ceciderat? & viriditas eius omnis aruerat? Sed vnde siccata, quia spiritus flauit in ea; incalescente spiritu exaruit in eis caro. Quid in eis, obsecro, carneum nisi sola exterior species apparebat? O bone Iesu, quas tibi gratias pro tanto beneficio mundus persoluet? quid tibi reddent homines, quos fere per gratiam tuam in naturam alteram commutasti? grauissimum carnis onus subire non recusasti, vt eam nobis leuificares. Nam etsi carō illa tua sacra, iuxta prophetæ vaticinium, *nubecula leuis fuit,* & totius peccati pondere caruit, tamen hoc ipsum, lassari, fatigari, resolui, esurire, sitire, frigescere, nasci, pati, mori, cæterisque carnis passionibus inculpabilibus subijci, quanti laboris & molestiæ fuit! O durum patris imperium, & grauissimam iniūctionem; considerate fratres, si cuipiam angelo nunc Deus præciperet, vt carneo corpore vestiretur, molestias carnis experiretur, & passiones eius sentiret, quam grauis illi hæc obedientia fieret; nonne alter infernus illi hęc sarcina videretur. Quid si dolores acerbissimos, cruciatus diros, mortem, & *Isa. 19.*

cru-

crucem in ea subire præciperetur, quæ omnia filius Dei vnigenitus pro nobis pati non dedignatus est, vt nos ex hominibus Deos faceret, & in sui gloriam permutaret? Factus est particeps humanitatis nostræ, vt nos participes faceret diuinitatis suæ. Meministis fratres similitu-
Mat. 13. dinis illius euangelicæ, qua regnum cælorum comparatur *fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum.* O admirandam similitudinem, diuina sapientia tria sata farinæ, corpus, animam, & spiritum, hoc est animæ vnius duplicem portionem in Christo fermento deitatis fermentauit, & illud frustum fermentatum toti humani generis massæ in sacramento coniunxit, donec tota electorum massa fermentaretur, & deificaretur. Sicut qui vnum canonem incendit, & illum cæteris commisceat, donec incendantur omnes, vt quos non deificauit assumendo, deificaret sumptus ab eis, & vt ita dixerim illis incorporatus. Nunc autem hæc fermentatio nondum apparet, *quia etsi filij*
1. Ioan. 3. *Dei sumus, nondum apparuit quod erimus;* cum autem Christus vita nostra apparuerit, tunc fermentatio ista publica erit, quia similes ei erimus, & qualis illa portio carnis in Christo, talis omnis massa electorum videbitur. Vnde Psalm. *Cum*
Psal 126. *dederit dilectis suis somnum; ecce hæreditas domini; ecce merces, ecce filij, ecce fructus ventris.* Tunc quid verbum caro factum mundo contulerit apparebit; tunc pars fermentata, & pars azyma notissimæ e-
Mat. 13. runt, *quando fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum, & impij in tenebris conticescent*; quando qualis cœlestis, tales cœlestes; & qualis terrestris, tales & terrestres. Quando natura hæc nostra in quolibet
1 Reg. 2. beato diuino quodam lumine illustrabitur, & ad esse diuinum miro quodam
1. Cor. 15. modo eleuabitur; vt plus quilibet beatus videatur habere de Deo, quam de seipso. Quando sol ille potentissimus nubecula nostræ carnis impressus miris eam coloribus, & candoribus illustrauit;
1. Cor. 12. *quando erit Deus omnia in omnibus*, & filii Dei effecti in illa cœlesti Hierusalem cum Christo domino vero Deo & patre nostro regnabimus, & gaudebimus; cui est honor, & gloria, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Deo gratias.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Sermo historialis.

THEMA.

Apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera aurum, thus & myrrham.
Matthæi 2.

GRandis festiuitas hodierna fratres, neque minori quam natalis domini gaudio celebranda: succedunt sibi mutuo sacra solemnia, ne fidelibus populis deficiant gaudia. Illo die natus est dominus, hodie monstratus est: illo die ex vtero genitus prodiit, hodie radianti sydere manifestatus innotuit. Quid obsecro nasci profuisset, si non dignaretur agnosci Iudæis, Gentilibus, & Paganis? Ignorata quid contulit natiuitas Saluatoris? Grandis vtique misericordia, & redundans gratia, quòd natus de virgine, reuelante se angelo, & prodente cælo, statim his pro quibus nascebatur, innotescere voluit. Intelligite fratres mysteria, perpendite sacramenta: illo die natus est Christus, & hodie desponsatus est: *tunc processit tanquam sponsus de thalamo suo*, dilectæ suæ aspectibus
Psal. 18. præsentandus, visus est, & agnitus ab illa: *& quia speciosus forma præ filijs hominum*, placuit in oculis eius, & amore liquefacta statim properat ad amplexus. O formose puer ab vtero connubia ducis? modo nasceris, & sponsæ iam solatia quæris? ò virgo sacra, nuper edidisti, & iam illum desponsasti? Vna die sponsus & sponsa orti sunt, & eadem hora
Psal. 144. qua nati, desponsati sunt: coætanei inuicem sunt, licet alioquin ille æternus sit. A præsepio, quasi à lectulo, sponsam ad connubia trahit: vocat angelo, vocat sidere, neque lõgas sustinet amo-

ris

ris impatientia moras: patrem & matrē recens infans veste vaticinio nominare
Isa. 8. non nouerat, etiam sibi *Samariam & Damascum in fœdere sociabat.* Consueuerunt parentes aliquando præcoci coniugio copulare infantes, vt se mutuò magis ament, & cum crescentibus crescat amor: firmius enim hæret affectus qui teneris inscritur animis, neque facilè rumpitur amor qui cum lacte bibitur: vnde fit ille amor quasi naturalis, qui in cordibus hominū ab infantia coalescit: neq; iam illa vxor solū, sed quasi soror habetur, q̄ ab ortus initio copulatur. Vt ergo sponsam suam cœlestis infans ardentius te-
Cant. 4. naciusq; diligeret, ab infantia duxit eā: vnde eam in canticis sororem, sponsam vocat: quia, scilicet, cum eo ab vberibus creuerit. Est autem ille sicut speciosus, & dives, ita potentissimus & nobilis, ab altissimo genere originem ducens; illa autem è contrario fusca paululum, & ignobilis, ruralis & rustica, ex Adæ terreni genere orta: timeri poterat, ne fortè adultus despiceret illam princeps pacis, nisi puer ab infantia duxisset eam; vnde illū cœlestis pater, & virgo mater desponsare festinat. O quomodo adamauit eā? O quantum dilexit illam? quid non pro illa passus, quid non aggressus est? durissimos agones, certamina fortia, & periculosa discrimina pro eius amore sustinuit; mille se periculis laboribus & morti exposuit, vt eam sibi coniugio retineret; triginta tribus annis pro ea patri seruiuit duro seruitio, & *videbantur pauci*
Gen. 29. *dies præ amoris magnitudine.* Corpore suo subarrauit eā, spiritu suo ornauit eam, sanguine suo mundauit eam, potenti lauacro, & fortissimo abluit eam, vt exhiberet sibi sponsam acceptabilem,
Ad Eph. 5 sine ruga, & sine macula pulcherrimam. Vnde pulchritudinis eius, quam ipse in ea fecerat postmodum admiratus, exclamat, *& ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum.* Hæc est, festiuitas quam recolimus fratres, ad hanc celebrandam cum gaudio conuenimus. Sacra cœlestis
Can. 1. principis connubia fiunt, læta illius sponsalia celebrantur; ad hoc sapientissimi reges ex oriente venerunt, & in hoc onustos muneribus dromedarios deferunt; legati sponsæ sunt, illius nomine paranymphi veniunt, cum filio virginis inire connubia, dare fidem, & manibus sacris iungere manus. Audierant siquidem procul narrāte sydere, quia de thalamo suo sponsus processerat, connubii fœdera inire festināt, ne prior alia vxor accedat. Psal. 18.
Hoc & Dauid psalmographus olim propheta cecinerat. *Venient legati ex Aegypto, Aethiopa præueniet manus eius Deo.* Ab Aegypto tenebrarum legati destinantur ad Psal. 6.
lucem: & Aethiopissa gentilitas candoris æterni manus anticipat, ne sponsum ei lippis synagoga oculis subripiat, & ablato illo confusa permaneat. Væ tibi misera synagoga, væ tibi stolida, & cæca: illum quem tamdiu expectaueras amisisti. Luc. 10.
O si cognouisses & tu, ò si scires quæ in medio tui agūtur hodie: ecce relinqueris hodie deserta, vidua, sola, & desolata. Sic enim de te propheta vaticinatus fuerat olim: Isa. 1.
Et relinquetur filia Sion sicut umbraculum in vinea: & sicut tugurium in cucumerario Fœdus cum alia firmatum est, & solui non potetit? dedit munera, accepit arrham: nunquam huius sponsæ sponsus fidelis fœdera violabit. Verba fœderis si ignoras agnoscito *Hic est Deus, Deus noster in æternum, & in seculum seculi:* Psal. 4.
ipse reget nos in secula. Legatorum principum verba sunt, qui vt hoc agerent, congregati sunt, & conuenerunt in vnum, hi sunt arietes illi, de quibus alius propheta ptædixerat. *Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes in Nabaiot. Arietes gregis* Isa. 60.
Cedar, id est, obscuræ gentilitatis duces, isti sūt qui nouo pastori nouum offerūt famulatum. Priores isti nascenti Christo venerunt in Nabaiot, id est, Bethlehem, quos reliquum omne pecus quoque sequetur. Sed quomodo tam cito eis innotuit natiuitas Saluatoris? non hominis quidem eloquio, sed stellæ radio. Viderunt radiantem stellam, & ortum esse solem, veluti ex lucifero cognouerunt. Quomodo autem noui syderis idioma perceperint, variè exponitur à diuersis. Chrysostomus à vaticinio Balaam præmonitos fuisse magos affirmat, ex cuius

gene-

genere traxerant fortassis originem: est autem huiusmodi vaticinium in Numerorum libro. *Dixit Balaam filius Beor, dixit homo cuius obturatus est oculus, dixit auditor sermonum Dei, qui nouit doctrinam altissimi, & visiones omnipotentis videt. Videbo eum sed non modo: intuebor illum, sed non prope Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab,* &c. Num. 24. Hanc ortus domini prophetiam (vt dicunt) patres filijs exposuerant, & aguito mysterio, ab illo tempore in monte Victoriano excubias obseruabant, donec sidus optatum apparuit. Sed Augustinus, magisterio angelico illos mysterium didicisse rationabilius iudicat: vel potius, sicut Leo ait, *diuino radio illuminati sunt intus.* Dedit enim aspicientibus intellectum, qui præstitit signū: & quod fecit intelligi, fecit inquiri: & se inueniendum obtulit requisitus: quamuis & ipsa stellæ nouitas, & insolita magnitudo, magnum aliquid portendere videretur: erat namque ab alijs sideribus substantia, motu, situ, lumine, & magnitudine longè diuersa, vt suo radio admirationem quandam induceret & pauorem. Quòd autem nati regis portentum existeret, diuina (vt credimus) reuelatione nouerunt. Ipse enim qui iacebat in præsepio, fulgebat in cælo: & quos sydereo radio illuminabat exterius, diuino lumine irradiabat interius: nam & pastores non angeli solius, sed Dei claritas circumfulsit. Sequuntur ergo superni luminis ducatum deuoti principes, & eorum iustitiæ solem micantis syderis radio perlustrant: regiamque ciuitatem ingressi, noui regis ortum audacter inquirunt. Nequeo satis mirari horum principum animosam fortitudinē: in alio regno, regnante tyranno, nouum perquirere regem, aperti periculi res est: neque potuit latere sapientes viros tam euidens & notorium discrimen. Quomodo putas: ad hac vocem concitatur in eos fera crudelis? quas non parat mortes, quos gladios non acuit ad vindictā? Herodes ille Idumæus erat, & Iudæorum regnum nequiter intrusus violentia possidebat, atque propterea suspectum habebat omnem euentum: quicquid fiebat, quicquid accidebat coniurationem suspicabatur, & sui capitis periculum æstimabat. Nouerant hoc Magi prudentes: nouerant regis immanem tyrannidem, crucem animum: nouerant truculentum hostem, sicarium in populos, in filios & domesticos parricidam: sed animositate ingenua stant intrepidi coram rege, audaciqué eloquio impij tyranni vultus, & ora confundunt. Mira fides, pro eo quem nondum viderant mortem, & extrema omnia sustinere parati: prius cōfessores, quam visores: prius voto martyres, quam oculo inspectores effecti: omni namq; malitia superiorē suam indaginem arbitrabantur: & quia cælestem regem inquirunt, terrenum non formidant offendere principatum. Turbatur ergo Herodes, nimirum quia alienigena tyrannus erat: sed tuò nequissima, ò perfida Hierosolyma, cur ita turbaris? vt quid cum nequissimo tyranno tristaris? Saluator tibi nascitur tam diu optatus, tam longè ante promissus, tot lachrymis & precibus à patribus postulatus, rex potens, & magnus, qui te à seruitute eripiat, qui æmulos tuos sub pedibus conterat, qui te gloria, & honore nobilitet, & exaltet, qui omnium bonorum te affluentia repleat, & amplificet, qui famam, gloriamque tuam super astra euehat, & reponat, quem prophetæ cecinerant, patriarchæ signauerunt, antiquitas omnis feruenti animo concupierat: & tu misera, & cœca, audito eius natalitio turbaris? & quod magis horrendum est, illius mortē excidiumque cum diro tyranno machinaris? quid dicam tibi, ò generatio praua, & peruersa? ò viperarum venenata progenies quid dicam tibi? *Hæccine reddis Deo tuo, Messiæ tuo, Populе stulte, & insipiens?* Hæc sunt natalis eius festiua tripudia, hæc læta iucunditas, hæc gaudia, hi ludi, hæ choreæ, & passim vbique canentium fusa lætitia? Sic saluatori tuo natalitia festa persoluis? sic optati Messiæ genialia solemnia colis? Quis super tanta malitia, & ingratitudine non succenseat? quis aduersus gentem procacem, & malignam non indi- *Deut 32.*

gnetur? Superat verè superat omnem indignationem tãtæ magnitudo nequitiæ, malitiæ pondus, ingratitudinis labes.
Rom. 11. Meritò domine, & benè meritò repulisti eam: iusto iam iudicio dilapsi. Non prout meruit actum est ei, neque secundum
Gen. 27. eius malitiam redditum est illi. Euenit profectò huic populo cæco, quòd cæcutienti Isaac patriarchæ olim contigerat, vt præsentem non agnosceret filium, de quo in futurum multa præuidebat. Sic populus iste, Christum dominũ quem ore prophetico longè ante prænunciauit, corã se positũ non agnouit: ex cæcauit. n. eos malitia sua, nè radiantem lucem perspicerent, quam quærebant. Sed ad Herodem redeamus. Dissimulat callidè vulpina soboles amaritudinem animi, quam ex Magorum nuncio conceperat: senatum conuocat, concilium congregat, legis peritos interrogat, quęruntur de Christo testimonia, conferuntur tempora, discernuntur iudicia: & quò apertius rei veritas aperitur, eò intensius venenatus animus intra se adurítur. Varia ergo secum voluit animo, sententia stat religionem simulare, & Christum dominum interficere. O dementiam singularem. Messiam tot retrò sæculis à Deo promissum, à Prophetis prænunciatum, à patribus expectatum, & nunc demum sydereo lumine demonstratum, insanus homuncio iugulare conatur. Mira hominis stoliditas: vaticinia interrogat, & necem parat. Quid agis Herodes? quid consulis? tunè statum rerum ordinem permutabis? Dei excelsi promissa euacuabis? sacrorum vatum oracula irrita facies? Tunè (inquam) solus aduersus Deum, & homines prævalebis? O hominum stultissime, si prophetiæ non credis, vt quid eam consulis? si credis, vt quid in contrarium niteris? Si vera est prophetia, vtique implebitur: si non est vera, ad quid consulitur? Audi insane, sacri oraculi verba signato.
Mat. 2. *Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel:* Dux ergo infans erit, & velis nolis populum Dei reget: quid tu illi necem moliris? Nunquid non audisti? *Viuo ego* (dicit Dominus) *quia consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet?* Voluntati Dei quis resistet? Si nascitur in Bethlehem, quia scriptum est, ergo, & reget Dei populum, quia itidem scriptum est. Cur prophetiam diuidis? cur eam truncas? Attende maligne quod sequitur, & contremisce. *Et ortus* (inquit) *eius à diebus æternitatis.* *Mich.* 5. In anis bestia, quem insequeris, à diebus æternitatis oritur: oritur ex patre, qui nunc recenter natus nunciatur ex matre: & tu ipsum dolo interficies inique? Miror valdè, & supra modum stupeo horum malignantium consilium, quomodo ista non viderit: neque enim in occulto res erat, si mens non cæca fuisset. Neq; minus detestanda sacerdotum peruersitas, monstrasse viam cæteris, & sicut lapides à milliario immobiles permansisse. Si in Bethlehem natus est Christus, ò pontifices, ò sacerdotes, ò legis periti, vt quid cum Magis non quæritis eum? quare non properatis ad illum? Si Magis non creditis, quid cum Herode turbamini? si creditis, vt quid piè quærentes non sequimini? Quã benè de vobis psalmographus cecinerat olim. *Populus quem non cognoui seruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi. Filij alieni mentiti sunt mihi: filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis.* *Psal.* 17. Ecce enim à longinquo gens barbara, pia solicitudine Christum quærit, quem ingrati filij propè positi videre recusant. Ex tanta namque populi Iudæorum multitudine, neque vnus quidem inuentus est, qui audito tam insigni, & præclaro nuntio, propinquam Bethlehem ciuitatem adiret, & tantæ rei veritatem inquireret: tantus erat illius populi mentis stupor, & hebetudo iudicij. *Mentiti sunt* ergo domino *filij alieni*, dum nequiter cum hoste religionem simulant, & necem parant. *Sed* *Psal* 16. *mentita est* potius *iniquitas sibi, quoniam frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* *Pro.* 1. Et sicut scriptum est. *Non est* *Pro.* 21. *sapientia, non est prudentia, non est consilium contra dominum.* Miro itaque Deo consilio facti sunt ostensores, cuius

ius voluerunt esse proditores: locum natiuitatis vafra vulpecula diligenter interrogat, vt suo scrutinio pios quæsitores instituat. Ipsa ergo eius fraus quam parabat, in perniciem versa est; Sic domine, sic astutos in astutia sua comprehendis, & consilia prauorum dissipas: sic sæua malitia documentum pietatis exhibuit, & pio desiderio fraudulenta nequitia doctrinæ ministerium præbuit. Sed iam perfidos istos omittamus, & ad pios principes redeamus. Magis intrantibus Hierosolymam, stella disparuit, quoniam lucidioris oraculi hemisphærium subintrauit. Quàm ergo solaris fulgor obscurare non potuit, prophetiæ claritas adumbrauit: humanum enim flagitantes consilium diuinum amisere ducatum: & conuersos ad terrenum documentum cæleste deseruit signum: grandi vtique, ac notando mysterio, vt qui fidei certo lumine ad Christum dirigimur, diem hominis, id est, philosophicam lucem, vlterius non quæramus: humanæ enim sapientiæ caligo clarum fidei nostræ sydus potius obnubilat, quàm illustrat. Quo fit, vt experimento sæpè didicimus, vt qui nimium cupit esse philosophus, facilè desinat esse Christianus. Propter hoc igitur, dum ab hominibus nati regis ortum inquirunt, eiusdem regis fulgidum ducem amittunt. Sed ad quid obsecro, gentium reges Iudæorum regem inquiritis? *Vidimus* (inquiunt) *stellam eius in oriente, & venimus cum muneribus adorare eum.* Adorare, ò reges, propter quid adorare, potentiores apud vos reges sunt, & clariores principes quos colatis. vt quid reges gentium, exiguum Iudæorum regem adorabitis? Venit olim à finibus vestris regina, sed audire sapientiam Salomonis, non adorare Salomonem: & tamen in regibus Iudeorum, quis Salomone potētior, quis ditior? Iudæa sui ortum regis ignorat, & vos ab orientis initio ipsum adorare venitis. Agnoscite fratres horum sapientum notissimam fidem: nunquam enim, vt Augustinus ait, tam ardenter, tam feruidè adorare cuperent regem Iudæorū, nisi ipsum etiam crederent regem esse sæculorum. Hæc fides Magorum animos ad inquisitionem pueri concitabat: hæc eos ardenti desiderio in natum regem propellebat. Gestiunt videre visionem illam magnam, spectaculum visu dignissimum, Deum humanatum, Deum, & hominem vna hypostasi vnitum. Egressus ergo ab vrbe præuius eis dux superemicat, quem amiserant. Bone Deus, quo exultant gaudio, quanta replentur corde lætitia? Vnde Euangelista. *Gauisi sunt* (inquit) *gaudio magno valde.* Duplici namque lumine syderis, & legis directi feruntur: consonat oraculo sydus, recta eos via ducens in Bethlehem, & duplici fides testimonio roboratur: inflammat eos etiam loci propinquitas, quia propè iam est, vt videant quod exoptant. Feruent itaque pia corda cælesti rorata tripudio, conceptumq; non valent viscera sustinere feruorem. Properant quantes natum videre regem, & longa fit omnis desiderio mora: appropinquant oppido fulgidum sydus sequentes, & rei exitum expectantes: diuertit sydus ad propinquam porticum, mimentorum potius quàm hominum vsibus aptam. Mirares, sistit desuper proximum tectum, rotatur, voluitur, tripudiat, scintillat, radioque velut digito, quæsitum regem ostentat. Stupent nouitate viri, neque enim aptum erat principi tectum: desiliunt equis conciti, domusque penetralia lustrant. Intus virginem decoram vident, vultu venusto, facieque pulcherrimam, verecundam, solam, tremulam, sedentem in angulo, gestuque pauentem: virginem speciosam valdè, decoris portentum maximum, qualis non fuit ab initio altera, neque futura est in æternum. Hæc adequorum, dromedariorumque strepitum pauida, infantem præsepi locauerat, fœnoque condiderat: neq; enim soli veniebant gentium proceres, sed multa suorum familia comitati, sicut decebat reges extranea regna petentes. Vndè Propheta. *Inundatio* (inquit) *camelorum operiet te. Dromedarij Madiam, & Epha, omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes, & laudem domino annunciantes.* Inspiciunt se mutuò principes, tan-

Hier. 17.

3. Reg 10.

Esai. 60.

to decore perciti, beneuoleque salutant. Quid (inquiunt) hic agis, ò decora puella: quænam hic causa manendi? quænam es? aut vnde veniſti? eſtne tecum aliquis? quis te deduxit huc? eſtne tibi filius? Durum verbum acutus gladius virginis viſcera ſcindens: ſilet, vultu pallida, ſanguinem namque pauore totum cor rapuerat. Quid enim tunc anxia virgo faceret? mentiri non poterat, filium prodere non audebat: ſilet ergo, neque tamen locum ſilentio præſtat repetita quæſtio: inſtant reges acrius, pacis, & amoris ſigna præſtantes: proditur itaque aſpectibus decorus infans, præſepique à matre leuatur. O magnum ſtupendumque miraculum: tremunt cuncti viſo puero, timore magno turbantur, vultus crineſque eriguntur, pauimento procidunt maieſtate perculſi, & ad virginis pedes timore proſtrantur. Prædixerat hoc Pſalmographus olim, cùm
Pſal. 47. iſtorum prophetaret aduentum. *Reges* (inquit) *terræ congregati ſunt, conuenerunt in vnum, ipſi videntes ſic admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti ſunt, tremor apprehendit eos.* Et rurſus in E-
Mat. 2. uangelio. *Procidentes adorauerunt eum.* Sicut enim paſtores videntes cognouerunt, de verbo Dei non hominis magiſterio docti: ita & Magi iacent, purpurati principes ad virginis pedes, & pannoſum infantem regia celſitudo paueſcit. Quid ſentis, ò virgo tuam quid nunc concitat mentem? quid eſt quod vides? Qualis potens aquila tremulos cum ſuperuolitat turdos, talis virgo regia barbaros circumſpicit reges. Dicite nunc principes, quænam vos potentia terret? quid vidiſtis in matre, quid vidiſtis in filio, quid vidiſtis in virgine, quid vidiſtis in puero. Non ſub poplite ſella regalis, non de membris purpura, non de capite diadema fulgebat, non ibi turba famulantium, non terror exercitus, non ſplendentium fragor armorum, non ſerica veſtis, & aurum, non purpura, & oſtrum: quid vos concitat reges, quid vos timore conturbat? Magnum profectò aliquid latebat in puero, quod principes illi oculis lynceis inſpexerunt: leo in agno, gigas in paruulo, Deus in puero, maieſtas immẽſa ſub teneri corpuſculi cortina latebat: & radiantiſſimus ſol ſub leui carnis nubecula latitabat, qui eos ſuæ claritatis radio perculit, & proſtrauit: Poſtquam igitur aliquando proſtrati conceptum timorem digeſſerunt, recepta fandi fiducia, diuinum infantem adorant: myſticas ei munerum ſpecies offerentes humiliter adorant. Aurum regi, thus Deo, mortali homini myrrham offerunt: acceptumq; manibus ſuis puerum, viritim delatum ſummo cum gaudio & reuerentia colũt. Lachrymantur omnes præ lætitia, & veluti carbones igne ſpiritus ſuccenduntur. Quis horum principum deuotionẽ, & mẽtis feruorem explicare queat? Quis eorum lætitiam exultationemque recenſeat? Cui comparabimus viros iſtos fratres, aut cui aſſimilabimus eos? Si leonibus, fortiores ſunt: ſi aquilis, velociores ſunt: ſi lyncibus, perſpicaciores sũt. Properant ab oriente celeres, velut ad prædã aquilæ immenſa terrarum ſpatia breui dierum circulo peruolantes. Vnde propheta poſt præfatum illorum vaticinium, celeritatem admiratus exclamat.
Eſai. 60. *Qui ſunt iſti qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?* Non eos ardua regnorum negotia, non domeſtica cura, non numeroſa familia, non vxor, non filij, non diſponendarum rerum multitudo detinuit: non diu detinere conſulunt, non in longum prottahunt, non expenſas, & victualia parant: ſed viſo ſydere, omiſſis omnibus inter quo ducuntur arripiunt, viamque cum omni celeritate percurrunt. Tanta erat illis auiditas videndi myſterium. De fortitudine verò, & conſtantia quid dicam? Fremit tyrãnus, turbatur ſacerdos, excandeſcit vulgus, præſentemque intentant omnia mortem, ſydus abſconditur, puer natus ignoratur, populus qui gratulari debuerat de tanto nuncio perturbatur, & perſtant in negotio fortes, conſtanter cœpta ſectantes. Non eos tyranni crudelitas, non populi malitia, non ſyderis deſertio, non ignorata natiuitas ab incœpto de-

terruit:

uerunt: non eis ſtabulum ſordet, non paupertas, & præſepe vilet, non pannis offenduntur, non de matris ſolitudine, & inopia ſcandalizantur, ſed difficultate augetur animus, & obſtaculis conſtantia roboratur. Iam verò quanta fuerit in eis fidei perſpicacia, res ipſa oſtendit: nulla viderant adhuc infantis miracula, nulla prodigia, nõ eum maria calcantẽ, non mortuos ſuſcitantem, non cæcos illuminantem viderant, non eius ſapiẽtiam nouerant, non doctrinam audierant, & tamen in ſumma rerum egeſtate, & vltima humilitate Dei maieſtatem agnoſcunt, & colunt, carnis velum mentis acie penetrantes, & poſt parietem noſtrum gloriæ regem intuẽtes Mira quidem fides latronis, quæ Deum orauit Luc. 23. in patibulo: ſed non minor Magorum, quæ Deum coluit in ſtabulo. Agnouit ille pendentem, iſti lactentem: ille gementem, iſti plorantem, ille clauis affixum, iſti pannis inuolutum: ille vita exeuntem, iſti intrantem: ſed ille forſan eius opera audierat, iſti verò nihil in eo audierant, quod notarent. Quibus autem verbis, quibuſue gaudiorum lachrymis, puerum, & matrem honorauerint dicere quis ſufficiat? Inſtant, orant ſupplices, totaque virginem deuotione precantur, vt eorum ſuſcipiat fidem, & gratum habeat famulatũ. Diuitias quoque, ſeruos, & regna offerũt in obſequiũ, grãdem ſibi fæliciratem accidiſſe putantes, ſi tantam dominam reges habere cõtingat, cui obediant, cui ſeruiant, cui ſe totos, & ſua impendant. Neq; tamen monitis paret virgo ſobria, ſed placidè dimiſſos ad hoſpitia mittit: vbi nocte eadem inſomnis angelico edocti oraculo, ne redeant ad Herodem, *per aliam viam* ouantes, & læti *reuerſi ſunt in regionem ſuam.* Poſtmodum verò authore Chryſoſtomo, adiuncti Thomæ, fidem catholicã populis prædicauerũt, & ad regna cœlorum fæliciter migrauerunt. Hæc de hiſtoria: Eamus, & nos fratres, & natum ſaluatorem cum iſtis ſapientibus inquiramus, non iã in præſepio iacentem, ſed in throno regnantẽ: non pannis inuolutum, ſed gloria, & honore coronatum: non in ſinu matris cubantem, ſed ad dexteram patris ſedẽtem: non in bruterum conſortio, ſed in angelorum frequentia dominantem: quæramus eum non ſyderis: ſed fidei radio. Hæc viæ noſtræ dux certiſſimus, hæc ad dominum ſaluatorem recto tramite nos deducet, & regem maieſtatis in decore ſuo monſtrabit. O quiſquis gloriæ dominum in æterna fælicitate videre ſitis, ne declines oculos à fulgore huius ſyderis, ſi vis peruenire quo cupis. Quæramus autem eum ardenter, quæramus diligenter, quæramus perſeuerãter: non nos rerum temporalium proſperitas detineat: non infortuniorum aſperitas deterreat: per varias ſortes, per mille diſcrimina rerum, calcantes ſæculi huius blandimenta fallacia, in regni cælorum gloriam properemus. Sed non appareamus in conſpectu eius vacui, offeramus & nos principi noſtro donaria, non de theſauris noſtris, ſed de ſuis: *quis enim prior dedit, & retribuetur ei? Tua ſunt omnia* (inquit Dauid) *& quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Offeramus ei de theſauro temporalium, aurum: de theſauro corporis, myrrham: de theſauro cordis, odoriferum thus. Hic rectus eſt ordo, vt primò temporalia largiamur: qui enim non libenter dat ſua, quomodo donabit ſeipſum? Aurum illi offert, qui temporales diuitias quas poſſidet, in toto, vel in parte Deo dicat, vel pauperũ vſibus tribuit. Sed qui Deo largitur diuitias, contemnat quoque pro Deo delicias oportet. Quid namque proderit eleemoſynas affluenter facere, & turpibus delectationibus ſordidari? Qui enim dixit. *Si quis non renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*, ipſe quoque dixit: *qui non tollit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus* Placet Deo eleemoſyna, quam carnis continentia comitatur. Reliquiſti diuitias, bene feciſti: adijce adhuc, vt relinquas delicias, & placita erit Deo oblatio tua. Myrrha amara eſt, ſed corporibus vtilis & proficua, præſeruat enim corpora à corruptione, vermibus, & liuore. Talis eſt omnis continentia, & pœnitentiæ

Deut. 16. Rom. 11. 1. Par. vl.

Luc. 14. Mat. 10.

disciplina hac carnes præseruantur, ne libidinibus putrefiant, sicut scriptum
Ioel. 1. est: *Computruerunt iumenta in stercore suo.* Tantum caueas, ne sit nimia, attenuet carnis virorem, non extinguat virtutem, non effundatur, sed distilletur,
Cant. 5. sicut scriptum est. *Digiti mei distillauerunt myrrham*, Iam si quis hæc duo munera libenti animo Deo obtulit, poterit de cordis sui thesauro odoriferam thuris oblationem offerre: de qua
Psal. 140. psalmus. *Dirigatur* (inquit) *oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* In homine enim carnali, & curis temporalibus implicato, quis locus est deuotionis, & laudis? qui verò à temporalibus expeditus, & carnis inedia maceratus, seipsum, & sua domino dedicauit, deuotionis, & laudis in corde suo reperiet oblationem. Istæ sunt phialæ odoramentorum aureæ,
Apoc. 5. quas Ioannes vidit in Apocalypsi, id est, pura corda spiritu, & deuotione plenissima. Quantum Deo grata sit huius thuris oblatio, propheta commemorat, vbi ait. *Sacrificium laudis honorificauit me,*
Psal. 45. *illic iter quo ostendam illi salutare Dei.* non quidem in paupere tugurio, sed in excelso gloriæ solio: ad quam nos perducat ipse Iesus Christus dominus noster, cui cum patre, & Spiritu sancto est honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

DOMINICA IN SEPTVAgesima.

THEMA.

Quid hic statis tota die otiosi?

DVbitabit forsitan aliquis, quomodo non aduersatur diuinæ iustitiæ, & æquitati hæc æqualis operariorum inæqualiter laborantiũ præmiatio, cum scriptum sit, reddet vnicuique iuxta opera sua: & Apostolus aperti-
Psal. 61. us: *vnusquisque præmium accipiet secundum*
1. Cor. 3. *suum laborem:* quomodo ergo inæqualiter laborantes, æqualiter præmiantur? Nec videtur satisfacere quæstioni responsio patris familias, *amice nõ facio tibi*
20. *iniuriam:* non possũ facere de meo quod volo? Fatemur domine, ita est: non facis iniuriam: tua est gloria, tuũ est regnum, quicquid volueris iustum est, etiam si euertas omnia quæ creasti: attamẽ ex quo statuisti & decreuisti præmiare vnumquẽque iuxta merita sua, sicut scriptum est, *opus hominis reddet ei*: quomodo po
Iob. 34. test fieri, vt inæquales adæques? nunquid
Act. 10. acceptio personarum apud Deum? Aduertite fratres & intelligite: non repugnat hoc diuinæ iustitię, & legi datæ: quia in labore non solum quantitas attenditur, sed etiam qualitas laboris, & intentio & voluntas, & charitas laborantis. *Non aspicit Deus quantum, sed ex quanto*; homines aspiciunt manus, Deus intuetur cor. Vidua quæ duo æra misit in ga-
1. Reg. 16. zophylacium plus omnibus emisit corã Deo. Gloria respondet merito, sed meritum non consistit tantum in quantitate
Luc. 21. laboris, quantum in volũtate & charitate laborantis: nã sancti & iusti sine difficultate ieiunant, orant, & seruiunt Deo: imperfecti maiorem habent laborem, quia minus diligunt: nunquid ideò magis præmiabuntur? In humanis & hoc reperitur. Adducis operariũ ad vineam, & das ei argentum pro labore: adducis pictorem, vel lapidariũ vel aurificẽ, & das ei aurũ: quid præmias, laboris quãtitatẽ, an non potius qualitatẽ? Nũquid operarius ille cõqueri potest apud te, quod sustinuit pondus diei, & æstus, & minus accepit? Ad non ei responderes, tuus labor maior est, sed minus valet, quia tu in gleba operaris, iste in gemma? sic est fratres, valor & meritum nostri operis & laboris, non ex quantitate, sed ex voluntate & charitate est: illã attendit Deus: præmiat laborem non ex magnitudine sed ex valore. Hoc ipsum attendere possumus, si volumus, in istis operarijs. nam in quibus labor minor, in eisdem voluntas & charitas maior: nã primi conducti sunt, vltimi non sunt cõducti, sed solo verbo obedientes laborauerunt. Sic omnino euenit: populus ille Iudæorum mercenarius fuit & conductus, omnia faciebat pro præmio & terrenis pollicitationibus. Vnde dominus per Prophetam. *Quis est ex vobis*

qui

Mal. 1. *qui altare meum incendet gratuito ? non est mihi voluntas in vobis* (dicit dominus) *quia non liberè, & ex amore seruitis : quis enim gratum habeat dominum vel seruitium mercenarij* ? Populus verò Christianus qui vltrò vocatus est ad vineam, non sic, sed & amore, & charitate, sed & omnia sua pro domino exponit, tam longè est vt temporalia quærat. Vnde Apostolus:

1. Cor. 15. *Si in hoc mundo tantum expectantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Et licet expectet æternum præmium, non tãtum pro illo seruit, sed pro charitate. Vnde dominus ad ecclesiam sponsam suam

Cant. 4. *Oculi tui columbarum*, simplices, non respicis mercedem cum seruis: non ostendis amorem, & prętendis mercedem. Hoc est quod facit laborem & opus gratissimum & acceptissimum coram Deo. Ex quo magnum & vtile documentum fratres: non tam aspiciatis ad operis magnitudinem, quantum ad intentionem & charitatem. Deo ex solo amore seruietis pro seipso, pro sua bonitate, & quia debetis, non pro mercede etiam æterna : *charitas enim non quærit*

1. Cor. 13 *quæ sua sunt. Affectus est non contractus* (ait Bernardus) *amo quia amo : amo vt amer.* Nõ debes diligere Deum sicut domum, palliũ, aut vineam pro vtilitate tua : & quo minus prætendis, magis mereris præmium. *Purificate corda vestra duplices animo* (ait Iacobus) id est, qui cum Dei

Iacob. 4. amore vestri amorem immiscetis. Secundò notanda est illa murmuratio operariorum. Quomodo potest cadere in beatis murmuratio? Placet quod dicit hic Chrysostomus in expositione parabolarum, non omnia exquisitè exponenda, sed intentio parabolæ sequenda, nam plurima dicuntur secundum literam, quæ consonant historiæ; & non consonant expositioni: nam ad literam loquendo, videbatur quod illi haberent iustam rationem murmurandi. Sed si placet exponere, optima est expositio beati Hieronymi, quod intelligatur de murmuratione admirationis, quia ratio nostra non attingit diuinam prouidentiam, & diuinam iustitiam, quæ regulatur ratione æterna. Dum non capit, videtur ei iniustitia, & quodammodo enititur, & in ecstasim & admirationem ducitur. Sic in beatis magna est admiratio diuinorum iudiciorum, cum videant plurimos tota vita in peccatis in fine conuersos, & aliquando martyres pro domino extitisse, & breuissimo tempore ab idololatris & blasphemis magnos sanctos esse superatos. Vnde tertiò valdè notanda est illa sententia : *erunt nouissimi primi, & primi nouissimi* : quia in Dei seruitio non tam attenditur quantitas temporis, quam feruoris, & diligentia. Non ergo superbiant qui in iuuentute vocati sunt, & longo tempore seruierunt: nec diffidant qui in senectute redeunt ad Deum: Nam si diligentes fuerint, possunt & alios superare, sicut scriptum est,

Sap. 4. *Consummatus in breui compleuit tempora multa.* Hoc & in congregandis temporalibus diuitiis solet euenire, vt vnus plus ditescat vno anno, quàm alius multis annis : & multò magis in spiritualibus, quæ ex Dei gratia & voluntate dependent. O si illam diligẽtiam adhiberemus in spiritualibus, quam exhibent in temporalibus mundani, quam citò essemus magni & diuites : ò quomodo sudant, quomodo vigilant pro vana mercede. Vnde in nobis tanta paupertas, nisi ex negligentia & otio? Quia vitam inutiliter expendimus in vanitatibus. Ex hoc prouenit illud quod quarto notandum est, & valdè timendum: quod multi sunt vocati, pauci verò electi: multi operarii, & pauci consequuntur mercedem. Oquã timenda sententia, & quam expauescẽda. Quis hoc dicit, nisi ille procurator cui commissa est præmiare operarios? Credite mihi fratres, credite quod sæpius admonui, sæpius clamaui: nisi viriliter laboraueritis, vltra plebem & communem vitam, non recipietis prẽmium. Væ miseris qui laborauerunt, & labores suos perdiderunt, & pro labore inuenient iguem. Recordamini fratres quòd operarii estis, quòd ad vineam vocati estis: operarius qui tota die ludit & saltat, comedit & bibit, & non laborat, quam mercedẽ in nocte accipiet à domino suo, nisi verbera & fustes? Operarius, rex

mag-

magnus, episcopus religiosus, fœmina, & omnis homo diligenter exerceat officium suum, & perficiat opus suum. Princeps & regulus, qui totam vitam quam in regendo exercere debebat, expouit in ludis, & venationibus, & vanitatibus, quomodo præmiabitur? Episcopus qui in vanis negotijs implicatur, & relinquit ouile, quid accipiet? Religiosus tepidus, qui non arat, neque seminat, si non orat & laudat, quid accipiet? Fœmina aulica, quæ diem totam sedens expendit, desidiosa quid accipiet? Similiter & aulicus qui neque habet officium, neque curam populi, vel animarum; quando ipse operarius est, operetur. Recitent, legant bonos libros, operentur manibus aulicæ dominæ, aliquid pro altaribus elaborēt. Hoc honorabile, & honestum, & sanctū est, vt in conspectu vestro, ò regina, laborent vestræ pedissequæ, virgineſque aulicæ. Fiet duplex bonum, nam non erunt otiosæ, & fiet eleemosyna pro ecclesiis, & bonum exemplum in alias emanabit. Etenim in laudem mulieris sanctæ ait Spiritus sanctus. *Quæsiuit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum: panem otiosa non comedit.* Nam multa mala docuit otiositas: grande malum otiositas, & radix omnium malorum, & sentina omnium vitiorum. *Otium* (ait quidam) *est vini hominis sepultura*: homo otiosus inutilis, nasci nō debuerat. Frustra natus est, lapis marmoreus est, trūcus arboris: ncus sine flore, & sine fructu, solum aptus ad ignem: in desideriis est omnis otiosus, viuens mortuus est. Otium est mater vitiorum, nouerca virtutum, sentina immunditiæ, fomentum peccatorum, ianua inferi. Aqua limpidissima si stagnatur, & immobilis torpet, statim putrescit, & corrumpitur, & malè olet, & generat algas, & immunditias, & culices, & venenata animalia: sic anima otiosa putrescit, & generat turpes cogitationes, & appetitus, & mille malitias, & nequitias ex mala inclinatione naturæ, vt agnoscamus quales sumus, quòd oportet nos occupari, nè putrefiamus. Vnde dominus per Ezechielem. *Ecce hæc fuit iniquitas sororis tuæ Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius:* ex hoc prodiit illa nefanda turpitudo Sodomæ. Et quid horum obsecro deest in palatio? Dauid in bello sanctus, in otio adulter, & homicida: Salomonem dilectum otium, & opulentia idololatrare fecerunt: omnia mala ex otio prodeunt, & omnis egestas, & omnis tentatio diaboli. Hieronymus ad Rusticum. *Semper te occupatum diabolus inueniat.* Apostolus. *Nolite locum dare diabolo.* Auis quamdiu volat secura est, si sedet, & quiescit, sagittariorum insidiantium sagitta perfoditur. Noui ego religiosam fœminam, quæ dum non haberet quid faceret, ligna ex vno loco ad alium deferebat, nè otiosa esset. Etverè omnium tentationū non solùm præseruatio, sed & optima medela est occupatio, vt docet experiētia. Religiosus quidam fodiebat arenam in feruore diei, ne otiosus esset: interrogatus quid ageret, respondit: occido illum, ne occidat me. Vnde nobis fratres ista tepiditas, & otiositas? nempè ex cæcitate, & ignorantia: quia non agnoscimus, vel non aduertimus periculum nostrum: vitæ præsentis statum non consideramus, in quo positi sumus: & quòd sumus operarii. Vnde quatuor sunt, quæ nos mouere debent ad vitandum otium: primò, magnitudo negotii, quia regnum, & regnum cœlorum perpetuum negotiamur: exemplū de illo, qui hic in cancellaria litigat de dignitate, de bonis. Secundò breuitas tēporis, quia in ictu oculi, & momento vitę præsentis, negotianda est futura æternitas. Tertiò, magnitudo periculi, nam si ita esset, quòd perdentes regnum saltē manerent, vt paruuli non baptizati, in aliqua vita mediocri sine pœna, satis magnum esset malum Deum amittere, & gloriam: sed nō sic est, sed oportet, vel regnare, vel ardere, vel in domo Dei esse, vel in carcere, & igne perpetuo. In tanto discrimine quis dormiat? Quartò multitudo hostium circumstantium, qui quotidiè ædes nostras, expilaturi iubeunt per fenestras, & in nullo alio occupantur, nisi vt perdant nos. Vnde Petrus:

Prouer. 33.

Eccles. 33.

Θτῆ δάνα

Ezech. 16.

Vide B. Iordanū de Saxonia lib. 2.

1. *Reg.* 24. 2. *Reg.* 11.

Rom. 12.

Fratres,

1. Pet. 5. *Fratres, sobrij estote, & vigilate*, &cæt. Sumite exemplum mundanorum. O cum quanta solicitudine, & diligentia laborant pro vili præmio: exemplum officialium, ò si sic laboraremus. Debent nos prouocare exempla sanctorum, ò quam diligenter die, ac nocte operantes, quãta temporis parsimonia, quam modicum dormiebant. Arsinius dicebat, monacho *sufficit vna hora ad somnum*: & cum manibus operabatur, tunc orabat. O quam breues dies, ac noctes? Et tu ais: non habeo quid faciam, in quo expendam tempus? Hoc dicis, quia *animalis es, & non percipis ea, quæ sunt Spiritus Dei*: quia nescis mente operari, sed solis manibus: nescis laudes, nescis meditationes, nescis discutere conscientiam. Vnde quidam illorum sanctorum monachorum dicebat. *Si viuerem annos Mathusalem, mihi deesset tempus ad cõmemorandum Dei beneficia, & deploranda mea peccata.* Audi bonum operarium. *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum. &cæt. Anticipauerunt vigilias oculi mei, cogitaui dies antiquos, &c. Quid ergo statis hic tota die otiosi?* Hic vbi acquirenda fœlicitas, hic vbi paranda corona, hic vbi lucrandum stipendium, hic vbi tantum animæ periculum, hic non ad horam, sed tota die, tota vita otiosi perditis vitam, consumitis tempus pretiosum. Nunquid potestis dicere, *quia nemo nos conduxit*? Non verè. Ecce conduxerunt vos prophetæ, Euangelistæ, Apostoli, tot doctores, tot martyres: venit de cœlo filius Dei, vt vos conduceret, & nos quotidie sermonibus vocamus, excitamus, prouocamus, nè perdatis mercedem cum multis, & labores vestros, & operas. Videte, quomodo vos admonet Paulus in Epistola conformiter ad Euangelium. *Fratres, nescitis quòd hi qui in stadio currunt, &cæt. Sic currite vt comprehendatis*: currite rectè, velociter, cautè. Rectè: nam quid prodest currere extra viam, *Ego* (inquit) *sum via*: Hæretici, & pagani extra viam currunt, omne bonum quod operantur amittũt, non assequentur brauium. Currite velociter, & diligenter, nam pigri in medio itineris lassantur: non attingunt brauium. *Viam* (inquit) *mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*: in odorem vnguentorum tuorum currimus. Christus *exultauit vt gigas ad currendam viam*, nisi velociter cucurreris post eum, fugiet tuos oculos. Currite cautè, sunt in via lamiæ, præcipitia, & laquei, de quibus Psalmus. *In via hac qua ambulabant, absconderunt superbi laqueum mihi.* Ecce religiosus benè currit, & offertur materia exeundi à monasterio, & perijt: cecidit in laqueum diaboli. Alius dum eleemosynis intendit, & bonis operibus, adhæret mulieri cui fauet, & cadit. Quid fuit nisi lamia quædam? Alius dum corripit fratrem de peccato, fit iurgium, & ira, & odium maximum. Quid fuit nisi præcipitium in via? *Videte* (inquit) *fratres quomodo cautè ambuletis, quoniam dies mali sunt*: id est periculosi. Nos ergo fratres, proponentes coram oculis brauium, curramus propere: & proponentes mercedem, laboremus indesinenter, semper habentes in memoria illud Apostoli. *Momentaneum hoc, & leue tribulationis, & laboris æternum supra modum in sublimitate pondus gloriæ operatur in nobis.* Ad quam nos perducat Iesus. Amen.

Deo gratias.

Psa. 76.

1. Cor. 9.

Ioan. 14.

Psal. 118.

Psal. 18.

Psal 139.

Ephes. 5.

2. Cor. 4.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

THEMA.

Exijt qui seminat, seminare semen suum.
Lucæ 8.

QVanta sit vtilitas prædicationis, apertè ostendit mundi conuersio: nam sic resonãtibus tubis Apostolicis mundus conuersus est: versi in Ecclesia Dei nunc aliquid est vitoris, & virtutis, hoc facit assidua prædicatio verbi Dei. *Nam* verè (vt ait Isai.) *nisi dominus exercituum reliquisset nobis semen verbi sui, quasi Sodoma fuissemus.* O quãta obliuio, quanta negligentia, quantus contemptus

Isai. 1.

esset: quomodo inundarent omnia peccatis: cum etiam inter tot reprehensiones, & exhortationes abundent satis delicta. Innumeras enim vtilitates facit verbum Dei in anima, vt ait Bernardus:

Vtilitates verbi Dei.

nam frænat eam à peccatis, viuificat, illuminat, inflammat, mundat, pascit, confirmat, sanat, fecundat, emollit, & totius boni capacem facit. Etenim verbum Dei est frænum, vita, lux, ignis, cibus, medicina, virtus, & purificatio cordium. Longum esset hæc omnia discutere, & ad hoc vix sufficeret totus sermo hodiernus, sed ex authoritatibus scripturæ hæc omnia breuiter comprobabo. Quod frænet, & cohibeat à peccato, patet ex

Psal. 118. Psalm. *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Quod mundet à peccato commisso, patet ex Euangelio. *Et vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Quod viuificet animam, patet ex Euangelio. *Verba quæ ego loquor vobis, spiritus, & vita sunt* Quod illuminet mentem, patet ex psalmo. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* Et iterum. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Quod inflammet, patet ex psal. *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Quod pascat patet ex Euangelio. *Non in solo pane viuit homo, sed ex omni verbo quod procedit de ore Dei* Quod sanet patet ex psalm. *Misit verbum suum, & sanauit eos.* Quod confirmet, patet ex psalm. *Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis.* Quod emolliat patet ex Psalm. *Emittet verbum suum, & liquefaciet ea.* Et in Canticis. *Anima mea liquefacta est.* Quod fœcundet patet ex Propheta. *Sicut descendit imber de Cœlo & nix, & inebriauit terram, sic verbum meum,* &cæt. O quam vellem ista omnia latè discutere, & experimento astruere, si tempus adesset, & ad alia non properarem. Videant qui contemnunt audire sermones quantis bonis priuant & expoliant animas suas. Nec mihi dicas sapiens sum, literatus sum, habeo in domo mea sermones Augustini, Bernardi, Chrysostomi, quos legam: nã litera mortua est, vox viua. Habet enim nescio quia latentis energiæ viua vox, quod non habet litera. *Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens, &c.* Non sic litera; plus enim mouet sermo, quam lectio; prædicator enim vox Dei est, qui loquitur in illo. Non venis audire hominem, sed Deum in homine. Item spiritus sanctus cooperatur verbo: amplius sicut scriptum est, *prædicauerunt vbique domino cooperante, & sermonem confirmante, &c.* Quantos peccatores induratos, & vidimus, & legimus, ex auditu verbi Dei fuisse conuersos, mutasse vitã, emendasse mores? Sed dices, non video hodie tantam vtilitatem in auditorio, cum tanta frequẽtatione sermonum. Verum est; Quid hoc facit? indispositio terræ, in quam semen cadit, nõ defectus virtutis in semine. An non vides in Euãgelio ex seminato semine vix quartam partem peruenisse ad fructum, propter malè dispositam terram? Vtinam vtinam hodie ex tanto auditorio, vel quarta pars fructificaret, vt debet; multi hodie auditores, & pauci factores. Vidimus ergo iuxta literã quid impediat à fructu. Tria impedimenta legimus in litera, scilicet, duritiam siccitatem, & spinas: ex quibus sumũtur tria genera auditorum inutilium, qui audiẽdo non proficiunt. Primum ergo impedimentũ est duritia: scitis fratres quomodo agricolæ emolliant terram, ideo iuxta viã non fuit fructus, quia terra dura & cõculcata, quem fructum debet facere sermo Dei in corde peccatoris obstinati, indurati? qui per decem annos fuit in peccato mortali, exercendo vsuras, habendo concubinam, rancorem, & odium proximi, retinendo, & furando, & non restituẽdo, ludendo, & blasphemando, ab hoc corde resilit statim sicut grando: non apprehẽdit, non mouet, non excitat affectus, nõ deuotionem, nõ horrorem peccati, non timorem inferni, non desiderium salutis; & si omnes scripturas cum magno feruore prædices, non excitabis in eo vel tantillum contritionis, doloris, timoris, compunctionis. Hoc propter nimiam duritiem quam fecit peccatum diutinũ in ipso, & diuturna consuetudo peccãdi: vnde aut dormiunt audientes sermones,

Luc 4.

Ibid.

Ibid.

Psal. 106.

Psal. 110.

Psal. 147.

Cant. 5.

Isai. 55.

Heb. 4.

Mar. 16.

aut

aut loquuntur, aut quasi tracti ex capillis cum magno tædio retinentur. Et ita quia verbum Dei nullam facit impressionem in corde eorum, veniũt dęmones, & rapiunt verbum de memoria statim, aut conculcant ipsum. Hoc est enim verbum quod cecidit secus viam: nam corda talium publica sunt, nullam habent custodiam, via publica per quam transeunt dæmonia. Sine impedimento, & contradictione, sicut ait Iob, vadent, & venient horribiles super eum: & ideo quasi plenam habentes potestatem super eos, statim deuorant verbum, & radunt à memoria, nè fortè conuertantur, & pœnitentiã agant. Contra hos loquitur Apostolus, cum ait. *Per singulos dies adhortantes vosmetipsos, nè obduretur quis in vobis fallacia peccati, scitis enim fratres, quot sudoribus & laboribus agricolæ arent, scindant, & emolliant terram, antequam seminent, vt molli gremio quasi mater terra recipiat, & foueat semen, vt sic hæreat, & radices emittat.* Sic sic oportet ante sermonem quotidie examinare, discutere conscientiam, admonere, exhortari corda nostra, ne peccatis obdurẽtur, & fiant sterilia. Hoc primum, & maximum impedimentum est, hoc est pessimum genus auditorum, in quibus propter duritiam nulla fit impressio, nullus sensus, nullus gustus, nulla cõmotio: *quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia*, &cæt. *Hi sunt filij diffidentiæ*, quia de eorum salute parum cõfidimus, quoniam nec libenter verbum audiunt, sed cum tædio & fatigatione. Vnde secũdum Euangelium, signum hoc est æternę reprobationis: *quia qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Sunt filij huius sæculi, & in his quæ sæculi sunt non fatigarentur, audire fabulas, & cantilenas per viam, sed verbum Dei non sustinent per horam. Secundum impedimentum est sterilitas & siccitas terrę, quia non habet humorẽ, id est, tepiditas cordis non habentis humorẽ spiritus, charitatis, & deuotionis, quia non pluit dominus super illam cęlestem rorem, & pluuiam illam, quã segregauit hæreditati suæ. Magnum malum fratres tepiditas, etsi non adsunt multa grauia peccata. Apoca *Vtinam calidus*, &c. Quia anima tepida debilis est, & fragilis ad omne bonum. Vnde isti licet aliquando audiant libenter, & cum gaudio sermonem, & hora qua audiunt excitentur, & cõmoueantur ad lachrymas, tamen quia non habẽt humorem deuotionis, statim siccatur omnis illa viriditas orto sole tẽtationis, vel tribulationis, quia non habent vigorem, & virtutem implendi, & perficiendi bonos affectus, & bona desideria quæ conceperunt, sed in herba siccantur, De quibus Psal. *Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam euellatur exaruit: de quo non implebit.* Audistis fratres sæpius quoniam bonorum affectuum, & desideriorum infernus plenus est: non enim secundum desideria, sed secundum opera reddit Dominus vnicuiq; in iudicio. Vnde fratres prouenit ista siccitas, & ariditas, & tepiditas cordium in nobis? Vtiq; ex duobus: aut ex defectu orationis, & exercituorum spiritualium, quia vt diximus, anima longo tempore nõ irroratur rore cœlesti, & imbre illo spiritus. Vnde Psalm. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi* Idem Psalm. *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meam.* Aut ex calore concupiscentiæ consumere paulatim omnem humorem & vigorem spiritus, calor enim carnis deficcat animam, & quò magis homo sit carnalis, eò magis desinet esse spiritualis. Vndè Propheta: *Ignis est vsq; ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina:* & ex hac tepiditate prouenit debilitas ad omnia bona. Vnde Psalm. *Quoniam declinauerunt in te, mala cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.* Tertium impedimentũ fructus est, spinarum & herbarum nascentiũ multitudo, quæ suffocat semẽ, id est, cupiditas. Felices religiosi, qui terram cordis mundam habẽt ab istis spinis: fæculares licet habeant spinas, videant nè suffocent semẽ multitudo. Vidimus plurimos aptos, ingeniosos, capacissimos, magni iudicij, & sensus, negotijs mercaturæ & diuitijs implicatos, omnẽ illam aptitudinẽ perdere. Prõ indignũ facinus tot bona ingenia, tã malè feriata; quę si in diuina sapiẽtia expẽderentur, fuissent insignia. Hi cũ

Iob 20. Heb. 3. Sap. 1. Eph. 2. Ioan. 8. Apo. 3. Psal. 128. Rom. 2. Psal. 142. Psal. 101. Iob. 31. Psal. 20.

gaudio audiunt, & multum delectantur quando sunt in sermone, sed statim egressi de Ecclesia, rapiuntur ad negotia, ad officia, ad curam superfluam, vel ad voluptates & gaudia mundi: & sic verbum Domini obruitur, & suffocatur spinis curarum, & solicitudinum, & voluptatum. Ad quos Hierem. 4 *Nouate vobis nouale, nolite serere super spinas, quia non oritur semen*: sic enim faciunt agricolæ radicitus euellentes spinas, & purgantes terram. Impossibile est Deo fructificare, & mundo, nequeunt hæc conuenire simul. Coangustatum est stratū cordis, itavt alter decidat: oportet purificare cordis agrum à cupiditatibus, & concupiscentijs, & delicijs mundi, eum qui fructificare Deo vult. Bernardus *Delicata est spiritualis consolatio, & non dabitur admittentibus alienam*. Et hoc impedimentum est, quod maximè nocet, quia magis vniuersale est. De his Apostolus ad Hebræos 6. *Terra sæpè venientem super se bibens, &c.* De his Iob etiam sub sentibus delicias computabat. Vbi attende, quòd diuitiæ, & voluptates spinæ sunt: pungunt curis, & appetitibus & stimulis cōscientiam. Diximus quid impediat nè verbum Dei proficiat auditoribus: dicamus nunc quas cōditiones debet habere bonus auditor, vt proficiat. Tres ponit dominus in themate, dicens: *Hi sunt qui in corde bono*. Prima, quod audiat corde bono & optimo. Audit corde bono qui audit libenter, & cum gaudio, & sine fastidio: audit corde optimo, qui audit intentione, & desiderio proficiendi. Debet ergo audire hilariter, & vtiliter. Sicut nō parum refert quomodo cibus capiatur in stomacho, sic non parum refert auditorem verbi Dei quomodo recipiat sermonem ad fructum. Sunt qui audiunt cum tædio, & hora fit lōga: hi quomodo proficient? sunt qui audiunt libenter, sed curiosè, quærentes sibi magistros prurientes auribus. hi delectationem quærunt & non fructum: paleam, & non granum: verborum ornatum, & nō sensum. Hi volunt audire elegantias, facetias, quæstiones subtiles, & vanam rethoricā, non doctrinā: de quibus Dominus ad Ezechielē: *Et tu fili hominis*, &c. Et quę sequuntur. O stulte ardet domus tua, & ignis omnia deuastat, & tu expectas rethoricam, & compositam orationem? Intratur Ciuitas ab inimicis, & iam iam in periculo es dānationis æternæ, & spectas suauia verba? In re tam seria pigmēta verborum requiris, & vento solo pasci desideras, nō pasci solido cibo? Exemplum; si quis Rex procuratori suo in negotio arduo mitteret literas, vt solicitè negotiaretur, & ille immemor negotij, laudaret characteres, admiraretur efficaciam, & orātum literarū, quomodo ei succenseret rex? Sic omnino Dominus dedit nobis Euangelium, & sacras literas ad negotiandum regnum Cœlorum, si tu solam rethoricam attendis, stultissimus es virorum. De his dominus ad Ezechielem vt supra. Secunda cōditio est, quòd verbum retineat, & memoretur, nam si semen non radicatur in terra, non faciet fructum, videns certè quòd tota hyeme latet absconsum in visceribus terræ, vt benè radicetur. Gregor. Si cibus non retinetur in stomacho quid prodest homini? Et si libenter audias sermonem, si statim obliuiscaris, modo perficies quod commendatum est: *Maria conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo*; quia optima terra erat, in qua Deus verbum suum seminauit: & in lege dicitur, animal quod non ruminat, immundum est. Iacobus huiusmodi comparat viro considerāti vultum suum in speculo, *considerauit se & abijt, & statim oblitus est qualis fuit*: sic isti tempore quo audiunt, conscientias suas in lumine verbi Dei aspiciunt, & maculas suas vident, sed egressi Ecclesiam statim obliti sunt quales se viderint. O si hanc curam habuissetis, quàm docti, quàm sapientes essetis, cum quotidie tantam doctrinam audiatis. Sed cum deberetis esse magistri propter tempus, facti estis quibus lacte opus sit, nō solido cibo: quia verbum Dei auditum non ruminatis, & non conseruatis. Tertia conditio est, *& fructum afferunt in patientia*, id est, efficaciter perficiunt, alias quid prodest audire, nisi in damnationem? *nam scienti & nō facienti peccatum est* illi: *non enim audito-*

Iob. 30.

2. Tim. 4.

Ezec. 33.

Luc. 2.

Leu. 1.

Iac. 1.

Heb. 5.

Iac. 4.

Rom. 1.

ditores, sed factores legis iustificabuntur. Vnde dominus in Euāgeli. *Viri Niniuitæ surgent in iudicio contra generationem istam, &c.* quia illi vno sermone, & breuissimo Ionæ conuersi sunt ad pœnitentiam, & nos tot sermonibus non conuertimur fratres. Lex Euangelica non tam est theorica quam practica, finis eius est opus maximè & non scire. Sicut ergo si quis optimus pictor, vel artifex, vel medicus nō operaretur in illa arte, vana esset scientia: sic & tua Christiana philosophia non prodest, si non operaris. Sed quid est quod addit in patientia? Vnde quia nemo repente fit summus, ad crescendū in virtute & perfectione, patientia opus est, sicut ad sapientiam. Non attendas quasi bene die quātum profeceris, sed post annum. Væ illis qui sustinentiam perdiderunt, qui desperantes de profectu virtutis tradiderunt se omni spurcitiæ, & immunditiæ, & sæculi voluptatibus. De hoc optima parabola in Euangelio. Simile est regnum Cœlorum, quemadmodum si homo iaciat semētem in terram, & dormiat. Mitte bonum semen doctrinæ in agro cordis, nam illud seruatum producit herbam desideriorum, calamū propositorum, spicam virtutum, fructū operum. Deo gratias.

Mat. 12.

Simile.

DOMINICA IN QVINquagesima.

THEMA.

Ecce ascendimus Hierosolymam. Luc. 18.

SAncta mater Ecclesia vt animet nos ad sustinendum rigorem quadragesimæ, in primis propont nobis Ciuitatem Hierusalem, quò tendimus: deinde exemplum Christi, quod imitemur; deinde cæci illuminationem, ad petendam lucem oculorum, ne errremus viā. De hoc ascensu hodie locuturi sumus. Quoties supernæ illius Ciuitatis gloriam, & fœlicitatem, & magna, & ineffabilia dona quæ in ea dominus præparauit diligentibus se, considero, & tepiditatem, & frigiditatem nostram quam leuiter a deam fœlicitatem afficimur quā paruifacimus, quam denique neglectui habemus, & quasi post habentes illam contemnimus, hæreo, obstupeo, ac voce, verbisque ad dicendum prorsus destituor. Si in rebus terrenis modica spes lucri tēporalis arriserit, feruet animus, glitcit, ebullit desiderijs, & cupiditatibus feruidis; ad æterna illa, & ineffabilia fuera, nullus est animi motus, nulla cupiditas, nullum desiderium: alget, & frigescit cor nostrum; neque etsi mille cōsiderationibus, & adhortationibus satagas in illo excitare desiderium; statim algescit, & gelatur, & in suam pristinam redit frigiditatem. O deplorandum algorem, ò gemendam miserandamque duritiam: ò magnum pessimumque miraculum. Ad leuia accendimur, in magnis algescimus. Vnde hoc? nunquid ex incredulitate? non vtique; & credimus, & scimus, & nulla de hoc est nobis ambiguitas. Nunquid ex diffidentia? non licet mali speramus, tamen cōfidimus, & Christi passione, & Dei nostri misericordia, ad illam gloriam peruenire. Vnde ergò tam miserabilis contemptus terræ desiderabilis? Vtique aut quia regnum illud spirituale est, & ego carnalis sum, venūdatus sub peccato, & ideo in corde carnali non fit impressio, neque sigillatio illius tanti boni præpediente duritia peccatorum: aut quòd absit, quia nō sumus eiues illius Ciuitatis, & ideo non possumus inclinari naturaliter in illā: vnusquisque enim ad suam patriam naturaliter inclinatur. Ciues Babylonis non delectat audire de canticis Siō, neq; in illis recipiunt gustum, sed ad suam potius Ciuitatem inclinantur, & in ea oblectantur. Filij lucis amplexantur lucē, filij tenebrarum diligunt tenebras. Audite quendam de filijs & ciuibus veris illius Ciuitatis, quomodo gliscat, quomodo concupiscat, quomodo ardeat ad illam. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria domini; cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Et iterum. *Lætatus sum in his quæ dicta*

Rom. 7.

Psal. 136.

Ioan. 12.

Psal. 83.

Psal. 121.

dicta sunt mihi, in domum domini ibimus, eum visuri, & cū illo in domo eius quasi domestici, & familiares perpetuo mā suri, & cum illo regnaturi in æternum. Idcirco dissoluor gaudio, non me capio præ lætitia, dū hæc considero; nec trāsit hoc gaudiū, non frigescit, sed stat, & permanet in corde meo; *stantes erāt pedes nostri*, affectus, & desideria, *in atrijs tuis Hierusalē*. Non ad terrena dilabuntur illico, licet hic viuamus, sed *nostra conuersatio*, nostrum gaudium *in cœlis est*; ibi est *cor nostrum. quia ibi est noster thesaurus*. O dilecta, & splendida atria Hierusalem, chori Angelorum, Archangelorum, Dominationum, potestatum, Apostolorum, Prophetarum, Martyrum, Virginum, Confessorum, in his atrijs speculandis, visendis, contemplandis, lustrandis, perambulandis ciues oblectantur, in his vitam expendunt: hæc sunt sua gaudia, & suæ deliciæ. Non enim ibi tantum vnum est atrium, vel vna mansio, sed magna prorsus atria, & multæ mansiones. Vnde sequitur: *Hierusalem quæ ædificatur vt Ciuitas*, in qua innumeri ciues, varia officia, grandis multiplicitas, pulchra nimis, admirabilis politia. Quis ordinem, pacem, tranquillitatem, conformitatem, legem, statuta, decreta illius tam innumeræ multitudinis in illa Ciuitate degēris. cuius gubernator est Deus, valeat explicare? Non est ibi discordia, non dissensio, non iurgia, non lites, quia non est ibi meum, & tuum, sed omnia communia. Vnde sequitur: *Cuius participatio eius in idipsum*. Non partitur, non diuiditur hæreditas illa in hæredes, sed tota est omnium, & tota cuiuslibet est. Sicut sol iste quem vides, sic omnium est, quod totus est tuus: nihil enim de illo partitur, sed totus te calefacit, & illum: sic tuum hortum implet arboribus, & floribus, quasi solum impleret atque nullum. Sunt autem in hac Ciuitate duplices ciues, quidam naturales & antiqui, spiritus scilicet Angelici, qui in ea creati sunt, & ab initio sæculi permanserunt: alij aduentitij, qui de foris aduenīūt. De his adiungit. *Illuc enim ascenderūt tribus, tribus Domini.*

Psal. 121.

Philip. 2. Matth. 6.

Psal. 121.

Apostoli, Martyres, Confessores, & Virgines de hoc nostro rusticano pago, & quotidie ascēdunt: sed ad quid? *ad confitēdū nomini Domini*. Hoc est opus, hoc officium, hoc exercitium totum illius Ciuitatis, laudare, benedicere, glorificare nomen Domini, regem, & principem illius Ciuitatis. Hoc faciunt in æternū, & nunquam deerit materia laudis, quia nunquam sufficiet copia laudatoris. Sicut alibi dicitur. *Beati qui habitāt in domo tua domine in sæcula sæculorū laudabūt te*. Vnde in Apoc. de illis animalibus, & senioribus legitur: & non habebant requiē dicentia, *Sāctus, Sāctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, &c.* O qualis laus, qualis musica tantorū cātorū cōcinentiū: quæ lætitia, quis iubilus, quæ festiuitas in tanta varietate, & multitudine laudantium: ò quis ibi adesset. Exemplum est de musica centum cantorūinuitat Propheta Ecclesiā ad cōsiderandā, & contemplandā hanc festiuitatē, dicens. *Respice Sion Ciuitatē solennitatis nostræ*, imò solennitatē Ciuitatis nostræ. Oculi tui videbunt Hierusalē Ciuitatem opulentam: tabernaculū quod nūquam transferri poterit, neq; auferentur claui eius in sempiternum: & oēs funiculi eius non rūpentur. Populū imprudentē non videbis, populū alti sermonis, ita vt non possis intelligere disertitudinē linguæ eius, in quo nulla est sapientia, id est, infantis baptizati, differentis post baptismum: neque Demosthenes, neque Aullius, neque Plato, neque Aristoteles, tam diserte & sapienter loqui sciunt. Non fuerunt tales oratores in mundo, neque tales cantores, qualis ille puer. Vnde cū Dominus Ioannem Baptistā cunctis mortalibus prætulisset, cōparans ipsū ad ciues illius ciuitatis ait: Qui minor est in regno Cęlorū, maior est illo. Si talis eloquētia, & sapientia, talis laus & musica in paruulis, qualis in magnis, qualis in spiritib⁹ illis supremis? O rēpublicā ornatissimā, populū nobilē, sapientia præditū mirabili, fulgentē, nitidū, purū, generosū. quis nō optabit viuere in tali societate? quid non sustinebit homo libenter? quid non patietur,

Psal. 83.

Apoc. 4.

Mat. 11.

be-

bestias, ignes, tormenta, cruces, vt vnus sit in perpetuum de tali societate? quid tam crudele? quid tam acerbum in mundo, vt per illud homo non iocũdè trâseat ad tantã felicitatem? *Ingrediatur putredo in ossibus meis*, ait propheta, *& subtus me scateat*. Fiã vt Iob, putridus & vlcerosus, plenis vermibus in sterquilinio, dũmodo quiescam in die tribulationis, & ascendã ad populũ accinctum nostrum, populũ istum, fulgidũ, & gloriosũ Hæc est fratres mei, Ciuitas ad quã ascendimus: ad hanc lætitiã, ad hanc festiuitatem, ad hãc gloriam properemus: nemo torpeat, nemo lassetur, nemo causeturascensus difficultatẽ, sed terminũ viæ cõsideret, & quietem. Si ad hanc gloriã obtinendã mors, & sanguis, & tormenta perterentur, vt in martyribus, libenter omnia pati deberemus: non indicitur nisi breue ieiuniũ, & leuis pœnitẽtia pro peccatis. Quã leuis & facilis est ascensus ad tantam gloriã, &c. Vnde in canticis. *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani*. angulos, cedris altissimis incorruptibilibus, candidissimis, columnas, Apostolos, & Prophetas (*superædificati supra fundamentũ Apostolorum & Prophetarum, &c*) argenteas, vocales, sonoras, in omnem terrã exiuit sonus eorũ: reclinatorium aureũ, sinus est patris, in quo quiescit cũ sanctis suis: ascensus purpureus, ex sanguine: sic ipse ascendit, tradetur enim gentibus ad illudendum, sicut ascẽderũt Apostoli & Martyres. O Domine, quàm pulchrũ est ferculum, sed ascensus arduus: quis ascendet per illũ? Sed nolite diffidere, nam media charitate constrauit, propter filias Hierusalem tenellas & delicatas: sanguinem in charitatẽ, crucẽ in amorẽ cõmutauit. Non exigitur hodie à te Christiane mors, non sanguis, non supplicia, ama & regna: quid facilius quã amare? O quam constrata est via, & quã plana, vt diligendo peruenias, quò peruenit Laurentius patiendo: & quis non potest diligere? Hæc est via non iam ascensus purpureus, sed via regia: quam cõmendat Apostolus in Epistola dicens: *Adhuc altiorem viã vobis demõstro, linguis hominũ loquar, &c.* Ecce fratres, *non habemus hic ciuitatẽ manentẽ, sed futurã inquirimus. Iã non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei.* Veros ergo vos filios & ciues huius ciuitatis ostẽdite, primo in huius miseræ Babylonis contẽptu. Quid vobis cũ diuitijs, & delicijs, & honoribus terrenis, qui tantã gloriã, & honorẽ, & lætitiã expectatis, imò habetis in cœlo? nõ finit nobiles, & generosos, & illustres ciues tãtæ ciuitatis, ad tã vilia, & indigna deiici, & humiliari, neq; liberos, & ingenios os sub iugo, & seruitute peccatorũ premi. Relinquite ita filiis, & ciuibus Babylonis, illi gaudeãt, exultẽt, lætentur, & gloriẽtur in sua Ciuitate: ad vos peregrinos, & exules, qui quotidie exilium vestrũ deploratis, hæc gaudia non pertinent. Vnde Iob. *Quid misero data est lux & vita his qui in amaritudine sunt? qui expectant mortẽ, & non venit, &c.* Secundo ostendite in festinatione, in desiderio vestræ ciuitatis: nõ recedat à memoria, sẽper attendite & præ oculis habete quod dicitur, *ecce ascẽdimus Hierosolymã*. Siue comeditis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, hoc cogitate, hoc pensate, in illa defigite corda vestra, & nõ erit vobis graue quicquid acciderit: memoria enim Hierusalẽ leue vobis faciet omne quod agitis. An nõ videtis fratres, exules huius mundi, & captiuos, siue detentos, quando soluuntur à vinculis, quanta auiditate, & celeritate properãt in suã patriã, in qua habent parentes, amicos, filios, & domesticos, & diuitias? quomodo penetrãt montes, peruolãt colliũ culmina, hyemes, frigora, pluuias contẽnunt, sũmo diluculo ad iter accincti, & celeriter percurrentes omnẽ vię difficultatem, donec perueniãt in patriã? Nõ eos detinẽt ludi, no festa, non choreæ ciuitatum quas pertrãseũt, non itineris deliciæ, nõ ædificiorũ, & turriũ insigniũ illustria ędificia; sed omnia contẽnentes atq; cõculcãtes, pperãt quo desiderãt, absorpti omnino in illo suæ patriæ gaudio, & sperãt, desiderio cõsequẽdi stimulati. Sic sic omnino agite fratres, festinem⁹ ingredi in illã requiẽ, vt ait Apostolus. Tales vos ostẽdite viatores, omnia huius sæculi arbitramini vt stercora, vt ad cœleste gaudium

Ephe. 2.

Heba. 3. *Iob.* 2.

Cant. 3.

Ephes. 2. *Psal.* 18.

Heb. 13.

Iob. 3.

Heb. 4.

dium peruoletis. Ostendam vobis regiũ viatorem quem sequamini, prophetam dico illum regium, quem nec diuitiæ, nec deliciæ, nequecorona, aut honor regius, non bella, non negotia, ab hoc cælestis patriæ desiderio, & festinatione detinebant. Vnde ait: *Super flumina Babylonis, &c quoniam illic interrogauerunt nos;* Psal. 136. *quomodo cantabimus canticum domini, &c. Si oblitus fuero tui Hierusalem, adhæreat lingua, &c. Si non proposuero te Hierusalem, &c.* O verba ignita, ò feruidum viatorem. Ita est fratres, obliuiscitur dextera, & lingua palato adhæret. *Si* desit memoria Hierusalẽ; torpet manus in opere, si Hierusalem non haberur in corde. Quid enim fecit martyres tam dira supplicia pati, nisi memoria Hierusalem, quid anachoritas, monachos solitarios, quasi syluestres, sine omni solatio humano viuere, nisi memoria Hierusalem? quid hodie replet monasteria, & facit fœminas imbecillas moniales relictis parentibus, & cognatis, spretis maritis, ac filijs, & coniugijs, & solatiis, in monasteria velut in sepulchro recludi, nisi memoria Hierusalem? Torpet vtique manus in opere, si Hierusalem non haberur in corde, adhæret & lingua palato. Hinc est, quòd sæpius videmus viros cõtemplatiuos & deuotos, ignita, & dulcia, & efficacia verba proferre, qualia nescit literatus, & theologus peritissimus in scriptura sentire. Vnde hoc, nisi quia mente lustrat cœlestem Hierusalẽ, à qua cæleste didicit idioma: *& ex abundantia cordis os loquitur*; habet enim vnũquodque regnum suum idioma, quod Mat. 12. Mat. 26. Ioan. 3. nescit alienum: & sicut Petro dictũ est, *loquela tua manifestum te facit*: nam qui de terra est, de terra loquitur; & ciuis Babylonis Babylonicum submurmurat idioma: semper de negotijs, & diuitiis, & honoribus loquitur. Sed ciuis Hierusalem loquitur idioma Hierusalem, & de patria sua loqui delectatur, de Deo, de gaudijs beatorum, de æterna fœlicitate, de spiritualibus, de scripturis sãctis, quibus peruenitur ad illã: in hoc exercetur die ac nocte, legendo, meditando, cõtemplando, loquendo de sua Ciuitate Hierusalem, donec finito exilio ad eam perueniat, vbi gaudeat, & lætetur cum aliis ciuibus, Angelis Dei, in gloria, ad quam nos perducat. Amen.

PRO ALIO SERMONE de eadem Dominica.

SEcundo, dicendum est de præparatione viæ. Quiviam asperam per mõtes, & prærupta collium cacumina, longam aggredi debẽt, tria faciunt; primo exonerant se, vt possint celeriter ascendere; secundo informant se de itinere, & si via difficilis sit accipiunt ducem itineris ne errent: tertio accipiunt viaticum, si in via non est vnde se sustentent. Hæc omnia nos facere debemus: primo oportet exonerare nos à curis, & solicitudinibus quæ onerant cor, vt possimus ascendere: nam ascensio in corde fit: sicut scriptum est. *Ascensiones in corde suo* Psal. 83. *disposuit*. Vnde non tam res sunt quæ onerant quantum ipsa cura & cupiditas diuitiarum. Oportet vt nudus nudum Christum sequaris: de quo ait Psalmus. Psal. 18. *Exultauit vt gigas ad currendam viã*; quia ab omnibus temporalibus expeditus erat Secundò oportet vt te informes bene de itinere, num sit obscurum, & incertum. Hæc informatio fit per sacras literas, & Euangelium, quod non oportet dimittere de manibus, semper attende semitas sanctorum, & non declines ab eis. Si dixerit tibi aliquis. *Hic est Christus, aut illic: noli credere*. Respondeei. Ostulte, dimittam ego viam martyrum, & sanctorum, de quibus constat quòd sunt in cœlo, & sequar te vilissimum homuncionem? quod si non es certus de via? consulo vt accipias bonum confessorem, ducem sanctum, & doctum, & illi vitam tuam reueles, vt reducat; ne fortè *si cæcus cæcum duxerit, ambo in foueam cadãt*. Tertio, oportet accipere viaticum, dominicũ corpus frequenter; hoc est quod instaurat vires, & virtutem præstat, & confortat valde viatorem, ad ascendendum. Væ qui tanto bono se priuant ad annum solum communicantes: quid mirum si deficiant statim in itinere? Hic est ille Mat. 15.

pa-

panis subcineritius, in cuius fortitudine ambulamus vsque ad montem Dei Horeb. Restat modo vt de conditionibus viatoris dicamus: has ponit psalm. *Quis* (inquit) *ascendet in montem Domini?* rarus vtique, & valdè rarus, respondet: *innocens manibus, &c.* Quatuor conditiones, innocentia vitæ, munditia cordis, diligentia operis, veritas oris: has debet habere qui vult ascendere; nulli noceat, sit sine querela, in omnes beneficus, puritas in cogitationibus & desiderijs, diligentia in opere, semper bene operando, & veritas in ore non fallendo, non mentiendo. Hic est verus ciuis Hierusalem: nam ibi hæc omnia sunt. Non est ibi nocens, omnes se diligunt: non est macula, omnes puri: vnde quia in lucifero inuenta est macula in corde, statim proiectus est de cœlo; non est otiositas, omnes occupati in laude Dei; non est mendacium, nam viscera eorum omnibus patent. Deo Gratias.

3. Reg. 19.

Psal. 8.

SERMO IN FERIA SEXTA ante primam Dominicam Quadragesimæ.

THEMA.

Diligite inimicos vestros, benefacite, &c.

AVgustinus in sermone ait. Multi præcepta domini sua imbecillitate, & non sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia quæ præcepta sunt, & dicunt sufficere virtutibus non odisse inimicũ, cæterũ diligere, plus præcipi quã humana natura patiatur. Dicũt enim, quomodo possum diligere illum, qui ex animo me odit? qui mihi omnibus modis nocere procurat: qui famam meam denigrat? qui sanguinem meum sitit, & mortem procurat? meorũ operum sugillatorem, mearum virtutum detractorem? Hunc si non odio habeo, satisfacio: & si ei malum pro malo non reddo; diligere tamen talem hominem, & ei bene facere perfectio est, supra hominem angelicum est potius quam humanum. Non nego quod esset bonum, sed non capit in homine tanta perfectio. Quam benè congruit istis illud poeticũ. *Noctua Phœbeum visu non sustinet orbem, hoc Iouis armigero putat esse negatum.* Sic quod ipsi non valent, omnibus reputant impossibile. Sed absit tanta blasphemia, vt Deum dicamus impossibilia præcepisse. Hieronymus ait. *Qui dixerit Deum impossibilia præcepisse, anathema sit;* sic enim transgrediendo præceptum nõ videretur homo peccare, quia ad impossibile nemo obligatur. Non solum impossibilia non sunt diuina præcepta, sed neq; difficilia, sicut Apostolus ait. *Et mandata eius grauia non sunt.* Et dominus in Euangelio. *Iugum meum suaue, & onus meum leue.* Et Psalm. *Omnis consummationis vidi finem;* id est, vsque ad vnguem dominica præcepta seruaui, & quod experientia inuenio, *latum mandatum tuum nimis.* Sed homini carnali, mundano, vitioso, ac propterea fragili, & debili, & infirmo, non habenti virtutes, & gratiæ vires, grauissima apparent; non quia in se grauia sint, sed quia ipse non habet vires ad portandũ ea; sicut seni decrepito, & puero modica onera grauia sunt. Est autem hoc eis graue, quia non intelligunt dominicũ præceptum, non enim vt sonat intelligendũ est. Nam hoc quod diximus in themate, aliquid habet de præcepto, aliquid vero de consilio. Inimicus enim diligendus est sicut proximus, & non est excludendus à dilectione generali proximorum, quia per hoc quod factus est inimicus, nõ desinit esse proximus, neque tamen nouam obligationem addidit vt diligatur malè volendo, & persequendo. Teneris ergo non odisse, non persequi, non desiderare ei malum, non excludere eum ab orationibus tuis generalibus, & in extrema necessitate vt proximo succurrere, & si in mortali est, vt proximum corrigere, & vitam æternã generaliter, & Dei gratiã in animi præparatione ei velle, sicut ijs proximis. Cæterum ei familiariter loqui, & temporaliter diligere, & extra casum necessitatis ei benefacere sicut amico, hoc consilium est, non præceptum. Vndè dominus non ait. Ego impero, ego præcipio vobis, sed, ego autem dico vobis,

Deus non præcipit impossibile.

Dei præcepta facilia.

1. Ioan. 5. Mat. 11.

Psa. 118.

quia hoc plus habet consilium, quàm
Mat.5. præceptum. Vnde ait: *Estote perfecti, quoniam Pater vester perfectus est.* ostendens hoc magis ad perfectionem, quã ad necessitatem pertinere. Verum est, quòd (vt ait quidam doctor) si vides inimicum tuum esse in mortali, quia odit te, & verbo tuo gratioso putas leniri posse, & ex mortali eximere, videtur quod tenearis, & debeas illum alloqui: plus enim debes dolere de suo peccato, quàm de tuo dãno: sicut & peccãtem corripere teneris, si correptionem susceperum esse credis. Liquet ex hoc, quòd licèt consilium de diligendo inimico sublime sit, & perfectum, sed præceptum temperatum est & leue, aut non nimis graue, sicut putatur. Sed nobis fratres, qui euangelicam perfectionem quærimus, qui domino placere cupimus, & eius monita & consilia pro posse seruare curamus, non opus est distinguere ad quid tenemur, ad quid obligamur, vt illi Pharisæi dicebant. Si sic dixeris, inhonoras patrem, si sic dixeris, non inhonoras. Sed exemplo domini & sanctorum, literæ tenorem sequi, diligere, benefacere, orare, omnibus modis & vijs procurare, vt odiũ, & inimicitia tollatur, & odium cesset, & inimicis quasi amicis pro amore Dei beneficia & obsequia præstare. Sufficit nobis, quòd etsi nõ præceptum hoc, tamen gratum & acceptum est corã Deo. Sed dices, si hoc ita est, non deberemus recitare Psalmos Dauid, nam in eis multa mala imprecatur inimicis suis, dicens: *Auerte mala inimicis meis, & in veritate tua disperde illos.* Et iterum: *Domine pone illos vt rotam*, &c.
Psal. 53. & plurima alia. Quomodo orat pro inimicis, qui talia orat? quomodo diligit qui tãta eis mala imprecatur? Hanc quẽstionem mouet Cassianus, & soluit multipliciter. Quia vel loquitur de inimicis Christi prænunciatiuè, non deprecatiuè, vel de dœmonibus aut peccatis suis: vel orat, vt pereant inimici, & maneant homines. Attendite fratres contra quos inimicos loquitur: sunt enim inimici quos debemus diligere, & sunt inimici quos debemus odisse: oportet inter hos distinguere, sed & amicos ab inimicis dignoscere. Tu amicum putas illum, qui tuis vitijs palpatur, qui oculos tuos excęcat, & velũ ponit ne videas turpitudines tuas, qui dormienti in peccato cruicalia ponit, qui te decipit & illudit, qui famã tuam & animam perdit adulatorem, & fautorem peccatorum tuorum, qui tibi fodit foueã in qua cadas, & parat laqueũ quo capiaris, quo consulente peris, quo blandiente insanis, quo fauente mille perpetras facinora: hic calice aureo venenum tibi proponat. Verè, sicut ait sapiẽs: *adulator, blandus, inimicus, occultus, & inimici hominis domestici* eius. In hunc beneficia confers, hunc quasi animam tuam diligis, huic omnia quę habes libẽter donas. O insane & fatue, quàm bene imples dominicum consilium nesciens: nã verè diligis inimicum, & benefacis his qui te oderunt, & decipiunt, & irridẽt, & illudunt. O si bene attendas opera, quanto magis amicus videtur qui te persequitur: nam ille facit vt cognoscas teipsum, dicit tibi vera, & vitia tua tibi pandit: ille facit te viuere solicitum, ne turpia agas, sciens quia non parcet tibi: ille excitat te, & exercẽt ad omnia opera virtutum, humiliat te, & præbet tibi materiam patientiæ, mansuetudinis, fortitudinis, & charitatis, & illustrem facit, & præstantem in bonitate: ille licet cum magno detrimento suæ conscientiæ, & famæ fabricat tibi coronam, & grandem coram Deo gloriam parat, & magni meriti occasionem tribuit. Quid obfuit diabolus Iob? & martyribus persecutores quid obfuerunt? imo quam illustres & præclaros fecerunt? Aperi oculos & vide quia hic qui putatur inimicus, beneficus est. Quid multum ergo facies, si pro tantis bonis quæ tibi præstat, nesciens licet & inuitus, eum dilexeris, & pro illo Deũ oraueris? Non est hic verus inimicus, sed proximus: ego tibi veros inimicos ostendam quos oderis, quos destruas, quibus omnia quæ in Psal. legeris imprecẽris. Dęmones, peccata tua, & vitia, hæc sunt quæ te perdunt, quæ te destruunt, quæ tibi gehennã parant: cõtra hos inimicos ora vt perdat & destruat eos dominus, & tu quantũ vales destrue illos. Sed

Ezc. 13.
Eccl. 12.
Pro. 29.
Mic. 7.
Qui veri inimici sint.

&

& caro iſta, quam tu tantum diligis, quã ſic foues & nutris, & in qua nutrienda vitam expẽdis, maximus inimicus tuus eſt. Hanc caſtiga, hanc ſubijce, hanc doma,
1. Cor. 9. & malè tracta donec eã in ſeruitutem redigas. Quid fratrẽ & proximum tuũ odis atq; perſequeris? ò ſtulte, non eſt ille inimicus, ſed proximus: non te perſequitur homo quem fecit Deus, ſed malitia quã fecit homo: illa eſt inimicus tuus, illã oderis, illam perſequito, illam deſtruito. Tolle malitiam à fratre, non te perſequetur, non tibi malè faciet. Fac ergo vt deſtruas illam: ſed quomodo? *Si videris* (inquit Apoſtolus) *inimicum tuum, ciba illum, &c.* hoc enim agens, carbones ignis
Rom. 12. congeres ſuper caput eius, & accendetur charitas, & deſtruetur malitia, & ceſſabit inimicitia, & erit frater quem inimicum putabas. *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum*, vt ait Apoſtolus. Certamẽ enim magnũ eſt inter fratris militiã, & tuã bonitatẽ: certa viriliter vt beneficijs vincas illũ, qui te aggreditur incõmodis: grandis.n. tibi gloria eſt, ſi in hoc certamine victor euaſeris: & grandis eſt cõfuſio, ſi ſuperatus fueris. Nõ cedat bonitas tua malitiæ fratris tui, nõ victa ſuccũbat, ſed ſuper eũ triumpha. O quanta gloria, corã Deo, & hominibus, & corã ipſis inimicis, videre illũ confuſũ, verecundantẽ, non audentẽ aſpicere, & attollere oculos ad aſpiciendũ faciem tuam, dolentem & contriſtatum, q̃ tam bonũ hominẽ perſecutus fuerit: ò quã victus, ò quã ſubditus, ò qualis vindicta de illo. Dico tibi, & ſi illum ligaſſes, & carceri mancipaſſes, & laniaſſes, non tanta fuiſſet vindicta. Sic ſic vindicare de inimicis tuis: ſic enim vindicatur Deus, & talem vindictam quærit pſalmiſta. Plus enim Deus vindicatur de peccatoribus quos cõuertit, quã de peccatoribus quos condẽnat. Nam iſti victi ſũt, ſed non cõuicti. Vnde de hoc in pſalmo gloriatur
Pſal. 21. dicens, *Omnes gentes circuerunt me, quia vltus ſum in eos.* Sed quomodo? *occidendo in eis errorem, ſuſtentando fidem*, vt ait Auguſtinus. Sufficere debuerat ad dilectionem inimicorum hæc tam ſplendida & glorioſa victoria, ſufficere & commoditas grandis quam ex perſecutione capimus: ſed adhuc alias ademus rationes, & conſiderationes, quibus ad hoc animum inclinemus: has breuiter perſtringam. Prima conſideratio eſt, quod Deus ita vult & præcipit, & hoc gratum eſt illi. Quanta quotidie facimus pro amicis, quot à nobis alienatos & inuiſos orantibus amicis in noſtram gratiam recipimus, vt illis placeremus? O Chriſtiane, facis pro amico & non facis pro Deo? maximè, cum hoc non ſolùm conſulat, ſed & præcipiat, vt ſi non velis reconciliari inimico, propter hoc gratiam & amicitiam illius perdas; etſi nobis inimiço fieri amicus, Dei inimicus efficiaris. O domine, verè ne tuam amicitiã perdã, omnes turcas, imò & ipſos dæmones ſi præciperes diligerem, pro amicis haberẽ. O miſer qui tam pro nihilo habes fieri Deo inimicus, cogita modo ſi rex haberet duos famulos, aut pater duos filios, quos valde diligeret, & vnus alterũ odiſſet, & diceret vni; ecce non poſsũ ſuſtinere, vt tu mihi dilectus oderis quẽ ego ſic amo; aut ama illũ, aut me vel hæreditatẽ perdes: quãta duritia & proteruia eſſet fieri regi vel patri inimicũ, & hæreditatẽ amittere ne alteri fratri cõcordaret? Hoc tu facis: Deus pater pijſſimus diligit filios ſuos, nimirum quia vitam, & ſanguinem pro eis dedit, vult inuicẽ ſe diligere quos ipſe diligit, & præcipit, & aliter neque acceptat munera, neque obſequia: quantæ ergo malitiæ eſt, nolle flecti, nolle obtemperare! Quid tantũ potuit tibi proximus nocere, vt non magis Dei amor, & beneficia ponderent, & valeãt apud te? Vides quia nõ eſt fragilitas, ſed peruerſitas, nolle hoc implere? Secunda conſideratio eſt tui ſtatus, & profeſſionis; nonne Chriſtianus es? nonne hanc ſcholam ſequeris? Reſpice magiſtrum tuum, ducem tuum, & vide quanta bona fecit inimicis ſuis; quomodo curabat ægrotos eorum, quomodo docebat, quomodo dirigebat, quomodo ſitiebat ſalutem eorum, quomodo pro crucifigentibus orabat. Pendebat in cruce cruentus, plagatus, & laceratus ab eis quibus

Imitãdus Chriſtus ab ijs qui patiuntur opprobria. Luc. 23.

tanta beneficia præstiterat, neque contenti tormentis, insultabant ludibrijs deridentes & subsannantes, mouentes capita sua dicebant, *alios saluos fecit*, &cæ. Audit patienter insultatores suos, & patrem orat, dimitte, & tu coram eo petis vindictam? Qua fronte, quo vultu? & quid obsecro, simile tu passus es ab inimicis tuis? Christiane *respice in faciē Christi tui*, respice & eiusdē scholæ discipulos, apostolos & martyres, quantū laborauerūt, quomodo sudauerūt, vt proficerent illis à quibus affligebātur, & quomodo docebant, & illuminare cupiebant persecutores suos. Si ergo de schola Christi es, cur non sequeris professionem? cur condiscipulos non imitaris? Non legis, quia *omnes qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur*? Non legisti in Apostolo, *quia in hoc positi sumus*? Tertia consideratio est valde vtilis, ad hoc vt cōsideres, quia licet æmulus tuus iniustè te persequatur, tamen tu iustè pateris propter peccata tua. Quid hominem aspicis? Attende diuinam iustitiam, cuius est minister ille: non hunc læsisti, sed Deum maximè offendisti. Vnde Basilius, *quid* (inquit) *quasi canis fremens lapidem insequeris? aspice manum quæ illum proiecit, attende scilicet peccatis tuis, quibus hæc promeruisti: ille enim à Deo missus est, vt te premat & affligat, in tuum commodum, si forte conuertaris, & te pœniteat.* Vnde Psalmist. *Ego autem cum mihi molesti essent, scilicet inimici, induebar cilicio, operui in ieiunio animam meam.* Sic fac, agnosce quòd à Deo est ista persecutio, humilia te coram Deo, plora, ieiuna, pœnitentiam age, ora pro peccatis, rem age cum Deo, quem offendisti, & Deo placato, cessabit inimicus. O quale exemplum in illo qui hoc dicebat, quomodo hoc opere implebat? Ecce propter peccatum adulterij & homicidij quod commisit, suscitauit dominus Absalonem filium eius contra ipsum, vt regno expelleret, qui optimè hoc cognoscens, contra venientem filium non arma capit, non se defendit, sed vestitus sacco, & cinere caput conspersus, pœnitentiam agens & plorans, pedester egressus est Hierusalem, & nudis pedibus incedens, vt Deum humilitate & pœnitentia placaret, cumque sic plorans, tristis & humiliatus procederet, ecce Semei filius Iemini ex latere montis, lapides contra ipsum mittebat, mille blasphemias & iniurias dicēs cōtra eum, cum superbia, indignatione, & clamore. *Egredere vir Belial*, &c. Agnouit rex quod à Deo missus esset, & patienter tulit, imo lætabatur intus, sperans à domino consequi veniam pro tanta maledictione, sperans quòd vindicato peccato tali maledictione Dei furor placaretur, & cessaret indignatio. Vnde cum dux eius Abisai vellet illum maledicum occidere, indignatus rex contra ipsum, ait. *Quid mihi & vobis filij Saruiæ; dimittite vt maledicat; dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid; si forte respiciat dominus afflictionem meam, & reddat mihi dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Bernardus. *O vere virum secundum cor Dei; non irascitur maledicenti, & irascitur vindicanti.* Nec deceptus est, nam placatus Deus hac eius patientia & humilitate, reddidit ei regnū, interfecto filio persecutore, quem Deus acceperat vt flagellum ad puniendum ipsum, quem & persecutorem pius pater plorabat acerrimè post mortem, vsque adeò vt indignatus Ioab, diceret ei. *Amas odientes te, & odio habes diligentes te.* Sic nos facere deberemus in persecutionibus particularibus, & generalibus, & statim cessaret persecutio. O si sic nunc faceremus fratres, ò si sic Deum placaremus, vt auerteret iram suam, & tolleret à nobis turcas. Quid prodest colligere exercitus, & colligere peccata? An nescimus quia turca iste, & bella, flagella Dei sunt? Si emendaremus vitam, & peccata præterita ploraremus corā domino, ipse auerteret à nobis flagellū suum, & daret de inimicis victoriam. Nō dico vt arma relinquamus, nam hæc esset stultum, & tentare Deum, sed vt prius Deum placemus, & deinde arma sumamus, sicut fecit Dauid. Quarta consideratio, est malum & damnorum quæ incurrimus ex odio, & inimicitia proximorum, hæc optimè enumerat Psalmist. dicens. *Domine Deus meus, si feci*

Mat. 27. *Psal. 83.* *Tim. 3.* *Psal. 34.* *2. Reg. 15.* *2. Reg. 16.* *Ibid.*

istud

istud, si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam meritò, &c. Ecce quatuor damna maxima. Primum *decidam meritò ab inimicis meis inanis*; odium enim proximi omnia bona quæ agis, orationes, eleemosynas, ieiunia, cassa & inania facit toto tempore, quo durat; & perdis coram Deo totum quod viuis. Quantū malum hoc? Secundum est persecutio in corde: *nam* (vt ait Aug.) *omnis qui aliū persequitur in corpore, prius ipse persecutionem sustinet in corde.* Vnde Psal. *Gladius eorum intret in corda ipsorum.* Alium non vulnerasti, & iā animam tuam iugulasti: nam *qui odit fratrem suum, homicida est*, & bis scilicet homicida sui & homicida proximi, si non facto, certè animo. Tertium damnum est vexatio illa, quam patitur qui odit: de quo ait. *Comprehendat, & conculcet in terra vitam meam* O quam conculcatam & vexatam habet à diabolo vitam, qui odit, quando premitur illo odio, quasi quodam veneno: sic furit, vexatur, fatigatur, torquetur grauissimo tormento, sēper tristis & turbulentus, & furiosus. O miser, si non parcis proximo, parce tibi, qui sic vexaris. Quartum damnum est, *& gloriam meam in puluerē deducat*: quòd non solùm de gloria beatitudinis æternæ, sed etiam de gloria illa, & corona ex victoria virtutis, & patientiæ, de qua supra diximus, intelligi potest: quam habuisset coram Deo, & angelis, si inimici malitiam superasset: illa in puluerē deducitur cum vindicta quæritur: & cum inimicum vincis, ipse victus es corā Deo. Quinta cōsideratio est plurium, & magnarum vtilitatum, quæ ex remissione iniuriæ nobis proueniūt. Prima est, grāde meritum, & gloria de qua in Euangelio dicitur. Secunda est peccatorum venia. Psal. *Verba iniquorum prænaluerunt super nos: & iniquitatibus nostris tu propitiaberis.* Hoc est quod dominus in Euangelio promittit, dicens. *Si dimiseritis hominibus, & pater vester cœlestis dimittet vobis*: & si nō, non. Vnde hoc quotidie dicimus in oratione dominica, & ad hoc fortè canitur hoc euangelium in principio quadragesimæ, vt si quæritis veniam à Deo, primo dimittatis proximo ne frustra laboretis. O domine, & quam bona & vtilis conuentio: libenter accepto pactum, vt pro tantillo mihi tanta dimittantur. Gratias tibi: quia habeo quòd dimittā, vt & mihi dimittatur. Augustinus, *In potestate nostra fratres posita est: nostra sententia; & nisi nos eam subscribamus, non pronūciabitur contra nos.* Subscribit cōtra te, cū non vis dimittere proximo tuo: quia dū non parcis, indignum venia te reddis: Miser attendis quid tibi fecerit homo, & non consideras quid ipse feceris Deo? Vnde in Ecclesiastico. *Homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam*: Imple ergo oleo charitatis vasa vacua, exemplo viduę Sareptanę, vt ex illo possit reddere quæ debes creditori tuo. Tertia vtilitas est, quæ dicitur in Euangelio: *vt sitis filij.* Quantum est esse filium tanti patris? Aliæ virtutes ex bruto te faciunt hominem, charitas ex homine te facit filium Dei: quod si filium, & hæredem. Sed cuius, & quantæ hæreditatis? Hæredem Dei, omnium eius diuitiarum, omnium bonorum eius, perpetui regni, & ineffabilis gloriæ: ad quam nos perducat Iesus. Amen.

4. Dāna ex odio emanātia.

Psal. 36.

1. Ioan. 3.

Psal. 7.

Psal. 64.

Mat. 11.

Eccl. 28.

3. Reg. 17.

DOMINICA PRIMA in Quadragesima.

THEMA.

Ductus est Iesus, &c. Matt. 4.

Christi Principis & cacodæmonis singulare certamen.

LItera sancti Euangelij proponit nobis quandam monomachiam & prouocationem eximiam, qualis neque vnquam fuit, nec erit in sæcula, inter duos magnos principes, scilicet principem gloriæ Iesum, & principem tenebrarum Luciferum: spectantibus ex vna parte ducem & dominum suum, choris & hierarchijs angelorum, & ex alia parte ducem suum, cateruis, & exercitibus dæmoniorum; Deo iudice. Causa autem tanti certaminis iniuria fuit atrox & insignis, quam ipse Lucifer puellæ cuidam pulcherrimæ fecerat; naturæ, scilicet humanæ, quam Deus valdè

Simile.

pulchram creauerat, & quam ipse Lucifer sine causa iniuriis affecerat, inhonorauerat, & pessimè deturparat. *Assur sine causa calumniatus est eam*, filius autem Dei Iesus, motus tanto Luciferi scelere, & quia illa placuit oculis eius, despōsauit eam sibi & contracta affinitate alienam sibi suam iniuriā reputauit, & facit: ac statim illam cognatam vlciscī. Quare Lucifer. ipsum prouocauit ad duellum, & ipse prior tum patrino suo Spiritu sancto prodiit in campum. Hoc est quod dicit litera. *Ductus est Iesus à spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.* Et iustè prior ipse prouocat, quia grauatam, & offensam partem defendit. Psal. *Domine preueni eum & supplanta eum: eripe animam meam ab impio: frameam tuā ab inimicis manus tua.* Eripe, quia anima mea est: & si non, quia framea tua est, nec est honor tuus neq; decus quod hostis tuus frameam tuam possideat. Anima sancta, framea domini acuta, qua præclari facinora gerit. Non tibi videtur Pauli anima Dei framea, quando totum mundum illa prostrauit, & tanta strage reges, principes, ciuitates, & omnia sibi dominus subdidit framea ista? nullus inimicus pedibus stare contra ipsum valebat. Similiter & Augustini anima contra hæreticos potentissima framea extitit: quaipsos penitus debellauit, prostrauit, & in nihilum redegit. Consuetudo est in prouocationibus, quòd qui alium prouocat cāpum eligat, prouocatus autem eligat arma: quare dominus campum eligens, non Paradisū, nequevoluptuosum aliquem locum, sed desertum, rigidum, sterilem, & asperum elegit, vbi non posset ad votum dæmon arma reperire. Non enim ibi frutices, non poma, non deliciæ, non alia Eua, quam inuaderet: & quia aliud non reperit, ad lapides se conuertit. Dæmon legit arma probata quibus vicerat primū hominem, scilicet gulam, superbiam & auaritiam. Exiuit dominus ad campum per quadraginta dies priusquam Lucifer: & non illo tempore prælium meditans, belli se præludiis exercebat, ieiuniis, scilicet, orationibus, & lachrymis, contēplationibus, & asperitatibus multis. O domine, & quis narrare poterit asperitates, & quot acerba in hoc deserto sustinuisti, sine domo, sine lecto, sine igne, sine adiumēto aliquo, vel solatio, solus inter feras, & animalia bruta, ad pluuiam & frigus, & rigidas tempestates: hyems enim erat, & cū esses delicatissimus, supra modum omnia ista sentiebas. Sed & mater tua piissima quantum passa est dolorem propter tui absentiam: nunquā à principio ortus tui tam absentiam habuit, neque pertulit, imò semper tecum fuit: quare quilibet horum dies annus ei videbatur absentiæ. O quis tibi bone Iesu, in deserto illo obuiasset, & tecū manere per vnum saltem diem meruisset: vt videret orationes illas feruentissimas, & vultum tuum pluſquam seraphicū, spiritu inflammatū toto isto tempore? Grādia quidem, & eximia facta sunt in hoc deserto, sed secreta, & non nouimus ea. Prius nos lachrymis quā sanguine abluisti: vt quid domine tot aspera sustines? Sufficiebat mors tua futura ad nos redimendum, quare ergò modò sic cruciaris? Factum est hoc fratres, vt dux noster milites suos exemplo suo instrueret ad pugnā? Psal. *Benedictus dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Discite fratres quomodo nunc pugnetis: nā hoc tēpus quadragesimæ, tempus est belli & certaminis cum diabolo. Egredimini in desertum, & videte ducem vestrum quem imitemini: eisdē armis pugnate quibus ipse pugnauit, solitudine sc. ieiunio, oratione, asperitatibus & lachrymis: his telis superabitis inimicum. Recludimini his diebus in solitudine oratorii, vacate à negotiis, orate, plorate ibi peccata vestra, ieiunate & pœnitemini: iungite vestra ieiunia cum asperitatibus & orationibus: quid enim prodest ieiunare & illa die ieiunii exercere ludos, venationi incumbere, deliciis & choreis insistere? Qualis est ista pœnitentia? quale est hoc ieiuniū? Audite Esaiā. *Quare domine ieiunauimus, & nō aspexisti?* Respondit dominus. *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra*, id est, impletis

Isa. 51.

Christ prior indicit bellū, & prouocat ad certamen diabolum.

Psal. 16.

Psal. 17.

Psal. 57.

tis desideria vestra: *ecce ad cõtentiones & lites ieiunatis. Nũquid hoc est ieiunium quod elegi: nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diẽ, &c.* Sit ergo integrum & perfectum ieiuniũ tuũ. Quare vnus solus sẽsus, sc. gust⁹ ieiunabit? Ieiunẽt potius oẽs sensus: peccauerũt oẽs, domino faciant oẽs satisfactionem. Ieiunet intellectus à prauis cogitationibus, voluntas à malis desideriis, oculus à visu curioso & delectabili, lingua à verbis otiosis, & scurrilibus, audit⁹ ab auditu detractionũ, & cantilenarum, pedes ab illicitis negotiis, manus à rapinis, & denique tota caro à voluptatibus, etiam licitis. Hoc est perfectũ ieiunium, & gratum coram domino, cum oẽs sensus abstinẽt à mũdanis, vt vacent diuinis. Totus ergo ieiuna, quia totus peccasti. Toto illo tẽpore quo dominus fuit in deserto, Lucifer non erat otiosus, sed diligẽter contẽplabatur eũ, & supra modũ mirabatur illius vitã, & abstinẽtiã. Sciebat q̃ in illo nõ habebat quicquã, q̃ ab initio incarnationis mũdissimus erat ab omni peccato: videbat eũ agere vitã angelicã in contemplatione & oratione cõtinua, non comedere, neq; bibere: atque ex hoc suspicabatur, q̃ esset plusquã homo, & verus filius Dei. Ex alia parte, videbat eũ macilentũ, fatigatũ, pallidũ, famescentẽ, ex quo eũ purũ hominẽ coniectabatur. Decreuit itaq; experiri, & cõfligere cum eo, & probare an esset filius Dei. Itaq; in habitu religioso & eremitico (vt suspicor) sensim accessit, & salutauit eũ, multaq; locutus est cũ illo, q̃ non ponuntur in Euangelio. Existimo quòd dixerit ei. Quid facis obsecro, in ista vasta eremo solitarius tãdiu, in tanta afflictione, & labore? Videris mihi homo sãctissimus, plusquã humanã vitam agere: vita etenim tua omniũ transcẽdit facultatẽ. Non placet Deo, neq; illi est gratũ, quòd te interficias ieiunando. Quid n. refert interficias te ieiunio, an gladio? Ad quid ergo tãtus labor, tã diuturna asperitas, tã longa inedia? Existimo etiam, quod omnia possis, & quodcunq; volueris facies: ergo si *filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant, & comede*, ne fame pereas in hac vasta solitudine. O stulte nimis, quid ais? *Si filius Dei est*, nunquid eget pane? nõne ipse est panis angelorũ, & panis vitæ? Iterũ ò maligne, vel cõuertet, vel non: si nõ, quomodo tentabis eum lapidibus? non enim est fames tam rabida quę comedat lapides. Si conuerterit, putas ne pane ab ipso tam mirabiliter conuerso poteris eũ superare, qui tantam habet potestatem, vt ex lapidibus panes faciat? Quęnam audacia, quęnam stultitia hæc? nondum satis capio, quid prætenderit in hoc conflictu serpẽs antiquus: nam si gula tentare volebat, nonne facilius multò asportare vndecũq; panes, fructus, & obsonia, & famescenti proponere, quam lapides? Quid sibi vult iste circuitus? vt primò ex lapidibus panes fieri miraculo suadeat, vt deinceps illis panibus in gulam inducat⁹ Credite mihi, aliquid latet, aliquid vltra prætẽdebat iste malignus. Duo enim volebat, primò, probare si fortè esset filius Dei: vnde hoc in capite tentationis ei obiecit. Secundò, si purus homo inueniretur, castrimargia vel alio vitio superare. Sed neutrum obtinuit, & fortè volebat inducere eum ad miraculum petẽdum, vbi alio modo fami poterat obuiari ad proximas villas eundo & edendo, quod esset quodammodo tentare Deum. Et quod tunc suadere conabatur Christo, hoc quotidie per ministros suos prælatis ecclesiæ suadere conatur, scilicet, vt pœnitentiæ & rigoris lapides, panes fiant: id est, in delicias conuertantur. Vnde confessionem auricularem à Christo institutam, religionum asperitatem, clericorum cælibatum, carnium abstinentiam, ieiuniorum inediam demoliri satagunt, & in vitam delicioſam & carnalem ecclesiam Dei traducere. Tales similes sunt illis, de quibus Apostolus ad Philippenses loquitur, dicens. *Multi ambulant quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis, quorum Deus venter est, & gloria in pudenais.* Hunc congressum dominus in scuto scripturæ recepit, dicens. *Scriptum est: non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Nam verbum Dei animam pascit,

Ieiunium vt gratũ sit Deo quale esse debeat.

Phil. 3.

Deut. 8.

scit, sicut panis corpus. Et vt ait diuus Augustinus. *Sicut corpus quando per longũ tempus non recipitur, deficit, & debilitatur: ita & anima si pastu suo doctrinæ, & contẽplationis non pascitur.* Psal. *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum* Et non solum animam, sed etiam corpus quodammodo per redundantiam sustẽtat verbum Dei. Sic Moyses per quadraginta dies solo Dei verbo alitus est: sic sancti patres in eremo per hebdomadas sine cibo manebant, vt existimo verbo Dei sustentati: imò & plures videmus seruos Dei modico pastu pingues, & nitidos à gaudio cordis: nam anima sancta *quasi iuge conuiuium*: & è contra homines iniquos etiam si multum comedant, & omnia vorent elementa, macilentos, pallidos, corrosos à conscientiæ verme, à tristitia & mœroribus, à curis & inquietudinibus quas perferunt. Viso quòd in primo congressu nihil ipsum læserat dæmon, parat secundum: & assumpsit eum per aera, & portauit in Hierusalem: & statuit eum supra pinnaculum tẽpli: & ait illi. Ecce grandis multitudo populi infra est, *si filius Dei es, mitte te deorsum*, & multitudo illa videns quod te non læseris, credet in te: & sic illius cedet in salutem, tibi autem in decus maximum & honorem, neque timeas læsionem, *scriptum est enim angelis suis mandauit de te, &c.* Voluit dæmon ostendere se literatum, defecit tamen in tribus. Primo, quia deprauauit scripturam, etorquendo ad caput, quod dictum erat de corpore. Secundo, quia non ad propositum erat authoritas, Bernar. *Scriptum est, quid scriptum est malignè? quid scriptum est? angelis suis mandauit de te, & custodiant te in omnibus vijs tuis. Nunquit in precipitijs*: Tertio, quia detrũcauit scriptum, Procede vltra ò maligne, procede, quare taces quod contra te est? *super aspidem & basiliscum, &c.* Hoc idem faciunt hodie membra eius, dum pestilentes errores suos verbis sacræ scripturæ tum mutilatis, tum deprauatis fulciunt, vt simplices decipiant. Ostendit in hoc congressu dæmon debilitatẽ suam, quia non valet ille mittere, sed ait, *mitte te deorsum*. Ita est fratres, si non tu te mittis, ille non mittet: hortari potest, sed præcipitare non potest: porrigit gladium, sed tu te iugilas, nemo enim læditur nisi à seipso. Quid dæmonem increpas? quid tentatorem incusas? tua est culpa, te præcipitas. Vnde Bernardus exponens illud Psalmi, *Eripite me de manu peccatoris, & contra legem agentis & iniqui* Ego (inquit) *sum ille peccator exlex, & iniquus, eripe me domine de manibus meis*: caue tibi, caue, qui supra pinnaculum templi ascendisti, qui culmen perfectionis cum Dei gratia attigisti, caue tibi ab hoc inanis glorię precipitio: latenter. n. subrepit hæc superbia, & dum in corde tuo exaltaris, iam coram Deo præcipitaris: sicut scriptum est, *deiecisti eos dum allenarentur*. Dominus quoque hunc ictum in scuto scripturæ recepit, dicens, *Scriptum est, non tentabis dominum Deum tuum*: nam quæ fieri possunt humano consilio, & viribus, non sunt Deo totaliter relinquenda. Sed vbi quod in nostra potestate est fecerimus, confidamus in Deo. Valde nobis in hoc Christus commendauit sacram scripturam, dum omnes istos diaboli conflictus sacræ scripturæ authoritatibus superauit. Christus dæmonem tribus authoritatibus superauit, sicut Dauid lapidibus de torrente Goliã. Oquã vtilis est lectio sacra, & quã tum prodest: verè non solum pascit animam, sed & confirmat cor in omni virtute, & tuetur à tentatione. E contrario autem lectio prophana librorum, quibus tantum gaudet leuitas humana, destruit mores iuuenum, inclinat ad vitia, & vanum amorem, facit carnales & mũdanos Non debet quispiam tolerare huiusmodi libros in domo sua, neque permittere, quòd filius vel filia legat ipsos: *corrumpunt enim bonos mores colloquia prava*. Si quid ergo in sermonibus auditis, seruate in scrinio memoriæ: proderunt nanque vobis in tempore tentationis, vt quasi scuto quodam vos defendatis à telis inimici. Psalm. *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Hæc est illa turris Dauid *quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatu-*

Psal. 101. *Exod.* 24. *Prou.* 15. *Psal.* 90. *Vnde si voluerit dæmon doctum ostendere.* *Psal.* 90. *Ibid.* *Psal.* 7. *Psal.* 72. 1 *Reg.* 17. *Lectio scriptura vtilis.* 1. *Cor.* 15. *Psal.* 118. *Cant.* 4.

armatura fortium. Nulla est enim tentatio, nulla aduersitas, nullum infortuniũ, nulla calamitas, cui non sacra scriptura medeatur & succurrat, consolatione, cõsilio, vel alio quopiam remedio. Videns dæmon quod hoc conflictu nihil profecerat, ad tertium & validiorem se preparat: *adduxit eum ad montem excelsum valdè, & ostendit ei omnia regna mundi, dicens.* Ecce in tali parte est Roma, in tali est Gallia, ibi est Hispania, & ibi est Aphrica, & ibi maxima India: *hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* O maligne, ò superbe, quid ais? Filius Dei cadens adorabit te? Semper ab initio Dei honorem & gloriam appetisti: verè cadit qui adorat te, & qui sequitur te. *Hæc omnia tibi dabo* Bernardus, *tu ne illa dabis? miser tu ne illa fecisti? & quod ius habes in homines nisi quia nequiter decepisti illos?* Aug. *Diabolus in iustè possidebat mundũ. Sed mundus iustè possidebatur à dæmone: quia qui facit peccatum, seruus est peccati.* O si hodie diabolus regna promitteret, quantos haberet adoratores. Pro aureo vel argenteo nummo, homines mille periuria & peccata committunt, quid facerent pro regno? Deus nos liberet ab hoc vitio fratres, nam penitus excęcat mentem, & euertit animũ. Vnde Ecclesiasticus. *Nihil scelestius auaro: animam suam venalem habet*, pro obolo vendet & tradet eam diabolo. In hac tentatione non dixit diabolus, *si filius Dei es*: quia dominum contempsit, videns quòd se permitteret huc atq; illuc trahi per ipsum: & pro certo habuit, quòd esset purus homo. Sed tunc cum contempsit ampliorem sensit virtutem: non enim patienter vt prius, sed cum indignatione & authoritate respondit ei Dominus. *Vade Sathana, scriptum est enim Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies:* & proiecit eum à se, victumq; & confusũ eiecit à certaminis loco. Dedit nobis dominus in hoc exemplum, vt nostras iniurias patienter toleremus, sed non Dei. O zelus Dei, quomodo refrixisti hodie: sufficit cuique si ipse bonus est, si Dei offensas, & peccata deuitat, nemo vult malis obstare: nemo pro Deo opponere se audet iniquis. Non sic rex ille patientissimus, & mansuetissimus, qui cum æmulum suum Saul, & animo æquanimiter toleraret, mortuum q; amarè defleret, contra flagitiosos acriter intonabat. *Nõne qui oderunt te domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.* Quid ni esset inimicus inimicorum domini sui? Sed & Helias ille qui zelo zelauit pro honore Dei, & quadringẽtos quinquaginta sacerdotes Baal gladio percuti fecit, cum increparet regem Achab de morte Naboth? & diceret ei rex. *Num inuenisti inimicum tibi;* mira authoritate respondit. *Inueni eò quòd venũdatus sis, vt facias malum coram domino*: sic regem vt mancipium alloquitur. O si nunc hoc zelo, hac authoritate prælati ecclesiæ vigerent contra vitia, non sic omnia tenderent in ruinam. Ejecto dæmone, atque devicto, sicut Euangelista ait, *accesserunt & ministrabant ei.* O quãta lætitia, quantus iubilus, quibus laudibus efferunt triumphum principis sui? *Dextera tua domine magnificata est in fortitudine, dextera tua domine percussit inimicũ, & in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarium*, & malignum. Gregorius: *Agnosce homo in hoc fortissimo duce duplicem naturam. Homo est quem tentat dæmon: Deus est, Angeli seruiunt.* Sed quod obsecro seruitium præter laudes? Ait enim Sanctus Euangelista, *quod ministrabant ei.* Nusquam lego quòd Angeli Christo ministrauerint, nisi hic. In eius natiuitate tripudiantes & ouantes Angelos legimus: in morte Angelum consolantem & confortantem inuenimus: ministerium alibi non inuenio. Quid obsecro ministrabant, aut in quo ministrabant? Existimo eos, siue à virgine, siue alias exquisitos cibos cum pane domino apposuisse vt ederet, circunstantibus ac seruientibus vndequaque cœlestibus principatibus, ac pincernarum more mensam Domini ambientibus. O quanta gloria generis nostri, quanta sublimitas naturæ nostræ: homo ad mensam sedet, & ab Angelis seruitur ei. O spectaculum iucundissimum, gratissimum, visuque dignissimum. Accede anima

Ioan. 8.

Eccles. 10 Auaridãnabile vitium.

Deut. 6.

Deut. 10.

Psal. 138.

3. Reg. 19. 3. Reg. 18. 3. Reg. 21.

Angeli exultans ob Christi de

Exod. 14.

Angelorũ Christo inseruientium ministeriũ describitur.

ad hanc mensam: collige micas quæ cadunt de mensa domini tui: contemplare regem tuum, pallidum, macilentum, famescentem pauimento nudo super lapidem accubantem: inter angelicos cuneos cum modestia comedentem. O quis affuisset, ò quis vidisset. Hæc de historia. Propter multa dominus tentari voluit: primò, vt nos in tentationibus animaret, & confortaret, ne deficiamus si tentamur, cùm ipse dominus omnium tentatus sit. Secundò, vt fiduciam daret recurrendi ad ipsum, qui optimè nouit & expertus est infirmitates & tentationes nostras. Vnde Apostolus. *Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Debuit enim per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret. O immensa Dei misericordia, qui pro nobis non solùm infirmari, sed & tentari voluit: nõ solùm labores, afflictiones, infirmitates, sed etiam tentationes nostras assumpsit. Quanta humilitas, quanta dignatio: quid restabat vt assumeret, nisi peccata? Quam longè est à Deo peccatum, quã odibile diuinæ maiestati? & tamen pro nobis cum peccare non posset, ànequissimo dęmone inducisse, & suaderi ad peccãdum permisit. Tertiò, vt sic instrueret nos ad prælium: sicut supra dictum est. Quartò, vt dũ tentatur, nostrarum tentationum victoriam promereretur. Sed præcipua, & potissima causa (vt existimo) fuit exaltatio, & honor nostræ humanitatis assumptæ. Si enim lynceis oculis mysterium inspexeritis, videbitis hoc ad plenam naturę nostræ restitutionem, & reparationem, omnino fuisse decentissimum. Duo namque incõmoda homini dæmon intulerat: & quia humiliauerat, & quia læserat. Damnum per passionem plenè restitutũ est, sed honor quoque restituendus erat, vt scilicet idem Lucifer, qui primum hominem sua nequitia in paradiso deuicerat, & subiecerat, ab homine Christo filio eius eiusdem medijs non solùm in membris, sed in sua persona in deserto vinceretur & confunderetur. Huius tã insignis victoriæ typus in Apocalypsi describitur, vbi dicitur. *Vidi, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum habebat arcũ, & data est ei corona: & exiuit vincens vt vinceret.* Apoc. 6.

Equus albus humanitas Christi, in qua nullũ fuit peccati contagiũ: sessor verbũ qui eam in omnibus operibus suis regebat: à cuius nutu & voluntate neque tãtillum vnquam deuiauit. Hic habebat in manu sinistra arcum, quo malos percutit: & sagittas, idest iudiciariam potestatem. De quo Psalm. *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus: vt liberentur dilecti tui.* Dat Deus timentibus se significationem, & veluti annuit oculo electis suis, cum eos hic corripit, ne illos illa crudelis sagitta perfodiat. Psal. 59. *Ite maledicti in ignem æternum.* Habet quoque iudex coronam, qua præmiat bonos: vitæ enim & mortis habet imperium, damnandi & saluandi plenariam à Deo patre potestatem accepit. Et exiuit vincens vt vinceret. Obscurum est verbum, nisi aperiat sigillum agnus, *qui habet clauem Dauid, & aperit, & nemo claudit.* Mat. 25. Apo. 3. Exiuit à patre, & venit in mundum: exiuit hodie ductus à spiritu in desertum, vincens vt vinceret: vincens mortem suam, vt vinceret nostram: vincens infirmitates suas, vt vinceret nostras: vincens tentationes suas, vt vinceret nostras: vincens in seipso diabolum, vt eum vinceret in electis suis: victor aduincendũ, triumphator ad triumphandum. Vno cõflictu omnes nostras molestias, & tentationes superauit, dum suas deuicit. In hoc enim quòd sic humiliatus est, & tentari se à dæmone permisit, omnium nostrarum tentationum victoriam promeruit: in illo omnes hodie vincimus, in illo cuncti triumphamus. Congaudeamus ergo victori nostro, regi nostro, triumphatori nostro, & discamus ab eo nostras tentationes deuincere. Coronam habet in dextera victor, quam suis militibus certantibus proponit, vt eos animet ad victoriam. Videat quisq; vt fortiter dimicet, quia nõ coronabitur nisi qui legitimè certauerit. Non in nostris viribus, sed in eius virtute confidimus: qui vicit in se, vincet in nobis. Vnde Propheta. *Ego autem in domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.*

Deus.

Heb. 8.

Abac. 3. *Deus dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi cervorum, & super excelsa mea deducet me victor in Psalmis canentē.* Adsit nobis eius gratia, vt viriliter pugnemus, & fortiter vincamus: vt ad optatam coronam peruenire mereamur in gloria: ad quam nos perducat ipse dominus Iesus Christus, cui cum patre, & spiritu sancto est honor & gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

Deo gratias.

SERMO SECVNDVS de tentatione nostra.

THEMA.

Scuto circundabit te veritas eius. Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano. Psalm. 90.

NOn modica consolatio nostra est fratres charissimi, quòd Dominus Iesus Christus saluator noster tentari voluit. Si enim ipse cum esset filius Dei, & Deus verus, sine omni labe peccati, tentari & induci ad peccatum per diabolum se permisit, nos in peccatis concepti, in peccatis nati, in peccatis versati, quid mirabimur, aut indignè feremus, si tentationes patimur? Si illum tam purū, & tam sanctum aggredi ausus est dæmō, nos vermes & pulices terræ, quare non aggredietur? Quis vnquam sanctorum sine tentationibus vixit? Paulus ille vas Act. 9. electionis, per quem dominus vniuersum mundum ad fidem & agnitionem suam conuertit, post gloriam domini perlustratam, post paradisum circungiratam, 2. Cor. 12. post penetratos & calcatos cœlos, *sentit aliam legem in membris suis repugnantem legem mentis suæ:* & durissimo illo tyranno pressus, cogitur exclamare. Rom. 7. *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.* Et tu pulex terræ, & vilis ranuncula, indignaris & molestè fers, si aliqua carnis tentatione pulsaris? Nunquid tu melior aut sanctior Paulo? Perlege si vis, omnium sanctorum libros, Hieronymi, Augustini, Gregorij, Bernardi, & aliorum omnium, & miras inuenies passos tentationum procellas, quas non valentes à suis cordibus propulsare, cum Propheta clamare coguntur. Psal. 68. *Saluum me fac Deus, quoniam introierunt aquæ vsque ad animā meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Siquidem gigantes gemunt sub aquis inundantium tentationum pondere pressi, isti sic agitantur, sic præmuntur, & tu in pace & tranquillitate otiosam & quietam vitam duces? Non cōsistit perfectio & puritas animæ, Iob. 20. in non sentiendis perferendisque concupiscentijs, prauis inclinationibus, & stimulis peccatorum: hæc enim puritas angelica est non humana. Post corruptam & infectam nostræ naturæ massam, post illam domini maledictionem, qua dictum est Adæ, *maledicta terra in opere tuo, spinas, & tribulos germinabit tibi* impossibile est homini non pati stimulos, & concupiscentias peccatorum. Gen. 3. Vndè Iob. *Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem, quantò magis qui habitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea*, ideſt concupiscentia, quæ de carne nascitur, & ipsam corrodit Iob. 4. Hæc ergo puritas in Angelis, non in hominibus perquirenda est: sed puritas humana in vincendis, superandisq; peccatorū passionibus inuenitur Vnde Psalmus. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & mundabor à delicto maximo.* Psal. 18. Et Apostolus post illam de lege membrorum querimoniam, ne quis in illa esse noxam & crimen existimaret, adiungit. *Nihil ergo damnationis est his, qui sunt in Christo, qui non secundum carnem ambulant.* Rom. 8. etiam si carnem sentiant: nam non sentire carnem in carne, impossibile est. Ne succenseas igitur, ne confundaris, aut paueas, si tentationibus exagitaris, si titillante concupiscentia pulsaris, neque idcirco te iam damnatum, aut à Deo oblitum, & contemptum putes: non enim hæc est differētia inter probos & impios, sāctos & malos, perfectos & imperfectos, quòd hi sentiunt peccatorum stimulos.

Quæ puritas humana quæratur.

& non illi: nam vtrique sentiunt, vtriq; perferunt: sed quòd illi domitis passionibus, subiectis appetitibus, sopitis, & emortuis ieiunio, & oratione concupiscētijs, sui cordis, & corporis motibus dominātur, & liberi sūt: hi verò furētib. passionib. & appetitibus separati, miserā & captiuā sub peccato sustinent seruitutē. Est enim in eis passio fortis, & resistentia nulla, iuxta illud prophetæ *Erit opus vestrum quasi scintilla & fortitudo vestra quasi fauilla, & succendetur vtrunque simul, & non erit qui extinguat.* Itaque militi Christiano, quandiu in hoc carnis tabernaculo est, tentationes deesse non possunt: quocunque te vertas, quocunque vadas, quomodocunque viuas, sine tentationibus esse non poteris, sed vna superata, alia fortior orietur: & illa deuicta expectabis aliam: neque dabitur tibi locus vt glutias salluam tuam. Si quidem, vt ait Iob. *Militia est vita hominis super terram.* Non ergo turberis, nō deijciaris, sed cōfortare & esto robustus, sciēs quia in hoc positus es: nam regnum cœlorum à diebus Ioannis, *vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Via armorum superādum & possidendum est: nullus adultus militiæ capax, sine vt introibit in illud. Huius militiæ omnes viri, mulieres, virgines, pueri, puellæ, anus, & senes, milites sumus: & Apostolica illa tuba resonat in castris. *Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit.* Videat quisque quomodo decertat: nam pusillanimes & timidi, desides, & ignaui regnum Dei non possidebunt. O Christi miles, regnum non terræ, sed cœli, non temporale, sed perpetuum, tibi hac pugna conquirendū proponitur, & de pugna conquereris: Pugna momentanea, & perpetua corona, & affligeris? Momentum certaminis tibi datum est ad perpetuam & æternam gloriam consequendam, & illud sine pugna, & molestia transigere cupis? Tuesto iudex, ipsemet iudica quam rationabilis, & iusta sit tua querimonia. Si omnes annos Mathusalem victurus esses, & omnes mundi molestias solus passurus, nunquid *condigna essent omnes illæ passiones ad futuram gloriam.* Et modo ais, multum est quod patior: graue est quod sustineo. Considera retributionem, & videbis quam nihil est. Vnum tantum tibi denuntiat sapientissimus ille Salomon, vt si victus fortassis impetu tentationis, & quasi euulsus fueris, stationē tuam ne dimittas: sed vt fortis miles, in ea persistas. Vnde ait: *Si spiritus potestatem habētis super te ascenderit, locum tuum ne dimiseris.* Ac si dicat: Redi ad stationem, sta in ea, fortiter præliare, quoniam modica pœnitētia cessare faciet peccata multa. Nō des locum diabolo, non recedas à religione, nō deseras proficiendi propositum. Nouit dominus quia impulsus peccasti: & modica pœnitentia te suscipiet. Sicut scriptum est: *Impulsus euersus sum vt caderem, & dominus suscepit me.* Caue ne tibi contingat quod dicit Apostolus de quibusdam, quòd *desperātes tradiderunt se impudicitiæ, in operationem omnis immūditiæ, in auaritiam.* Omni tempore vtilis est nobis exercitatio tentationis, si tamen bene vtamur ea. Vnde Iacobus: *Omne gaudium existimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis.* Et Ambrosius: *Tolle pugnā non erit victoria: tolle victoriam, non erit corona.* Sed inter alias, quatuor ex tētationibus commoditates accipimus. Prima, quòd tentatio humiliat nos, & in veram nostræ fragilitatis cognitionē adducit: sæpiùs namq; cor nostrum decipit nos, vt Petrum: qui dicebat Christo, *paratus sum tecum in carcerem, & in mortem ire,* & ad vnius puellæ vocem ipsum negauit. Videtur nobis nihil esse tā graue, quod non pro Dei amore æquanimiter toleremus, imò & martyrium pro Christo desiderare videmur, sed modica iniuria pulsati, quid virtutis intus lateret innotuit. O ignaue nō vales sustinere conuitium, & tolerabis martyrium? Nonnunquam etiam videtur nobis, Dei gratia & misericordia purificatos esse à vitijs, & concupiscentijs, atq; ab omni peccatorū illecebra liberos esse ac puros, & Deo immensas pro hac libertate gratias agimus, sed data occasione, & oblata tentatione, quàm falsa sit ista nostra gloriatio liquido cognoscimus: omnes enim illæ vipereæ passiones venenatum efferunt

Isai. 1.

Iob. 7.

Deut. 31.

Matt. 11.

2. *Tim.* 2.

Rom. 8.

Eccles. 10.

Psal. 118.

Ephe. 4.

Iacob. 1.

Prima vtilitas tentationum.

Luca 22.

caput,

caput, & ſuis ſtimulis non pungentes aperte demonſtrant, quia ſopitę erant, nõ mortuæ, abſconditæ non extinctæ. Propter hoc pſalmographus rogabat dominum, dicens *Proba me domine, & tenta me*, vt vel ſic agnoſcam, & ſciam quid habes in me, & agnita veritate humiliem me. Pſal. 25.

Secunda vtilitas eſt, quod tentatio vnit nos Deo, & quaſi euellendo nos amplius ei contingit. Ipſa quippe neceſſitas, vrget, nos diuinum efflagitare ſubſidium, & illius quærere, & inueſtigare refugium, & dum auelli timemus, ei fortius inhæremus. Vnde cum quidam monachus graui carnis ſtimulo pungeretur, & ali⁹ ſenex miſericordia motus ei diceret, an vellet orationibus adiuuari, vt diſceret ab eo ſpiritus ille immundus, reſpondit, ſe illa tentatione multum proficere, eò quòd fatigatus neceſſe haberet orare, plorare, vigilare, & Dei adiutorium ſæpius implorare, qua ſublata, otio forſitan, & tepiditate torperet. 2.

Tertia vtilitas eſt, quòd tentatio nos à mundi huius gaudiis, & conſolationibus ſeparat, & cœlum deſiderare compellit. Si enim tot tentationibus preſſi, tot tribulationibus fatigati, miſeram hanc vitam ſic perdite amamus, quid eſſet ſi tranquillam & ſecuram, ſine moleſtia poſſideremus? quis futuram optaret? quis ad aliam ſuſpiraret? Volens itaque Deus paruulos ſuos ab huius mundi ſolatiis ablactare, amarum tentationis aloes vberibus apponit vt quos terrena amaritudo repellit, dulcedo cœleſtis vehementius alliciat. 3. *Simile.*

Quarta vtilitas eſt, quæ tentatio ad exercitiũ virtutum, & augmentum meritorum plurimum valet, nam ſi anxietatẽ & afflictionem tentationum auferas, vbi erit patientia, manſuetudo, fiducia, humilitas, conſtantia, fortitudo, & aliæ virtutes, quarum proprium munus eſt, eas vincere aut tolerare? Meritorum quoque immenſa ſeges amittetur, quæ eis perferendis aggregatur. O quomodo nunc lætantur ſancti in cœlo de tentationibus quas vicerunt, quoties repetũt illud Pſalmi. *Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala.* Vnde cum dominus plurimas gentes & fortiſſimas coram filijs Iſrael contriuiſſet: reliquit tamen eis ad exercitũ Iebuſæos, vt in eis erudiret Iſraelem: ita & nunc ſanctis & electis ſuis, poſt plurimorum vitiorum victoriam, reliquit ad exercitum meritorũ leue aliquid pugnæ, in quo exerceantur & humilientur: vt qui leuem illam tentationem vincere nequeunt, ex hoc agnoſcant, graviores non ſuis viribus, ſed Dei gratia ſuperaſſe. Pſal. 39. *Iudic.* 3.

Vnde, vt de carnis ſtimulo Bernardus ait, *velimus, nolimus, Iebuſæus iſte habitat in finibus noſtris: ſupprimi poteſt, exterminari non poteſt.* Sed faciamus eum tributarium, vt ſcilicet nobis ſeruiat ad ſalutem; & reddat ex tentatione prouentum. Vides quot, & quanta nobis commoda ex tẽtatione proueniant, ſed tamen non eſt à nobis optanda, aut procuranda tẽtatio: Chriſtus Ieſus quia filius Dei erat, & peccare non poterat, per ſpiritum ſanctum ſe obtulit tentatori, nobis caducis & fragilibus alia ratio eſt. Satis eſt ſi viriliter perferamus, oblatas fuge eas quantum potes, nam eas fugiſſe viciſſe eſt. *Qui amat periculum*, ait Sapiens, *peribit in illo.* Et Auguſtinus, frequentatoribus mulierum, ex ignorantia & ſuperbia dicentibus, *volo habere quod vincam*, ſapienter reſpondit: *imò vis habere quo pereas.* Hæc itaque ſit lex, vt neq; eas præſumendo quæras, neque cùm offeruntur timendo deſicias: ſunt enim è contrario quidam adeò debiles ac puſillanimes, qui leuiſſima tentatione pulſati, ſtatim fatigantur, axiantur, deijciuntur, & innumeras coram Deo proferunt querimonias, & quod peius eſt, interdũ blaſphemias: ſe ſupra vires tentari, grauiſſimũ ſibi onus imponi, Deũ cum eis crudeliter agere, & ſuarum afflictionum obliuiſci, & ſimilia: qui cùm deberent à Deo petere fauorem, his querimonijs illum magis prouocant ad indignationẽ. Eccleſ. 3.

Quanto ſatius eis eſſet, ſurgere, conari, orare, diuinum auxilium implorare, quã reſolutos & exanimes iacere, & quęrimonias iſtas effundere. De hac Pſalmographus puſillanimitate liberatus, gratias agit, dicens. *Cantabo ei, qui me ſaluum fecit à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate.* Hi Pſal. 54.

1 Cor. 10. non attendunt quod ſcriptum eſt. *Fidelis Deus, qui non permittit vos tentari vltrà quam poteſtis: ſed faciet etiam cum tentatione prouentum.* Honorat te Deus ò piger, cùm te iſtis tẽtationibus pulſat. Si. n. nõ agnoſceret in te virtutẽ, non immitteret tentationem. Neſcis quia diabolus cõpenſato nobiſcum agone luctatur? *Expecta dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, & ſuſtine dominum*: nihil diffidere, nam qui probat, ipſe iuuabit. Grandis Deo cura eſt de militibus ſuis, atq; ideo tyronibus, & nouitijs militiam temperat, ne ſuccumbant. Nam ſi cùm viam perfectionis ingrediuntur, graue aliquid eis à fronte occurreret, ſtatim verterentur in fugam. Vnde filijs Iſrael in ipſo egreſſu de Ægypto, non ſtatim Cananæorum, Amorræorum, & Iebuſæorum certamina oppoſuit: ſed prius eos pauit in deſerto manna, & circunduxit, & legẽ dedit, & in columna nubis præceſſit, ac veluti pullos ſub alis ſuis protexit, & fouit. Ita nunc qui Dei ſuauitatẽ guſtauit, qui mannna ſuauiſſimo ſpiritus paſtus eſt, qui mel de petra, oleumq; de ſaxo duriſſimo ſuxit, ſi poſtmodum tentationibus probatur, non facilè cedit: quia eum ſuauitas exploratè validiſſimè ſolidauit. Prius itaque milites ſuos fauoribus viſitat: & poſtmodum tentationibus probat. Sicut ſcriptum eſt. *Viſitas eum diluculo, & ſubito probas illum.* Qualis enim quiſque ſit, ipſa tentatio manifeſtat. Sed ſunt quidã qui in tẽtatione poſiti Dei auxilium implorare non curant, ſed ad ſeipſos vertuntur, & ſuo conſilio & viribus innituntur, totumque põdus, tentationibus, rationibus & argumentis ſuperare ſatagunt, dicentes intra ſe. Nõ expedit hoc, quomodo faciam rem tam fœdam? ſi hoc perpetrauero, ſtultus & reprobus ab omnibus reputabor: & ſimilia quę remedium afferre ſolent tentatis ne tentationi ſuccumbant. Tamẽ cũ in ſolo hoc nitantur ſicut propheta ait, *innituntur baculo arundineo, qui cõfractus innitentem deludet, & eius manum perforabit.* Nã quæ obſecro eſt virtus noſtra, ad oppugnandum dæmonum fortitudinem? ſicut pygmæus ad gigantem: ſicut pulex ad elephantum: ſicut cynips ad aquilam. Non eſt enim poteſtas ſuper terram quę ei valeat comparari. Vnde Iob. *Non eſt mihi auxilium in me deſperaui*, ſcilicet de me, *nequaquam vltra iam viuam.* Alij autẽ multò prudentiores & ſapientiores, proprijs viribus diffidentes, cùm in diſcrimine & agone tentationis ſe poſitos vident, ad Dei fauorem & auxiliũ refugiunt, orationibus, ieiunijs, lachrymis, & clamoribus Dei ſuccurſum flagitantes. Sic faciebat ille qui dicebat. *Sicut pullus hirundinis, ſic clamabo: & meditabor vt columba.* Quid enim faciet pullus hirundinis corã ſerpente deuoraturo, niſi clamare? Vnde prophera. *Quoniam in te eripiar à tentatione & in Deo meo tranſgrediar murum.* De his nunc loquitur iſte Pſalm. *Qui habitat in adiutorio altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* Id eſt, qui cõfidit in Deo, protegetur ab eo: & qui ad Deum in tribulatione confugit, ſub eius protectione liberabitur. Decet quippe hoc diuinam maieſtatem & celſitudinẽ, vt fugientes ad ſe non deſerat, & ſperãtes in ſe non confundat, ſed protegat, & defendat. Si enim hoc faciunt principes terræ, quanto magis faciet cęlorum rex? Ac propterea quicunque ad eũ non confugerit in veritate, *dicet domino, ſuſceptor meus es tu, & refugium meum.* Sed ſperãdi & confidendi rationem attende. *Deus meus ſperabo in eum.* Ad quem enim recurret opus, niſi ad factorem ſuum? aut in quo confidet creatura, niſi in Deo creatore ſuo? Non deſeret quia Deus eſt: non cõfundet, quia creator eſt: *Deus meus ſperabo in eum.* O verba dulciſſima, literis aureis cordibus imprimenda. Sequitur, *quoniam ipſe liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero* Quos modo liberauit à diaboli laqueo, poſtmodũ eripiet à iudicis verbo aſpero: *ite maledicti in ignẽ æternum* Sed quomodo eripiet? qua arte liberabit? Sequitur, *ſcuto circundabit veritas eius*: id eſt, quia vndique tentationibus & periculis vallatus es, ſcuto veritatis vndiq; circundaberis, ne quà intret ad te, malum ieiuniat. Et ſicut in Euangelio dicitur, *ſi veritas te liberauerit, verè liber eris.* Sed quomodo veritas à tentatione

Cura Deo ſunt ſui milites.

Exod. 16. Exod. 12. Exod. 13.

Deut. 8.

Iob. 7.

Iſai 36.

Iob. 6.

Pſal. 26.

Iſa. 38.

Pſal. 17.

Pſal. 58.

Iſai. 49.

Pſal 58.

Pſal 90.

Ibid.

Mat. 25.

Pſal. 90.

Ioan. 8.

one

one liberet, ex sequentibus notum fiet:
& nihil. Quid nanque est omnis tentatio, nisi nebula quædam atra super oculos cordis sparsa, lumen rationis obnubilans & offuscans? Hæc radio veritatis dissoluitur,
Ibid. & in serenitatem placidissimam vertitur, Et sicut nubes spiculo solis percussæ dissoluuntur, sic passiones & perturbationes animæ veritatis iudicio redargutæ euanescunt vnde sequitur: *non timebis à timore nocturno.* Quàm pulchrè, quã doctè, modum, & ordinem quo diabolus in tentationibus vtitur, & omnes eius artes & conflictus expressit. Cum enim quispiam cognita sæculi vanitate, mundum relinquere, vitam corrigere, & Deo vacare de cætero statuit, primò ei timores istos nocturnos opponit, dicens. Nõ poteris religionis asperitatem sustinere: non valebis ieiunia, vigilias, disciplinas: & alias regulares obseruantias portare: fragilis es & delicatus, supra vires sunt quæ conaris & perficere nequibis? gaude & quiesce. Pari forma quoq;, si quis inuita sæculari sobriè, & iustè, & piè viuere decreuit, mille ei obijciet difficultates, mendaces, & fallaces, vt ipsum auocet à proposito. Hi sunt timores nocturni militi Christiano prima acie vincendi & superandi. Ne timeas à timore hoc, verè mendaci & tenebroso, ò Christi miles. Montes fumosi & nebulosi sunt hi, quos tibi obijcit dæmon, penetra nebulam, & videbis non modò quam leue, sed & quã dulce & suaue est totũ, quod difficile & graue esse mentitur. Nulla enim maior consolatio, nulla delectatio gratior, quã seruire Deo. Vita religiosa, vita quieta, pacifica, secura, delectabilis, iucũda, rationalis, amabilis, & gratissima. Vita sæcularis, vita solicita, laboriosa, inquieta, periculosa, amara, curis & anxietatibus pleniſſima. Qui experti sunt quod dico, optimè norunt, quòd qui hæc & similia timent, *illic trepidauerunt timore, vbi*
Psal. 13. *non erat timor*: imò vbi erat iucunditas, pax & delectatio magna. Quis hanc nebulam dissoluit, has tenebras depulit, hanc falsitatem timoris nocturni aperuit nisi veritas? Quæ cum animo prælianti is effulsit falsum esse, & mendacem hunc timorem ostendit. Postquam igitur miles Christianus deprehensa horum timorum falsitate, viam perfectionis arreptam viriliter prosequitur, neque ab incœpto his nocturnis timoribus deterretur, alia eum aggreditur via: nam vitam religiosam, quam impedire non potuit, deludere, & frustrare conatur. Immittit enim cordi innumeras vanitates, & inanis gloriæ cogitationes multiplicat: exaggerat & magnificat leuia quæque pietatis & deuotionis opera supra nubes, ex calculis montes, & ex pulicibus ingentissimos efficit elephantos: vt videlicet dum in hac superbia animus erigitur, à fructu bonorum operum euacuetur. Hæc est sagitta volans in die lucis & sanctitatis, nam de peccato & crimine quis gloriabitur? Leuiter *Quæ sagitta tyrones* volat, sed non leuiter vulnerat. Hæc no- *tangat.*
uitios & inexpertos maximè pungit, qui thesauros spiritus ignorantes, quicquid feruoris, aut deuotionis accipiunt, pro maximo ducunt, & iam se perfectionis culmen conscendisse arbitrantur. His sagyttis ò tyro Christi, veritatis scutum oppone: aperi oculos & vide, primò quàm leuia sunt ista quæ facis & pateris: quot imperfectionibus admixta, quæ suas à te pœnas exigunt. Inuenitur etiam in ijs quæ facis virtutis & meriti ratio, non abnuo sed quid sunt omnia hæc, ad peccata tua quæ in eis punis, ad pœnas inferni quas euitas, ad paradisi gloriam quam requiris, ad seruitij debita quæ persoluis, ad Dei munera quæ quotidie recipis? Cùm omnia hæc & ampliora multò feceris, quid obsecro, aliud dicere in veritate poteris, nisi *quia seruus* *Luc. 17.*
inutilis es, & quod debuisti fecisti, & vtinam quod debuisti. Sed age magna sint, grandia sint: vt fingis: *quid habes quod non accepisti? Quod si acce-* *1. Cor. 4.*
sisti, quid gloriaris, quasi non acceperis. Quod si veritatis lumen mentis aciem illustrauerit, omnis hæc sagittarum volitantium multitudo retundetur penitus, & subito euanescet. Ecce qualiter eadem veritas quæ nocturnos timores depu-

depulerat, volitantes quoq; ie sagittas suo radio repulit & dispersit. Videns tentator quod seruus Dei lumine veritatis munitus & illustratus, à Dei seruitio neque timore reuocatur, neque inani gloria euacuatur, alia via tẽtat, vt eum superet, vel decipiat. Opponit ei solidiora, & appetibiliora, quę cupiat: scilicet, diuitias, dignitates, cibos, vestes, variamque domus supellectilem, & alia bona sæculi temporalia: vt qui inanis gloriæ ventum pro nihilo contempsit, his saltem vtilioribus & validioribus incitamentis à suo proposito moueatur. Neq; solũ obiicit, sed & modum quò ad ea pertingere possit ostendit, dicens Ecce omnes te venerantur, omnes te virum bonum & religiosum credunt, & reputant: si sanctitatẽ & modestiam simulaueris, facilè poteris obtinere quod cupis. Hoc est negotiũ perambulans in tenebris, scilicet, iniqua & detestabilis hypocrisis. Verè tenebrosa & obscura negotiatio, quæ paupertate diuitias, humilitate honores, asperitate delicias, inedia cibos, palliata & mẽtita sanctitate procurat: quam veritas non modò prodit, sed & proditam reiicit & confundit: quid enim hypocrisi magis ipsa veritate contrarium? Hæc quoque veritas quam inania & futilia sint hæc temporalia monstrat: vt pudeat pro his bonum virum tantam simulare fallaciam, palliare nequitiam, exercere proditionẽ. Hac veritate munitus Christi miles, sicut timores nocturnos, & inanem gloriam, ita quoque noxiam temporalium bonorum cupiditatem deuitat. Neque tamen sic diabolus à molestia cessat: aperto nanque marte aggreditur repugnantem, & grauissimo eum libidinis, rancoris, liuoris, alterius vitij cuiuspiam inuadit incursu. Suscitat inuisibiliter incendij carnalis igniculum, excitat concupiscentiæ flammas, & halitu suo natiuas hominis prunas accendit: vt quem non vicit cupiditas, concupiscentia deijciat. O duram nimis & terribilem pugnam, ò formidandum periculosumque conflictum. Aug. *Inter omnia Christianorum certamina, diuiora sunt prælia castitatis: vbi continua pugna, & rara victoria.* Cæteræ pugnæ foris aguntur, hoc intestinum & internum prælium est: caue miles Christi, fuge hunc incursum quantum vales: hoc enim vitium fugiendo magis, quam aggrediendo superatur. Oppone ei veritatis scutum, quo ignita diaboli tela extinguere valeas. Vide quam fœda, quam turpia, quam vilia sunt quæ tibi obijciuntur: & quòd post modicũ nihil horũ remanet nisi pudor, dolor. Vide quam tristis, & amara sit ista voluptas, & litum mille deuita venenũ: vide etiã quòd pro momentanea voluptate noxium & stultũ nimis est gaudia amittere sempiterna. Quid faciet dæmon cùm protectum à veritate Christianum, neque hoc tam crudeli incursu à sanctitate & iustitia potuerit separare? ad technas & fraudes suas conuertitur, vt quem violentia non deiecit, fraudulentia decipiat. *Transfigurat se in Angelum lucis*, vt sub specie pietatis, 2. Cor. 11. amatorem sanctitatis & probitatis deludat: & ieiunantem amplius magis, ac magis ieiunare suadet: orantem, vigilantem, laborantemque similiter: vt post triduum inutilem ieiunio, & vigilia reddat. Excedere monet, vt deficiat: & currenti calcaria addit, vt cadat. Quis omnes eius fallacias & fraudes explicare sufficiat: Religiosum & honestum monachum sub charitatis prætextu, ad pacem inter fratres componendã, ad solatium infirmis exhibendum, & alia pietatis opera exercenda extra cænobium ducit, vt sic per plateas vagantem libidine inficiat, curiositate sanciet, ambitione inflet, curis sæcularibus disturbet, & à deuotionis fructuore distrahendo tepefaciat, & infrigidet. Similiter deuotis matronis suadere solet plus nimio orationi vacare, vt familiæ curam negligentius agant, & dũ ipsę in oratorio diutius conclusæ manent, famula peccatis incumbat. Et alia similia portentosa stratagemata famuli Dei quotidie ingerit, vt eos pietatis imagine fallat. Omitto nunc ludrica phantasmata quæ orantibus, & contemplantibus obiicit, vt eos de se magna credere faciat, & in superbiam erigat, quæ sine discretione spirituũ nullus

nullus quantumuis ſapiens & acutus deprehendere ſufficiet. Hoc eſt dęmonium meridianum, à quo nos diuina miſericordia liberet: eò periculoſius quò minus ſentiri, aut diſcerni poteſt. Hunc dæmonem veritas prodit, & lucis ſuæ radio manifeſtat: hunc deprehendiſſe, viciſſe eſt: ſtatim namque cognitus euaneſcit, & fugit. Quis tam immanem pugnam, tot laqueos, tot inſidias, vincere, aut declinare poterit, niſi Dei fuerit protectione munitus? Quid faciet homuncio fragilis & ignorans tot venenatorum ſerpentum cuneis circumuallatus? Vnicum ei ſupereſt remedium, diuinum implorare ſubſidium; cœleſtem inuocare tutelam; Deus enim eius inuocantibus eum ſtatim adeſt, & ad ſe fugientibus firmum ſuæ protectionis munimem impendit. Vndè Pſalm. *Quoniam tu es domine ſpes mea, altiſſimum poſuiſti refugium tuum.* In tanto diſcrimine noli de te confidere homo, non de viribus tuis præſumas. Spera in Deo, & ipſe te velut aquila in altiſſimo collocabit nido, quò non poſſint venenatorum ſerpentum conatus pertingere. Sic enim de aquila dicitur, quod pullos ſuos altiſſimo nido recondat, quò nullum venenatum irrepere poſſit. Vndè apte ſubiungitur: *non accedet ad te malum; & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Cadent à latere tuo mille: & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.* Quare non accedet? quare non appropinquabit? niſi quia altiſſimum poſuiſti refugium tuum. Si peccati malum non acceſſerit cordi tuo, flagellum quoque non appropinquabit tabernaculo tuo, corpori tuo: quoniam propter peccata flagellum à Deo infligi facinoroſis conſueuit. Deuita peccatum, & deuitaſti flagellum. In hoc ergo tam ſupremo refugio à Deo locatus, non modò repentium infra dæmonum incurſus, & morſus non formidabis, ſed mira eos fortitudine ad dexteram, & ſiniſtram tuam proſternes: ideſt, in aduerſis & proſperis ſuperabis. Neque ſolùm ipſe te ſua gratia proteget & defendet: mittet etiam tibi Angelorum ſubſidium, qui te vndequaque in bello muniant, & circunſtent. *Angelis enim ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te, nè forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Tali autem munitus auxilio quem poteris formidare? Nulla eſt tibi homo excuſatio ſi cadis; nulla querelæ ratio ſi lapſus in peccato damnaris. Noli cauſari, noli allegare quod fragilis & cæcus, cum aſtutiſſimo & fortiſſimo ſerpente conflixiſti. Quid mirum ſi cado, ſi ſuperor, ſi proſternor: quis ego eram, vt cum tanto gigante confligerem? non æquo marte pugnabam, non cum æquali decertabam. Quæ eſt hæc iuſtitia, vt tam impari certamine victus perpetua damner abyſſo, crudeles pœnas luam, & ſupplicio deputer ſempiterno? Audi peccator: aderat tibi Deus à latere, Angelorum ſubſidium tibi paratum erat, quare non clamaſti? quare non inuocaſti? cur de tuis viribus confidiſti? Si talem te noueras, cur ſolus ad certamen cum fortiori deſcendiſti? cur ſolus cum multis certare præſumpſiſti? cur paratos Angelos tecum in prælium aduocare neglexiſti? Tua culpa, tua ſuperbia, tua inertia victus es, ac propterea iuſtiſſimas pœnas victus lues. Audiſtis fratres conflictum dæmonis fortiſſimum, audiſtis quoque Dei gratiam, & Angelorum ſuccurſum protegentem, noſtis etiam veſtram (vt opinor) fragilitatem & exiguitatem: quid ergo reſtat, quid ſupereſt, niſi vt in ſolo Dei auxilio confidatis? Hoc vnicum eſt conſiliũ, vnicum remedium, ſicut dixi mus. O quiſquis diabolicas fraudes deprehendere, ſatanicos incurſus ſuperare deſideras, noli oculos tuos ab iſto protectore deflectere: noli ab oratione ceſſare, noli à clamore deficere? hoc enim marte Amalechitas tuos, velut alter Moyſes in orationis monte poſitus, ſuperabis. Vnde ſequitur. *Quoniam in me ſperabit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum: Longitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum.* O mirabilem protectionem, ò ſecuriſſimam defenſionem. Quo merito? quo ſeruitio?

Dæmon meridianus quis?

Pſal. 144.

Simile.

Exod. 17.

quæ causa? qua ratione? Nulla certè alia,
Psal. 39. nisi quoniam in me sperauit. Verè *beatus vir, cuius est nomen domini spes eius: & non respexit in vanitates & insanias falsas*: quis enim vnquam sperauit in eo, & confusus est? Audistis quid in se sperantibus promittat Deus *Liberabo eum, protegam eum, exaudiam eum, glorificabo eum, longitudine dierum replebo eum.* Quot fauores, quot gratias, quot tutelas, quoties replicat, vt attingat: *liberabo* eum à præsenti periculo, *protegam* à futuro, *exaudiam* eum in tribulatione, etiam antequam clamet, neque modo exaudiam, sed cum ipso ero, & pro illo ipse certabo. Quid addi vltra potest? *Liberame*
Iob. 17. *domine & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Si Deus pro nobis,*
Rom. 8. *quis contra nos? Cum ipso* (inquit) *ero, in tribulatione eripiam eum, & glorificabo eum.* Et vnde expectabatur confusio, inde honor accedit: nam victoria non tam sua quam mea, honorabo, exaltabo, & glorificabo eum: insuper & post tam honorificam victoriam longitudine dierum replebo eum in hac vita: & quod est omnium maximum, & fæliciſſimum, ostendam illi salutare meum, pulchritudinem meam, lucem meam, faciem meam, gloriam meam: ad quam nos perducat, qui vt perduceret mori dignatus est, Iesus Christus filius Dei: cui cum patre, & spiritu sancto, est honor & imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

Deo gratias.

FERIA QVARTA POST DOminicam primam Quadragesimæ.

THEMA.

Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam.
Matth. 12.

PRopheta Dauid ex diuinis iudicijs magnam se capere consolationem
Psal. 118. testatur, dicens, *Memor fui iudiciorum tuorum à sæculo domine, & consolatus sum.* Sed non video, in quo diuina cum iudicia consolari possunt. Quid enim terribilius diuinis iudicijs, quæ à sæculo sunt? Peccauit Angelus, & pro facili motu superbiæ perpetuo igne damnatus est: peccauit homo, & pro vno esu pomi morti & miserijs addictus est. mundus totus pro peccato lasciuiæ aquis diluuij obrutus est: & pro simili peccato sulphureo igne Pentapolis exarsit penitus, & in lacum redacta est. Quid (inquam) ò Propheta, quid in uenisti in his iudicijs, quod te cõsolatione afficiat, & non potius terrore, & timore? Quanto satius (sententia mea) dixisses: *memor fui iudiciorum tuorum à sæculo domine*, & conterritus sum: & conturbatus sum: quam vt dixisti, & *consolatus sum.* Sed optimè dictum esse quis dubiter, quod spiritu dictante prolatum est? Grandius quid sonuit spiritus sanctus per hæc verba, & profundius. Aggraua quantumuis diuina iudicia, & exaggera quãtum potes: quò enim grauiora sunt, eò maiorem consolationem inferunt animo: ex hoc quod in omnibus illis nunquam Deus ita iratus, nunquam Deus ita furore commotus est, vt vel iustum damnaret cum impio, vel humiliatum & conuersum ad se peccatorem despexerit. Quis vnquam ad Deum toto corde cõuersus est, & reiecit eum? aut quando Deus pœnitentem, lachrymantemque peccatorem despexit, & repulit à se? Discute sigillatim à principio sæculi diuina iudicia, & discurre per singula, & non inuenies humiliatum peccatorem condẽnatum: nec dolorem, & lachrymas hominis fuisse despectas. Grandis hæc consolatio peccatorum, grande sperandæ pietatis indicium. In manibus rei iudicium eius positum est: & in arbitrio peccatoris redire in gratiam offensi domini. Quid suauius: quid dulcius? *Non est similis* Psa. 85.
tui in dijs domine, & non est secundum opera tua. Quis inter dominos & principes tam benignus, vt offensam suam, & veniam reo committat? Quam longè hoc ab omni humana clementia: & tamen apud Deum quicquid offenderit homo, pœnitentiam adhibeat, & veniam speret. Non prætcribit legem suam Deus, quam filijs

hominum dedit, & per filium suum, & prophetas, & apostolos humano generi promulgauit. *Si* (inquit) *conuersus fueris, & ingemueris, saluus eris.* Et iterum. *Cor cõtritum & humiliatum Deus non despicies.* Hæc lex cum hominibus statuta est: hæc me cõsolata est in humilitate mea: idest, humiliatione peccatorum: quia *eloquium tuum domine viuificauit me*, vt respirarem in peccatis, & subsisterem coram te. *Loquetur enim dominus pacem in plebem suam, & super sanctos suos*, qui præcepta illius seruauerũt: & super peccatores, qui præcepta eius contempserunt, *si tamen conuertũtur ad cor.* Nihil hominibus gratius, nihil lætius hac securitate clementiæ. Meritò ergo ait. *Et consolatus sum.* De hoc sanctus pater Augustinus in expositione symboli, ita inquit. *Nunquam Deus spernit pœnitentiam, si ei simpliciter offeratur, & sincere.* Suscipit libenter, accipit, & amplectitur, & facit omnia, quatenus eum ad priorem statum reuocet: quodque est adhuc præstantius & eminentius, etiam si quis non potuerit explere omnem satisfaciendi ordinem, quantulancunque tamen, & quamlibet breui gestam non respuit pœnitentiam: suscipit etiam ipsam, neque patitur quamuis exiguæ conuersionis perire mercedem. Neq; mihi nunc obijcias de Esau, qui (vt Apostolus ait) *non inuenit locum pœnitentiæ, quamuis cum lachrymis quæsisset illam*: non enim illi profuerunt lachrymæ ad recuperandam benedictionem: profuissent autem ad recuperandam gratiam, si de peccato, & non de damno ploraſſet, & fratris odium in corde non reseruasset. Simile est illud Saulis regis, qui licet increpanti Samueli responderit, *peccaui*: veniam non obtinuit: quia non syncerè & simpliciter, ex peccati tædio ita dixit, sed regno priuari magis timuit. Vnde subiunxit: *peccaui, sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel.* Eodem quoque modo de Anthiocho rege dicendum: qui quoniam timore mortis, non peccati dolore plorauit, veniam non promeruit. Non ergo simpliciter & syncerè pœnitentiam isti fecerunt, & propterea gratiam & veniam non obtinuerunt. Quid verò illustre magis & insigne ad pœnitẽtiam hominibus commẽdandam afferri potest, quàm factum hoc quod præmanibus habemus Niniuitarum? singulare omnibus sæculis monimentum: gens barbara & idololatra, omnibus sceleribus & criminibus dedita, post latam promulgatamque à Deo de vrbis excidio sententiam, pœnitentiam ex corde gessit, & veniam promeruit. Quando igitur Deus in suis cultoribus & fidelibus verã despiciet pœnitentiam, qui etiam in hominibus alioqui idololatris & paganis, eam non despexit? Et si in illis ad reuocandam domini sententiam, pœnitentia valuit: quomodo in nobis sententiam nondum prolatã non impediet? Gratias tibi Deus, quia flecteris: quia placaris: quia propitiaris: decet enim tuam celsitudinem huiusmodi clementia: & quia omnium dominus, & omnibus te misericordem & placabilem exhibes. Sicut igitur ad terrorẽ peccatorum, in Sodomorũ excidio exemplum iustitiæ omnibus sæculis Deus dedit, ita quoque delinquentibus in hac Niniuitarum venia exẽplum misericordiæ dereliquit: vt rigori mixta clemẽtia sic terreat, vt non deijciat: sic alleuet, vt non insolentem faciat. Decebat nanque apud homines ex Dei factis vtrumque constare, & quòd ad insolentes & pertinaces terribilis sit, & ad humiliatos & morem gerentes misericors & placabilis: vt spe veniæ concepta, ad pœnitentiam agendam feruentius homines inualescerent, & de iustitiæ contemptu in Deum amplius non insolescerent. Sed sustinete modicum, & paucis nunc Niniuitarum historiam recensemus, quæ licet communis sit, & vulgaris, habet tamen aliquid quod & delectare, & instruere possit auditorem. Quid enim auditu iucundius, quam videre Propheram à Deo fugientem? O facetam nimis, & lepidam fugam: quasi ad solum Iudææ territorium diuina iurisdictio pertineret. Nunquid ò Propheta non legeras in Dauid, *quo ibo à spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum tu illic es*, &cætera. Non legeras, *quia neque ab oriente, neque ab occi-*

Illustre exemplũ pœnitentibus propositum.

Isai 30.
Psal 50.
Psa. 118.
Psal. 84.
Heb. 12.
1. Re. 15.
2. Mac. 9.
Ioan. 3.
Psal. 138.

occidente, neque à desertis montibus, Quis non tuam istam fugam simul & miretur & rideat? Fugit itaque in mare, humanum aliquid passus, scilicet prophetæ: turbatur mare, proijcitur ad fluctus, propheta ipsomet suadente: fortè quia vel sic Niniuitarum præconium euadere cogitabat, marinis fluctibus obrutus. Sed aliter ei euenit: nam illo modo citius ad Niniuem peruenit, ventre delatus à pisce. Quis tibi resistet ò Deus, quis tuam poterit subterfugere voluntatem? Fugit ne iret, & quia fugit, citius iuit. Medium quod assumpsit vt domini beneplacitum impediret, factum est medium vt impleret. Sicut & quondam fratres Ioseph ipsum vendiderunt, ne adorarent, & è contrario contigit: vt quia vendiderunt, ideo adorarent: & medio quo vaticinium cassare volebant, implerent. Talia sunt iudicia tua Deus in eos qui tuæ contradicere voluntati conantur. Libet nunc cum Prophetæ vterino ad modicum iocari, dic mihi ò Iona, quid sentis in ventre? Nunc post annos ad vterum redis, & postquam senuisti iterum partum expectas? Filius hucusq; mulieris, iam ex nunc filius eris piscis. Securam vtique tibi nauem parasti, non timebis fluctus, non saxa, non ventos: nulla tibi poterit nocere procella: cibus factus es piscis, sed non eris cibus, sed filius: in senecture iterum parieris, & nouus aduenies homo in mundo, infans annorum quinquaginta. Qualis tibi videtur pugna cum Deo, qui ad talem te impulit sortem? O grande mysterium quod in hoc historiæ simplici latet facto: typum enim gerebat domini saluatoris, ex vtero terræ in nouam sobolem suscitandi: primogeniti mortuorum, vt ipsemet saluator exposuit: Orat intra vterum Propheta, flexisque genibus in visceribus bestiæ se totum Deo commendat, & vouet neque minus mystica est eius oratio, sed eis accommoda, qui vtero antiqui serpentis deglutiti, ad domini gratiam cupiunt respirare: consonat quoque redemptori sepulto, cuius (vt diximus) typum gessit. Demum mandante Deo, ad litus euomitur, iubeturque implere præceptum, neque audet obsistere, sed ingreditur ciuitatem, & voce præconia per eius plateas declamat. *adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur, adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur.* O elegantem oratorem, ò mirum eloquentiæ nitorem, qualis hic sermonis ornatus: quæ cõpositio verborum: quid barbarius, quid rusticius sonare potuit? & tamen tanta potestas in verbo, vt omnium corda transfigeret. Sicut ignis omnia deuastans per Niniuiticos calles procedit, & talem barbarorum cordibus terrorem incussit, vt non hominem, sed cælestem aliquam potestatem audire videantur. O quã verum est illud Apostoli. *Regnum Dei non est in sermone, sed in virtute.* Discant prædicatores populorum, non eloquentiæ ornatum, sed Spiritus sancti virtutem magis inquirere: ipse enim est qui voci suæ dat vocem virtutis, & audientium corda verbis prædicantium, quasi iaculis ferit. In vanum namq; foris perstrepit prędicãtis ornata locutio, si nõ intus Spiritus sancti virtute iuuatur. Quis obsecro Cicero, quis Demosthenes sermone composito truces barbarorum animos ita domaret, vt simplex hic & rustici sermonis auditus? quotidie cernimus, simplici sermone propter spiritus assistentiam spirituales viros vtiliter hominum corda ferire: alios verò ornato eloquio inventum verba perflare, vt non coram Deo glorietur omnis orator, & dicat: *linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt: quis noster dominus est:* Dum igitur Propheta in populo declamaret, & cunctus populus amarissimè fleret, sermo venit ad regem: qui statim mutato habitu, aspersus cinere, vestitus cilicio, hominibus, & infantibus, & iumentis, singulare ieiunium indixit, mandans homines & iumenta sacco vestiri, & quæ non nouerant peccare, pro peccatoribus pœnitentiam agerent: vt ita aceruatim hominum, & infantum, & iumentorum clamor ascenderet coram Deo. O mirabilem pœnitentiæ inuentionem, ò sapientissimum regem: & quis tibi dixit, Deum pœnitentia posse

Psal. 74. *Iona. 1.* *Iona. 2.* *Deo nemo potest resistere.* *Gen. 37.* *Iona. 2.* *1. Cor. 4.* *Psal. 67.* *Psal. 11.* *Iona. 3.*

posse placari? vbi legeras diuinam flecti lachrymis pietatem? Sententiam absolutè prolatam audisti, & tamen non diffidisti de venia, sperans Deum posse mutare sententiam, cùm peccator cœperit mutare consilium: neque enim audieras à propheta: si non egeritis pœnitentiam, si non conuertimini, si non humiliamini, peribitis coràm Deo, sed absolutè protulerat, *adhuc quadraginta dies, & Ninive*
Ione 2. *subuertetur.* Neque tamen animum regis dissoluit tam dira prolatio, sed Deo fidens, dominicum nititur placare furorem; ibi sperans vbi nulla sperandi apparentia videbatur. Vnde ait: *Quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus, & reuertatur à*
Ione. 3. *furore iræ suæ, & non peribimus?* Vnde ò rex piũ esse nosti quẽ nõ colis? Quis tibi dixit, quia misericors est Deus ille, quẽ neq; prius audisti? Quantũ placuerit Deo hæc regi tam animosa fiducia, & inuicta spes, populique humilis & lachrymosa pœnitentia, finis demõstrat. *Vidit* (inquit) *Deus opera eorum, quia conuersi sunt à via sua mala, & misertus est super malitiam quam locutus fuerat, & non fecit.* Hęc de historia. Sed plura restant adhuc circa hoc factũ memoratu dignissima. Inquiramus igitur primò, quidnam diuinæ erga populum indignationis causa exiterit, vt ciuitatem opulentissimam, & omnium illustrissimam, & maximam subuertere cogitaret. De hoc scriptura nihil ferè cõ-
Ione. 1. memorat, solùm ait, *quia ascendit malitia eius coram me.* Sed quænam fuerit ista malitia non declarat: existimo autem fuisse forsitã virulentam carnis lasciuiã: quamuis enim ciuitas illa & idololatra, & idololatriæ inuentrix antea fuerit, hoc tamen multis ante sęculis exiterat, neq; talis vnquam animaduersio audita fuerat in ea: nouum igitur aliquod crimen superueniss̃e credendum est, quod diuinam in eos prouocaret vindictam. Et hanc libidinẽ esse ex alijs factis & iudicijs, quæ passim per scripturas legũtur, coniectamur: hoc enim luxuriæ facinus, à Deo præ aliis atrociori vindicta ab initio punitum legimus. Propter hoc Pen-
Gene. 7. tapolis igne & sulphure desolata: prop-
Gene. 19. ter hoc vna tribus in Israel bello crudeli subuersa, propter hoc etiam (vt suspicor) Niniue sicut Sodoma periret, nisi vindictam domini acerrima pœnitentia præueniss̃et. Vnde etiam Apostolus huius secreti cõscius, quoties ferè huius piaculi mentionem facit, diuinam quoque cõmemorat iram, vt vel timore vindictæ ab hoc crimine homines arceantur. Ad Thessalonicenses enim ita inquit. *Hæc* 1. *Thes.* 4.
est voluntas Dei sanctificatio vestra: vt abstineatis vos à fornicatione: vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderij, sicut gentes quæ ignorant Deum, & nequis supergrediatur in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, & testificati sumus. Et ad Colossenses. *Mortificate* (inquit) *mẽ-* Col. 3.
bra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis. Et ad Ephesios adhuc acrius, *hoc enim* (inquit) Ephes 5.
scitote, intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, non habet hereditatem in regno Christi, & Dei. Quid terribilius? Sequitur, *nemo vos seducat inanibus verbis*, scilicet, quasi peccata hæc facilia sint, & leuia: aiunt nanque, naturalis est ista inclinatio, & ad propagationẽ humani generis necessaria: si non esset libido, periret generatio: facilis est in naturalibus venia, & cui noceo si cum libera fornicatus fuero? cui facio iniuriã si delectationibus vaco? non sum sacerdos, non sum vxoratus, & similia. *Nemo* (inquit) *vos seducat inanibus verbis*, & falsa ista philosophia: *propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ*: ideſt, perditionis. Nolite participes eorũ effici in culpa ne sitis quoq; participes in vindicta. Nisi enim Deus grauissimè huiusmodi libidinibus offenderetur, nunquam tam atroces in libidinosos exercuisset vindictas. Videant ergo qui se huiusmodi impudicitiis addixerunt, & qui venereis voluptatibus bruta liter vacant, quoniam non solùm cùm venerit ad iudicium, visitabit dominus superuiros defixos in sordibus suis, sed etiam nunc nisi cauerint pœnitendo, in eos grauissimè vindicabit. Hãc

igitur diuinæ indignationis, imminentisque Niniuitarum excidij causam fuisse suspicamur. Sed multò scrupulosior est fuga prophetæ: propter quid obsecro propheta sanctus indictam sibi legationem à Deo tam pertinaciter refugiebat? Nunquid timebat periculum, vel mortem, aut aliquod quoduis damnum ex prædicatione huiusmodi formidabat? Non vtique, non erat timor in causa. Quid ergo? scripturam super hoc attendite. *Et afflictus est,* (inquit,) *Ionas afflictione magna, & iratus est, & orauit ad dominum, & dixit, obsecro domine, nunquid non hoc est verbum meum cum adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupaui vt fugerem in Tharsis? scio enim quia tu Deus clemens & misericors es, patiens & multæ miserationis, & ignoscens super malitia, &c* Hęc erat causa fugæ. Vadam (inquit) ad ciuitatem, & prædicabo illis excidium iuxta verbum tuum, & vna te postmodum lachrymula ab hoc furore placabit: dimittes eis offensam, & tu Deus misericors eris, & ego propheta falsus reputabor, non faciam. Si verè super facinus indignaris, si te eorum malitia perculsit, de cœlo super eos sulphur, sicut super Sodomam compluito, & disperdito eos, sicut Gomortham. Ad quid obsecro legatio ista? Quod si inimici sunt, & verè contra eos indignaris, cur suam eis prædicis perditionem? manifestum certè est, quod misericordiam meditaris. O mirandam, stupendamque prophetæ indignationem, ò singularem viri sancti audaciam, cum Deo suo super aliorum venia contendere, quasi etiam ipse in hoc ipso facto eadem ipsa non indigeret venia. Oblitus est sui propheta hic, non meminit quia homo est. Sic solet contingere nonnunquam in humanis, vt pater quispiam potens, de iuuenis filioli insolentijs indignabundus seniorem famulum vocet, & dicat: vade dic furcifero illi, ne intret domum meam, neque amplius faciem meam videat, ego illum exhæredabo: famulus verò qui patris amorem optimè nouit, inuitus & submurmurans vadit, secum hæc animo voluens: vidistis ne huius hominis furorem? adorat puerum quasi Deum, vnam falsam lachrymulam, si puer coram eo monstrauerit, & se & omnia quæ habet illi donabit. Non aliter Deo cum suo propheta nunc contigisse videtur. Iacet ergo propheta nimio de venia Dei furore indignabundus: astat Deus desuper placãs illum, & leni eum sermone demulcens, O pulchrum & visu digniſſimum spectaculum, ò ineffabilem diuinæ clementiæ dignationem, quid dicam fratres? quid loquar super tanto prodigio? stupeo penitus & horreo: vincit omnem sensum, & omnem cogitatum superat parabola ista. Inspicite obsecro, & contemplamini creatorem omnium, Deum ineffabilem, illam maiestatem, operi suo, seruulo suo indignanti de operibus suis, placido vultu rationem reddentem. *Puta ne* (inquit) *bene iraſceris tu?* Et ille: *bene iraſcor vſque ad mortem.* Quid insolentius, vt videtur, quid superbius? Et dominus ad illum, *tu doles super hederam in qua non laborasti, quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte periit. Et ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt pluſquam centum viginti millia hominum, qui neſciunt quid sit inter dexteram & ſiniſtram ſuam, & iumenta multa?* Quid mansuetius? quid clementius? estne aliquis temporalis rex aut dominus, ita humanus, ita benignus, qui similia faciat seruis suis? qui ita se humiliet seruitoribus suis, & hominibus, ipse quoque homo talem apud se præbeat locum & familiaritatem? Quid prius admirer fratres ignoro, clementiam domini, an famuli dignitatem? Grandis authoritas seruorum tuorum domine, altiſſima dignitas: ò qualem apud tuam celsitudinem detinent locum, quantam fiduciam, audaciamque illis præbet apud te experta immensitas bonitatis, & clementiæ tuę? quam te illis familiarem in omnibus exhibes, & amicum? Patris benignitas filios insolentes facere consueuit: an non insolentia illa, quam diximus, indignantis prophetæ responsio? *bene iraſcor vſque ad mortem.* An non insolentia illa alterius prophetæ precatio: *ſi dimittis dimitte, aut dele me de libro in quo ſcripſiſti.*

Ionæ 3.

Ionæ.4.

Exod. 32.

Exo. 32.

ſiſti: Et illa quoque alterius diuinorum iudiciorum obiurgatio, *quare reſpicis cõtemptores, & taces conculcante impio iuſtiorem ſe?* & alię ſimiles in ſcriptura. Sed nũquid inſolentia in ſanctis abſit: quid ergo dicemus? Non ſunt hęc vtique inſolentiæ verba, ſed profundiſſima & admiranda myſteria: non enim potuit aliter exceſſus ille amoris & benignitatis Dei in ſuos ſanctos, & nimia familiaritas amicitiæ & gratiæ congruentius, niſi huiuſmodi exceſſibus propalari. Non melius nobis illa inenarrabilis beneuolentia Dei in ſuos, & ſanctorũ in illum fiducia, quam excedendo huiuſmodi apparentibus inſolentijs declaratur. O Deus meus, quantum me delectat audacia iſta prophetæ: quàm mirificè te cordi meo loquitur exceſſus iſte confidentiæ: verè beati qui ſeruiunt tibi, beati quos tali tantoque amore dignaris. Simile quodammodo factum legimus de Elia, quẽ dominus ad impiiſſimum Achab miſit comminari eum ſupermorte Naboth, quem occiderat propter vineam. *Occidiſti* (inquit) *& poſſediſti: hæc dicit dominus: in loco in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum, & ego inducam ſuper te malum, & demetam poſteriora tua, &c.* Pertimuit Achab, licet iniquus & idololatra, *ſciditq; veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam: ieiunauit, & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite.* Et dominus ad Eliam: *nonne* (inquit) *vidiſti humiliatum Achab coram me? Ah, ah, ah. Domine Deus meus ſcio non merietur Achab: iam miſertus es ſuper illo.* Diſpeream ſi non te vna lachrymula ſuperauit, noui ego pietatẽ tuam, & benignitatem tuam iam pridẽ. Si indulgere decernis, vt quid Eliam cõfulis? nunquid in Eliam, aut in te peccauit Achab? quid Eliæ cum venia? O inæſtimabilem dignationem, quia ipſum legatum mortis antea fecerat, nè fortè de non implero vaticinio indignaretur, veniæ illi rationabilem cauſam prius reddit, participemque facit conſilii de remittendo peccato. Nihil Deo amicabilius, nihil vrbanius. Audite adhuc aliud eiuſdem rei teſtimonium.

Abac. 1.

3. Reg. 11.

Iratus Elias contra populum, dicto ſolo cœlum clauſerat, ne plueret ſuper terrã: paſcebat eum dominus per coruorum miniſterium, carnibus & pane in deſerto: populo autem fame & inedia pereunte. Propheta benè paſtus à coruis, nulla ſuper hoc ſolicitudine tenebatur: at piiſſimi patris ac omnium conditoris viſcera ſuper tantam populi calamitatem, quamuis idololatrantis & prophani, commota fuerant iam dudum. Ait ergo ad Eliam. *Surge & vade in Sareptam Sidoniorum præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt paſcat te.* O domine, ſatis opulente paſcor à coruis, viduæ miniſterio non indigeo, vt quid in Sareptam ibo? O viſcera pietatis Dei mei, vt videret propheta populi afflictionem, & miſeriæ condoleret, miſertuſque eorum interdictũ aquæ tolleret, miſſus eſt in Sarepram. Noluit enim dominus interdictam à prophera pluuiam populo ſuo concedere, ſine eiuſdem qui interdixerat beneplacito: tanta eſt ſeruorum Dei authoritas apud ipſum, tantuſque reſpectus Dei in ſuos. Hæc igitur tam multa diximus, vt in his etiã quæ à ratione diſſonare videntur, altiſſimam ſpiritus conſonantiam monſtraremus: nihil enim hac prophetæ indignatione irrationabilius, ſi in ſola ſuperficie penſitetur: nihil altius, nihil ſapientius, ſi in ea nucleus hauriatur. Nunc ad alia procedamus. Non tibi videatur mutabilis Deus, quia flectitur à ſententia: non enim erat illa prædeſtinationis, ſed comminationis prophetia: nec ideo dicta eſt vt impleretur, ſed magis vt non impleretur: id eſt, vt eorum pœnitentia impediretur. Quòd ſi adhuc circa prophetiæ veritatem dubitas, quomodo verum eſt, adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur, cùm non ſit ſecuta ſubuerſio? Dicimus tibi cum Auguſtino: ad ſenſum Domini prophetiam impletam eſſe, licet humano ſenſui caſſari videatur: Niniue enim moribus ſubuerſa eſt, non mœnibus, vt dominus prætendebat, quamuis ſecuta fuiſſet quoque mœnium ſubuerſio, ſi non præceſſiſſet morum tã cita conuerſio.

3. Reg. 17.

Deus non eſt mutabilis.

Vel

Vel aliter & fortè arguti' dicimus in huiusmodi oraculis sæpius non nudam futurorum, & absolutam existentiam prænunciari: sed ordinem magis causarum ad illos effectus. Hoc est cum dicitur. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur* Non quod ita futurum sit absolutè pronunciatur, sed quòd vt ita in futurũ fiat, in præsenti diuinæ ordinationis & causarum dispositio talis sit. Qui tamen possit superuenienti aliquo impedimẽto impediri, veluti si quis regis consiliarius à secreto aliquid foris futurum prænunciet, quod intus in regis cõsilio nouit esse dispositum, etiamsi postmodum prædicta res non sequatur, non potest redargui fuisse mentitus: quia non rem ipsam, sed rei dispositionem apud bene intelligentes denunciauit. Discamus igitur fratres ab his barbaris pœnitentiã agere, diuinum discamus placare furorẽ: non legerant isti prophetas, non sacros voluerant libros, non illis data lex, non euangelica eis tuba sonuerat. Ad vnam prophetæ vocem mutari, acerrimam agressi sunt pœnitentiam. O miram Dei virtutem, miram quoque animorum facilitatem Signa non petunt, miracula non requirunt: nullus ibi suscitatur mortuus, nullus curatur ægrotus, nullus à dæmonio energumenus liberatur. Sed quid de signis loquor? cum neque dicti rationem aut causam exquirant, non à quo missus propheta, aut quare missus, aut quænam in eos tantæ vltionis iram culpa promeruit. Solo vocis sonitu, quasi cœlesti quadam tuba commoti, conturbati, conuersi, certatim se supplices totos Deo dederunt. Væ nimiùm obduratæ ceruici, *vagenti peccatrici populo iniquitate grauato semini nequam filijs sceleratis*, quid dicturi sumus, quos neque diuina oracula, neque sanctorum monimẽta percellunt? Quot vbique couciones, quot exhortationes, quot libri, nec minis tetremur, neq; promissionib. allicimur, neq; prouocamur exẽplis: nõ promissa nos gloria, non fumans deorsum gehenna, non arridens Dei beneuolentia auocat à peccatis. Vbi hodie verum pœnitentẽ, vbi vel vnicum reperies Ninuitam? Dic mihi ò pœnitens, si vera est pœnitentia tua, si dolor non fictus, vt quid mollibus vestiris? pretiosis cibaris? blandis foueris? oblectaris? ludis, voluptatibus deliniris? Cur amplas erigis domos, amœnis inseris hortos, spectacula curiosus frequentas? Hæc ne sunt insignia pœnitentis, hæc opera lachrymãtis? Lachrymæ cachinnis immixtæ, risui sociata tristitia derisorem te monstrant, non supplicem: ridentem potius quam pœnitentem ostendunt. Ille verus est dolor, cui comes astipulatur & consonat vita. Si verè pœnitens, cur ergo non vivis vt pœnitens? An non attendis in isto Ninuitarum facto, diuinã quid placauerit iram? Nunquid ieiunium, vel saccus? nũquid cilicium, vel cinis? nunquid infantum eiulatus, ploratus hominum? vlulatus iumentorum? non hoc vtique solum, sed quid potius? scripturam attendito. *Vidit* (inquit) *Deus opera eorum quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est:* hæc morum conuersio, hæc vitiorum correctio verum fuisse dolorem ostendit, qui tot signis se prodebat, & Deum illi placatum reddidit & benignum. Et nos igitur fratres, si Deum propitium nobis cupimus inuenire, similia faciamus, Quotidie vestras clamamus ad aures: quotidie vestro ingerimus auditui illud prophetæ. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Hoc iterum iterumque repetimus: nolite confidere in mundo, speciem eius nolite diligere. *præterit nanque figura huius mũdi*, & omnis hæc visibilis pulchritudo citò vanescet. Niniue enim pulchritudinem sonat Nolite ò fœminæ fucare vultus: nolite corporis pulchritudinem exterius mendicare: fluxã, & labilem carnem nolite curare: blanditiis eam nolite fouere: *nam adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*, id est post modicum vniuersa illius pulchritudo quam tanto opere quæritis, defloorabitur, & in cineres redigetur, & vermes. Faciat Deus vt monentem per nos ipsũ istorum exemplo celeriter audiatis, vitã cum moribus solicitè corrigatis, vt in præsenti propitium, & in futuro benevolum sentiatis, ipso præstante cui est

Ion. 2.

Isai. 1.

Ion. 3.

Ion. 2.

1. Cor. 7.

in

in Trinitate perfecta honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

FERIA SEXTA POST Dominicam primam Quadrageſimæ.

THEMA.

Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Ioannis 5.

MIracula domini Saluatoris noſtri myſteria fuiſſe notum eſt, ex ſententia Auguſtini, & Gregorij, vnde curatio huius infirmi apertè ſignificat iuſtificationem peccatoris, de qua erit ſermo: & dicemus tria, quàm magnum beneficium facit Deus peccatori quem iuſtificat: modum quo illum iuſtificat: & ſignum perfectæ iuſtificationis. Propheta Dauid latè enumerat miſericordias & beneficia quæ fecit dominus peccatori quem iuſtificat à peccato, dicens. *Benedic anima mea domino*, non ſolum labijs, ſed toto corde, & animo, toris præcordijs, & medullis, & oſſibus. Hoc eſt quod ait, *& omnia interiora mea nomini ſancto eius.* Sed propter quod? Quoniam ſanctus eſt: quoniam bonus propter ſuam excellentiam, & gloriam, & plenitudinem. Quamuis nihil contulerit Deus, nihil ſperetur ab eo, propter ſe magnus eſt, & laudabilis nimis, & omni laude digniſſimus. *Iterum benedic anima mea domino*, quoniam debes ei omnem laudem propter immenſa beneficia quæ ſuſcepiſti ab eo. Hoc eſt quod ait, *& noli obliuiſci omnes retributiones eius.* Non ait, dona, miſericordias, beneficia, plus dicit retributiones: quia ſcilicet, pro inferno retribuit cœlum, pro morte vitam, pro tormento lætitiam. Sicut ſcriptum eſt. *Suſcepit de manu domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis*, ſcilicet, veniam & gratiam. Non enim ſolum pepercit, ſed benefecit tibi. Sed quæ ſint iſtæ retributiones, attendite: *qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas, qui redemit de interitu vitam tuam, qui coronat in te miſericordia, & miſerationibus, qui replet in bonis deſiderium tuum, renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.* Sed beneficia annumerat quæ Deus præſtat in iuſtificatione peccatoris: primo dat veniam remittendo culpam, & offenſam maximam in præuaricatione peccatorum. Eſt enim terribilis contemptus, quòd formica de terra audeat trâſgredi legem, quam angeli, & omnis creatura cuſtodit, & rebellare contra ſuum Creatorem. Secundo abluit maculam, & turpitudinem, & fœditatem quam peccatum cauſat in anima: facit enim eam turpiſſimam, fœdiſſimam, viliſſimam, leproſam, & male inclinatam. Tertio liberat ab inferno quem promeruit peccando, & à morte perpetua. Hæc enim tria ſunt in peccato, culpa, macula, & reatus: ab omnibus iſtis liberat iuſtificando. Hoc eſt quod ait, *qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis*, ſcilicet remittendo culpam: *qui ſanat omnes infirmitates tuas*, ſcilicet curando, & radendo maculam: *qui redimit de interitu vitam tuam*, ſcilicet auferendo reatum. Hæc omnia ſe tenent ex parte remiſſionis: ſufficiebat peccatori tanta miſericordia, ſed Deus non contentus hoc beneficio, non ſolum remittit offenſam, ſed dat gratiam: & de inimico facit amicum, de filio perditionis facit filium Dei, & pro reatu facit illum hæredem cœleſtis regni, & ſuæ gloriæ participem. Hoc eſt quod ait, *qui coronat te in miſericordia & miſerationibus*, dando ſcilicet gratis ex puro dono, & miſericordia gratiam, quæ eſt cœleſtis regni corona, quoniam per illam habemus ius ad cœleſte regnum: & non contentus quoque tollere maculas, & malas inclinationes quas diximus, dat etiam cum gratia virtutes infuſas, quibus anima decoratur, & ornatur, & inclinatur ad bonum. Hoc eſt quod ait. *Qui replet in bonis deſiderium tuum*; ideſt, appetitum tuum, inclinando illum ad bonum per virtutes infuſas, implẽs ſcilicet balſamo ſpiritus pretioſo, & cæleſtis cordis deſiderio, quæ erant prius plena ſtercore & veneno peccati: & hinc eadem remota omni

ni vetustate & fragilitate animæ reducit illũ in pristinam pulchritudinem & virtutem: imo aliquando in maiorem quã habuerat ante peccatum. Hoc est quod *Ibid.* ait: *renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.* Nõ attendis quàm immensum opus diuinæ misericordiæ est iustificatio peccatoris, in qua tot & tanta beneficia præstantur homini? Nunquid non merito peccator iustificatus totus soluetur in laudem sui iustificatoris? Omitto cætera, quantum beneficium est, quod anima indurata & inueterata peccatis, enormis, & turpis, in pristinam redeat iuuenitutem. Certè si esset aliquis, qui quauis arte, quouis ingenio hoc præstaret corporibus, ditior ac potẽtior esset omni rege, & nullum pretium excessiuum ad tantũ beneficium obtinẽdum homines iudicarent, & posteum totus mundus abiret. Si ergo morituroru corporum renouationem sic æstimarent, quanto magis incorruptibilium animarũ renouatio deberet æstimari? sed quomodo hæc renouatio fiat attende: vt aquilæ inquit. *Aquila* (vt ait Augustinus) *cum senescit ascendit in altum volando, donec calefit vehementer in meridie, in æstu solis, & subitò deprimit se in fontem frigidissimum, in quo se immergit, & subita hac alteratione plumas mutat, & virtutem, & visum hebetatum senectute recuperat.* Ad instar aquilæ anima renouatur, scilicet, volatu, calore, balneo: volatu contemplationis, calore charitatis & contritionis, balneo lachrymarum. Hic est fons purissimus & potentissimus tãtæ virtutis, vt omnes animę maculas tollat, & ullam purificet, & mirabili potentia renouet, & reiuenescere faciat. Hæc illa piscina salubris in qua quicunque ægrotus quacunq; infirmitate lotus fuerit, procul dubio curabitur & sanabitur: piscina scilicet lachrymarum & pœnitentiæ. Vnde Augustinus de fide ad Petrum: *Omni homini in hac vita potest esse vtilis pœnitentia quocumque tempore gesserit: quamlibet iniquus, quamlibet annosus, si tote corde renunciauerit peccatis præteritis, & pro eis in conspectu Dei non solum corporis, sed & cordis lachrymas fuderit, & malorũ operum maculas bonis operibus diluere curauerit, peccatorum indulgẽtiã mox habebit.* Hoc enim nobis dominus prophetico promittit eloquio, dicens. *Exo.33.* *Si conuersus fueris, & ingemueris, saluus eris.* Hæc Augustinus & Ambrosius in sermone. Nullum est peccatũ adeò graue, quod lachrymis non diluatur, & eleemosynis non extinguatur. De hoc lauacro ait Psalmista, *Asperges me domine hyssopo & mundabor, &c.* Sed adhoc vt pisci- *Psal.50.* na ista mundet & sanet, oportet vt ab angelo, id est, à domini spiritu non moueatur: sicut scriptũ est, *flabit spiritus eius,* *Psal.147.* *& fluent aquæ* Nam si timore solo inferni, aut dolore alicuius incommodi, aut infamiæ quam incurristi, aut alio simili respectu ploras, non habet aqua ista sanandi virtutem: sed quando amore Dei, & spiritu Dei, & dolore offensæ, prodeunt fontes & riui lachrymarum, omnem lepram peccati mundant. O domine, quando moues piscinam istam, quomodo conturbas? quomodo reuoluis cor, & ab imo pectore suspiria suscitas? quomodo æstuat pectus præ gemitibus, vix potens sustinere singultus, quasi rumpi velit præ dolore? Dico vobis non est ægritudo, non est peccatum adeò graue, quod non isto balneo diluatur. Vnde Psalmi. *Conuerte* *Psal.125.* *domine captiuitatem nostram sicut torrens in austro.* nam Auster ventus ab imo, & ab infimis arenis conturbat mare: & designat spiritum sanctum, sic ab imo pectore conturbantem peccatorem. Erant autem iuxta piscinam quinque porticus, in quibus iacebat magna multitudo languidorum. Isti suat quinque sensus corporales, in quibus ægrotat omnis multitudo peccatorum. In porticu visus iacet magna multitudo superborum, cupidorum curiosorum, mundanorum. In porticu gustus iacet multitudo gulosorum, & ebriorum, & delicatorum. In porticu tactus iacet ingens multitudo lubricorum, voluptuosorum, carnaliũ. In porticu auditus iacet multitudo illorum, qui delectantur nugis, & detractionibus, & cantilenis. Omnis ferè ægrotus iacet in his: per has einm feneſtras ingreditur mors, & omnis virulentia quæ animam

Aquila quomodo iuuenescat.

Auster ventus

pœnitẽtiæ typus.

Exe.33.

animam inficit & inquietat. Nam quam quieta & pacifica esset anima, si nullis sensibus vteretur? Hæc est illa ancilla ostiaria, caro scilicet, quæ Petrum, id est animam fortem, facit negare Christum. Ioa. 18. Vnde viri spirituales magnam habent custodiam sensuum, scientes quoniam in hac salus, & pax animæ cõsistit. Aegrotus autẽ ille qui per triginta octo annos iacebat in lecto, & designat peccatorem induratum, & obstinatum in aliquo peccato, qui languidus est corde ad cogitandum, ore ad laudãdum, manibus ad operandum: & cum sit iuxta piscinam, nunquam sanatur, quia non descendit in ea. Bernardus. *O peccator, non difficilis est cura tuæ ægritudinis: non petit Deus à te grãdia vt cureris: non vt peragres maria: prope est verbum in corde tuo, & in ore tuo. Dic tu prius iniquitates tuas, vt iustificeris.* Quantum est hoc vt contemnas facere? Væ miseris qui suorum vulnerum medicinam habentes ad manus, neglexerunt curare se, & damnantur. O quomodo dolent in inferno de hoc, & fremunt contra se dẽtibus suis. Quàm iustè ardent in iuferno, qui contempserunt tam leuem adhibere medicinam. Infelix anima, quæ tám longo tempore viuit sine Deo, facta habitaculum dæmoniorum, à quibus captiua tenetur ad suam volũtatem. O cor quòd talia sustinet, ò quanta audacia: ardet infernus sub pedibus, & expectatore aperto, & solo capillo vitæ pendet anima ne cadat in illo, & ridet, & dormit. Plus est per diem in peccato manere, quam aggredi viginti homines: quia non vita, sed anima in periculo est. Huiusmodi peccatores rarò sanantur, non quia piscina salubris non sit, sed quia non descendunt in illam. Rarissimè enim huiusmodi peccatores conuertuntur & pœnitent: illa enim induratio æternæ dãnationis indicium est. Vnde dominus per Prophetam ait: *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non conuertam eum.* Amos. 1. Quod non debet intelligi, quasi Deus nõ expectet peccatorem vsque ad quartum peccatum, & non amplius: cum ipse dicat, septuagies septies: sed secundum Hieronymum quatuor sunt peccata, primum in corde, secundum in opere, tertium in consuetudine, quartum in contemptu. Tria genera peccatorum Deus sæpè conuertit, & saluat per pœnitentiam: quartum rarissimè & per miraculum. Ille enim contemptus contemptibilem facit: & contemptor meretur contemni. Et ideo dicit, super quatuor non conuertam eum: quia rarissimè qui tales sunt, conuertuntur. Audiant concubinarij, raptores, lusores, vsurarij, & cæteri qui in ijs, & alijs peccatis diu malè securi dormiunt, & paueant & contremiscant: nam sicut iste ægrotus non descendendo in piscinam vt cæteri, sed spirituali priuilegio sanatus est: sic huiusmodi peccatores obstinati & indurati in peccatis, quasi miraculo saluantur. Vnde & sæpè dicunt huiusmodi. *Haminem non habeo.* Humanitatem enim exuentes, in brutales versi sunt. Longa enim peccandi cõsuetudine ratio in eis deprauata & corrupta, lumine iudicij amisso, ferè totaliter obbrutuit, & in aliam naturã denegrauit. Sed quòd dominus hunc ægrotum interrogauerit, *vis sanus fieri?* hoc proculdubio designat quod nullus peccator saluatur inuitus: à principio namq; mundi vsq; nunc, nemo adultus à peccati reatu sine propria voluntate sanatus est. *Deus enim* (teste Bern.) *neminem saluat inuitum: sed facit volentem.* Vnde & Paulus Apostolus, in illa subita & mirabili cõuersione, quando prostratus, & cæcatus est corpore, vt exurgeret & videret mente, nõ sine propria voluntate conuersus est. Cuius rei testimonium perhibent verba eius cum prostratus respõdit. *Domine quid vis me facere?* Ac si dicat, paratus sum facere quicquid volueris: iube quòd vis. Non petit à te Deus ò peccator, nisi vt velis sanari: sic enim vera & prompta & efficaci voluntate salutem animæ tuæ volueris, sine dubio sanaberis. Quid facilius, quid leuius, quam velle salutem? Tuum est velle, optare, petere, ac desiderare: Dei est præstare. Sicut scriptum est, *domini domini exercitus mortis.* Psal. 67. Oſi medicus corporalis nihil aliud peteret ab ægroto, nisi vt vellet sanari, quis ad horam ęgrotaret? Sed domino hoc interroganti quidam respondent, nolle, res-

Nullus peccator saluatur inuitus.

Act. 9.

pondent (inquam) non verbis, sed factis. *Qui dixerunt Deo recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Qui inierunt *fœdus cum morte, & pactum cum inferno fecerunt*: Aliqui respondent, vellem. Hi sunt qui sanari cupiunt, sed vitia, & peccata non deserunt: lachrymas pro peccatis fundunt, sed ad ea quæ fleuerant statim redeunt, non tam voluntate, quam veluti quadam necessitate peccantes. Hi sunt qui sub peccati iugo, & durissima seruitute peccati tenentur captiui, non tam miseri quam miserandi. Quorum

Ad Ro. 7. est illa vox, *non quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum illud facio.* Quid autem refert voluntate, an necessitate pereas, dummodo pereas? necessitate dico, non absoluta: sed de qua dicit Augustinus, quòd consuetudo peccandi vertitur in

Psal. 24. necessitatem. Et Psa. *De necessitatibus meis eripe me.* Paucissimi sunt qui libera voce respondeant, volo: huiusmodi enim voluntatem statim sequitur salus: Nam qui sic efficaciter vult, facit quod in se est: facienti autem quod in se est, Deus dat gratiam. Vndè dominus talibus ait, *si vis surge, tolle lectum tuum & ambula.* Surge à peccato, surge à sepulchro & à cœno isto in quo quasi porcus volutaris, relinque peccatum, fuge vitiũ, odio habe iniquitatẽ, sicut ait Ps. *Iniquitatem odio habui & abominatus sum* Et rursus. *Qui diligitis dominum, odite malum.* Sicut ait Apostolus. *Surge qui dormis, exurge à mortuis*, & cæt. Iaces in cœno, & petis mundari? surge à cœno, mundabit te Christus. Secundo, tolle lectum tuum in quo iacebas: quod erat voluptati, fit iam oneri: porta super te peccatum tuum: age pro illo pœnitentiã vel leuissimam, & ambula: profice in virtutibus, in bonis operibus, exerce te ipsum ad pietatem, & sanus eris: hæc enim tria signa sunt perfectæ sanitatis, quandiu aliquod horum deest non es omnino sanus, licet aliquo modo sis ab ægritudine curatus, surgendo solũmodo, tamen manes debilis & infirmus, facilè recidis: sicut quando cessat febris, & humor non est euacuatus. Quòd si hęc omnia feceris, adhuc vnum tibi deest. *Ecce*

Quomodo à peccatis surgendũ.

Psal. 118. Psal. 96. Eph. 5. 2. Tim. 4.

Ioan. 5. *iam sanus factus es, noli peccare.* Noli recidere, *ne deterius tibi contingat. Qui stat videat ne cadat: optimum est enim gratia stabilire cor.* Nam si recideris, peius erit propter tria: propter ingratitudinem, propter consuetudinem, propter diaboli dominium. Quia fortius figitur & teste Euangelio: *adducit alios septem nequiores se, & fiunt nouissima peiora peioribus.* Sed valdè notandum est, quòd non ait: iam noli peccare ne damneris, ne iudiceris: non illi minatus est iudicium, neque infernũ, quia mundani homines hæc parum timent: sed fortiorẽ ęgritudinem Audiant hoc contemptores inferni, sęculi amatores: non differt Deus vindictam peccatorum, etiam hic terribiliter punit. Vnde per Prophetam. *Et si vlciscimini vos contra me, cito velociter reddam robur super caput vestrum.* Non existimetis quod differam ad infernum: hic conteram, & in æternum damnabo. Sicut scriptum est, *duplici contritione contere eos.* O quales vindictas fratres vidimus super peccatores, quàm terribiles, & quam crudeles: sed miseri non attendunt, non agnoscunt: putant casu factum. Aperta sunt sæpius Dei iudicia habentibus oculos, sicut scriptum est: *veruntamen oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis.* O quam iusta, & quam iucunda sunt iudicia tua domine, *lætabitur* (inquit) *iustus cum viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatorum.* Quomodo mundant manus, nisi quia purificant opera? quia erudiuntur alieno damno? Timeamus ergo fratres iudicia Dei, & si in peccato fuimus, descendamus in piscinam salutarem hoc tẽpore sancto Quadragesimæ, vt purificati & sanari obtineamus hic salutem, & gratiam, & post gloriam: ad quam nos perducat Christus Iesus, qui est benedictus in sæcula. Amen.

Deo Gratias.

Heb. 12.

Luc. 11.

Hie. 17.

Psal. 90.

Psal. 57.

DOMINICA SECVNDA in Quadragesima. Concio prima.

THEMA.

Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur. Matthæi 15.

IN Ezechiele legimus. *Terra cum induxero*

Eze. 33.

ero super eos gladium, & tulerit populus terræ virum vnum de nouissimis suis, & constituerit eum super se speculatorem, & ille viderit gladium venientem super terram, & cecinerit buccina, & annunciauerit populo: audiens autem si quis est ille sonitum buccinæ, & non se obseruauerit, venerit & gladius, & tulerit eum: sanguis ipsius super caput eius erit. Sonum buccinæ audiuit, & non se obseruauit, sanguis eius in ipso erit: si autem se custodierit, animam suam saluabit. Quòd si speculator viderit gladium venientem, & nō insonuerit buccina: & populus se non custodierit, venerit & gladius, & tulerit de eis animam: ille quidē in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Et tu fili hominis speculatorem dedi te domui Israel Officium enim prædicatoris, speculatoris officium est. Vnde illi dicitur *super montem excelsum ascende,* Isa. 40. *qui euangelizas Sion.* Speculator quippe in alto debet esse, nō in infimo: perfectionis & contemplationis culmen tenere debet, vt possit populum admonere, ac veluti ex alta specula contemplari quæ populus non videt. Hic cum senserit gladium, id est, domini indignationem super populum venientem, si non sonuerit buccina, id est, prædicationis tuba intonuerit, præmonendo, arguendo, increpando, obtestando populum vt agat pœnitentiam, & conuertatur, reus erit sanguinis populi: ad hoc enim positus erat, vt populum præueniret. Si autem præmonueris, & populus non se custodierit, & eius monita sequi noluerit: ille quidē liber erit à sanguine populi, & populus in peccato suo morietur. Videte certè fratres periculum nostrū: attenditis obligationem terribilem: non ergo succēseatis, non indignemini, si aliquando arguimus aut reprehendimus peccata vestra, & vos acriter increpámus. Incūbit nobis hoc ex officio, sub pœna indignationis æternæ: & si nō fecerimus, sanguinis vestri in Dei iudicio rei erimus. Vnde meritò clamabat propheta, *væ mihi* Isa. 6. *quia tacui.* Huius taciturnitatis culpā nunc ego declinare cupiens, quoniā gladium venientem super populum conspicio, sermonis tuba vos excitare cupio, vt fugiatis, & declinetis ab ira Dei, & periculum euadatis, auxiliante Dei gratia: ad quam impetrandam, fauorē virginis imploremus, offerentes Aue Maria.

Proponit nobis hodie lectio euangelica mulierem Cananæam paganam & idololatram, sed certè mirabilem & spectabilem, quæ à finibus Tyri & Sidonis egressa pro salute filiæ suæ quam dæmon malè vexabat, dominum exorabat. Cuius eximiam fidem atque constātiam vt dominus notum fecerat, audire se dissimulabat: & tacendo præteribat: sed non illa à clamore cessauit, donec apostoli improbis clamoribus simul, & misericordia commoti, pro ea domino Mat. 15. supplicarent, dicentes: *dimitte eam* obsecramus, *quia clamat post nos*, & clamoribus suis aures nostras obtundit. Quibus dominus: *non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.* Et accedens, procidens adorauit, & ait: *domine adiuua me.* Cui dominus. *Non est* (inquit) *bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* At illa dixit, *etiam domine: nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* O eximiam humilitatem, ò perseuerantiam singularem. Quid primum in hac muliere laudem ignoro, fidem, an humilitatem, an constantiam, an fiduciam, patientiam, perseuerantiā? Quot virtutum insignia vnico exemplo monstrauit? Vnde dominus exclamans ad tantam fœminę probitatem ait. *O mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.* Quomodo nobis ob oculos obijcit hæc mulier, sāctā matrem ecclesiam hoc tempore lugubrem, afflictam, gementem, & dolentem, & pro filia sua plebe Christiana domino innumeris gemitibus & clamoribus supplicantem, atque dicentem. *Miserere mei,* Ibid. non dico *fili Dauid,* sed fili Deivi: nam filia mea plebs tua, quam verbo tuo & spiritu tuo tibi genui, pro qua ipse de cœlo descēdere, & sanguinem in cruce fundere dignatus es, male à dęmonio vexatur, torquetur, & affligitur: & timeo ne penitus deficiat præ angustia. Inclina bonæ Iesu pietatis tuæ oculos super populum tuum, miserum & afflictum: &

vide tribulationem meam, *quoniam super inimicos facta sum opprobrium vicinis meis valdè, & timor notis meis. Qui videbāt me, foras fugerunt à me: obliuioni data sum tanquam mortuus à corde. Qui non respondit ei verbum.* quandiu enim clamat, & non auditur? quandiu plorat & non succurritur? sed ecce tribulatio super tribulationē: afflictio super afflictionē. *Expectauimus pacem, & ecce tribulatio:* semper in laboribus, in angustijs, in continua calamitate & miseria, quotidie vastatur, quotidie arctatur ab inimicis, & non est qui succurrat: & pro illa respondeat. O longum silentium, ò durissimam dissimulationē: *vsquequo* (inquit) *clamabo, & non exaudies: vociferabor vim patiens, & nō saluabis? Domine vim patior, respondepro me. Sed quid dicam, aut quid respondebit mihi cum ipsa fecerim?* Proinde timendum ne fortè dure respondeat, & dicat; *non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*: Hi enim quos tu fideles putas ò ecclesia, respice bene, canes sunt, & latrāt contra me verbis & factis: nomen meum blasphemant: solo nomine Christiani sunt, opere antichristi. Super quo propitius tibi esse potero? ecce omnes conspirauerunt, & coniurauerunt contra me, quid clamas ad me super contritione tua? *Insanabilis est dolor tuus, insanabilis fractura tua, pessima plaga tua, plaga inimici, percussi te castigatione crudeli. Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Sed tamen prudens ac humilis ecclesia à precibus, & clamoribus non desistit, & sæpius repulsa non diffidit: nouit enim viscera pietatis sponsi sui, sed instat & supplicat dicens, *Etiam domine*, ita est, canis sum, negare non possum; impij sunt & peccatores, sed *tamen catelli edunt de micis quæ cadent de mensa dominorum suorum*; canes sunt, sed domus tuæ catelli sunt; tibi incumbit etiam catellis tuis de necessarijs prouidere Non panes filiorum peto, nō antiquas illas misericordias, & copiosas gratias quas in principio fidelibus tuis dedisti; non affluentiam illam spiritus, & donorum redundantiam, quam de cœlo largiter effudisti; non fauores illos amplissimos, quos olim sanctis tuis, filijs tuis, dilectis tuis misericorditer exhibuisti; sed tantum micas, quæ cadunt de mensa tua; vt vel saltem fideles tuos defendas à barbaris, vt eos tuearis ab inimicis, vt plebem tuam pācifices, & scandala populi tui tollas; vt tuorum fidelium oculos illumines, vt videant peccata sua, & flagitia sua, & fœditatem suam, & agant pœnitentiam, & confundantur & conuertantur à via sua mala, & redeant ad te Deum verum, redemptorem & Saluatorem suum. Hæc domine apud tuam magnificentiam & clementiā micę sunt; has peto, has efflagito & postulo; non est tuum domine negare populo tuo micam, pro quo sanguinē effudisti, & dedisti animam. Sic quotidie pia mater pro filijs suis ad pedes sponsi sui prouoluta, veluti columba gemens fiducialiter precatur; sic gemitibus inenarrabilibus indesinenter clamat. Felices nos, si aliquando audire mereamur. O *mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Hæc de Euangelio. Duo dicenda sunt; primo quam malè ecclesia vexatur à dæmonio, & à ministris suis hoc tempore; secundo de remedio huius vexationis. Sicut ait Augustinus super Psalmum, *sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea*; ecclesia a principio suæ formationis semper fuit multipliciter impugnata; neque deerunt illi impugnationes vsq; in finē, quandiu in hac peregrinatione extiterit, oportet. n. verbū Dei impleri, quod Apostolis suis prædixit. *In mundo pressuram habebitis* Et iterum. *Mundus gaudebit, vos verò contristabimini.* Et alibi. *Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Quantos sustinuit persecutionum fluctus tenella illa ecclesia in Hierusalem à perfidis Iudæis, quando primo fundari cępit, principibus sacerdotum & populo contradicentibus illi. Vnde ab immanitate persecutionis cum ordiretur succisa est, & coacta est dispergi per totum mundum, non sine magna Dei prouidentia; vt sic illam per totum orbem transplantaret, & plantata dilataret propagines vsque ad fines terræ. Sed nec sic cessauit persecutio, sed nouo quodam, & inusitato persecutionis genere submissi sunt à

Psal. 30.

Thren. 1.

Mat. 15.

Mat. 15.

Ezec. 30.

Zach. 6.

Mat. 15.

Psal. 128.

Ioan. 16.

Ioan. 15.

Iudæ-

Iudæis Apostoli, qui Christum falsò prædicarẽt;& sub nomine Christianitatis, ipsũ Christianismũ peruerterent. Hi sunt vulpeculæ illæ callidæ, quas Spiritus S. in canticis capi iubet, ne demoliantur
Cant. 2. vineas; *quoniã* (inquit) *vinea nostra floruit.* Dũ enim florere cœpisset in orbe ecclesia, statim istæ vulpeculæ eã demoliri conatæ sunt, quibus ad omne exitium fatis
2. Cor. 3. est si capiantur, *& deprehendantur in astutia sua*, fraude detecta: non est vnde vineæ nocere possint, in quibus capiendis, id est prodendis, propalandisque, non modicum sudauit Apostolus. De his enim
Phil. 3. dicebat: *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem.*
2. Cor. 11. *Hebræi sunt, & ego. Israelitæ sunt, & ego.* Et ad Galatas.
Gal. 3. *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit nõ obedire veritati?* fuerant enim ab istis decepti. Vix ista persecutio transierat, & ecce alia grandior, & immanior exorta est à tyrannis, & imperatoribus gentilibus, qui ferina crudelitate innumeram martyrum multitudinem occiderunt, non parcentes sexui, ætati, aut conditioni, sed more ferali, omnes in vniuersum christicolas laniantes. Quos optimè exprimit Psal.
Psal. 67. *Congregatio taurorum in vaccis populorum, vt excludant eos qui probati sunt argento.* Sed & hæc vix quoque transierat, & ecce tertia insurrexit persecutionis tempestas, ab hæreticis excitata quæ toto terrarum orbe ecclesiam Dei longo quidem tempore vehementer afflixit; qua & aliqualiter fædata, vltima nunc à Paganis, & Turcis, & infidelibus inualuit, quæ à tempore illius pestiferi Mahometi supramodũ ecclesiam Dei vexauit, neque cessat vexa-
Psal. 79. re vsque ad diẽ hãc. *Hic est enim aper ille de sylua, & singularis ferus, qui vineam domini quotidie depascitur, & demolitur.* Has quatuor ecclesiæ persecutiones, teste Bernardo, designat Psal. cũ ait *Super aspidem*
Psal. 90. *& basiliscũ ambulabis, & cõculcabis leonem, & draconẽ.* Hæ sunt *quatuor illæ bestiæ horribiles*, quas vidit Daniel, *ascendentes de*
Dan. 7 *mari*, quarũ *prima erat quasi leæna, & alas habebat aquilæ, secũda similis vrso, & tres ordines dentium erant in ea, comedens carnes plurimas: tertia similis pardo, habens alas auis & quatuor capita, quarta terribilis atque mirabilis, & fortis nimis, dentes habens ferreos, comedens & comminuens omnia, & cornua decem.* Quæ merito cæteris præfertur in feritate, quoniam hæc vltima præ omnibus alijs ecclesiam Dei vexauit, cuius decem cornua, multos & varios designant Mahometicos principatus, qui variis temporibus supra modum Dei ecclesiam vexauerunt: quorum vnus & maximus est hic Turcarum à quo præ cæteris ecclesia in arcto posita est. Si enim præsentis temporis angustias considerare voluerimus, inueniemus à mille ducentis annis, hoc est à tempore Constantini Imperatoris, ecclesiam Dei nunquam ad tantam miseriam deuenisse. Nam etsi plurimas calamitates hoc supradicto tempore perpessa sit, toto tamen orbe diffusa, propriam dignitatem & glòriam retinebat, & omnibus ferè nationibus imperabat: nunc verò in angulo orbis conclusa atque constricta, peccatis nostris, magnam ei partem, imperium scilicet Constantinopolitanum, Græciam, Thessaliã, Macedoniam, & nunc ad vltimum, Rhodum & Vngariam, Turca surripuit: reliquũ verò Europæ quod restat, sic ab hæresi Lutherana & Caluiniana corruptũ, ac deornatũ est, vt vix eius dimidiũ in vera fide, & Pont. obedientia persistat. Sola enim Italia, & Gallia ex parte, & Hispania, in pura & syncera permanent fide: & hæc modica pars in tanta discordia, & diffidione est, vt nisi Dei clementia prouideat, breui videatur penitus peritura: tota nanque corruit ac labascit, quasi domus aliqua veterrosa, & veluti nauis ruptis cõpagibus, & amisso clauo mergitur in profundum. O miserandam deplorandãque calamitatem ecclesiæ, ò extremam sortem sanguineis lachrymis prosequẽdam, ò antiquam illam maiestatem & gloriam, ad vltimam confusionem, & Thre. 2.
ignominiam deuolutam *Cui comparabo te, vel cui assimilabo te filia Hierusalem, cui adæquabo te, virgo filia Sion? magna est enim velut mare contritio tua. Quis medebitur tui?* vbi est illa potentia, & magnitudo tua? vbi est illa gloria & pulchritu-

tudo tua, quando ab oriente in occidentem imperium extendebas: quando toto terrarum orbe diffusa, tot regnis & prouincijs præsidebas: quando omnes gentes, & nationes tuo protegebas imperio? *Heu facta est quasi vidua domina gentium, princeps prouinciarum facta est sub tributo. Nolite nunciare in Geth, & ne dixeritis in compitis Ascalonis, ne forte audiant & letentur filiæ incircumcisorum.* Quid tibi tantum peccate potuit populus tuus domine, vt sic repelleres eum à te, & traderes in manus inimicorum, & subijceres dominio paganorum? Memento solij gloriæ tuæ, & recordare pretiosi sāguinis tui, & ne repellas in finem. Sic itaque armamur, sic affligimur, & ad hunc statum propter peccata nostra deuoluti sumus: nec tamen in hoc maxima afflictio nostra est; scimus enim, quia omnia dedit tibi pater in manus, & tuo nutu omnia disponuntur, & facilè est tibi saluare cum volueris; tu enim *conturbas profundum maris, & procellas persecutionum sustitas* & cum placet *sonum fluctuum eius mitigas.* Sed quod maximè auget dolorem nostrum, & duplicat afflictionem, est expectatio futurorum. *Foris gladius, & intus timores,* vt ait Apostolus. Facit autē vehementer timere, videre in tantis malis duritiam & insensibilitatem cordis nostri; *non est enim qui sentiat, non est qui doleat, non est qui surgat & teneat te;* in vltimo malorum constituti, profundo sōno dormimus, iucundamur & lætamur quasi phrenetici. Non est qui clamet & deprecetur veniam; nulla malorum reformatio, nullus qui peccata defleat. *Percussi* (inquit) *eos, & nō doluerunt, disciplinam accipere enuerūt, dissipati sunt, neq; cōpuncti.* Et alibi. *Perdidi populū meū, & non est reuersus ad me.* O stupendum stuporem, ò soporem mentium miserandum: quasi exigua mala sint hæc, cum multo maior sit quam belli miseria, quam fames, aut pestis; in his enim iactura corporis, in illo est etiā periculum animarum; hęc timemus, illud contemnimus, hoc nostræ perditionis euidentissimū prognosticū. Prope est dies domini, finis venit, venit finis; iam securis ad radicem arboris posita est, appropinquat tempus illud, de quo in Apocalypsi legimus: *& vidi, & ecce nubē candidā, & super nubem sedentē similē filio hominis, habentē in capite suo coronā auream, & in manu sua falcem acutam. Et alius Angelus exiuit de templo, clamans voce magna ad sedentem super nubem. Mitte falcē tuam, & mete, quia venit hora, vt metatur: quoniam maturuit messis terræ. Qui sedebat super nubem misit falcem suam in terram, & messuit eum, &c.* Verè venit iam messis ad maturitatem, non restat nisi vt metatur triticum, & condatur in horreum domini; & botri amarissimi, & acerbæ labruscæ in inferni torculari calcentur: quod fiet die à domino præfinito. Quid ergo faciemus fratres in tanta miseria constituti, nisi quod fecit hęc mulier Cananęa, quæ nobis ob id in exemplum obijcitur in Euangelio, vt eam in nostris pressuris & tribularionibus imitemur? Primo ergo flagella domini, & peccata, propter quæ veniunt agnoscamus; non simus quasi statuæ sine sensu, cor habentes lapideum & induratum. Secundo, clamemus ad dominum clamore valido, corrigendo vitam, & misericordiam postulādo, sicut scriptum est. *Ad dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.* Et iterum. *In tribulatione mea inuocaui dominū, & exaudiuit de templo sancto suo vocem meam* Hoc enim vnicum refugium habemus; in hoc tota salus nostra consistit. *Sperent alij in curribus & equis, & exercitu forti, nos autem in nomine domini nostri;* inuocemus illum, imploremus, ad illum accurramus: arma enim nostræ militiæ spiritualia sunt, potentia Deo, oratione scilicet, ieiunia, pænitentia, lachrymæ. His armis prioribus temporibus Ecclesia omnes diaboli conflictus deuicit: omnes mundi procellas superauit, his olim Moyses de monte non pugnādo, sed clamando Amalechitas deuicit, quoties ad hoc recurritur, certa est victoria; quoties negligitur, indubitata est miseria. Tertiò si volumus quod audiatur in cœlo clamor noster, de Tyri & Sidonis finibus exeamus; relinquamus peccata, & non modo vitia, sed etiam vitiorū fines, id est, occasiones deseramus; in Isa. enim scrip-

Thre. 1. *2. Reg. 1.* *Psal. 43.* *Ioan. 13.* *Psal. 64.* *Psal. 45.* *2. Cor. 7.* *Ibi. v. 64.* *Isa. 9.* *2. The. 2.* *Mat. 3.* *Apo 14.* *Deut. 32.* *Psalm 9.* *Psal. 17.* *Psal. 19.* *2. Cor. 10.* *Exod. 17.*

tum legimus, *cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Multa fecerunt Niniuitæ, cū Ionas propheta Ciuitatis excidium prophetaret; sed quid ait scriptura? *Nouit Dominus quod conuersus esset vnusquisq; à via sua mala, & misertus est.* O Ecclesiæ reformatio tamdiu desiderata, & nunquam exhibita, ò si daretur nobis illam videre oculis nostris ante mortem? Credite fratres quamdiu in his moribus Ecclesia vixerit, frustra bellatur in Turcas, prius cōtra mores quam in hostes pugnandum. Corrigamus itaq; viram, & adhæreamus Deo, & ipse pugnabit pro nobis. Quarto in oratione & clamore perseueremus, & non à clamoribus desistamus, donec impetremus; sicut scriptū est, *sicut oculi ancillæ in manibus domine sue, ita oculi nostri ad Dominum Deū nostrum, donec misereatur nostri.* Magna virtus perseuerantiæ, quæ etiam vbi merita desunt, locum obtinent impetrandi.

Isa. 1.

Ion 3.

Psal. 122.

Deesse aliquid videtur.

IN EADEM DOMINICA secunda quadrag. Concio secunda, de eodem themate.

VT quis perfectè acquirat de re aliqua scientiam, tria illi sunt necessaria, ars, vsus & imitatio. Ars, quæ regulas & documenta tradat: vsus, qui ea exerceat, imitatio, quæ exempla oculis obijciat. Exemplum est in pictore, qui vt perfectè artem suam acquirat, primò indiget arte quæ doceat regulas conficiendorum colorum, & proportionem seruādam in eis cōponendis, & in depingendis imaginibus rationem: secundò indiget vsu, nam si nō pingit, nunquā erit pictor; tertiò indiget exemplaribus insignibus, in quibus omnes illæ regulæ optimè videatur. Ita in musica & in cæteris artibus. Est autem tam potens imitatio, vt sola sine arte, vt Tullius ait, vel cum modica arte sufficiat facere rhetorem, assiduè legendo & exercendo. Quod etiā in plerisque facultatibus euenire solet. Ars artiū est seruire Deo, suprema sapientia scire benè viuere, si hanc nosti, etiamsi cætera nescies, sapientissimus es: qui hāc nescit, quicquid sciat ignorantissimus est: hanc omnes Christiani profitemur: quid enim aliud est Christianismus, nisi ars doceus homines piè viuere, placere & seruire Deo. Vnde Paulus. *Apparuit gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & piè, & iustè viuamus in hoc sæculo.* Huius artis regulas, & præcepta tradit Euangelium, & scriptura sacra: sed nihil proderit ista scire, nisi ea opere exerceas: peritia enim scripturæ potest te facere bonum theologum, sed non bonum Christianum: sed iuuabunt ad hoc valdè sanctorum exēpla, quæ sunt, quasi quædam exemplaria perfecta, in quibus tota Christianitatis ars perfectè depicta cernitur. Nihil enim aliud est quilibet sanctus, nisi Euangelium viuū, & Euangelica institutio perfectius videtur in sancto, quam legitur in libro. Solet geometra rudibus tyronibus depingere geometricas quasdam figuras, in quibus oculo practicè videant, quod aure theoricè non intelligunt. Ita & Deus perfectionē tradit in Euangelio, describit in sancto, vt qui virtutum formam legendo nō intelligit, videndo sciat. Quantum in cœnobijs, & in cæteris Christianis congregationibus vita vnius viri sancti inspecta alij proficiant, experientia demonstrat. Verè exemplum, quam verbū homines amplius mouet, ac propterea Spiritus sanctus huius artis traditor, & inuentor, sciens quantum ad benè viuendum proficiat imitatio; ferè per totam scripturam varia sanctorum exepla passim sparsit, & fidelibus imitāda proposuit; vt Abrahæ obedientiam, Ioseph castimoniam, Moysi mansuetudinem, Iob patientiam, Dauid humilitatem, Eliæ zelum, & alia similia, in quibus veluti exemplaribus, & sculis omnis benè viuendi ars relucet, & splendet. Hæ sunt virgæ quas noster Iacob ouibus suis obijcit in canalibus, vt eis cōfigurentur. Omnes nostris historiā, non tamē erit inutile, propter simplices, si eā diffusius pertractemus. Iacob Patriarcha postquam diu socero suo Laban

Tit. 1.

sine aliquo stipendio seruierat, conuenit cum eo, vt pro seruitij sui mercede, maculosi fœtus qui ex gregibus nascerẽtur, in partem suam cederẽt, reliqui verò qui vel albi vel nigri proditent, soceri sui essent. Placuit socero conuentio, quia raro huiusmodi fœtus vari nasci solent, sed S. Iacob vt debitum sibi pro seruitio salarium obtineret, sicut bonus Philosophus, quãuis pastor, vsus est cautela quadam pulchra & prudenti: tollens namq; virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas, atq; ita color earum factus varius, ex viridi alboque commistus, posuitque eas in canalibus vbi effundebatur aqua, vt cum veniissent greges ad bibendũ, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum concíperent: factumque est vt in ipso calore coitus oues intuerentur virgas, & parerẽt maculosa, & varia, & diuersi coloris respersa: itaq; sic grex eius multiplicatus est valde, ac in breui tẽpore factus est dives. Hanc figurã pulchrè exponit Gregorius vigesimo primo moralium, ferè ad hunc modum. Pastor pastorum fortis luctator & verus Iacob, qui triginta tribus annis duriſſimo seruitio patri seruiuit in vita mortali pro Rachele formosissima, Ecclesia sancta Dei, *vt exhiberet eam sibi sine macula, & sine ruga*, & qui omnium laborum suorum stipendium in animarum fidelium grege recepit Christus Dominus, cui à patre dicitur, *postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*, hic pastor totum gregem suum vult varium, pulchrum, maculosũ, non vnicolorem, sed vario colore respersum. Non enim tibi sufficit vna virtus, vt sis ouis Christi: non satis est vt humilis, vel castus, vel mansuetus, vel pius inueniaris, vt electorum ouili adiũgaris, sed ex pluribus, aut ex omnibus virtutibus oportet esse decoratum. Talis erat illa de qua dicitur in Psalm. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate*. Virgines illæ fatuæ quia vnicolores erant, & solo virginitatis candore coloratæ, audierunt à Domino, *nescio vos*. Ac si diceret: non estis vos ex ouibus meis: varium gestate colorem, & suscipiam vos. Pharisæus ille qui de se sola ieiunorum, & pœnitentiæ nigredine gloriabatur, aliena ouis erat, non erat de Christi ouili: non enim erat maculosus, sed multa superbia maculatus. Vt igitur oues suas plurima virtutum varietate decoraret optimus pastor, in sacræ scripturæ canalibus multicolores virgas, ideſt, varia sanctorum exempla, eis obiecit contẽplandas, & contuendas, quibus se per omnia conformarent & configurarent. Et partim quidem eas decorticauit, partim verò in sua viriditate reliquit: virgæ namque decorticatæ martyrum exempla designant, qui amore Christi, & zelo fidei, carnis corticem tormentis, & duriſſimo martyrio exuerunt: virides verò virginum, & confessorum exempla sunt, qui in illo virtutis, & virginitatis viroreDeo placuerunt, & sanctam Ecclesiam illustrauerunt. Ouis ergo quę inspectis huiusmodi exemplorum coloribus, veluti chamæleon in eis se transformat, & transfigurat, fœtusque sanctorum desideriorum & bonorum operũ, varios ac multiplices ad earum similitudinem intus gignit, & foris parit, ouis est Iacob, ideſt Christi. Quæ autem ab inspectis sanctorum exemplis in nullo variatur, sed in antiquo & simplici colore inolitæ vetustatis permanet, ouis est Laban, ideſt, dæmonis. Quisque ergo in se oculos penitus vertat, & cuius sit ouis exploret. Ecce quotidie ad bibendum in Christi canalibus conuenitis: varias vobis sententiarum, & exemplorum virgas in sermonibus obiicimus. Quidam vario desideriorum bonorum, & sanctarum affectionũ schemate in cordibus suis iuxta propositas, & obiectas sibi sententias, afficiuntur & colorantur; alii autẽ quales intrauerũt, tales exeunt, quã duro corde, & obiecti virtutum coloris nullam penitus in eis faciunt impressionem. Ecce ouilis Christi signum; ecce characterem quo filii lucis à perditionis filiis discernuntur. Qui bonum quod videt æmulatur & imitatur, Christi est: qui contẽnit, & negligit, Laban est. Sed quorsum hæc omnia? attendite fratres literam Euangelii. Opponit nobis hodie sacra Euangelii

Eph. 5.

Psal. 2.

Psal. 44.

Luc. 18.

gelii lectio, virgam quandam satis variam, & multicolorem, ideſt, exemplum quoddam insigne quod imitemur; non Patriarcham, non Apoſtolum, non Prophetam, aut Martyrem, ſed mulierculam quandam peccatricem, gentilem, idolatram, ſimpliciſſimã, ſine lege. Ne enim excuſari poſſis quod ſanctos imitari nequeas, quod illorum vires, & ſpiritum nõ habeas, hæc mulierecula tibi proponitur, vt vel illam ſaltem imiteris, vel ſi non, ab illa erubeſcas, & confundaris: iuxta Iſaiæ vaticinium: *Erubeſce Sidon, ait mare.* Iſa. 23. Hæc legem non habebat, Prophetas non nouerat, myſteria ignorabat: & tamen bone Deus, quot virtutes & inſignia in ea ſubito emicuerunt? quanta fides, quanta fiducia, quanta patientia, quanta humilitas, quanta perſeuerantia? Non viderat Chriſti miracula, non mortuos reſurgentes, cęcos videntes, ſurdos audientes, claudos ſalientes inſpexerat, ſed ad leuis cuiuſpiam rumoris auditum, ſic pia eius viſcera fides repleuerat, vt abſentem ſolo verbo dæmoniacam filiam curare poſſe firma animi adhæſione teneret. Fiducia verò impetrandi tam multa, vt neq; reiecta conticeret, neque deſpecta negligeret Patientia magna clamauerat, & ſiluit Dominus, ſequebatur, & non reſpondebat: interceſſores Apoſtolos reiecerat: deprecantem atq; proſtratam conuiciatus fuerat: & non eſt tot exploſionibus laceſſita, non eſt dedignata, non eſt irritata. De humilitate quid dicam? cum vocata canis, ipſa quoq; conuicio ſuo addiderit: & catellam ſe nominauerit? Perſeuerantia verò ſupra humanam facultatem fuit: nã toties irritata atq; deſpecta, clamare non ceſſauit, donec obtinuit. O miram huius Virgæ viriditatem, ò mirabilem fœminam, prius ſtudioſiſſimam quàm fidelẽ: ante virtutibus conſummatam, quàm ſacris initiatã. Quid tu dicturа es anima fidelis, quæ ab initio vitæ ſacramentis imbuta, inter tot ſacrarũ ſcripturarũ rudimẽta, inter tot Prophetarũ, & Apoſtolorũ oracula, inter quotidiana ſacrorum ſolennia, & aſſiduas Dei laudes, inter frequẽtatos Diuinę legis ſermones, & iuges prædicantium exhortationes, algesne & friges? Ab hac idololatra; diſce feruorem, diſce fidem, diſce virtutẽ. Quid enim in ea intus lateret, Saluator agnouerat. Siluit, vt innoteſceret: improperauit vt luceret: diſtulit, vt augeret: Vt Eccleſiæ fœminam iſtam imitationis exemplum, & virtutũ omnium exẽplar futuris ſæculis relinqueret, quam ipſe non exteriori verbo, ſed interiori radio ſubito confirmauerat. Vndẽ meritò eam modo pœnitentibus obiicit Eccleſia, vt in ea videant quod ſequantur, attendant quod imitentur. Fac tu ò peccator pro anima tua quod fecit illa pro filia ſua, conſimili enim morbo laborat, pari ægritudine grauatur, ſic à dæmonio malè vexatur: curre ad medicum: inquire medelam, clama, obſecra, inſta, fac quod fecit, & libereris, ſicut & filia eius liberata eſt. Primò itaq; egredere de finibus tuis, ſicut illa de tuis egreſſa eſt; relinque non ſolũ peccata, ſed etiam occaſiones peccatorum, & elongare ab eis quantum potes, & ſic obuiabis Saluatori ſicut ſcriptũ eſt, *ſurge qui dormis, exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus*: nam inter peccatorum fines Chriſtum inuenire nõ poteris. Pelle à domo tua cõcubinam, dimitte fraudes, vſurarias cautiones diſrumpe, ceſſa à taxillis & ludo, & omnem peccandi occaſionem effuge, & ſtatim adderit tibi Chriſtus. Quid enim tibi proderit in mediis peccatorum fluctibus clamare & inter medias inferni leges animæ tuæ ſalutem optare? Si verè liber eſſe cupis, longè fac à te vitiorum omnium ſeruitutem. Egredienti à Sodomis Loth tria præcepit Angelus. Primò *ne ſteteris in omni circa regione*: ſecundò *noli reſpicere poſt tergum*: tertiò *ſaluum me fac in monte*: Hæc omnia cuilibet peccatori neceſſaria ſunt, vt non ſolum vitiorum Sodomam, ſed & eius ſuburbana, & omnem regionem proximam egrediatur, neque ad præterita peccata quæ dimiſit redeat, & ad virtutum, & perfectionis culmen, quantum valeat citato greſſu conſcendat. Secundò cognoſce ô peccator nimiam vexationem diaboli, captiuitatem duram, & miſeram ſeruitutem, & diuinam miſericordiam inuoca

Chananæa mulier cõmendatur à varietate virtutũ.

Eph. 5.

Gen. 19. Quæ præcepit Angelus Loth egredienti à Sodomis, eadẽ omni peccatori neceſſaria ſunt.

Mat. 15. continuis clamoribꝰ, ſicut iſta Cananæa, dicens: *Miſerere mei Domine fili Dauid, anima mea malè à dæmonio vexatur.* Et quàm malè. Quis explicare ſufficiat? Nulla eſt ſeruitus, nulla captiuitas, q̃ vitiorū ſeruituti valeat comparari. O quam humiliatum & concatenatum detinet iniquitas peccatorem. Si quis tyranno quantūuis ſæuo & crudeli deſeruiat, & diebus ac noctibus catenis & ferro ligetur, quantū eſt hoc? manus & pedes ligarz potuit, ſed mens & voluntas libera ſunt: in peccatorum mancipio non ſic, ſed mens, ſenſus, ratio, iudicium, voluntas, affectus, deſiderium, & quicquid in homine præcellit, ligatum eſt: miſit quod eſt hominis, & ferè totus obbrutuit. Vnde Dominus per Prophetam ad huiuſmodi animam ait. *Leua in directum oculos tuos, &*

Hier. 3. *vide vbinunc proſtrata ſis: quam vilis facta es, nimis iterans vias tuas: ſed & amaritudo & triſtitia immenſa, vexatio & inquietudo maxima, nulla pax, nulla quies, continuum diſſidium, inceſſabile bellum, foris gladius, intus, timores.* O tormentum malitiæ importabile, quàm malè miſeras animas torques: alter infernus eſt anima impij: miror quomodo tam crudelis vexatio vltro toleretur. Vnde Pro-

Pſal. 85. pheta. *Libera me domine ex inferno inferiori,* innuens per hoc, alium eſſe ſuperiorem in corde malo, priori anxietate & ſupplicio quam ſimillimum. Deniq; ſtatum

Luc. 19. peccatoris miſerrimum, in Euangelio deſcriptum reperies in illo filio prodigo, qui cum eſſet nobilis, & delicatus, inter delicias, & purpuras in domo patris enutritus, poſtmodum ad hanc calamitatem deuenit, vt infimo cuipiã ex ciuibus ſeruiret, & porcos paſceret nudus, & famelicus, tam ingenti eſurie, vt ſiliquas porcorum auidè concupiſceret, & nemò illi daret. Quanta humiliatio, quanta deiectio; vtinam Deus peccatorum oculos illuminaret, vt infœlicitatem ſuam viderent & ſentirent. Deterior vtique eſt animæ vexatio à dæmone, quam corporis; & multò infœlicius eſt dæmoniacũ eſſe corde, quam carne. Tamen ſi poſſeſſum à dæmone energumenum aliquãdo cernimus, cuncti miſeramur, omnes dolemus, cum liberare conamur; & energumenũ mente nemo curat, nemo iuuat, nemo miſeratur; cum multò citius, ac facilius poſſit à dæmonio liberari. Tertiò, ſi fortè non audiris, ſi non admiteris, interpella viros iuſtos, & ſanctos qui pro te deprecentur & orent, vt fecit Pſa. 120. iſta. Sic legis in pſalmo. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Et iterum. *Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in* Pſal. 31. *tempore oportuno.* Quantum apud Deum valeat pro peccatoribus iuſtorum deprecatio, teſtis eſt Abraam qui ſuis precibus importunis; illarum quinq; nefandarum Gen. 18. ciuitatum ſalutem pro decem iuſtis duntaxat, à Domino obtinuerat. Teſtis etiam Moyſes, cuius deprecationibus placatus Gen. 31. eſt Deus, ne funditus totam illã multitudinem in deſerto proſterneret. Sicut pſalmographus ait: *Dixit vt diſperderet eos, ſi nõ* Pſal. 105. *Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione,* &c. Quartò ſi forſitan & ſic patiaris repulſam, inſta, clama, perſeuera, non deſiſtas, donec obtineas: ora, clama, inuoca, plora, memor illius verſiculi: *Sicut ancillæ* Pſa. 122. *in manibus domine ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum.* Sed quandiu? Vtique *donec miſereatur noſtri.* Et tu ſimiliter non ceſſes, donec miſericordiam cõſequaris. Vnde idẽ Propheta: *Si introiero* Pſal. 131. *in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero in lectum ſtrati mei, ſi dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inueniam locum domino, tabernaculum Deo Iacob.* Tu quoque non des requiem tibi, non des ſomnum oculis tuis, neque dormias aut quieſcas, donec expulſo dæmone, intra te inuenias locũ Domino, tabernaculum 2. Cor. 6. Deo Iacob. De quo Apoſtolus: *templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Sic fratres, ſic animarum ſalus procuranda eſt, ſic pellendus ab anima dæmon, ſic miſerabilis illa ſeruitus vitiorum euitanda; non facilè iugum iſtud à ceruice excutitur, non leuiter huius Pharaonis ſeruitus declinatur; decem plagis Ægypti interdum percutitur peccator, & Gen. 8 cũ ſequẽtibus non modo non euadit liber, ſed quò Gen. 11. amplius à Deo percutitur, eò deterius induratur, donec pietate multa Gen. 4.

eius

eius primogenitos Deus occidat, & rubrum mare siccatum diuidatur. Primogeniti peccatorum, appetitus sensuales, in quibus originatur omne flagitium: mare rubrum, concupiscentia carnis, quæ nisi Dei beneficio extinctis illis primogenitis exsiccetur, frustra exterius peccator verberatur. Manus Dei patens & extenta, iugum hoc Pharaonis ab animæ ceruicibus solæ excutit, & de peccatorum tenebris animam educit; & nos ridendo, & iocando, putamus ab hac seruitute liberari. Pudet dicere, quam lentè, quam frigidè, peccatorum nostrorū negotia procuramus, quam pro nihilo ducimus à dæmone tam dire, & misere possideri. Semel in anno, & præcepto coacti, ad confessionem accedimus remissè, & tepidè pro peccatis oramus: lachrymas & gemitus rarò fundimus: Ita scilicet, ita certè pellitur dæmon, ita illius durissima seruitus declinatur? Quid de illo dicebat beatus Iob audiamus.

Iob. 41. *Reputabit quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum æs. Non fugabit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ: quasi stipulam æstimabit malleum, & deridebit vibrantem hastam.* Vides quā pertinax, & proterua sit ista bestia? quam pro nihilo fortia iacula pēdat? & ariftis & paleis ipsam expugnare contendis? Quid agis miser, tot negotijs implicitus, & animæ tuæ oblitus? & quod maius negotium quam eximere te à tam misera seruitute? Animam leprosam, liuidam, turgidam gestas, & oblitus tui aggregandis opibus inhias? *Isa. 46.* *Redite prauaricatores ad cor*, clamat dominus per prophetam. Intuemini corda vestra; vt quid misera anima dissimulas vlcera tua? & plagas tuas? vt quid in tanto discrimine posita, à te ipsa exulas curiosa & vaga? Redi ad te, inspice te, tecum inhabita. *Mat. 15.* Sed ad Cananæam nostram redeamus, *qui non respondit ei verbum.* Potest hic non inepta quæstio elucidari. Cum Deus sit pius, & misericors, & animarum nostrarum salutem nimis cupiat, cur aliquando petitiones nostras, non dico temporales, & stultas, sed spirituales, & pias, aut omnino neget, aut differat? Quòd enim ita sit, nō opus est testimonijs: nam experientia quotidiana hoc satis probat: & sed & prophetarum oracula non desunt. *Vsquequo* (inquit) *vociferabor vim patiens, & non exaudies?* Et alius. *Clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi.* Respondeo vnum è duobus est incausa: aut enim nos quod petimus, impedimus: aut nobis prodest ipsa dilatio. Impedimus autem multipliciter: tum quia fortè sumus in aliquo vitio occulto, propter quod petiti muneris incapaces efficimur. Vnde prophera cum dixisset. *Domine vim patior, respondepro me:* ipse prius sibi respondet, dicens. *Quid dicam aut quid respondebit mihi, cùm ipse fecerim?* At si dicat, quid mihi facturus est Deus, aut qua ratione me à vitiorum meorum violentia liberaturus est, cum ego libens, ac volens voluar & inuoluar in eis? Tum quia fortè acceptis beneficiis ingrati fuimus, vnde noua accipere non meremur; aut quia forsan aduersus nos præteritorum flagitiorum nimia magnitudo reclamat, quorum vehementissimus clamor orationum & lachrymarum nostrarum clamorem obtundit. Sic dominus per prophetam ait. *Cum clamaueritis ad me non exaudiam; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Et per alterum prophetam apertius: *Propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt peccata tua. Quid clamas super contritione tua, insanabilis est plaga tua.* Et iterum. *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam borith, tamē maculata es tu coram me, dicit Dominus.* Durum est verbum illud, & quis poterit illud audire? sed ne detur locus desperationi, post modicum prioribus verbis adiungit. *Obducam cicatricem tibi, & à vulneribus tuis sanabo te.* Pluribus quoq; alijs viis & modis interdum petitionibus nostris ipsi ob stamus, & ne fiat quod anxiè petimus, impedimus. Aut nobis prodest quod differtur petit, & hoc multipliciter. Primò ad probandam patientiam, & fiduciam quam habemus in eo, & an amore puro, propter seipsum magis quam propter dona diligamus eum. Secundò ad augendum desiderium, vt crescente desiderio, crescat etiam do-

Iob. 19. *& Hab. 1.* *Psal. 21.* *Isa. 58.* *Isa. 1.* *Hie. 30.* *Hie. 2.* *Hie. 30.*

num. Tertio vt petendo promereamur quod petimus, quod prius forsitan, non promerebamur. Quartò *ne sit vile quod præstat*, sicut ait sanctus Chrysogonus beatæ Anastasiæ. Quintò quia forte non expedit nobis quod postulamus, quamuis spirituale videatur: Sextò quia fortè dedit, & ignoramus. Petebas spiritum, dedit crucem: flagitabas deuotionem, dedit tribulationem. Tibi forsitan magis hoc expedit: quia licet in illa plus sit solatij, in hac plus est meriti. Propter has & similes causas Deus aliquando differt petitiones nostras, iustas & pias: nam alioquin, cum ipse sit pijssimus, benignissimus, liberalissimus, magnificus, summa bonitas, summe desiderans communicare seipsum, nostri etiam amantissimus, & beneuolentissimus, qua ratione credendus est filijs sic dilectis negare petita, si expediant? *Qui proprio suo filio* Rom. 8. *non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, quomodo non nobis omnia cum illo donabit?* Et ipse filius qui pro nobis sanguinè, vitam, animam posuit, & vt gratię, & gloriæ suæ diuitias nobis communicaret, nasci & mori dignatus est, quomodo nobis dona sua negabit? mortuus est vt daret, & negabit? Proculdubio nostra est culpa, si nõ obtinemus: hæc enim amoris & liberalitatis eius in nos validissima sunt testimonia. Habentes igitur huiusmodi dilectionis eius insignia, quomodo diffidemus? qua ratione deficiemus? Eia igitur *consurge consurge, excutere* Esa. 52. *depuluere, solue vincula colli tui captiua filia Sion*, abijce iugum, rumpe catenam, proijce onus, declina seruitutem, egredere à peccatis, elongare à miseria, clama post Iesum, nõ cesses à clamore, donec audias; *magna est fides tua, fiat tibi sicut vis* Nõ Ier. 2. deficias non diffidas; nam væ illis qui perdiderunt sustinentiam. *Dominus* (ait Propheta) *obtriuit confidentiam tuam, & nihil habebis prosperum.* O magnum confidentiæ meritum: his præcipuè qui in abysso peccatorum sunt: quãta efficacia, quanta acrimonia Isaias Propheta huiusmodi fiduciam peccatoribus suadet, dicens *Quis ex vobis timet Deum, audiens vocem serui sui? qui ambulat in tenebris, & nõ est lumen ei, quod das consilium?* Sequitur. *Speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum*: hoc faciat, & quicquid petierit obtinebit. Quia enim speraſti ò peccator, vbi non stat spes, & vbi nulla erat fiduciæ ratio confidisti, quia in abysso malorum positus à Dei tui bonitate oculos non auertisti, quia sic Dei pietatem, & misericordiam sublimasti, fiat tibi sicut vis. Ecce peccata dono, dæmonium eijcio, libertatem præsto, gratiam superaddo, daturus insuper post huius vitæ cursum, & gloriam: ad quam nos perducat, ipse dominus, & redemptor noster Iesus, cui cum patre, & spiritu sancto est honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

FERIA SEXTA POST SECVNdam Dominicam Quadrag.

THEMA.

Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius. Mat. 21.

SEnsus literalis huius parabolæ planus est: pater familias, Deus: vinea, synagoga: sepe, lex: torcular, altare sacrificiorum: turris, templum: agricola, Iudæi; nuntij, prophetæ: filius, ipse Christus Itaque filium Dei eiecerunt extra Ciuitatem, & hæredem regni cælorũ occiderunt: propter quod impleta est in eis sententia eorum: malos malè perdet, &c. & ablatũ est ab eis regnũ Dei, & datum est Ecclesiæ facienti fructus eius. Rom. 1. Circa hoc dicemus duo: primò quam iustè ablatum est ab eis regnum Dei: secũdò quomodo etiam timendum est, ne forte similiter auferatur à nobis.

Admiranda, & tremenda sunt iudicia tua Domine, ecce elegisti populum illũ, eduxisti eũ de Ægypto in manu valida: fecisti portenta magna in populo Ægyptiorum affligente eos, occidisti primogenitos, siccasti mare, obruisti in eo exercitum Pharaonis, pauisti populũ per desertum cælesti pane, duxisti eos in nube, & in columna ignis, dedisti eis legem in Sina, siccasti Iordanem, & destruxisti *Exodi per totum librum. Psal. 79.*

gen-

gentes, & plantasti eos, & plantatos in medio orbis contradicente toto orbe protexisti, & defendisti eos, misisti eis ex suo genere prophetas, & sanctos, & ad vltimum, ne quid deesset honoris & dignitatis, ex eis carnem assumpsisti: & post tot beneficia & fauores indignatus odisti, abiecisti, destruxisti, repulisti eos, & toto orbe miseros dispersisti, non minori odio quam fuerat ante dilectio. Sicut scriptū est. *Vendidisti populū tuum sine pretio* Quis non timebit te, ò rex gentium? *Psal. 43.* quis gloriabitur coram te? quis à iudiciis tuis non formidabit? Sicut psalmographus, *eleuans* (inquit) *alliisti me.* Et Iob. *Eleuasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me validè: nunquid sicut dies, hominis dies tui, aut anni tui sicut humana sunt tempora?* vt modo quid placeat, & modo displiceat? nunc acceptes, & post modicum quod acceptaueras refutes? Absit hoc à te Domine. *Ego* (inquit) *Deus, & non mutor.* Scriptum est, *non repellet Dominus plebem suam:* scilicet quam præscisit: vt Apostolus optime exponit, quos elegerat ab initio, & præscierat. Verum Israel non litera, sed spiritu, non repulit dominus, nam reliquit sibi ex illo populo semel electam ad propagandas, & conuertendas gentes, aliosverò repulit, quos tamē nūquā elegerat, æquissimo & iustissimo sapiētiæ, & prouidētiæ suæ iudicio, exigētibus atque exposcentibus hoc eorū meritis atque operibus. O si liceret nunc à principio omnia gesta illius populi euoluere, & in singulis malitiam, pertinaciā, duritiam, peruicaciam, ingratitudinem illius populi ostendere; verè non miraremur, quia eum repulisti, sed magis quā tam longo tempore tantam eorum nequitiam sustinuisti. Nouerat eos optimè dux eorum Moyses: qui in dulcissimo illo, & sublimi cantico, quod quasi cygnus iam iā moriturus præcinuerat, mores eorum, & vitā describens sic ait. *Hæccine reddis Deo populo insipiens & stulte? gens prauа atque peruersa, gens absque consilio, & absque prudentia. Vua eorum vua fellis, & botrus amarissimus fel draconum eorum vinum, & venenum aspidū insanabile.* Omitto nunc irremunerationes, & rebelliones in deserto, omitto idololatriæ frequentata scelera, omitto procliuū animū eorū ad omnia vitia, & deflexū ad terrena, & tēporalia mentē: quot sanctos, & prophetas, qui eorum saluti consulebant, & bonū eorū feruenti animo zelabant variis tormentorum, ac pœnarū suppliciis affecerunt, & crudelissima morte necarunt, replentes Hierusalē Ciuitatē sanctam innocentiū sanguine vsq; ad summum? Et hæc omnia perpetrarunt corā oculis tuis, tu Domine sustinebas eos in multa patientia propter patres eorum, & quoniā inuocatū est nomen tuum super eos, ne gloriarentur gentes, & dicerent: *manus nostra excelsa fecit hæc omnia:* & non tuæ dignationi, sed suæ virtuti ascriberent illius populi perditionem; donec offenderunt in lapidem offensionis, & cecidit super eos, vt dicitur in Euangelio, & comminuit eos; tunc enim consummata est, & completa eorū nequitia, & non potuit amplius iam portari; Sic illis idem Dominus dicebat: *implete mensuram patrū vestrorum*, veniat iā ad cumulum nequitia vestra, *vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terrā à sanguine Abel iusti, vsq; ad sanguinē Zachariæ filij Barachiæ, quē occidistis inter tēplum & altare. Ita dico vobis veniēt hæc omnia super generationē istam;* consummata nanque eorū malitia luent simul omnia mala quæ gesserunt ab initio. O scelus importabile, ò flagitium summum, & vltimum: hæredem extra vineam eiecerunt, & occiderunt, filium Dei Saluatorem mundi, eorum Messiam toties promissum, & tandiu desideratum crucifixerunt, & morte crudeli, & probrosa gratis sine causa, imò post multa, & grandia miraculorum signa, & saniratum ingentia beneficia, quæ illis præstiterat, post cœlestis sapientiæ doctrinam, & salutis eorum feruentissimum zelum, peremerunt: propter quod descendit super eos ira Dei, & sic delictum eorum maximum fuit: ita vltimo supplicio affecti sunt. Dici enim non potest, aut exprimi (teste Iosepho) quanta fuerit eorum clades, & calamitas in euersione Hierusalem, à

Malac. 3. *Rom. 11.* *Rom 8.*

Deut. 32.

Rom. 9.

Deut. 32.

Psal. 101. *Iob. 30.* *Iob. 10.*

1. Pet. 2. *Luc. 20.*

Mat. 23.

Christi pœna luitur à Iudæis.

Psal. 77.

quo

quo tempore vsque nunc per mille quingentos annos dispersi in populis viuunt in omni opprobio, & contumelia, sicut toti mundo liquidum & manifestum est. Vnde modo vos ego conuenio Iudæi, & interrogo quid egistis, quid commisistis, propter quid tam lõgo tempore dispersi estis, sine rege, sine sacerdotio, sine tẽplo, sine sacrificio; sicut Propheta prædixerat, *facti in opprobrium, & contumeliã populorum*? Quanta gesseratis prius peccata, quoties idolatrastis, & Deum blasphemastis, irritastis, & nunquam sic fuistis reiecti, nunquam sic puniti, sed si ad modicum indignatio Dei grassabatur in populum, & affligebant vos inimici vestri, statim mittebat vobis Saluatorem. Scrutamini scripturas, legite librum Iudicum, & Regum, & Prophetias, magna illa captiuitas sub Nabuchodonosor septuaginta annis non amplius durauit, quæ tunc post alia idolatriæ & occisionis prophetarũ scelera superuenit. Quid ergo modo egistis, quod sic deiecti estis non per septuaginta, sed per mille quingentos annos, sine remedio, sine solatio? Aduertite saltem, & ex supplicio agnoscite delictum. Quid (inquam) fecistis, nisi quia Christum Dominum occidistis, filium peremistis? Sicut scriptum est. *Dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israel, alienati sunt retrorsum.* Vnde & ipse Christus, & hoc scelus perpetrandum ante in hoc Euangelio prædixerat, & vindictam quoque futuram cum ingrederetur Hierusalem pius, & misericors ante deplorauerat. Quid apertius, quid notius, si non essent obstinati, &c. Sed iam ad nos nostra cõuertatur oratio: exemplum terribile nobis obiectum est fratres ante oculos, timeamꝰ & nos ne similia patiamur: audiamus Apostolum ad Romanos de hoc iudicio subtiliter differentem, & terribiliter comminantem: dũ enim in hoc pelago iudiciorum, quasi immersus & absorptus, disputans laboraret, coactus est exclamare. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius?* Quis enim non admiratus exclamet, si

Psal. 78.

Isa. 1. *&* 5.

Luc. 19.

Rom. 11.

consideret quòd relicto illo populo electo, in quo tot sancti amici Dei, Patriarchæ, & Prophetæ præcesserant, in quo Dei lex vigebat, & eligitur alius idololatra, blasphemus, prophanus, immundus, vitiosus, brutalis pro eo, & loco eius subrogatur? Esto quòd primꝰ ille Hebraicus malus erat, nunquit iste gentilis melior erat Quare hæc, propter quid hoc? Audiamus Apostolum exponentẽ. *Nolo* (inquit) *vos ignorare fratres, mysteriũ hoc, vt non sitis vobis metipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contingit in Israel, donec plenitudo gentium subintraret*: nam delictum eorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum gentium plenitudo. Fracti sunt rami oliuæ, vt oleaster inseratur in oliuã vberem, & fructiferam. Ad illorum enim æmulationem, & inuidiam, exaltatæ, & acceptatę sunt gentes, veluti si quispiam dominus, ad contumeliam cognatorũ, & domesticorum superborum, & malè seruientium, reiectis illis à domo sua, exteros suscipiat famulos, & beneficijs ditet, atque sublimet. Quàm benè prius hoc in illo supradicto cantico famulus Dei Moyses prophetauerat, atque prædixerat, dicens. *Ipsi me prouocauerũt in eo, qui non erat Deus, & ego prouocabo eos in eò, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos*: vt scilicet videant, & contabescãt oculi eorum. Vnde Ioannes Baptista, comminans atque reprimens eorum insolentiam, dicebat illis. *Agite fructus pœnitentiæ, & nè cœperitis dicere, patrem habemus Abraham: dico enim vobis, quia potens est dominus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Videtis certè propter quid relicto illo populo, gentilitas vocata est: nõ quia melior erat, sed in illius inuidiam, & contumeliam. Vnde quò vilior, eò illius contumelia maior: & post hæc vertit Apostolus ad populum Christianũ ex gentili assumptum, sermonem, & vtiliter comminans ait. *Si ergo cum oleaster esses, insertus in bonam oliuam, & pinguedinis oliuæ consors factus es, noli altum sapere, sed time: si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, nè forte neque tibi parcat*, & fiat in te simile quid. Non quod similem repulsam timere debeat ecclesia, vt scilicet re-

Ibid.

Deus. 32.

Mat. 3.

Rom. 11.

ic-

iecta alia subrogetur. Nō enim fiet hoc, scriptum est, *hic sanguis noui, & aterni testamenti.* Et iterum. *Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & porta inferi non præualebunt aduersus eam.* Et iterum. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Et in Psalmo. *Si reliquerint filij eius legem meam, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* Non itaque timemus repulsam, sed translationem: quis enim scit, si propter delicta populi Deus ecclesiam suam, & fidem transferat ad aliam gentem, ista relicta. Auget autem timorem nostrum, hæc noua alterius orbis apud Indos reuelatio, quæ gens barbara cum fidem amplexari iam cœperit, meritò est timendum, ne propter nostram malitiam transeat ad illos Deus, nobis expulsis. Sic enim ab oriente iam diu siccari fides, & ad occidentem fluere cœpit: vt timeri possit, nè etiam deserto occidente, transeat Oceanum. Nunquid non apud Esaiam legimus, vndè hoc iustè timeamus? Nam de istis temporibus loquens ait. *Legem eius insulæ expectabunt.* Et postea. *Ponam* (inquit) *flumina in insulas: & stagna arefaciam. Laudate habitatores petræ, ponent domino gloriam, & legem eius insulis nunciabunt.* Quid amplius? vidimus oculis nostris, & cunctis innotuit, qualiter his temporibus, veluti aperto foramine Græciæ, Angliæ, Germaniæ fides quasi aqua ad insulas hoc ipso tempore repertas defluxerit, siccatis prorsus illorum regnorum, & prouinciarum stagnis: ac proinde timendum meritò, ne in reliquas Christiani nominis prouincias, propter peccata nostra, simile quid fiat. Nam etsi modo non idolatramus, & Christum, & Prophetas corporaliter non occidimus, plura tamen alia peccata, & facinora, odio, & indignatione Dei digna committimus. Hodie namque sicut ait propheta, *maledictum, & mendacium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra. Propter quod* (inquit) *lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea.* Non enim sola infidelitas, & idolatria euersionis populi causa sunt: sed, & alia peccata. Vnde ante primam euersionem illius gentis, quæ facta est à Caldæis, cum dominus apud Hierimiam Prophetam indignationis suæ erga populum, & futuruæ euersionis causas prædiceret, non solum idolatriam, sed & alia multa peccata enumerauit. Ait enim. *Super quo propitius tibi esse potero? filij tui dereliquerunt me, & iurant in his qui non sunt dij.* Ecce idolatriam. Sequitur. *Saturaui eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur: equi amatores insœminas, & admissarij facti sunt. Vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat.* Ecce luxuriam. Et infra, *quia inuenti sunt in populo meo impij insidiantes, quasi aucupes laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros, ideo magnificati sunt, & dilatati, &c.* Ecce auaritiam. *Causam viduæ non iudicauerunt, & causam populi non dixerunt, & iudicium pauperum non iudicauerunt.* Ecce iniustitiam. *Prophetæ prophetabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia.* Ecce fallaciam. Et adiungit, *nunquid super his non visitabo,* dicit dominus? *aut super gente huiusmodi non vlciscetur anima mea?* Vides certè quòd vltio illa euersionis, non propter solam idolatriam, sed propter luxuriam, auaritiam, iniustitiam, & fallaciam in populo suo futura designetur. Hæc autem omnia, idolatria excepta, in populo Christiano satis abundant. Quis maritus hodie vxori seruat fidem? quis non hinniuit ad vxorem proximi sui? quot aucupes in ciuitatibus nostris laqueos parant, & pedicas ad venandas pecunias proximorum: quando pauperes magis oppressi sunt? quando minor cura pupillorum, & viduarum? De erroribus verò, & falsa doctrina Lutheranorum, quantū hodie viguerit, quantum inualuerit in populo olim fideli, non opus est dicere. Proinde verendum nimis, ne impleatur in nobis quod de illis dictum est. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur*

Heb.13.
Luc.22.
Psal.82.
Esai.42.
Osee.4.
Hier.5.
Mat.21.

genti facienti fructum eius. Auertat Deus tantum malum à populo suo, & illuminet oculos cordis nostri, vt videamus peccata nostra, & corrigamus, viamque nostram in melius emendemus, & orationibus, lachrymis, & ieiunijs iram Dei mitigemus, vt instantia mala euitemus, & futuram gloriam consequamur, adquâ nos perducat Christus Iesus. Amen.

Deo gratias.

DOMINICA TERTIA Quadragesimæ.

THEMA.

Cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ.
Lucæ. 11.

SAncta mater ecclesia in hoc tempore Quadragesimæ, præcipuè indendit pellere ab animabus dęmonium: hoc fit per pœnitentiam quæ habet tres partes, scilicet, confessionem; contritionem, & satisfactionem. De his tribus tractabimus his tribus dominicis, & primò hodie de confessione, iuxta thema: de qua dicemus tria, primò quid opus fuit confessione ad peccati remissionem, secundò de maxima vtilitate in frequentatione confessionis: tertiò de conditionibus bonæ confessionis, vt pellatur dæmon. Iob dolēs de peccato commisso, & cupiens quærere illius remedium, sic loquitur Deo. *Peccaui, quid faciam tibi ò custos hominum?* Et quidem si possibile fuisset me non peccasse, hoc maximè vellem: nam pro toto mundo nollem peccasse: sed peccaui, factum est, impossibile est iam non esse factum peccatum: *quid ergo faciam tibi ò custos hominum?* id est, quam satisfactionem, quam recompensam reddam tibi, pro peccato meo? Iube quicquid vis, statue quod libet, nihil mihi erit graue, nihil difficile, vt peccatum meum deleas, & in gratiam, & amicitiam tuam redeam. Scio domine, & verè scio, quia propter peccatum meū expoliatus sum gratia tua, factus sum tibi inimicus, & odiosus, spoliatus sum etiam regno æterno glorię tuæ, & inferni cruciatibus mācipatus: quid mihi graue fieri potest, aut asperum, vt tantum malum effugiam, & ad gratiam tuam redeam? Quanta sustinent homines prō euitanda morte temporali? & ego non omnia sustinebo, pro fugienda morte æterna? De hac re diffusius propheta Michæas loquitur, dicens. *Quid dignum offeram Deo pro peccato meo? Curuabo genu Deo excelso.* Sed hoc quantum est ad tam enormia peccata? Offeram ei holocaustomata, & vitulos anniculos? & quidem domine, *si voluisses sacrificium* pro peccato meo *dedisses, vtiq;* & si opus esset omnem meam substantiam, & facultates, in sacrificijs expendissem: sed *sacrificijs non delectaberis. Impossibile enim est, sanguine hircorum deleri peccata.* Quid peccato, & hircorū sanguinī, Vnde ait. *Nunquid placari potest dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium?* Nunquid dabo genitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? & offeram tibi filios meos in holocausta pro peccatis meis? Abfit hoc à me, talibus enim piaculis, & maleficijs non placatur, sed offenditur Deus. Hoc dæmones, pessimi humano generi inimici, à suis cultoribus exigebant, sanguinem humanum sitientes. Quòd si ad Abraham hoc præcepit Deus, sed tentando: propterea non permisit expleri præceptum. Quid ergo dignum offeram Deo pro peccato meo? Ad hanc inquisitionem mundo necessariam, & vtilem respōdet idem Propheta, dicens: *Indicabo tibi homo, quid sit bonum, & quid dominus requirat à te: vtique facere iudicium, diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo.* Tria hæc, primò *facere iudicium*, vt ipse te iudices, ne iudiceris ab eo: sicut scriptum est. *Si nos vtique dijudicaremus, non vtique dijudicaremur.* Secundò, *diligere misericordiam*, & facere eam cum proximo, vt sic promerearis consequi misericordiam à Deo de peccatis, sicut scriptum est. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Tertiò *solicitum ambulare cum domino Deo tuo*, vt deinceps caueas à peccatis, sicut scriptum est. *Et*

Iob. 7. *Mic. 6.* *Psal. 50.* *Heb. 10.* *Gen. 22.* *1 Co. 11.* *Mat. 5.* *Psal. 17.*

ere

ero immaculatus tum eo, & obseruabo me ab iniquitate mea, hæc fac, & viues. Dices forsan, & quale iudicium debeo facere de me? vtique vt cognoscas peccatum, & doleas de peccato, & confitearis te peccatorem, sicut Dauid fecit, dicens: *Miserere mei Deus, quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci* Hæc sunt homo, quæ Deus requirit à te pro peccato tuo, & non amplius. Ne vtique hoc sufficit tibi ad veniam? O leuissimam satisfactionem, ò facillimam recompensam. Et quid obsecro magnum est, vt cognoscat, & confiteatur peccator se esse quod est? Quid grande, vt ei displiceat peccatum suum tam fœdum, & malum? O si nullam aliam satisfactionem exigeret iustitia sæcularis à reis pro criminibus, nisi vt cognoscerent delicta, & secretò confiterentur iudici se fecisse flagitium, & dolerent, & absoluti abirent. Quis reus ad horam maneret in carcere? In foro sæculari qui confitetur occiditur: ò duritiem, ò peruersitatem, ò pertinaciam iniquorum, ò infernum iustissimum his, qui tam leuem satisfactionē Deo facere renuunt pro peccatis. Et quidem si Deus pro peccatis exigerer, vt carnes tuas flagris laniares, aut tota vita in pane, & aqua ieiunares, vel relicto mundo in solitudine viueres, & in fouea Deo tota vita seruires, vtique facere debueras: pro euitando illo perpetuo inferni igne, quanto magis tam leuia, & facilia? Hoc est fratres quod nimis cruciat damnatos, & furere facit contra seipsos, & se suis morsibus consumere, cū recordantur quòd vno suspirio, & vna lachryma, & breui confessione peccatorum suorum totam illam pœnam æternam euadere potuerunt, & neglexerunt. Gratis fratres, & scienter perdimus nos, qui tam facilè saluari poteramus: Psal *pro nihilo saluos facies illos* Vtique pro nihilo, nā agnoscere peccatum, displicere de peccato, & confiteri te esse quod es, qualis est satisfactio pro delicto? Vtique de se nulla, sed Dei misericordia dignatur saluos nos facere pro nihilo, quia pro peccatis nostris debitam satisfactionem suscepit in filio. In foro naturali, diuino, & humano, iustissimum est, vt qui petit veniam, culpam suam agnoscat, & confiteatur se male fecisse: nam neganti, aut defendenti peccatum quis ignoscet? videlicet si reus dicat, non feci hoc: aut dicat: feci quidem, sed bene feci. Vt ergo reus sit capax veniæ, oportet vt peccatū suum agnoscat, & eū peccasse pœniteat: non quòd pœnitendo satisfaciat, sed quòd nisi pœniteat locum veniæ non relinquat. Qui agnoscit peccatum, & dolet, iam coram Deo fatetur se peccatorē. Quantum vero profuerit ab initio corā Deo ad veniam impetrandam confessio peccatorum, & quantum è contrario obfuerit nolle confiteri peccatum, ostēdit satis luculēter Beatus Chrysostomus in sermone de pœnitentia, pluribus exemplis sacræ scripturæ. Peccauit Adam, venit ad eum dominus deambulans in Paradisum. Videte qsa pace, & tranquillitate, exemplum præbens iudicibus, nè furore commoueantur contra reos: nè fortè aggrauent sententiam odio, sed solo zelo iustitiæ in pace, & tranquillitate iudicent. *Vbi es Adam?* nunquid nescis domine: *Non ignorantis* (inquit glossa) *sed ad confessionem adducentis verba sunt:* sed miser ille, qui prostratus in terram confiteri debuerat peccatum suum, & dicere, peccaui domine, miserere mei: se potius cum muliere excusauit, & quodammodo in Deum culpam suam retorsit, dicens: *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi.* Mulier quoquè interrogata, *quare feciſti hoc?* in serpentem culpam reiecit, dicens: *serpens decepit me.* O si humiliati fuissent, & confessi peccatum, *proculdubio* (vt ait Bernardus in libro de præcepto, & dispensatione) *minori, & leniori multo pœna mulctati fuissent*: sed propter impœnitentiam morte cum sua posteritate damnantur. Ecce quantum obfuit mundo nolle confiteri peccatum. Simile contingit Caim, nam post occisionem fratris sui Abel, venit ad illum dominus, & interrogauit: *Vbi est Abel frater tuus?* Cui respondit, *nescio: nunquid custos fratris mei fum ego?* Quan-

Psa. 50.

Gen. 3.

Adam & Eua peccati cōfessionē omittētes sunt puniti.

Psal. 55.

Similiter & Caim.

Gen. 4.

ta impudentia. O sacrilege fratricida, sic respondes altissimo? non eras custos? nunquid homicida? Propter hanc obstinatam impudentiam, à facie Dei proiectus, perpetuo tremore membrorum mulctatus, exemplum omnibus positus, à suo abscessu occisus, perpetuo inferni igni damnatus est. Qui si peccatum suum confessus fuisset, & pœnitens misericordiam postulasset, proculdubio mitiorem sententiam accepisset. Ecce proteruiæ fructum: è contrario attendite quantũ confessio profuerit, in Propheta Dauid: quem dominus ex pastore regem fecerat, & Prophetam, & oblitus tantæ dignationis, & dilectionis, grauissimis peccatis peccauit, homicidio, scilicet, & 2. Reg. 8. adulterio: venit ad eum Nathan, & vt sapiens medicus, non intrat domum exclamando: ò inique, ò peruerse, ò ingrate: sed blande opposuit illi parabolam de homine diuite, & paupere: & cum ipse rex contra se nesciens dedisset sententiã: ait, *tu rex ille es homo* Conuersus ad se rex, videns reatum suum, statim intulit: *peccaui domino.* Mira res: propheta illico respondit ei: *dominus transtulit peccatum tuũ, non morieris* Exclamat hic Chrysostomus. *O celerem pœnitentiam, ò celeriorem veniam, duobus verbis tam grauia facinora diluit.* Similiter publicanus ille humiliatus dicebat. *Deus propitius esto mihi peccatori*: & Luc. 18. hac sola confessione descendit iustificatus in domum suam. Vides certè quàm grata, & accepta Deo fuerit ab initio confessio peccatorum, & quam vilis peccatori. Sed dicit aliquis, quòd iusta, & necessaria sit confessio peccatorum ad veniam obtinendam: benè video, sed Psal. 50. Deo, non homini, *tibi soli peccaui*, tibi soli confiteor: ad quid opus fuit peccatum contra Deum commissum homini reuelari, maximè cum hoc sit nimis onerosũ, & verendum? Vt quid (inquam) voluit Christus legislator benignus, & suauis, fideles suos ad hoc onus tam molestum obligare? Difficile enim est, vt homo omnia sua peccata, & desideria mala, & cogitationes prauas homini manifestet: neque videtur hoc fuisse peccatori necessarium? Respondetur breuiter: quòd quandiu Deus non fuit homo, non opus fuit peccatum homini verbo confiteri: sed postquam filius Dei factus est homo, iam pater noster non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, *& potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est: ipse enim est* (vt ait Petrus) *qui constitutus est à Deo iudex viuorum ac mortuorum.* Ex tunc ergo peccator, hominis Christi à Deo patre foro commissus est, & in illo reddere rationem peccatorum suorum tenetur. Sed quia Christus ascẽdit in cœlum, & non est vbique præsẽtia corporali visibili, vt ei homo rationem possit reddere de peccatis, ideo antequã ascenderet in cœlum, commisit vices suas sacerdotibus, & eos subdelegauit ad audienda, & iudicanda peccata, di- Ioan. 20. cens: *quorum remiseritis peccata remittuntur eis,* &cæt. Ecce propter quid, ex tunc homo peccata sua sacerdoti à Christo subrogato confiteri tenetur. Ad aliud quod dicis de grauitate istius præcepti, vtinam vtinam intelligeres quàm grande beneficium, & quam grandis misericordia fuit hæc. Duas super hoc intellimus commissiones in Euangelio: prima, quæ facta est filio à patre: secunda, quæ facta est sacerdoti à Christo: vtraque fuit in magnum fauorem peccatoris. Quis enim tam mirandus fauor, quæ maior clementia, quam vt causa nostra Gen. 2. committeretur fratri nostro, *qui est os de ossibus nostris, & caro de carne nostra?* Quis in cœlo vel in terra inuenire potuit iudicem fauorabiliorem, quam hominem Christum Iesum, qui propter hoc descendit de cœlis, propter hoc iudicatus, & crucifixus est, ne homines damnarentur? quomodo me nimio rigore grauabit, quem suo sanguine pretioso redemit? quomodo me damnabit, qui propter hoc mortuus est ne damnaret? Vnde Apostolus. *Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat?* Sed est iustificator, quomodo erit accusator? *Quis est qui condemnet? Christus qui mortuus est?* Si saluator est, & redemptor, quomodo erit damnator? Propter hoc obnixè Psalmographus o- Rom. 8. rabat, dicens. *Deus iudicium tuum re-* Psal. 71.

gida

gida, & iustitiam tuam filio regis Ille me iudicet, qui pro me mortuus est: ille sit iudex qui fuit, & saluator Secunda quoque commissio nimis fauorabilis, & stupenda supra modum fuit: nam quod pater filio suo, tam sublime iudicium committeret licet pio, & misericordi, recto tamē, & iusto, & patris zelatori: sed q̄ filius sacerdoti peccatori, tantum iudicium committat, hoc vehementer mirandum, & stupendum. Nunquid si humano more loqui liceat, poterat pater dicere filio quid est hoc quod fecisti fili mi? ego honorem meum, & offensarum mearum iudicium, & peccata dimittendi potestatem, quam non habet angelus, neque Archangelus in cælo, tibi commisi, sciens tui iudicij rectitudinem: & tu illam homini peccatori commisisti? Tam facilè meas remittis iniurias, & pro nihilo offensas meas donas? Quid namque faciet ille sacerdos peccator cum peccatore alio, nisi quod vellet secū fieri de peccatis suis? O mirabilem commissionem, ò ineffabilem dignationem, quod veniat peccator peccatis onustus, ad alium peccatorem sibi similem, & ille iudicet eum, & absoluat, & deducat de inferno, & restituat paradiso: & quod iste facit in terra, ratum, & firmum habeatur cælo. Benedictus dominus, qui talē potestatē hominibus dedit. Hoc, est onus? Ita est: onus est mirabile, & onus est maximum, sed immensi beneficij, inenarrabilis clementiæ, ineffabilis obligationis O si intelligeremus illud verè. Si solus Papa hāc haberet potestatem in mūdo, omnes ad ipsum quantumcunque separatum, & distantem cum maxmo feruore, ac desiderio, pro tanto beneficio consequendo, sæpius invitare debuissemus, & pro maximo beneficio reputaremus: quanta ergo gratitudine prosequendum, quòd vbique terrarum sacerdotes abundant, qui non solum confessiones peccatorum libenter acceptāt, sed etiam peccatores ad hanc veniā suscipiendam prouocant, & inuitant. Verè ex quo filius Dei descendit ad homines, *misericordia domini plena est terra*. Ne miteris si Deus tam facilè donat iniurias peccatori, *qui filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum*. De cætero ergo quid miraris si cum illo nobis cęlum, paradisum, gratias, dona, peccata, iniurias, & omnia donauit? Sed hoc vide peccator, ne tanta Dei pietate, & misericordia abutaris, & facilitas veniæ tibi incitamentum præbeat delinquendi, aut in peccato permanendi.

Mat. 16. *Mat. 9.* *Psal. 118.* *Rom. 8.*

Laus Christianorū primitiuæ Ecclesiæ.

Intellexerunt hoc tantum, & tam immensum beneficium priores illi Christiani, qui venerunt ad fidem: vnde videntes tantum donum, & tantam potestatē in terris, cum incredibili feruore cordis per singulas dominicas sacramenta Dei frequentabant, tanto Dei munere, & beneficio fruentes: & si tot habuissent presbyteros, fortè quotidie confiterentur. Sed postea omnis ille feruor, & deuotio illa refrixit, & venerunt homines ad tantam cæcitatem, & ignauiam, vt per multos annos nō confiterentur. Itaque videns ecclesia hominum negligētiam, in re quæ tantum ad salutem animarum spectat, dedit præceptum de cōfitendo semel saltem in anno. O confusionem, & verecundiam nostram, ad tantum bonum, & tantam salutem opus fuit præcepto. Væ miseris, & cæcis, & induratis, qui præcepto indigent ad fugiendum infernū, & veniam obtinendā, & præcepto ad annum. Quis hoc potest audire pius, & verus Christianus? Ad annum ego expectabo veniam? ad annum differam vitam meam? pro perditis hominibus, & prophanis meretricibus, & leonibus fit hoc præceptum: quando enim fit macula in veste, statim abluo: neque possum sustinere maculatum palliū per diem, fit vulnus in carne, & quæro statim medicos, & chirurgos: neque ad alium diem differo: & maculas animæ meæ, & vulnera cordis mei lethalia, ad annum purificanda, & curanda differā? animamque meam plagosam, vlcerosā, imò mortuam, & fœtentem deferam in corpore viuo, sicut in loculo? & circumferam, intus, post integrum annum suscitandum: Vbi sensus, vbi iudicium, vbi fides talium? vbi timor Dei? vbi spes regnandi cum Deo? Hoc est quod mise-

r-- inficit, & replet peccatis, & vitijs, & criminibus, hoc est. Sicut scriptum est:
Ioel 1. *Computruerunt iumenta in stercore suo: & indurantur in peccatis suis, & veniunt ad vltimum malorum:* quia non statim adhi-
Esai. 1. bêt remedium plagis suis, sicut fit in plagoso corpore, cui non adhiberur medela. Vnde Isaias *vulnus* (inquit) *& liuor, & plaga tumens non est circumligata, neque curata medicamine, neque fota oleo.* O qualis audacia, quæ obliuio, quod mentis gelicidiũ, quis stupor? Ecce ardet infernus sub pedibus, inhians, atque ad deuorandam miseriam animam apertus, & iam peccator ipse deputatus est ad illũ, & solum pendet ex tenui filo vitæ præsentis, quod tam facilè rumpitur, & miser ridet, comedit securus, & gaudet, neque est sibi cura de remedio. Maior certè audacia est hæc, quam si centum armatis cõgrediatur: nam in hoc solo vita mortalis exponitur, quę aliquando perdenda est: ibi autẽ anima perpetuæ dãnationi, & ardoribus sempiternis obijcitur: & perpetua ibi gloria ponitur in discrimine. Nolite itaque fratres mei, nolite in tantam incidere negligentiam, sed salutis vestræ soliciti, si quãdo, prout est humana fragilitas, in peccatum ceciderit is, illico surgite: statim ad confessionẽ properate. Hoc dominus per prouphetam peccatoribus suadet, dicens: *Nũquid qui cadit, non adijciet, vt resurgat?* Et
Psal 40. beatus Hieronymus in regula, *Nihil* (inquit) *homini vtilius, nihil salubrius, quàm vt peracto delicto confessionis medelam non differat.* Neq; mihi dicatis, sufficit mihi ad veniam cõtritio, cum proposito confitendi: sufficit, fateor: sed vnde scis, quòd plenè; & ad sufficientiã doleas? Cur efficaciorem medelã morbo tuæ animę nõ appones? Nunquid in morbo corporali, & periculoso non tutius, & securius remedium quæris? Communis doctorum sententia est, quòd per cõfessionis sacramentum, attritus in contritũ transeat: propter quid in tãto discrimine cõstituus, tantam Dei misericordiam, & gratiã contemnis, & solo doloris remedio vteris? Quot, & quantas vtilitates peccatoribus confessio afferat, dicere proposuimus, sed hora non patitur, in sequentẽ Dominicam tractandum differamus: *a-* Ephes. 6.
lacres conuenite, & orate, vt detur mihi sermo in apertione oris mei, ad salutem animarum nostrarum, & gloriam Iesu Christi Domini nostri, qui cum patre viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Deo gratias.

FERIA SEXTA POST TERtiam Dominicam Quadragesim. Concio de Samaritana.

THEMA.

Omnis qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum, qui autem biberit ex aqua quã ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Ioan. 4.

DVplex nobis aqua in themate proponitur, vna quæ sitim non satiat, quæ est hæc mundana, & terrena consolatio: altera quæ sitim satiat, & fit in bibente fons aquæ salientis in vitam æternam, quæ est spiritualis animæ consolatio: de quibus erit totus sermo.

In hac muliere Samaritana nobis proponitur forma quædam, & effigies animæ mundanæ, sæcularis, peccatricis, quæ arida, & sitibunda, præ nimia siti fatigata, onerosissima, & inexplebili hydria cupiditatis, & concupiscentiæ onerata, descendit ad puteum huius sæculi, ad hauriendam aquam consolationis, & *Hominis generalis appetitus quis & qualis.*
voluptatis ex creaturis, vt refrigeret, & satiet sitim suam. In hoc vniuersa sæculariũm industria, omnis labor, omne studium, omnis cura, & opera impenditur, hoc est quod cum tanta agonia, & anxietate, & labore vniuersi homines mundani perquirunt, & in quo tota eorum vita consumitur, quærere videlicet consolationem, voluptatem, quietem, vt lætè, & iucundè pro libito viuant. Hanc alij in diuitijs, alij in honoribus, alij in venereis voluptatibus, alij in ludis, & venationibus, veluti in diuersis puteis, & fontibus, quærunt: omnes tamen hoc vnum quærunt, vt ad placitum viuant.

Vnde

Vnde eis hæc tam rabida, & inexplebilis sitis: Vtiq; quia anima eorũ quinq; vitis, id est quinque sẽsibus corporeis nupsit, atq; eis nimiũ coniuncta, & alligata est. Inde appetitus insatiabilis videndi, audiendi, gustandi: & quantumcunque videat, & audiat, tamen non satiatur oculus visu, neque auris impletur auditu: nunquam ista hydria plena est. O quam fęlix, quam sapiens, quam pacifica, & quieta esset anima, si in humano corpore à Deo illuminata, sine sensibus viueret: vel potius, si à sensibus istis voluntariè alienata, eis vti despiceret. Cæcos quotidie intellecta subtiliores, & perspicaciores videmus, propterea, quia intra ipsam collecta, suo naturali lumine fortius viget: vnde si Platoni credimus; nihil est quod magis hominem infatuet, & à vera sapientia alienet, quam corporaliũ sensuum nimia curiositas: ab hac sitis, & rabies illa mortalium inexplebilis. O anima misera, & fatua, quid anxiaris? quid fatigaris? quid satietatem quæris, vbi non est? An ignoras quòd aqua ista maris salsa, & turbida sitim non sedat, sed prouocat: non extinguit, sed inflammat. Vt quid cæca, & insipiens relicto tuo naturali bono, alienum, & extraneũ quæris? hæc aqua quam sitis, porcorum non spirituum potus est. Quid tibi, & diuitijs? quid tibi, & auro, & argento, & voluptatibus obscœnis? Egredere egredere de tabernaculo isto, & videbis quã nihil ad te pertineat, quæ tam anxiè, & miserè concupiscis. Hic est maximus mortalium error, quòd cum homo ex anima, & corpore constet, & nobilior multò principaliorq; pars hominis anima sit, hac contempta solis nutriendis, vegetandis, impinguandisq; corporibus tota vita incumbunt. Sicut Iob de adultero ait. *Pauit sterilem, & quæ non parit: & viduæ non benefecit.* Vnde anima suo natiuo illo cibo potuque priuata semper arida, sitibunda, famelica, per corporeas creaturas vagatur, mendicans ab eis aquæ guttulas, vt refrigeret sitim suam. Quàm potenter dominus per prophetam super hoc mortalium errore exclamat. *Obstupescite cœli super hoc, &*

Eccles. 2.

Insignis eorum stultitia qui neglecta anima terrenis inhiant.

porta eius desolamini vehementer: *duo enim mala fecit populus meus*: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas* Aquam mundissimam, limpidissimam, clarissimam, dulcissimam, salubertimam fontis vitæ, gratis oblatam neglexerunt, & cum magno labore foderunt sibi cisternas perforatas, vt bibãt ex eis aquam turbidam, fœtidam, putridam, mortiferam, venenatam Quanta cæcitas, quãta stultitia hæc. Verè cisterna dissipata, honor: cisterna perforata, voluptas, diuitiæ, & omnis prosperitas mundialis: non valet aquam continere, triduo placet, & statim euanescit omnis illa consolatio, & fastiditur, & displicet. Experientiã consulito, multò tempore laborasti, & sudasti, vt dignitatem, vel officiũ, vel episcopatũ obtineas: quo obtento, post mensem, vel annũ eum pro nihilo habes, & fastidis: anxiè desiderasti mulierem tibi gratam, & dilectã in vxorem accipere: accipis eã, & post modicũ, vel contemnis, vel negligis: vidisti pulchram hæreditatem, placuit oculis tuis, & multo precio emisti eam, ad modicum lætatus es, & statim viluit. Talis enim est omnium temporalium bonorum conditio, vt Gregorius ait, *non habita desiderantur, habita fastidiuntur*. Solus Deus est, qui quo plus gustatur, eò amplius esuritur: sicut ipse ait. *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.* Omnis itaque prosperitas mundialis cisterna perforata est, aquam illã putridam, & fœtidam voluptatis, quam ad modicum exhibet, diuini se continere non valens, pro qua fontem purum, & perennem contemnere, extremæ omnino dementiæ est. Sed vnde obsecro ista mundanorum tam miseranda, & odibilis cæcitas, vt tam anxiè hæc inania, & transitoria diligant? *Vtique* (vt Bernardus ait) *ex validissima fame*: anima quæ proprio cibo non pascitur, auidè quærit alienum: sicut homo famelicus, herbas, & radices arborum, fame cogente, edit, quæ tamen non humanus, sed bestialis cibus sunt. Si homines mundani, & voluptuosi spirituales consola-

Hier. 2.

tiones puriſſimas, & ſuauiſſimas deguſtaſſent, has viles, & abiectas illico deſpicerent: nã guſtato ſpiritu, deſipit omnis caro Multo namque maiores, & fortiores ſunt delectationes in ſpiritu, quã in carne. *Abſit abſit* (ait Bernardus) *vt venenum iſtud temporalis voluptatis, balſamo illi precioſiſſimo, & vino puriſſimo ſpiritualis delectationis comparetur.* Quo enim anima corpore melior eſt, eo maior, ac pretioſior eſt animæ quã corporis delectatio: ſed qui illam ignorant, quærunt iſtam. Quàm pulchrè idem Bernardus in declarationibus temulẽtam iſtam rabiem humanæ cupiditatis depingit, dicens. *Vidi ego aliquando quinque viros quid niphreneticos arbitrarer? primus ſiquidem buccis tumentibus aridam maſticabat arenam: ſecundus ſulphureo aſtans lacui, exhalantem taterrimum fœtidiſſimumq; geſtiebat haurire vaporem porrò tertius fornaci incubans ve-*
Pſal. 101. *hementer accenſæ, micantes ſcintillas hiantibus excipere faucibus latabatur: quartus ſupra pinnaculum templi reſidens, leuioris auræ ſpiritum aperto attrahebat ore, etſi quo minus influere videretur, ſtabello ſibi ventũ ipſe ciebat, ac ſi totum ſperaret aerem deglutire: quintus ſeorſum poſitus ridebat cæteros, ipſe quoque ridendus & maximè: proprias enim carnes incredibili quodam ſtudio fugere laborabat; nunc manus, nunc brachium, nũc alias partes applicans ori. Miſeratur homines, cauſamque miſeriæ ſciſcitatus à ſingulis, vnã omnibus eſſe reperit validiſſimam vtique famem: tam verò macilentas eorum facies contemplatus, recordabar prophetæ gementis miſerabiliter, & dicentis. Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.* Hæc Bernardus. Quid hæc tam monſtrifica, & portentoſa viſio inſinuet, in aperto eſt. Qui enim auidè aridam mandedat arenam auarus eſt, quia auro & argento non ſatiatur: qui fœtidum hauriebat fœtorem, libidinoſus: qui fœculento delectatur amplexu, qui auiditate ſumma prodeuntes è fornace ſcintillas hianti ore ſuſcipiebat iracundus: qui furoris
Oſeæ 12. paſcitur igne; qui vento buccas imple-
Sed ibi legitur paſcit ventũ. bat, ſuperbus. De quo propheta: *Ephraim paſcitur vento*: qui cæteros irridens, proprias carnes dentibus laniabat, inuidus qui aliena proſperitate tabeſcit atque liqueſcit. Erat autem vniuerſæ huius infelicitatis & miſeriæ cauſa, vt ipſe ait, validiſſima fames, non enim tam horrẽdis cibis inhiarent, ſi proprio non fuiſſent alimento priuati. Anima quippe quandiu in mortali corpore viuit, ſine conſolatione eſſe non poteſt. Qui ergo ſpirituales conſolationes ignorat, carnales perquirat neceſſe eſt. Sic deluditur humana fragilitas, ſic miſerum genus hominum poſt vanitatem ſeducitur, & ſpiritualis anima, angelicis ſpiritibus quam ſimillima talibus paſcitur alimẽtis. O miſerandam nimis, lamentandãq; rationalis naturæ deiectionem. Felices vos ò virgines Chriſti, quas pietas diuina de hac cæcitate, & poteſtate tenebrarum ereptas, & in regnum filij dilectionis ſuæ tranſtulit, & ad aquarum viuentium puteum traxit, *vt die ac nocte hauriatis aquas in gaudio, de fontibus ſaluatoris*, ſacro videlicet Euangelio, & ſcripturis ſãctis. In hoc verſamini, in hoc ſudate, in hoc vniuerſam vitam expendite: hæc pars veſtra, hoc officium, hoc munus; in hoc poſitæ eſtis, ad hoc religionẽ intraſtis, propter hoc ab omnibus ſæculi ſolicitudinibus, à domus & familiæ regimine, à nutriendorum filiorum labore immunes eſtis, vt vacetis & videatis, *quoniã ſuauis eſt dominus.* Pudeat, pudeat, aſecularibus vinci, vt maiori ſolicitudine ipſi aquam peſtilentiæ, quam vos aquam vitæ, perquirant. Siue ergo legitis, ſiue oratis, ſiue in choro pſallitis, ſiue in cella ſpirituale quidpiam cogitatis, hoc vnũ agite, hoc vnum quærite vt guſtetis, & guſtando videatis, quoniam ſuauis eſt dominus. Ecce Chriſtus ad os putei ſedet, ſolitarium inuenietis, nolite eum in frequentia populi quærere: in ſecreto cubiculi ſolum ſolæ perquirite, aquam viuam ab eo petite, hydriam deponite, ad votum haurire, & vſque ad ſummum implete: gratis vobis dabitur, nullo pretio, nulla mercede, tantum petite, amate, deſiderate, ipſe inuitat, dicens *Qui ſitit, veniat & bibat*; *accipiat aquam vitæ gratis*, & per propheram; *omnes ſitientes venite ad aquas, emite abſq; argento, & abſque*

Exhortatio ad Religioſas. Col. 1. Cant. 4. Iſa. 12. Pſal. 99. Ioan. 7. Iſa. 55.

que vlla commutatione, vinum scilicet spiritus, & sapientiæ lac; hoc solum erit pretium, vt velitis. O magnificum largitorem, pro solo desiderio porrigit eam; quia & ipse magis dare, quam nos accipere desiderat. Vnde (vt Ioannes ait) *in nouissimo die magnæ festiuitatis stabat Iesus, & clamabat, si quis sitit veniat ad me & bibat, qui enim credit in me, sicut dicit scriptura, flumina aquæ viuæ ex ventre eius fluent.* Quanta bonitas, quanta magnificentia. Dat, & gratis dat, & clamore valido nos inuitat, vt accipiamus eam. Nam præ nimio animarum zelo, & præ mundanæ cæcitatis multo dolore, stabat in populi frequentia, & velut præco clamabat. O filij Adam, famelici & sitibundi, *vt quid appenditis argentum vestrum, & non in panibus? & laborem vestrum, & nõ in saturitate?* Vt quid ò miseri *ambulatis in via Ægypti, vt bibatis aquam turbidam*, & non satiantem? Si quis sitit veniat ad me & bibat; bibat & satietur, & sitim suam expleat. *Qui enim credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*; non opus erit ei exterius à creaturis guttulas consolationis, & voluptatis mendicare. Ego in medio cordis eius venas aquarũ immensæ delectationis aperiam, & flumina ingentia miræ voluptatis educam. Intra se inueniet quod foris vagando quærebat. Quam notum & quam exploratum est hoc viris religiosis, solitudinis amatoribus, qui spiritualibus exercitijs vacare cõsueuerunt? Quæ est enim vniuersa mundi voluptas, aut iucunditas, ad eam quam intra se, cella recondita religiosus inuenit? Expertis loquor: non opus est in hoc diutius immorari. Et ne aliquis scrupulus super hoc remaneret, euangelista Christi dictum exposuit, dicens: *Hoc autem dicebat de spiritu quem acceperi erãt credentes in eum*: hic est ille fons aquæ viuæ, vnde spiritualium consolationum, & gaudiorum torrentes inundant. Et merito aqua viua nuncupatur, quòd animã quam irrigat, & omnes eius vires & potentias, feruore suo excitet & viuificet. Da mihi quãdam religiosam, quam inhabitet spiritus Domini, quã viua, quàm feruens, quàm hilaris, quàm iucunda, quã agilis & prõpta ad omne opus bonũ incedit! E cõtrario, si aqua spiritus desit, & mens & rátio, & sensus hebet, & torpet: vt meritò dicere possit cum Propheta: *anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Arida quippe est facies animæ quam pluuia illa voluntaria de cœlo non irrigat. Et sicut aqua terræ sitienti infusa, eam floribus, frondibus, herbis virentibus vestit, & ornat: sic aqua ista, animam quam perfundit, in amœnissimum hortum, & Paradisum delectabilẽ vertit. Sicut Propheta ait. *Eris quasi hortus irriguus, cui non deficient aquæ.* Quis explicare sufficiet, quibus affectibus & desiderijs anima Deo dedita ferueat? quanta spiritualium gaudiorũ & consolationum abundantia, cor eius scateat? Quàm pulchrè à domino fonti cõparata est: eò quòd in similitudinẽ fontis tota ferueat, ebulliat, & saliat. Tanta enim donorum cælestiũ, & spiritualium charismatum redũdantia interdũ eam dominus replere dignatur, vt non sufficiat ipsa portare quod infunditur, sed aut pectus ab illo spiritus feruore disrumpi videatur, aut ipsa in ecstasin penitus rapiatur. Vnde per Isaiam dominus ait. *Vtinam attendisses mãdata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris: & fuisset semen tuũ sicut arena maris, & stirps uteri tui vt lapilli eius.* Felix anima, quam sic dominus in benedictionibus dulcedinis præuenit. Vnde hæc tam nimia redundantia? Vtiq; ex gutta illa gratiæ quam Deus arenti animæ infundit: illa facta est in ea, fons exuberantissimus & feruentissimus, fons perennis & sempiternus. Omnis quippe illa gaudiorum affluentia, quæ in anima beata Deo cõiuncta, ex mentis vtero scaturit, ex hac aquæ guttula processit, quæ semper adaucta meritis, in fontem ingẽtissimum creuit. Quæ benè in vitam æternam salire dicitur, quòd & hic desideria animæ in vitam æternam rapiat, & postmodum ipsam animam in vitam æternam prouehat. Sicut enim radius solis vaporibus terrenis & aqueis impressus, eos purificat & læuificat, & versus fontem suum, ideſt, solem à quo processit sursum

Ioan. 7.

Isa. 55.

Hie. 2.

Psa. 142.

Psal. 67.

Isa. 58.

48. Isa.

Psa. 35.

Quid efficiat spiritus Dei in homine.

rapit, & sublevat: hic spiritus domini læta, desideria, & gravia à terrenis purgata, & mundata, in Deum à quo processit, rapit, & trahit. Eia igitur virgines Deo dicatæ, aquam istam viuam cum omni diligentia perquirite, nihil vobis graue aut difficile sit, dummodo venam istam pretiosam, & puteum aquarum viuentiū
Cant. 4. intra vos ipsas inveniatis. Dicac nocte in hoc sudate & laborate, rupem cordis vestri durissimam aculeato intellectus speculo, meditando, legendo, orando, assidue rumpite, & perfodite, donec aquam
Gen. 26. istam reperiatis: & cum inveneritis eam, cum omni solicitudine custodite. Astant enim vndique allophyli qui puteum obstruant & obturent. Figura nouissima est, Isaac patriarcha dum terram illam promissionis colonus inhabitaret, præ nimia terræ siccitate, puteos effodere ad bibendum, familiæ & gregibus suis, aquarum defectu compellebatur: quos allophyli terræ incolæ noctu pulvere, & cœno, invidia forsitan moti, excæcabāt & obstruebant. Sed neque ille à puteorū fossura quievit, donec invenit puteum latitudinis, quem præ nimia aquarum redundantia, allophyli obturare non potuerunt. Ita & vos facite, hunc magnum patriarcham imitamini. Isaac risus interpretatur, & bene designat spiritualem animam, quę quasi iuge convivium, plena omni gaudio, & lætitia Deo servit: non
Pro. 1. est enim vera & plena lætitia, nisi in bona conscientia. Hæc anima interdum meditationis aculeo perfodit salubérrimum puteum, sacro passionis Christi mysterio medullitus cogitato: ex quo aquam lachrymarum piæ compassionis ac devotionis sibi quotidie haurit: sed dęmones invidi, statim negotiorum, aut curarum temporalium pulvere iniecto, puteum istum obstruerunt: vsque adeo vt die altera in hac tam pia & salubri meditatione, neque vnam guttam lachrymarum inveniat. Perfodit ergo anxia puteum alterum, assidua peccatorum suorum meditatione, in quo doloris & contritionis mirabilem lachrymarū affluentiam reperit: sed allophyli hunc rixarum & contentionum paleis obturāt, vt sequenti die nullam in eo stillam cōpunctionis reperiat. Instat autem, & nec sic deficit. Sed incœpto operi insistit, & charitatis Dei, beneficiorumque eius, & gloriæ sibi oblatæ & immensæ illius pietatis erga se memor, quantum potest meditando, contemplando, intra se aliū puteum perfodit: ex quo suauissimam & dulcissimam lachrymatum, gaudij, & exultationis aquam sibi exhaurit, sed allophyli statim iniecto cœno & luto fœtidissimo carnalis delectationis, eum obturant; vsque adeo, vt sequenti die nullam in eo stillam delectationis reperiat. Quid ergo faciet huiusmodi anima? Meo consilio non cesset, non deficiat à puteorum fossura, donec latitudinis, id est, charitatis puteum reperiat. Hunc enim non valent allophyli, toto mundi pulvere atque luto cæcare. Tanto namq; impetu & redundantia effluit, vt quicquid terrenū immittatur, pella teminus, atque reijciat. Vnde Apostolus. *Quis nos* Rom. 8.
separabit à charitate Christi tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Quasi dicat, quid horum poterit diuinæ charitatis fontem obcæcare? Et consequenter adiungit, *Certus sum enim, quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neq; profundum, neque creatura alia poterit pos-* Cant. 4.
separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu: hæ enim sunt aquæ, *quæ fluunt cum impetu de Libano*, id est, de corde puro, candido, mundissimo, tanta redundantia & tanto impetu, vt ex corde saliant in vitam æternam, & animam deuotam secum rapiant in gloriam; ad quam nos perducat. Amen.

DOMINICA QVARTA Quadragesimæ.

Ecce adsū promissioni meæ: de fructibus cōfessionis dicere hodie promisi, hoc prosequamur auxiliante Dei gratia, ad quam impetrandam sanctam virginem salutemus. Inter multos & eximios confessionis fructus, placuit hodie charitati vestræ, septem præcipuos

es exponere, nam omnes quis sufficeret? non quidem vt sciatis tantum, non hoc intendo: sed vt eis cogitatis, exomologesin frequenteris. Hic erit sermonis finis, hic fructus, hoc intēdimus, hoc quærimꝰ, hoc rogamꝰ, & obsecramus. O quis mihi concederet, vt possem tam salubre consilium toti regno persuadere, & in pristinam illam consuetudinem Christianum populum reuocare. Verè si hoc me præstare posse confiderem, huic soli negotio vacarem: sed iam ipsos fructus attendamus. ¶ Primus est æternæ vitæ, vt ita dixerem, aliqualis certitudo, saltē coniecturalis: nam maior circa miraculum haberi in hac vita non potest. Nam quamdiu peccator non confitetur, in magno periculo est: sed si doluit, & cum proposito firmo non iterandi peccatum, ad confessionem accessit, iam fecit quòd in se est: & facienti quod in se est, Deus dat gratiam. Non quòd plenam de hoc securitatem quispiam habeat in hac vita, sed si non plenam habet securitatē, certè multam consequitur cōfitendo fiduciā: hoc enim solum Deus postulat pro peccato, neque suæ deerit promissioni Deus. Et licet contritio sola cum proposito confitendi sufficiat ad veniam, tamen sicut superiori sermone diximus, non est omnino tuta conscientia, si confessio negligatur. Scriptum est. *Deus non iudicat bis inidipsum*. Si ergo hic in foro Christi à sacerdote iudicandus accesseris, in futuro Christi tremendo iudicio pro his quæ in hoc foro dimissa fuerint, proculdubio non dānaberis. Quis renuat astare sacerdoti iudicandus in secreto, ne ad Christi tribunal, seuero & terribili examine iudicetur in publico? Audistis sæpissimè in Euangelio nobis à domino commendatum *vigilate*, estote parati, *quia qua hora non putatis, filius hominis veniet*. Nisi hoc nostra multum interesset, non esset consilium hoc toties à domino repetitum. Et quænam est, obsecro, ista hominis ad mortem præparatio, nisi cum dolore peccatorum frequentata confessio? Qui hoc agit in tuto est, qui negligit in periculo. Sed in quo periculo? nō vitæ temporalis, sed damnationis æternæ. O quantum interest morti ad mortem: sed tu saltem sic esto pro æterna, quæ potest fugi, solicitus, sicut pro temporali quæ cauari non potest, homines solicitantur.

1. *Certitudo vitæ æternæ.*

Num ex versione septuagin.

Mat. 15.

¶ Secundus fructus est quies animæ: nam confessio maximè pacat & extinguit illum remorsum, & vermem intus rodentē conscientiam: qui si modo extinctus non fuerit, postea in æternum animam morsibus lacerabit. De quo Isaias. *Vermis eorū* (inquit) *non morietur*. Hunc autem experientia teste, nihil mortificat sicut confessio peccatorum. Etiamsi doleas, & pœniteas, & ieiunes, & innumeras elemosynas facias, nō sic quietatur conscientia, & peccatorum onere subleuatur, sicut si ad hoc sacramentum contritus accedas. Vnde in hoc apparet virtus huius sacramenti, quòd nihil sic animam oneratam alleuat sicut ipsū. Sicut enim stomachus corruptis humoribus & putridis plenus, donec euomat anxiè laborat, sic donec per cōfessionem peccata sua homo euomuerit, conscientia non quietatur. Ac propterea qui frequentare cōfessionem consueuerunt, magnum tormentum, & incredibile pōdus sentiunt, si aliquo impedimēto vel occasione differatur. Vnde vel hæc ipsa conscientiæ alleuatio & quietatio sola sufficere debuerat ad eius frequentationem, &c. Tertius fructus est facilitas veniæ: tanto enim grauiora sunt peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, teste Gregorio. Et sicut ait Chrysostomus in libro de præparatione lapsi, *cecidisse non ita malum est, sicut post lapsum iacere, & non resurgere, & cum quadam veluti voluptate tam ac resolutione peccare peccare enim fragilitatis est, in peccato vero perseuerare, & nolle remedium quærere contemptus*. Plus ergo interdum Deo displicet illa negligentia, quam culpa. Vnde & ipse quasi de hoc incipiens peccatore per Prophetā ait: *Nunquid qui cadit non adijciet vt resurgat?* Et per Hieremiam. *Hæc dicit Dominus Deus, nunquid qui cadit non resurget? & qui auersus est non reuertetur? Quare ergo auersus est populus ille auersione contentiosa*, ideſt, dura & pertinaci? Vnde hoc maximè curandum est nobis, ne

2. *Quies animæ.*

Isa. 66.

3. *Facilitas veniæ.*

pereamus: facilius enim est in ægritudinem nõ incidere, quam morbum curare. Sed ex quo fragiles sumus & ad cadendum procliues, secundum consilium est, vt simus etiam diligentes ad resurgendum: hæc enim pœnitentiæ acceleratio, nobis à Deo reputabitur ad iustitiam. *Pro.24.* Scriptum est enim: *Septies in die cadit iustus* Si iustus, quomodo toties cadit? & si toties cadit, quomodo iustus? Vtique quia non meretur nomen iusti amittere, teste Hieronymo, qui licet ita fragilis fuit, vt septies caderet: sic tamen diligens fuit, vt septies in die resurgeret. Et Augustinus in regula, præfert illum qui sæpius irascitur, & veniam petit illico, illi, qui tardius irascitur, & ad veniam petendam tardius inclinatur. Quartus fructus est euitatio culpæ: nam vt ait Gregorius, peccatum quòd per pœnitentiam citò non deletur, suo pondere ad aliud trahit. Et Ioannes in Apocalypsi. *Apo.22.* *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Anima enim peccato sordida non veretur amplius sordidari, sed postquam mundam se viderit à malis, peccatorum sordes multum refugit; sicut in canticis dicitur, *Can.5.* *laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Vnde euenire solet, vt qui peccata commissa curare negligunt, quasi rupto rationis & timoris muro, malitia & nequitia repleantur vsque ad summum. *Psal.41.* *Abyssus enim abyssum inuocat*; & *piloſus* *Isa.34.* *clamat alter ad alterum*, sicut ait Isaias. Virtus quoque nostra ad resistendum peccatis per se fragilis est, sicut idem Propheta ait. *Isa.1.* *Erit fortitudo vestra, sicut fauilla*: & nisi iuuetur à gratia, diu vitiorum impulsum sustinere non valet. Quo fit, vt anima quæ in peccato est à gratia destituta, diu euadere vlteriora peccata non possit. Quintus fructus est examinatio conscientiæ; quomodo enim potest bene examinari conscientia ad annum? Ecce quod hodie facimus cras obliuiscimur, & eorum quæ gessi anno præterito nunc recordabor? quòd si crimina opere perpetrata in me maiora fuerunt, de his tamen quæ perperam cogitaui, & desideraui, quomodo reminiscar? Propter hoc qui ad annum differunt confessionem, vix decimam suorum peccatorum partem recordantur. Quod si dixeris, peccata quæ in memoriam non veniunt, Deus ignoscit: fateor, ita est, si debitam in peccatis rememorandis diligentiam adhibueris: alias peccatum per negligentiam & incuriam oblitum, per sacramentum pœnitentiæ non deletur. Vnde autem scis, si sufficientem & debitã pro tẽpore reminiscendorum peccatorũ diligentiã adhibuisti? quis nouit quanto examine opus sit, vt recorderis ad annũ? Inde ergo timor, & scrupulus non modicus remanet in conscientia confessionẽ differentis, qui in frequentãtibus locum non habet; ac propterea non est ita securus de venia qui confessionem differt, sicut qui frequentat. Sextus fructus est cõseruatio meritorum, nam dum homo est in peccato, bona opera ei nihil conferunt ad gloriam, sed vitam cum operibus perdit; cum enim ipse sit abominabilis, eius opera Deo non placent; sicut in Genesi legimus, *quod respexit dominus ad Abel, & ad munera eius.* *Gen.4.* Et quãta perditio hæc? si autem cõfiteatur statim, & exeat à peccato, totũ quod viuit lucratur, & Dei amicus efficitur. Septimus fructus est augmentatio gratiæ hic, & postmodum gloriæ. Nam cum ex doctorum sententia sacramẽtum ex opere operato gratiã conferat, quoties dignè suscipitur toties gratia augetur, & ex consequenti gloria. Quantum putas lucrum, vnum gradum gloriæ acquirere in perpetuum? Vnde propter hoc, & si mortalia peccata deessent, salubre consilium esset frequẽtare confessionem; Deus enim pius & magnificus, dolentibus pro commissis & confitentibus, non solum veniam peccatorum, quam expostulant; concedit, sed etiam gratiam superaddit. Hos & alios fructus ex vsu, & frequentia sacramẽtalis cõfessionis accipimus, quando verè pœnitẽtes ad hoc pœnitentiæ sacramentũ accedimus. Vtinam vtinam velletis experiri quod dicimus; probate obsecro, & videbitis quanta sit animæ cõsolatio, quãta conscientiæ securitas & tranquillitas, quanta reformatio vitæ, quanta veniæ apud Deũ fiducia, & leuamen cordis, quæ

4. Euitatio culpæ.

6. Conseruatio meritorum.

7. Augmentum gratiæ.

5. Examen conscientiæ.

personæ

perſonæ mutatio, quanta denique vtilitas in reſiſtentia peccatorum, in facilitate bonorum operũ, in correctione morum, in deuotionis augmento; in teneritudine ſpiritus, in viuacitate intellectus, in puritate cõſcientiæ, in lætitia animæ, in ſpiritus pinguedine, in omnibus denique ſpiritualibus bonis, quæ conferunt ad æternam ſalutem. Quid nanque deeſſe poteſt menti quam Deus ſemper inhabitat? quæ tota animæ intentione quotidie ſe purificat, & ſcopis confeſſionis ſe emundat, vt Dei habitaculum fiat? Sicut propheta ait. *Memor fui Dei & ſcopebam ſpiritum meum.* Pſal. 76. Denique vt vno verbo omnia concludam, quantum diſtat inter templum Dei purum & ſanctum, & ſtabulum diaboli fœtidum, & ſordidum; tantum intereſt inter illum, qui aſſiduè animam ſuam purificat, & renouat ſacramentis, vt Dei munda inhabitatio fiat, & illum qui toto animo in ſordibus peccatorum ſordeſcit.

Sed dum hos confeſſionis fructus tam multis ediſſero, atque vobis commẽdo, quòd vnuſquiſque veſtrum mente pertractet, dicetis fortè in cordibus veſtris: quare iſta de confeſſione multiplicat? nunquid non plurimos videmus frequẽter peccata ſua confitentes, & aſſiduè etiam celebrantes, tepidos, vitioſos, diſſolutos, nihil tale vita monſtrantes, quale hic de frequentantibus confeſſionem promittit? Certè vt dicitis, ita eſt: & valde doleo, quia ita eſt: ſed & quemadmodum ego dixi, iſti ſacramentum pœnitẽtiæ frequenter ſuſcipiunt: ſed, quia indignè, & tepidè, ſine dolore & compunctione accedunt. Hi ſacerdoti ſuorum peccatorum hiſtoriam, quaſi per otium narrant, nullus gemitus, nulla lacryma, nulla compũctio: ſed ſicut prophetauit, *vitula Ephraim docta diligere triturã*: qui profecto ſi cũ vero animi dolore, & cõſequendæ veniæ deſiderio, & firmo emẽdationis propoſito confiterentur, multo plura ac maiora, quàm promiſimus dona conſequerentur. Vnde operæ pretium eſt oſtendere, qualis debeat eſſe cõfeſſio, & quales conditiones habere debeat, vt huiuſmodi fructibus pœnitens potiatur, &c. Has autem conditiones propheta vno verſu comprehendit, quãdo ait. *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Pſal. 31. Dixi, id eſt ſtatui, propoſui: quo verbo prima cõfeſſionis conditio innoteſcit, ſcilicet: quòd ſit præmeditata. Vnde qui veniũt impræmeditati, dimittendi ſunt, vt examinent prius cõſcientias apud ſe, & ſic reuertantur ad ſacerdotem. Nam qualis erit illius confeſſio, qui ſolum confiteri cogitat, quod ad ſacerdotis pedes memoriæ ſuæ occurrerit? Hoc autem peccatorum ſcrutinium ſecundum tempus quod dilata eſt confeſſio, & perſonæ qualitatem, adhibendum eſt, ſicut in negotio arduo & momẽtoſo: neq; ſolũ prius rememorãda ſunt delicta, ſed etiam cõtritio procurãda: ad pedes enim confeſſoris rarus eſt qui pœniteat prout debet. Neque ſuffi cit propoſitum pœnitendi, ſed oportet vt confeſſionem ipſam aut præceſſerit, aut comitetur dolor delictorum. Oportet etiam tertio, ante confeſſionem firmum, & verum continendi à peccatis propoſitum perquirere, & an verè illud habeas diſcutere: quo naufragio multæ animæ ſubmerguntur. In his tribus debita præparatio ad confeſſionem conſiſtit: ſcilicet, in ſcrutinio, & dolore peccatorum, & propoſito non peccandi: quæ ante confeſſionem diligentiſſimè procuranda ſunt. *Confitebor*, ſecundam hic intellige conditionem: ſcilicet quòd ſit clara, nuda, & aperta, non velata, non aliquo fuco colorata intentio pœnitẽtis, ſic vt nudum ſi poſſet cor ſuum ſacerdoti monſtraret, vt animæ ſuæ vulnera ſicut ipſe nouit, agnoſcat. *Confitebor*, inquit. Tu confitere, tu reuela, non ſacerdoti hoc munus committas. Sunt n. pleriq; in rebus ſæcularibus diſertiſſimi, ad ſola confitenda delicta muti. *Aduerſum me*. Hic tertia conditio datur intelligi: ſcilicet, quod ſit accuſatoria Aggraua, exaggera quantum potes peccata tua: nunquam enim pro merito te accuſabis: excedit enim eloquij noſtri facultatem omne delictum, ſi bene penſetur. Vnde Iob. *Dimittam* (inquit) *aduerſum me eloquium* Iob. 10.

Oſea 10.

Qualis debeat eſſe confeſſio.

Que diligẽtia in examine conſcientiæ adhibenda ſit.

quam meum, & ſoluam linguæ meæ habenas, vt contrà me accuſando loquatur. *Loquar in amaritudine animæ meæ, & dicam Deo, noli me condemnare*: ego enim mihi non parco, ſed prout poſſum, condemno: ego me iudico, ne me iudices. Caue caue, *ne declines cor tuum in malitiam, ad excuſandas excuſationes in peccatis*: ne culpam tuam in mulierem, vel in ſerpentem reijcias, vt Adam, hoc eſt in carnem, vel diaboli ſuggeſtionem. Exẽplum mihi Adam ait propheta; in illo diſce quantum obeſt excuſatio delictorum. Nunquid non accuſaturus veniſti, vt quid excuſas? quid pallias? ne ergo dixeris, diabolus me decepit, circumuentus ſum à Satana, grauiſſima fuit tentatio, intolerabilis impulſus, carnis meæ paſſio, ſenſualitatis impetus me deiecit, ſed accuſationis cuſpidem verte in te, dicẽdo: *Peccaui*, vt malus & iniquus, vt ingratus & impius, quia Dei amorem & timorem non habeo, & non ſum dignus leuare oculos meos in cœlum; præ multitudine peccatorum meorum, & ſimilia. *Iniuſtitiam meam*, non alienam. Neminem in confeſſione prodas, neminem accuſes, niſi peccati tui circunſtantia neceſſario confitenda, requirat. Et tu quantum ſat eſt, & apud eum qui perſonam non nouerit quam reuelas, ſi poſſibile eſt. Quidam dum ſe iuſtificare prætendunt, ſunt proximi detractores: & vbi quærebant remedium delictorum, peccata accumulant: & diſcedunt à confeſſione deteriores. Dicunt enim odi hominem, & meritò, quia prauus eſt & iniquus: nullus eum poterat tolerare: hæc mala mihi fecit, & ſimilia. *Iniuſtitiam meam* (inquit) non alienam, non virtutes, non gratias, non eleemoſynas. Accuſare te venis, quare te commendas? Iniuſtitiã meã, nõ lõgas hiſtorias, nõ fabulas, &c.

Vide Pinel lib. 2. de pœn. Snarez. Kunig in 3 par. S. Thom.

Domino. In hoc verbo multa tanguntur: ſcilicet, quòd confeſſio ſit integra, lachrymoſa, & ſecreta. Cum confeſſio fit, pœnitens non cum homine, ſed cum Deo ſe loqui putat: nam confeſſor ibi, loco Dei eſt. Caueat igitur, ne ex hominis verecundia, aliquod peccatum occultet: nam ſic confeſſio non proderit, imo nouum peccatum fit, & tenetur iterum confiteri. Hoc magnum eſt periculum animarum: multi enim propter hoc toto fere tempore vitæ ſuæ in peccato vixerunt: quia iuuentutis tempore ex verecundia nonnulla peccata tacuerunt, quæ poſtmodum confiteri neglexerunt. Propter quod, ad reſarciendas iuuentutis ignorantias, & plurimos defectus, qui in confeſſione fiunt à iuuenibus ſaluberrimum iudico, in adulta ætate, quãdo iam viget ſenſus & intelligentia, huius ſacramenti aliquam facere generalem confeſſionem ab exordio vitæ ſuæ, cum debito ſtudio & ſolicitudine. Sit etiam lachrymoſa, & dolore affecta. Sic geme, ſic plora, ſicut ſi ſolus coram Deo in oratorio loquereris. Sit etiam ſecreta, non ſolũ ex parte cõfeſſoris (domino .n. confiteris nõ homini, & ſi homini, nõ quaſi homini, ſed quaſi Deo, & qui audit non quaſi homo: vnde nulla ratione, nulla violentia, nullo caſu ſacerdoti licet confeſſionem reuelare) ſed ex parte etiam pœnitentis reprehenſibile eſt vulgo prodere. Nõnulli enim ſi non abſoluuntur, vel de aliquo peccato reprehenduntur, conqueruntur poſtea de cõfeſſario: & quæ ad illorum ſalutem in confeſſione illis dicta ſunt, produnt: quod nunquam faciendum eſt. Si talis fuerit confeſſio, ſi his conditionibus fuerit ornata, attende quid ſequitur. *Et tu remiſiſti impietatem peccati mei*. Non ſolum leuia, & facilia peccata, ſed impietatem peccati mei: id eſt peccata impia, & criminoſa. Nullum eſt enim peccatũ adeo graue, quod huius ſacramenti virtute nõ deleatur. Nam qui dixit, *quorum remiſeris peccata remittuntur eis*: non dixit, iſta vel illa, ſed indifferenter omnia. Sit vera confeſſio, non deſit dolor, & omnia dimittentur, non ſolum dum confiteris, ſed etiam dum cõfiteri cum dolore proponis. *Dixi* (inquit) *confitebor*, id eſt, propoſui confiteri; *& tu remiſiſti impietatem peccati mei*. O eximia pœnitentium virtus, ò forte lixiuium, quod omnes peccatorum maculas tam facilè diluis, ò vnctio ſalutaris, quæ lepram animæ tam ſuauiter ſanas, è triaca potẽtiſſima quę

omne

Pſal. 140.

Gen. 3.

Zach. 13.

Pſal. 31.

loa. 20.

omne virus cordis extinguis Hoc est vnguentum illud nardi pistice pretiosæ, quo anima vngitur & sanatur, & tota domus repletur ex odore vnguenti. Hęc est
Ioan. 5. illa aquæ viuæ piscina, quam mouet angelus per dolorem in corde: in quam qui intrat, per huiusmodi aquæ motum sanatur & mundatur ab omnibus plagis & infirmitatibus suis. Hæc est illa virga Moysi, qua percussum mare concupis-
Exod. 14. centiarum exæstuans diuiditur in diuisiones, vt electi Dei sicco pede promissionis in terram pertranseant. Hæc est illa
4 Reg. 4. farinula prophetæ, dulces faciens colocynthidas pœnitẽtiarum amaras Hic
4. Reg. 2. sal eiusdem prophetæ aquas salsas lachrymarum potabiles faciens Hæc sapiens illa mediatrix inter regem & filiũ
2 Reg. 14. Absalon, id est Deum & electum eius, ipsum reconcilians & reducens ad patrem. Hæc filium prodigum miserum, elongatum à patre, porcos corporalium sen-
Luc. 15. suum pascentem, post consumptam cum meretricibus concupiscentiarum, spiritualium donorum substantiam, post famem & miseram seruitutem verecundãtem, reducit ad patrem: & vestibus splẽdidis, & nouis induit gratiarum, quibus peccando fuerat ante nudatus: & vitulũ saginati, splendidiq; conuiuij, in quo mira resonat symphonia participem facit: & paternę hæreditatis, id est cęlestis regni honorem, & dignitatem restituit; & supernorum ciuium in æterna illa beatitudine facit consortem: quam nobis præstare dignetur ipse Iesus Christus.

FERIA SEXTA POST QVARAM Dominicam Quadragesimæ.

THEMA.

Voce magna clamauit, Lazare veni foras. Ioannis 11.

HIstoriam primum Euangelicæ lectionis vel carptim exponamus, & eandem deinde ad mores conuertemus.

Ecce quem amas. Augustinus hęc tractans ait. *Non dixerunt, veni, & sana: sufficit vt noueris, non enim amas & deseris. Noueris ex hoc pro infirmitatibus corporis succin ẽtè orare, pro salute animæ prolixius.*

Nonne duodecim horæ sunt diei? Se ipsum diem, & Apostolos horas vocat. Vnde latenter arguit eos insolentiæ, quia ei cõsulere volebant: sicut & alibi Petro ait: *Vade post me satana.* Si quis ambulauerit in die, non offendit: neque vos me lucem mundi sequentes, offendetis. *Mat. 16.*

Lazarus amicus noster dormit. Verè ita est, si amicus est, dormit: inimicus moritur. Vnde Stephanus obdormiuit in domino. Psal. *Cum dederit dilectis suis somnũ.* *Act. 7.* *Psal. 126.* Dormiebat eũ, qui tam facilè eũ poterat suscitare à tepulchro, & sicut dormientem a lecto. *Domine, si fuisses hic*, &c. Grãdis fides, quę non solùm prohibere mortem præsentia sua, sed & vitam impetrare defuncto potentem fatetur: sed defecit: quia non dare, sed à Deo impetrare credidit. Hominem perfectissimum & maximum prophetam hæc mulier credebat, sed Deum, aut Dei filium vnigenitũ nesciebat. Hæc fides domini colloquio perficitur, vt miraculum fide promereatur. *Amici Dei mors, sõnus est.*

Resurget frater tuus. Temperamento vsus est propter infirmitatẽ fœminę. *Scio quia resurget in nouissimo die:* nõ dico hoc, *sed ego sum resurrectio & vita*, impetrare nõ egeo, sed viuificare possum, quia vita sũ: *credis hoc?* Hucusq; te profitere oportet in fide, vt miraculum videas. *vtique domine*, illa profitetur, & addit adhuc.

Ego credidi quia tu es Christus, &c. Hæc fides perfecta est, quã quia professus est Petr⁹, audiuit: *beat⁹ es Simõ Bariona.* Mira colloquij vtilitas, eadẽ verba mulier, ptulit illuminante filio, quę protulerat Petrus illuminãte patre. Satis est Marta perstta in hac fide, ne cadas ab ea, voca sororem tuam. *Mat. 16.*

Surrexit citò, &c. Præ amore & desiderio Saluatoris, præsentes nobiles consolantes, velut pueros spernit, & rapido gressu obuiam dilecto suo vadit. Mira harum fœminarũ dilectio in Christum: ecce vocatus grandi necessitate non venerat, neque se venturum promiserat, respõderat verbum quod ad earum intellectum forsitan falsum apparebat, Sic enim ille acceperat domini *Amor sororũ Martha, & Mariæ erga Dominũ admirabilis.*

ni responsionem Infirmitas hæc non est ad mortem, idest, non morietur frater hac infirmitate. Et tanto contemptu neque offenduntur, neque scandalizantur in eo, sed audito eius aduentu feruido amore occurrunt ei. Non dicunt: ecce noluit opportune venire, modo venit: est mortuus frater quem promiserat non moriturum. Nihil tale eis venit in mentem, quia eas Christi amor penitus possidebat. O amoris potentiam ineffabilē; quid nō vincis amor? *Charitas nō irritatur, nō indignatur, nō offenditur, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat*: nō læditur ab amico, quicquid agat: omnia in bonū interpretatur: & nullo scandalizatur. Nihil amore fortius, nihil patientius, nihil fidelius. O domine quomodo probas tuos: quàm mirificè tentas eos, vt eorum in te fiduciam ostēdas Estote cōstantes fratres mei, quicquid accidat, estote firmi, & nolite deficere, ne amittatis domini confidentiam. Tētat vos dominus Deus vester, vt appareat si diligitis eum, aut nō *A custodia matutina vsque ad noctem speret* anima iusta *in domino*; quia cum minus putatur, veniet & saluabit eam: Memento te Abrahæ amici Dei, qui probatus à Deo, perfectus inuentus est: qui contra spem in spem credidit, & reputatum est illi ad iustitiam Occidere iubebatur filium vnicum, in quo promissiones acceperat, & iusta Dei implere paratus à promissione non diffidit. Memento te etiam sanctissimi Iob, qui in sterquilinio plagatus, fiduciam non amisit, neque domini verberibus irritatus est Vnde suadente vxore diffidentiā, viriliter respondit. *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo*. Memento te etiam Susannæ, quæ in vltimo tribulationis posita, cū iam nullibi pateret remedium, erit fiduciā habens in domino: vnde & liberata est. Sic etiam fœminæ sanctæ, quia probatæ in amoris fiducia perstiterunt, fratris suscitationem à domino promeruerunt. Vnde Sapiens. *Va his qui perdiderunt sustinentiā* & propheta: *Dominus obtriuit confidentiam tuam, & nihil habebis prosperum.*

1. Cor. 13.
Deut. 13.
Psal. 129.
Gen. 22.
Rom. 4.
Rom. 4.
Iob. 2.
Iob. 13.
Dan. 13.
Eccles. 2.
Hie. 2.

Turbauit semetipsum, gratis & sponte turbatus est, non sicut nos inuiti perturbamur.

Christus volūtarie & vltro se turbat, nō autem anticipāte turbatione passionē.

1. Cor. 3. Rom. 13.

Infremuit spiritu & lachrymatus est. Quod lachrymatus est ad pietatem spectat vt nobis pietatis præberet exemplū. Homines enim sine pietate, sine affectione, sine fœdere, sine misericordia, Apostolus nequissimis annumerat. Vnde ait. *Flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus.* Sed quòd infremuit altiori indiget sensu: magnum profectò aliquid in pectore Christi latebat, vnde fremitus ille prodijt. Sed quid illud sit, quis agnouit? Fortè duritiam & pertinaciam Iudæorū exhorruit, quæ eum mortuos fœtido suscitare compellebat, vt tanto miraculo conuerterantur: & huius incredulitatis dolore percitus, grandi gemitu infremuit. Vel fortè passionis acerbitas illi, sicut in horto, tunc oblata est, quia ex illo opere principium habitura erat: vel in mysterio fremuit semel & iterum, vt hoc ipso in peccatoris suscitatione opus esse monstraret, vt postea dicturi sumus.

Domine iam fœtet. Ecce quæ prius non interrogata prædixerat, *scio quia quæcunque poposceris à Deo, &c* Modo cùm ad rē ipsam peruenitur, à fide deficit, & labascit. Aliud est enim dicere, aliud experiri. Multa profitemur, quæ in conflictu aliter inuenimus. Iesus autem eleuatis oculis orauit: vt nos in similibus idē facere doceret. Sed ne putetur vitā potius impetrasse, quā præbuisse, orationis causā exponit non necessitatem esse, sed vtilitatem: *& statim prodijt qui fuerat mortuus.* Quantus stupor, quantus tremor, oēs præsentes tunc inuasit. Miror quòd præ timore non inde aut fugerūt, aut in terram non cæciderunt. Quem mortuum iam fœtentem viderant, modò viuum exstantem videbant. Quis animus tantū potuit horroris spectaculum sustinere? Trepidant Apostolicæ manus soluentes eum, & vix possunt implere mandatum. O Iudæa perfida, quomodo non ad hoc prodigium conuersa es? Mira cæcitas sacerdotum consiliantium vt mortem inferant vitæ largitori. Quanta nequitia, quanta stultitia. Non fuit qui in tanto con-

concilio diceret: quid agitis ò sacerdotes, quid consulitis, contra quem armamini? Fœtidos mortuos hic homo suscitat, & vos occidetis eũ? Videte ne potius eius solo præcepto omnes moriamini: facilius est enim præcepto occidere inimicos, quàm verbo suscitare amicos. Sed nullo miraculo perfida vincitur, nullo prodigio malitia superatur: tanta erat enim hominum iniquorum inuidia in Christum, & sic torius nefandi senatus oculos malitia obcæcauerat, vt vnde conuerti debuerant, inde fierent nequiores.

Sed hanc eandem historiam mortali tractatione rursus expediamus. Vt ait Gregorius in homilia, *miracula domini saluatoris sic accipienda sunt, vt in veritate credantur facta, & tamen per significationem nobis aliquid innuant: non enim solum miracula sunt, sed mysteria.* Latet in hac Lazari suscitatione, spiritualis suscitatio peccatoris. Lazarus namque quatriduanus, fœtidus, & sepultus, peccatoris typum gerit, non cuiusq; sed obstinati, indurati, corrupti: in quo ratio, mens, sensus, synderesis, vitio sepulta sunt. Non est in eo humanæ rationis vestigium, sed in belluam totus degenerauit. Siquidem vt ait Psalmus. *Prodyt, quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis.* Hic fœtore malæ famæ Dei populum inficit, & lædit: vnde sicut pestilens ab hominũ cõsortio segregandus est, ne contagione pestifera cæteros perdat. Quatriduanus est, quoniam quatuor dies in peccato habet: scilicet consensum, opus, consuetudinem, & contemptum. *Impius enim cum venerit in profundum malorum cõtemnit.* De quibus Sapiens. *Qui lætantur cùm male fecerint, & exultant in rebus pessimis, horum difficilis est suscitatio: peruersi enim difficile corriguntur.* Sicut enim fermentatam massam in azimam reddere difficillimum est, ita carnem & mentem fermẽto peccatorum, & amurca vitiorum infecta, in pristinam restitui munditiam, solius Dei opus est. Vnde Iob. *Quis potest facere mundum de immundo conceptũ semine nonne tu qui solus es?* Et Hieremias. *Si potest* (inquit) *Æthiops mutare pellem suam, & pardus varietates suas, ita & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Peccator vnius diei, aut duorum dierum per facile curatur, quia non ita omnino peccato infectus est, sed quatriduanus vix vnquam à peccato resurgit. Ideo per Prophetam dominus inquit. *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor, non conuertam eum. Super tribus sceleribus Gazæ, & super quatuor non conuertam eum. Super tribus sceleribus Edon, Tyri, Moab, Iuda, & super quatuor, non conuertam eum.* Quasi dicat: tribus sceleribus aliquando parcam, quatto vix parcam: quia qui Deum contẽnit, meretur & ipse contemni. Vnde illud verbum toties repetitur, non vt impossibilem, sed vt difficilem quatriduani peccatoris ostenderet curationem. Nam sicut qui in ægritudinibus corporalibus, distemperatis humoribus ægrotat, per facilè sanatur: qui autem corruptis omnino, & putridis, diuturna febre laborat, longo tempore & forti medicamine vix curatur. ita in animæ ægritudiuibus omnino euenire solet. Veruntamen si ea quę in Lazari suscitatione facta sunt, huiusmodi peccator implere voluerit, poterit & ipse suscitari: Deo enim nihil est difficile, cuius nutui omnia parent. Primò itaq; qui huiusmodi est, iustorum patrocinium quęrit, quorũ precibus dominus exoratus subueniat. Sic enim Lazarus sanctarum sororum obsecrationibus suscitatus est. Placet Deo nimis humilitas peccatoris, qui de se penitus diffisus, quia indignum exauditione se reputat, alterius suffragia quęrit. *Multũ quoq; valet apud Deum deprecatio iusti:* quid enim non tribuit amicis suis Deus? Abraham precibus obtinuerat à domino, vt quinq; ciuitates nefandissimę decem iustorum merito ab incendio saluarentur. Moyses totius populi excidium obsecrationibus suis auertit, sicut scriptum est. *Dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius.* Denique *voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* Iustus enim etsi nõ potest alterius suscitationem operibus promereri, potest eam alteri precibus impetrare. *Sed valde aduertendum est,* vt inquit

Lazari resuscitatio spiritus aliter cõuenit omni peccatori.

Psa. 72.

Simile.

Pro. 18.

Pro 2.

Eccl. 1. Simile.

Iob. 14.

Hier. 13.

Amos. 1.

Simile.

Iacob. 5.

Gen. 18.

Exo 72.

Psal. 105.

Psal. 144

Bernardus, *quod sorores pro infirmo & adhuc viuo dominum deprecantur: pro mortuo autem & sepulto non orant, sed plorant.* Sic omnino sancti apud Deum pro peccatore adhuc sensibus viuo, qui & reatum sentit, & à peccato solui toto animo concupiscit, orationibus intercedunt pro illo: at quidam mortuus à corde, in vitijs & in peccatis sepultus est, non precibus, sed lachrymis agunt, in silentio sedentes, & amore flentes: *si forte respiciat Deus, & misereatur.* Quis enim tam insolens, vt pro obstinato contemptore deprecari audeat, & dicere Deo suo, Domine salua illum? Vnde Psalmus, *Pro hac* scilicet impietate, *orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Verumtamen in diluuio aquarum multarum,* idest peccatorum inundatione, *ad eum non approximabunt.* Vt Ioannes; *Est peccatum ad mortem, non solum peccati, sed sensus, & cordis, non pro illo dico vt oret quis.* Quid igitur? non oret, sed ploret, efficacior enim coram Deo est lachryma, quam lingua: & plus fletibus, quam orationibus flectitur. Hoc ipsum amici Iob, eidem quasi iam perdito, & à Deo repulso consulebant dicentes. *Voca, si est qui tibi respondeat: & ad aliquem sanctorum conuertere.* Et alius amicus *Si fuerit pro peccatore*, scilicet *Angelus loquens, vnus de millibus, vt annuntiet hominis aequitatem, miserebitur eius, & dicet*, Angelo scilicet, *libera eum vt non descendat in corruptionem.* Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit, & videbit faciem eius in iubilo, & reddet homini iustitiam suam. Sed nunquid intercedente iusto peccator ipse flebit? imò continuè pro seipso lachrymas fundet. Iusti oratio peccatoris contritione sociabitur, vt veniam obtineat: nam & Christus ante Lazari suscitationem, turbauit semetipsum, & lachrymatus est, & infremuit spiritu: quæ omnia in peccatoris contritione inueniri oportet. Turbet ergo semetipsum peccator, non expectet vt turbetur à Deo: nam contritio dolor est voluntariè pro peccato assumptus, nõ flagello extortus. Modicus dolor spõtaneus, gratior est grauissimo dolore coacto. Vnde Psalmus. *Tribulationem & dolorem inueni.* Id est, non expectauit dolor inueniret me, sed ipse quæsiui, & inueni dolorem, quo peccati mei macula sanaretur. *Quosdam enim dolores* (vt ait Augustinus) *nos inuenimus, alij autem inuenerunt nos.* Sed si verus est dolor, sequantur lachrymæ: qui enim pro temporalibus incommodis lachrymas affluẽter effundit, & peccatorum lachrymas nescit, ipse sibi testis est, quia non verè de peccatis dolet. Vnde Prophetа. *Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum.* Si enim mater pro vnigenito filio quem à morte temporali lachrymis reuocare non potest, tã implacabiliter plorat, quibus tu fletibus animæ tuæ æternam mortem deplorare debebis, cùm possis eam lachrymis susci tare? In morte corporis temperare à lachrymis philosophicum est, in morte animi non plorare perniciosum est. O fontem aquæ viuæ, & aquarum viuentiũ puteum, fontem lachrymarum, quo crimen abluitur, macula peccati tollitur, concupiscentiæ ignis extinguitur, facies animæ lauatur, sitis cordis sedatur, & mentis sterilitas fœcundatur, beatus qui te possidet: *non confundetur* in tempore malo, *cum loquetur inimicis suis in porta.* Doleat itaque peccator, & lachrymetur, & fremat spiritu cum Iesu, vt suscitetur. Non solum gemat, sed à gemitus magnitudine fremat. Qui enim barathro peccatorum conclusus est, & abysso iniquitatum elisus, si leuiter clamat, quomodo in cælo vox eius audietur ad veniam? Altius gemat necesse est, qui profundius corruit. Vnde Iob grauissima tribulatione pressus dicebat. *Antequam comedam suspiro, & quasi inundantes aquæ sic rugitus meus.* Exemplum sibi proponat peccator in rege illo psalmographo, qui eò altius gemebat, quò profũdius ceciderat. Audi lapsum. *Non est sanitas in carne mea vsque in finem.* Audi gemitum. *Tota die contristatus ingrediebar. Afflictus sum, & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.* Sic pro peccato gemebat, vt præ magnitudine, non iã gemitus, sed rugitus potius videretur. Quod autẽ Christus bis infremuit, duplicatum gemitum peccatoris

Psal.30. *Ibidem.* *Psal.31.* *1.Ioa.5.* *Iob.5.* *Iob 33.* *Psal.* *Hier.6.* *Cap.4.* *Psal.126.* *Iob.3.* *Psa.37.*

toris designat: vnum pro peccato, alterum pro reatu. Gemat peccator pro delicto, gemat etiam pro damno: doleat quia peccando Deum offendit, doleat quoq; quia ex peccato gehennæ pœnam incurrit. Secundus enim gemitus sine primo, non sufficit ad medelam. Qui enim de solo peccati damno dolet, culpam non abluit, & damnum nō tollit. Propter quod in purificatione mulieris par turturum, aut duo pulli columbarum offerri iubentur: turtur enim & columba, vtraque gemit. Geminata offeratur in sacrificio, vt à peccatorum colluuie sordidatus animus expietur. Sunt autem qui teneritudine quadam animi, pro commissis, & gemitus imò pectore mittunt, & oculorum fonte lachrymas affluenter effundunt, sed nullo animi vigore peccati iugum à se abijciunt: statim enim post lachrymas redeunt ad plorata. His à Christo dicitur *Tollite lapidem*. Quasi dicat, placet quòd commissa ploratis, sed deplorata iterum non repetatis. *Qui enim lauatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid illi profuit ablutio?* Peccator rediens ad peccatum, sicut qui abluit laterem, abluendo enim amplius sordidatur. Vnde Petrus. *Contigit* (inquit) *eis illud verbi Prouerbij, canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.* Nec tamen facilè abijcitur peccati pondus, grandem tibi violentiam inferre debes, quisquis peccati iugū semel admissum, ab animæ tuæ ceruicibus pellere contendis. Heu miseram peccati seruitutem, quam si semel incurrit, catenis durissimis, & infrangibilibus irretitur. *Residet iniquitas super talētum plumbi*, vt ait Propheta, & deprimentem peccatorum molem nulla potest virtus humana repellere. Non tamen diffidendum, sed pro nostra vtili conandum est, Dei namque iussu tolletur hoc onus. Nam & mulieres pias, quæ dominico corpori vnguenta ferebant solicitas pro lapide dicere audiuimus: *quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti*? nullo tamen suo labore, sed angelico opere, *viderunt reuolutum lapidem*. Omnis itaq; nostra fiducia in Domini auxilio sit, neque tamen operam nostram ponere negligamus. *Computrescit iugum à facie olei, & charitatis vnctio molem durissimam deliniet, atque dissoluet.* O si sanandis animę passionibus eam adhiberemus curam, quam curandis corporū ægritudinibus adhibemus. Quid non sustinet, quid non patitur ægrotus pro recuperanda salute? Atroces vstiones, horribiles incisiones, amaras potiones, diuturnas inedias faciles reputat, dummodo concupitam recuperet sanitatem, sed si animæ languor curandus est, quicquid iniungitur durissimum est. Modico vino abstinere non sustinet lubricus: exiguo lucro priuari non patitur auarus: ad modicum humiliari non tolerat ambitiosus: flocci penditur animæ perpetua vita, & mortalis corporis amittenda salus supra modum diligitur. Deprimentes itaque peccatorum passiones tota virtute pellamus, si à vitiorum sepulchro vni relurgere concupiscimus. Sed non ad solos peccatores directum sermonem existimemus, sed ad omnes potius, & maximè prælatos, quibus ex officio incumbit huiusmodi peccatorum oppressiones auferre. His à Christo dicitur, *tollite lapidem*: hoc est, auferte à populi mei ceruicibus iugum: non eum exactionibus, impositionibus, præceptionibus grauetis: releuate potius, grauantemque eos peccatorum seruitutem obsecrationibus, increpationibus, correctionibus, orationibus pellite. *Heu heu quid dicam super contritione filiæ populi mei?* Oneri sunt qui debuerant esse leuamini: & qui principum exactiones releuare à populo debuerant, ipsi magis ecclesiasticis redditibus eos grauant. Sed omittamus eos: nam cum pastor pastorum apparuerit, de suis ouibus rationem exiget, & ad omnes nos hoc verbum potius referamus. Omnibus dicitur, *tollite lapidem*: non est enim proximus qui fratris sub onere pressi non miseretur, & iuuat. Quid enim? indulgentiores erimus in bestias quam in fratres? Scriptum est in lege. *Si videris asinum fratris tui, aut bouem cecidisse in via, non despicies, sed subleuabis cum eo.* Asinum ergo fratris &

Leui 12. & *Luc.* 2.

Eccl. 34.

2. *Pet.* 2.

Zach. 5.

Mar. 16.

Isa. 10.

Anima morbos negligentius curantes quā corporis redimuntur.

Hier. 6.

1 *Pet.* 5.

Deu. 25.

bouem sub onere cadentem subleuabimus, & ipsum fratrem mole peccatorum pressum impij negligemus? Vera charitas onustis peccatoribus nõ indignatur, sed miseretur potius: non irritatur aduersus eos, non detractat, non excandescit, non linguæ verbera lapsis sub põdere addit, sed infirmitati & miseriæ condolens, prout potest fratris necessitati succurrit. Hoc Deo gratissimum & acceptissimum est fratres: nam crudeles animos crudeliter iudicabit Deus non solũ in futuro, sed etiam nunc. Qui enim supra modum aliorum peccata criminantur, hoc suo facto merentur, & ipsi similibus implicari: vt in semetipsis discant, aliorum de cætero misereri. Vnde Psalmus. *Qui exasperant, non exaltentur in semetipsis*. Qui verò iam virtute animi deprimentem passionis lapidem abstulit, quid vlcta faciet ad vitam?

Psal.65.

Audi quid facias. *Lazare veni foras*, prodi, exi, veni in publicum, manifesta teipsum. Cur latebras quæris? cur intra te absconderis? cur sub doli pallio lates? Qualis intus in conscientia es, talis foras confessione prodito. Non vulnera tua pallies, non excuses, non defendas: Si enim operam medicantis expectas, necesse est vt vulnera tua detegas. Reuela te vni, ne aliquando reuceleris vniuerso mundo, sustine nunc verecundiam vnius sacerdotis, ne postmodum sustineas verecundiam orbis. Sicut enim ad Dei iustitiam pertinet, vt nullum malum maneat impunitum, ita ad Dei veritatem, vt nullum peccatum maneat occultum. Vnde in Euangelio dicitur. *Nihil occultum, quod non reueletur.* Si tu non reuelaueris peccatum tuum, reuelabitur à Deo si absconderis quasi homo, manifestabit ipse vt Deus. Vnde in Psalmo. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Et per Prophetam acrius. *Reuelabo* (inquit) *pudenda tua in facie tua: & ostendam in gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* O terribilem confusionem, quando dicent montibus, *cadite super nos: & collibus, operite nos.* Verè *beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Quorum autem tecta erunt, nisi quorum nunc propria confessione detegentur? Miserum te ostẽde, si vis Dei misericordiam obtinere: illi enim qui non confitetur offensam, quis vnquam præstabit veniam? aut quis miserebitur obstinato? Pauperes in biuio vt transeuntium misericordiam obtineant, vulnera sua propalant: tu facsimiliter coram Deo: confitere peccatorem, & inuenies Deum propitiatorẽ. Non enim magnum est, vt confitearis te esse qui es: non grandia exigit à te proreatu tuo Deus. Dic tu prior iniquitates tuas, vt iustificetis: dic quod es, & eris quod non es. Quid magnum est si latro confiteatur se esse latronem? Qui coram iudice confitetur, furca suspenditur, qui coram Deo confitetur, inferni furca liberatur. Apud sæculi iudicem confessio iudicium perficit, apud æternum iudicem confessio iudicium tollit. Miser qui illud iudicium expectat, in quo si cœli non sunt mundi in conspectu eius, quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis. Vnde Iob. *Verè scio quod ita sit, quod non iustificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo non poterit respondere vnum pro mille.* Et Psalmus. *Non intres in iudicium cum seruo tuo domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Quisquis igitur vitiorum sepulchro fœtidus & tabidus iaces, cum vocem clamantis audieris, *noli cor tuum obdurare*, sed per confessionem protinus veni foras, ne obsurdescas in similitudinem serpentis, & *aspidis surdæ, & obturantis aures suas, ne audiat vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.*

Non est excusatio in confessione adhibenda.

Mat.10.

Iob.31.

Psal.49.

Naum 3.

Luc.23.

Psal.31.

Iob.15.

Iob.25.

Iob.9.

Psal.142.

Isai.34.

Psal.57.

Sed exi foras, non solum à delicto, sed etiam ab occasione, & delinquendi proposito. Quidam enim ad modicum in Quadragesima peccata deserũt, sed peccandi propositum nunquam dimittunt, quidam cum peccatis etiam propositum peccandi reliquisse sibi videtur, sed occasiones delinquendi non fugiunt. Hi non suscitantur, quia nõ omnino foras exeũt. Angeli qui in Sodomorũ subuersionem destinati sunt à Deo, Loth dissimulãtem extra ciuitatẽ & suburbium extrahentes.

Peruersi mores aliquorũ hic taxãtur.

Dissimile.

com-

cõminati sũt, *ne in omni circa regionẽ penetraret, sed in monte saluum se faceret*; typicè per hoc designantes. vt quisquis diuinã vltionem euadere procurat, exeat à peccato, exeat à peccati suburbio, id est proposito: exeat à peccati regione, id est peccandi occasione: neque post tergum aliquando respiciat, neque in humili conuersatione, id est sæculari permaneat, sed virtutis culmen cum omni celeritate conscendat. Cum Ninive ciuitatis excidium per prophetã dominus comminaretur, ieiunauerunt incolæ, planxerũt, vestiti sunt saccis, in cinere sederunt, cũ lachrymis clamauerũt. Sed quid ait scriptura? *Et vidit Deus opera eorum, quod conuersi sunt de via sua mala, & misertus est super malitiam quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.* Non ait vidit gemitus, vidit lachrymas, vidit saccos, vidit cineres: sed quid vidit? opera eorum, quòd conuersi sunt à via sua mala. Si vitia non deserũtur, frustra Dei misericordia lachrymis imploratur: frustra enim oculus plorat, si animus in crimine perseuerat. O peccator si verè ploras, veni foras: fuge concupiscentiam, dimitte lasciuiam, expelle mulierculam, solue catenam: alias non credo verbis, non credo lachrymis. *Funiculus triplex* malæ inclinationis, prauæ consuetudinis, violentæ occasionis *difficile rumpitur*. Miraculum grande est, vt habens iuxta se mulierem, non tangat eam, & vtique *qui tangit picem, inquinabitur ab ea*. In sinu tuo carbones foues, & tuum non comburetur vestimentum? Etiamsi millies iuraueris, etiamsi obtestãdo promiseris, nunquam tibi credam. Illum autem, qui à domino viuificatus, desiderio salutis à vitiorum sepulchro foras egreditur, vos ò sacerdotes soluite, & sinite abire. Cauete ne eũ in sepulchro soluatis, prius exeat vt soluatur. *Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, aut veritatem tuam in perditione? nũquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt, & confitebuntur tibi?* Non suscitat à sepulchro medicus, sed Deus; sed quem suscitat Deus, hunc soluit medicus. Prius ergo vadat, & concubinam à domo pellat, pecuniam alienã restituat, contractus vsurarios rumpat, famam proximi læsam prout potest, relarciat, mercenariorum labores, & pauperum debita soluat, offenso fratri reconcilietur, & veniam petat, & tunc ad confessarium tedeat, & absoluatur. Hic rectus est ordo, hic in Lazari suscitatione à domino seruatus est, hunc ordinem ne transgrediaris. O medice, cur fœtentem soluis? cur indigno veniam promittis? cur cui absolutionis beneficium exhibeas non discernis? Duas tibi claues dominus dedit, vnam discernendi, alteram iudicandi: absoluendi, scilicet & ligandi: & tu sine discretionis examine neminem ligas, omnes absoluis: vna tãtum claue, neque integra quidem veteris, sed dimidiata. *Heu heu ventrem meum doleo, ventrem meum doleo: in domo Dei horrẽdum vidi, pastores domini sui oues iugulantes: medicos populi sui ægrotos occidentes: iudices turpibus blandientes: censores flagitia palpantes: cæcos gregem domini dirigentes.* An non horrendum hoc? Hi sunt prophetæ mendaces, in quos dominus per prophetam inuehitur, dicens. *Eò quòd deceperint populum meum dicẽtes, pax, pax, & non est pax: & ipse ædificabat parietem, ipsi autem liniebant eum luto absque paleis.* Et infra: *Væ qui consuunt pulluillos sub omni cubito manus, & faciunt cerui calia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas: & cùm caperent animas populi mei viuificabant animas eorum, & violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis, vt interficerent animas quæ non moriuntur, & viuificarent animas quæ non viuunt, mentientes populo meo credenti mendacijs.* Et per alium prophetam apertius. *A minore vsque ad maiorem omnes auaritiæ student. A propheta vsque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum, & curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes, pax, pax: & non erat pax. Confusi sunt, q a abominationem fecerunt, quin potius confessione non sunt confusi, & erubescere nescierũt.* O miseri animarum non curatores, sed interfectores, non consultores, sed deceptores, quid respondebitis domino pro grege, quem vestris blandicijs decepistis: vestris consilijs iugulastis? Quid

Geminæ Sacerdotalis clauis.

Iona 3.

Hier. 4.

Eccles. 4.

Eccles. 13.

Prou. 6.

Psal. 87.

Ezech. 13.

Hier. 6.

Adulatio Confessariorum reprehenditur.

ecclesiam domini hodie perdit, nisi confessariorum & pastorum blandiens adulatio? deliniens demulcensque assentatio? Væ miseris, non ægritudinem, sed contritionem, ac confessionem peccatorum curant, quam augere debuissent, promittentes pacem, quibus nō est pax, & veniam quibus æterna damnatio parata est. Paruum est (inquiunt) nimirum humanū est peccare: quis est homo qui non peccat? facilis est venia: ne tristeris, ne doleas: confessus es, absolutus es, sufficit tibi ad salutem: viue lætus, domini sacramenta suscepisti, sine dubio saluaberis. Sic animas mortuas & securas à suis pedibus mittunt, tantò miseriores, quantò securiores vulnera liniunt, vermen conscientiæ extinguunt, stimulum peccati auferunt, & securos peccatores ad inferna demittūt: qui si timorem populo incuterent, forsitan illum à vitijs

3 *Re.* 8. & 2. *Par.* 6.

Simile.

reuocassent. Cui comparabimus adulatores istos, aut cui assimilabimus eos? Similes sunt profectò hominibus, qui à ripa pereuntibus in flumine manum porrigunt, & violentia fluminis ipsi cum alijs demerguntur. Vnde aptissimè sequitur in propheta. *Quam ob rem cadent inter ruentes in tempore visitationis suæ.* Corruent, dicit dominus: ponderenamque peccatorum assentatores suos post se peccatores in præcipita rapiunt, & secum eos ad inferna deducunt. Hæc contra quosdam confessarios nostri temporis piè impios, & impiè pios dicta sint, qui ne confitentem aliquantisper contristent, illum in sua nequitia manere permittunt. At quanto melius esset ad modicum contristare, quàm in æternū damnare. Apostolum audiamus, qui ad Corinthios sic ait. *Etsi contristaui vos in epistola, non me pœnitet:* nā etsi ad horā epistola illa vos contristauit, nūc gaudeo: non quia contristati estis, sed quia cōtristati estis ad pœnitentiam. Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos quantam in vobis operatur solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. Hæc omnia bona tristitia quæ secundum Deum

Hier. 6.

2. *Cor.* 7.

est, operatur in homine. Non te pigeat ò sacerdos, ægros moribus sic contristare: nolo tamen vt in pœnitentijs iniungendis, plus æquo seuerior sis dictum domini saluatoris memorare, *alligant onera grauia, & importabilia, & imponūt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.* Vnde & nunc ad Apostolos ait *Soluite, & sinite abire.* Ac si dicat. Non pœnitentia eos grauetis, non austeritate terreatis: nam in actione pœnitentiæ non tam attenditur quantitas rigoris, aut temporis, quàm doloris. Contritio peccatum tollit, gemitus & lachryma crimen abluit. Peccatorem sacerdotis absolutio soluit, exterior autem pœna & de peccato sumit iustam vindictam, & peccatori affert medicinam. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicit.* Confitentis aduersum se iniustitiam suam, ipse peccati impietatem remittit. Qui peccata sua eleemosynis redimit, qui saccum & cinerem sternit, qui humiliat in ieiunio animam suam, & orationem fundit coram altissimo, ipse immutabilis Dei præuenit iudicium, & vt ita dicam, mutat sententiam, & plenam assequitur peccatorum veniam. Quæ licet ita sint, satius tamen iudico, cum modica pœnitentia animas ad purgatorium remittere, quàm propter pœnitentiæ rigorem damnationis periculo eas exponere. Nam pœnitentia pro mortali si acceptatur, obligat ad effectum. Sic itaque rigorem pœnitentiæ temperato, vt neque leuitas, delicti contemptum, nec grauitas omittendi periculū creet. Hoc iudicio meo ita perficies, si facilem vnā iniūxeris, & acriorem alteram peccatori consulueris: ita tamen, vt ad omnem eius voluntariam & spontaneam pœnitētiam sacramenti applices efficaciam: non nihil enim ex hac applicatione illi accrescit. Hæc sunt peccatoris indurati remedia quæ si fecerit, sicut dictum est, quamuis quatridanus, quāuis sepultus, & fœtidus, poterit à peccato suscitari, & beatorum fœlicitate potiri. Sunt autem sex, vt epilogo ea concludamus: scilicet pia patronorum interpellatio, amara delictorum contritio, diligens passionum

Mat. 23.

Psal. 50.

Isa. 58.

Psal. 34.

cura-

curatio, clara peccatorum confessio, efficax sacerdotum absolutio, & pœnitentis debita satisfactio. Quæ omnia in lectionis euāgelicæ serie sigillatim annotata sunt. Sed de absolutionis efficacia, succincte nunc attingamus, propter quosdam qui iudicio meo clauiū virtutem nimis attenuant, asserentes sacerdotes neminem à peccato absoluere, sed absolutum duntaxat ostendere, hoc domini saluatoris miraculo opinionem suam corroborantes: nam Lazarum solus ipse suscitauit, & viuum Apostolis soluēdum tradidit. *Quis enim* (inquiunt) *potest remittere peccata, nisi solus Deus? Ego occidā, & ego viuere faciam*, ait dominus. Quomodo igitur sacerdos absoluit, quomodo viuificat animas? Leprosos in lege sacerdos non mundat, sed mundatos declarat propter quod dominus leprosos iam mundatos ad sacerdotes remisit, dicens. *Ite & ostēdite vos sacerdotibus*. Nō ergo aliter existimandum est cōtingere in lepra cordis, quam corporis. Deus mūdat, sacerdos mundatos declarat. Sed si ita est absolutio, non sacramentum, sed sacramenti signum & indicium est, & nō in officium, sed in onus & seruitium data est. Quanta est hæc clauium virtus, non à peccatis absoluere, non peccata remittere, sed absolutum remissumque ostendere? Non ita lego in euangelio, non ita audio. Sed quid? *Quorum remiseritis peccata remissa sunt: & quorum retinueritis, retenta erunt.* Remittit ergo peccata sacerdos, non tantum dimissa ostendit: non tamen vt Deus, sed vt minister: non propria virtute, sed Dei institutione: non sua authoritate, sed Dei beneplacito: non relaxādo delictum, sed applicando sacramentum. Deus enim solus gratiam, & vitam peccatori confert, sed ad arbitrium & iudicium sacerdotis: cui tanta virtus & potentia collata est à Christo, vt ipso exterius absoluente solo verbo, Deus intus infallibiliter absoluat veritate, & facto, si non ponatur obex, & adsit dispositio. Quid miraris? quid stupes? An in paruulorum baptismō non ita fit? Sacerdos à foris mittit aquam, & Deus intus infundit gratiam: & ablutio illa exterior non solùm interiorem significat, sed etiam suo modo causat. An etiā dubitas quia sacerdos verbò conficit, verbo consecrat? Verę sunt sacramentales formæ, non dubites: ego te baptizo, ego te absoluo: neque tua indigent glossa. Vnde quia magnam quandam potestatem, & sæculis inauditam, Christus dominus Apostolis collaturus erat, post suam resurrectionem prius eos suo flatu spiritu sancto perfudit, dicens, *Accipite Spiritum sanctum*: & statim adiunxit. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* O admirandam stupendamque potētiam, ò gratiam singularem: vt homo homini, peccator peccatori peccata dimittat: & in hominis arbitrio Deus offensus iustitiam suam ponat. Stupeo fratres, & vehementer admiror, nec me capio præ lætitia, quoties tantæ dignationis & clemētiæ beneficium mecum ipse considero. Quis vnquam hominum à Deo talē posset gratiam sperare? quis vnquam posset credere, quōd filius hominis super terrā potestatem habeat remittendi peccata? Cum paralitico cuidā diceret Christus, *remittuntur tibi peccata tua*, blasphemare visus est pharisęis: *& quis* (inquiunt) *potest remittere peccata, nisi solus Deus?* Quibus dominus *Vt sciatis* (inquit) *quia filius hominis potestatem habet remittendi peccata, ait paralitico. Surge, tolle lectum tuum, & ambula.* Acclamatum est ab omnibus viso miraculo, & meritò: benedictus Deus, qui talem potestatem dedit hominibus, quia nihil maius hominibus præstari posse videbatur: & tamen hoc quod sic admiratur synagoga, cuilibet sacerdoti collatum est in ecclesia, non dubiè, non obscurè, sed infallibiliter, & apertè. *Quorum remiseritis* (inquit) *peccata, remittuntur eis.* Quid clarius, quid apertius? nolo positiones tuas, nolo glossemata vana, sic à Christo prolatum est, sic suscipio, ita credo. Confer nunc omnia illa antiqua beneficia quæ populo illi collata sunt, & velut arena exigua reputabuntur ad istud. Quid est manna, quid aquæ de pe-

Deut.32. *Luc 17.* *Ioan.20.* *Ioan. 20.* *Matt. 9.* *Sap.7.*

de petra, quid concessa libertas ad hanc gratiam remissionis? Mira potestas, vt inter Deum & hominem arbiter homo sedeat, & Dei iudicia suo arbitrio homo discernat, offensas Deo illatas fratri remittat, & quod homo agit in terris, ratũ & firmum habeatur in cœlis. Cui vnquã sanctorum Patrum in lege tanta facultas concessa est? Abraham amicus Dei, Moyses Deo familiaris & charus, qui cũ Deo quasi vir ad proximũ suum loquebatur, nunquid tale aliquid acceperunt? Nunquid orante Abraham pro peccato Sodomorum, & Moyse pro reatu vituli deprecante, quispiam illorum audiuit à domino. Relaxa tu peccatum, dimitte delictum? Sed quid admiramur, si sacerdoti euangelico conceditur, quod Patriarchæ sanctissimo concessum non est? Decuit enim Deum hominem factum, inter homines conuersatum, in terris visum, talia hominibus dona præstare, talia fratribus suis xenia relinquere. Overè donum Deo dignum, & magnificentia tali largitore dignissima. Apostolum super hoc audiamus. *Qui proprio* (inquit) *filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illũ*, quomodo non cum illo nobis omnia donauit? Sponte dedit filium, & magnũ est si gratis remittat debitum? Donauit vnigeniti sui personam, & non delicti nostri condonabit indulgentiam? Hæc quidem gratia si per se pensetur, magna est: si verò ad illam conferatur, exigua. Lætemur ergo fratres, & gaudeamus, quia in illo plenitudinis & gratiæ tempore sorte incidimus, in quo si Christo domino per fidem & amorem adhæserimus, si in eius merito & virtute confiderimus, etiam si mortui & sepulti peccato fuerimus, eius gratia & misericordia faciliter suscitabimur, ipso viuificante, qui mortem assumpsit, vt vitam donaret.

Deut. 8.

Exod. 17. & in Exo. per multa capita agitur de libertate Israelis.

Exod. 33. Gen. 18.

Exod. 32. Baruc. 3.

Rom. 8.

Cui cum Patre, & Spiritu sancto est honor & gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

DOMINICA IN PASSIONE, de contritione.

THEMA.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan. 8.

HÆc verba solus dominus, & mater eius dicere possunt, cæteri quantumuis sancti, dicent cum Ioanne: *si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*, & cum Iacobo: *in multo offendimus omnes* Est tamen alia via, si per modum oprantis & deprecantis qua oẽs, dicere debemus, Osi quis argueret me de peccato. Magnum nobis beneficium præstat qui arguit, verus amicus est, nam sermo reprehensionis clauis est apertionis. Aperi sensum & rationẽ, vt intelligamus defectus nostros, & corrigamus. Sed est tanta nostra superbia, quòd non accipiamus reprehensionem, etiam si fiat cum omni humilitate. Apostolus ad Timotheum *Argue, obsecra, increpa opportune, importune.* Ecce fratres reprehensio vsuræ in hac quadragesima quantum fructum fecit, quantas animas eripuit de laqueo diaboli: dico vt gaudeatis, & gratias agatis Deo. Possumus dicere quòd Apostolus, *etsi contristaui vos, non me pœnitet, quia contristaei estis ad pœnitentiam.* Cæterùm maximus & verus reprehensor est quisque sui: nam nescit homo quid sit in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est, mala nostra palliamus & bona ostendimus, ideo soli nostros defectus optimè cognoscimus, quos continue arguere debemus coram Deo per singulos dies, adhortantes corda nostra (vt ait Apostolus) *ne obduretur quis ex nobis fallacia peccati*, sicut legimus de illo sene monacho, quem cum alius monachus visitaret stans pro foribus cellæ, audiuit senem secum loquentem, & se increpantem. Quid hic agis senex fatue, hypocrita, deceptor populi, putride, tepide, quamdiu te sustinebo? Hæc autem reprehensio per contritionem fit, de qua hodie locuturi sumus, & dicemus

1. Ioan. 1.

Iacob. 3.

2. Tim. 4.

2. Cor. 7.

Hebr. 3.

tria,

tria: primò quid sit contritio: secundò quam magnum & proprium remedium peccatorum sit contritio: tertiò quomodo acquiretur.

Definitio cõtritionis

Contritio est iuxta theologorum sententiam, *dolor voluntariè assumptus pro peccato, cum proposito confitendi, & satisfaciendi*: potest addi, *& iterum non peccandi.*

S Tho. 1. q. sup. Suarez, Kunig & Soto.

Dicitur primo, *est dolor.* Pro hoc notandum quod duplex est dolor: quidam qui est actus voluntatis, & ille est odium, & displicentia, & detestatio, & abominatio peccati, nolle peccasse: & iste actus est liber, & in nostra potestate: secundũ illud Augustini. *Nihil est magis in potestate voluntatis, quã ipsa voluntas.* Alius est dolor sensitiuus, qui est passio & tristitia quædã in sensualitate, quæ aliquando prorũpit in lachrymas. Primus dolor est cõtritio, & non secundus, sed est effectus contritionis. Nã ex displicentia & odio peccati commissi, nascitur in sensualitate illa tristitia: & hæc non est sic in nostra potestate: nam quidã sunt duriores ad lachrymas, alij teneriores, vt mulieres, & tantum bonum, & tam magnum cõmodum peccatorum debuit esse liberum, & in nostra potestate cum Dei gratia. Nam si in huius commotione & dolore sensualitatis contritio esset, mulieres teneræ multo meliores cõditionis essent quam viri duriores. Verum est, quòd (vt ait Augustinus) hic dolor sensualitatis signum est contritionis: nam qui pro temporalibus luget faciliter, & pro peccatis non luget, signum est quod non perfectè dolet, neque displiceant ei peccata. Est tamen signum fallax, nam quę sensu percipimus facilius nos afficiũt hoc dolore, quam quæ fide tenemus. Dicitur *voluntariè assumptus*, propter quod dolor & pœnitentia in morte susceptа aliquo modo susceptа est, quæ non voluntate libera, sed magis timore fit, & quasi quædam violentia instantis periculi: si tamen libere doleat, proderit. Dicitur *de peccato*, non de damno, vel de pœna, vel de infamia, vel de turpitudine, & vilitate peccati: sed dolendum est de peccato, prout offensa Dei, sic vt etiamsi nullum incommodum de peccato proueniret, neq; esset infernus aut iudicium, neque aliquis sciret, etiam displiceret peccatum, quia Deus fuit offensus. Sicut Petrus, & Magdalena post remissionem peccatorum, & post tantam Dei amicitiam, nihilominus plorabant assiduè peccata, adeò vt Petrus maxillas haberet concrematas præ lachrymis, vt ait Clemens. *Vera contritio ex amore Dei debet procedere, non ex timore, aut ex amore sui.* Vnde Augustinus. *Oportet pœnitentem non solum Deum timere iudicem, sed & iustum diligere*: & hoc valde aduertere debet peccator. Nam Deus magis aspicit de quo doles, quam quantum doles, & plus curandum est vt dolor sit perfectus, quam vt sit intensus. Dãnati multũ dolẽt de peccatis, & multũ pœnitent, vt dicitur in libro Sapientiæ: *dicent intra se pœnitentiam agentes*, &cæt. sed pro tormento, non pro peccato. *Sap. 5.* Similiter latro multum dolet de furto, sed propter patibulum, non propter delictum. Adulteri de adulterio, sed propter infamiam, non propter culpam: & alij propter alios respectus: Solus dolor ille contritio est, qui est propter Deum: vnde attritio & contritio non dam differunt, quia contritio est dolor intensus, & attritio est dolor remissus, sed magis quia contritio est dolor perfectus propter Deum, & attritio est dolor imperfectus, & mixtus cum aliis respectibus. Dicitur in diffinitione, *eum proposito confitendi & satisfaciendi, & iterum non peccandi.* Nam triplex propositum debet comitari contritionem, scilicet propositum confitendi suo tempore, ad minus: & propositum satisfaciendi, implendo ad minus pœnitentiam à sacerdote iniunctam: ac propositum non peccandi. Non sufficit, quòd habeas propositum satisfaciendi, sed debes habere propositum non peccandi.

Cõfitendi propositũ debet esse cum contritione.

Ex hac diffinitione possumus elicere quinque conditiones, quas debet habere dolor, vt sit perfecta & consummata cõtritio. Prima quòd sit purus, ideſt propter Deum totaliter, vel principaliter, vt dictum est, non propter damnum, non quòd malum sit dolere de damno, & de inferno, & de vtilitate peccati, & per-

Cõditiones contritionis. Vide Pine. li. 1. de sac. pœnit.

ditione multorum bonorum, quæ perdidisti peccando, imò hoc est valde bonum: vnde Propheta ad hunc dolorem prouocat, quando dicit, *quam vilis facta es, nimis iterans vias tuas*: & iterum, *leua in directum oculos tuos, & vide vbi nunc prostrata sis*: sed hic dolor non debet esse principalis, sed accessorius. Vnde dominus suscitaturus Lazarum, bis infremuit spiritu, ostendens quod in suscitatione peccatoris duplex gemitus habendus est: primus de peccato, secundus de damno. Propter hoc & in expiatione puerperæ par turturum, aut duo pulli columbarum offeruntur pro peccato: nam turtur & columba gemit: vtraque in figura, quòd duplicatus gemitus offerendus est pro peccato in expiatione peccatoris.

Hie. 2. *Hier.* 3. *Ioan.* 11. *Leu.* 12.

Secunda conditio, quod sit pius, id est, non sit furiosus: vt faciunt quidam, qui seipsos diris deuouent, & conquerantur de Deo, & peccatis superaddunt blasphemiam, hæc furia damnatorum est, & desperatorum. Vnde Psalmist. *Furor illis in similitudinem serpentum*, idest, damnatorum. Iam enim hic incipiunt gustare & *bibere calicem dæmoniorum*, & damnationis æternæ. Debet itaque dolor esse pius, humilis in mansuetudine, qualis exprimitur in Psalmis pœnitentialibus: in illis enim Spiritussanctus descripsit formam doloris salutiferæ contritionis. Non ibi reperis furiam, sed humilitatem & afflictionem piam. Exempli gratia. *Miserere mei domine, quoniam infirmus sum: sana me domine, quoniam conturbata sunt ossa mea: & anima turbata est valdè.*

2. *Psal.* 57. 2. *Cor.* 10. *Psal.* 6.

Tertia conditio, quod sit maximus apreciatiuè, scilicet, non intensiuè: vt plus doleas de peccato, quam de quoquo infortunio, vel morte vxoris, aut filiorum. Non intensiuè, nam sensibilia mala magis mouent nos, sed apreciatiuè, & in æstimatione: quia si daretur optio, potius eligeres pati quodcunque infortunium, & mortem filiorum, & tuam, imò & infernum, & anhilationem tuam, quam eligere peccatum. Vnde Augustinus. *Christianus non debet peccare etiam si necesse sit mori quicquid Deus non est.* Tantum malum est peccare. Sicut igitur peccatum est maximum malorum, ita debet maxime exhorreri apud rationem rectam, & illuminatam mentem. Dole peccator, & detestare peccata tua quantum potes, quàtum vales, quia nunquam pro merito detestaberis: nunquam ens nimius in hac detestatione, & odio volũtatis. Sed in dolore sensitiuo, & tristitia potest esse excessus: vnde aliquando temperdãus est, ne venias in desperationem. Propter quod Apostolus iubet consolari peccatorem Corinth. *ne absorbeatur abundantiori tristitia.* Temperatur autem huiusmodi tristitia contemplatione diuinæ bonitatis. Vnde Psalmist. *Ad me ipsum anima mea conturbata est, propterea memor ero tui.* Oportet enim aliquando diuertere oculos, à consideratione tui, & tuæ iniquitatis, & ponere in diuina misericordia & pietate. Vnde Augustinus. *Pœnitens de peccato doleat, & de dolore gaudeat: & sic dolor temperabitur gaudio.*

3. 2. *Cor.* 2. *Psal.* 6.

Quarta conditio doloris, quòd sit perpetuus: nam pœnitentia cum vita finienda est. Vide peccator quid onus imponis super te, ad quid te obligas peccando propter momẽtum delectationis. Non tamen est sic intelligendum, quòd dolor ille continuatus duret per totam vitam: hoc enim quis posset? sed quòd quoties peccatum tibi occurrit in memoriam, practicè & morosè teneris odio habere, & detestari, vt te pœniteat feciſſe illud. Quidam dicunt quod sufficit vt non placeat, sed tutius est, vt etiam displiceat. Vnde Psalmist. *Peccatum meum contra me est semper.* Et iterum: *tota die, idest, tota vita, contristatus ingrediebar.*

4. *Psal.* 6. *Psal.* 17.

Quinta conditio, quòd sit particularis de quolibet peccato mortali quòd est in memoria, non quòd debeas habere tot dolores particulares, quot peccata recordaris, vt quidam volunt: sed sufficit q̃ habeas vnum dolorem extensum, qui se extendat ad omnia peccata mortalia in particulari, quæ recordaris te feciſſe. Non enim sufficit si in confuso doleas de omnibus, & in generali, quia es pecca

5.

cor.

tot magnus, & quia offendisti multum, sicut dolent sancti: sed quod doleas de homicidio, de adulterio, de fornicatione, de furto, si commisisti in speciali: ad quod non opus est habere multos dolores, sed sufficit vnus intensus de omnibus in particulari consideratis.

Has conditiones debet habere dolor, vt sit perfecta contritio: quas si habueris procul dubio remittetur peccatum. Habemus de hoc validissima & fortissima testimonia. Psal. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Isaias. *Si conuersus fueris & ingemueris, saluus eris.* Ezechiel. *In qua hora ingemuerit peccator, omnium peccatorum eius non recordabor.* Et ne hoc alicui posset venire in dubium, Deus firmissimo verbo suo, de quo ait, *cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*, apposuit iusiurandum dicens. *Viuo ego, dicit dominus, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.* Idest, *viuo ego*, quod si conuersus fuerit & ingemuerit, *viuet, & non morietur.* Quis locus hæsitandi relictus est vbi Deus hoc testificat, & iurat? Vnde & exemplis hoc iterum confirmat: nam quis obsecro à principio mundi vsque hodie conuersus est, & pœnituit, & non illi pepercit Deus? Attende & scrutare scripturas, & neque vnum dabis exemplum. Achab, Dauid. Niniuitæ, Magdalena, Petrus, Paulus, Manasses pœnituerunt, & venia secuta est. Saul autem, & Esau, & Anthiochus, non verè pœnituerunt, & ideo non inuenerunt veniam. Sicut Apostolus ait de Esau, *non inuenit locum pœnitentiæ, quamuis cum lachrymis quæsisset illam*: scilicet quia odium fratris retinebat in pectore, & mortem meditabatur. Voluit Deus hanc veritatem sic esse firmam, & confirmatam, & stabilem, ne peccatores incerti & dubij diffiderent, & retrahentur à pœnitentia, & perirent. Quanta misericordia, quanta benignitas, quanta fiducia: in manu rei venia posita est. Si pœnituerit, si conuersus fuerit ad Deum quem offendit, sine dubio parcetur ei, & redibit in gratiam. Iurauit hoc Deus, vt securus sis: ne trepides, ne diffidas, ò peccator: hæc est lex posita à Deo cum filijs hominum, lex certa & infallibilis: *hæc me consolata est in humilitate mea*: alias si dubia esset conuersio, & pœnitenti venia, quis non diffideret præ multitudine & grauitate peccatorum? Vide homo si est aliquis rex tam pius & tam misericors, qui hoc faciat, & offensus solam pœnitentiam postulet, & suas offensas in manu rei ponat. Est ergo contritio remedium peccatorum omnino necessarium, proprium, naturale, & vniuersale. Iustificationes enim exteriores, & sanctificationes, & sacramenta, in diuersis temporibus & legibus variantur; alia enim sunt sacramenta nouæ legis, & alia veteris, & alia legis naturæ: sed contritio omni tempore, & in omni legi naturæ, scripturæ, & gratiæ, tanquam naturale & proprium peccati remedium, immobilis & immutabilis perseuerat: vnde & omnia alia sine hac non sufficiunt. Etiam si dederis omnes tuas facultates pauperibus, & carnes tuas flagellis lacerauerit, & tota vita in pane & aqua ieiunes, si peccatum placet, aut non displicet, nihil prodest ad veniam. Vnde ab initio peccatum sine dolore remissum non est. Hic autem dolor in homine post baptismum lapso, ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia diuinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua coniunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum pœnitentiæ sacramentum requiruntur. Et tantus potest esse dolor, vt etiam omnem pœnam purgatorij tollat. O magnam & potentissimam medicinam, & quæ ad manum sit, neque opus sit eam exterius perquirere, sed in pectoris officina redundet, si eam quæramus ibi? Et ratio huius est, quia peccatū in ratione superiore est, & in consensu voluntatis consistit: nam non consentiente voluntate, non potest esse peccatum; oportet ergo, vt ibi quæratur peccati satisfactio, vbi fuit culpa. Voluntas est quæ peccauit, ipsa satisfaciat. Quid prodest pœnitentia carnis si non pœnitet quæ peccauit? In quo autem alio potest ita volūtas satis facere Deo, nisi vt doleat de illo in quo malè delectata est, & denè detestetur quod malè complacuit.

Psal. 50. Isai. 30. Ezec. 18. Mat. 24. Ezec 33. 3. Reg. 21. 2. Reg. 4. Exempla. Ioan. 3. Luc. 7 Mat. 26. Heb. 12. Act. 9. 2. Par. 33. Psal. 118.

Contritio omni tempore necessaria fuit.

Carnis maceratio sine dolore volūtatis non delet peccatum.

Quod aliud magis consonum sacrificium ex natura rei potest peccator Deo offerre, quam cor contritum & humiliatum? Hæc ergo vera, & propria, & legitima satisfactio, & medela peccati est. Non habet peccator ad manum aliud remedium certius, quam sicut puer accurrere ad lamẽtum & lachrymas. Nam
Iob. 9. si voluerit cum Deo contendere de iustitia, exiet condemnatus: *non poterit respondere vnum pro mille: quia non iustificabitur coram eo omnis viuens.* Si fugere voluerit ab eo: *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?* ait Psalmista. Si resistere tentauerit: *voluntati eius quis resistet?*
Psa. 138. *Rom. 9.* Nã si fortitudo quæritur, robustissimus est. Si decipere, aut occultare peccata voluerit, *omnia nuda & aperta sunt oculis eius.*
Heb. 4. Nihil itaque restat peccatori, nisi contristari, dolere, & plorare coram eo. Est enim tanta Dei nostri pietas, quod non sustinet videre nos tristes & afflictos, statim placatur, statim miseretur, & commouentur viscera eius, super paruulos suos gementes, & afflictos. Vnde Propheta hoc consulit animæ peccatrici, dicens. *Filia populi mei accingere cilicio,*
Hie. 6. *conspergere cinere, luctum vnigeniti fiat tibi planctum amarum.* Ideſt, sic dole, sic luge, sicut mulier vnigenitum plorat defunctum. Videas illam afflictam, dolore & amaritudine plenam, lachrymis perfusam, singultus, & eiulatus, & rugitus ex suo pectore emittentem, vestitam sacco, solam iacentem, nullam recipere consolationem, nullum solatium admittentem, nolle comedere, neque bibere, neque videre quenquam, non posse dormire, diebus ac noctibus imaginem defuncti animo reuoluentem, in hoc solo absorptã & occupatam, nihil aliud volentem neque curantem. O homo, si sic plorares animam tuam, si sic plangeres animæ tuæ mortem; neque enim minus cara est tibi anima tua, quam matri vnigenitus. *Quanto ergo magis lamẽtari deberes animã mortuam, quam potes lachrymis suscitare, quã illa filium quem lugendo nõ potest reuocare ad vitã,* vt ait Aug. Si enim posset quid non faceret? quomodo eiularet? Vidi taliquando quidam Anachorita mulierem sic filium deplorantem, & cõuersus ad se ingemuit, dicens. O anima, nunquam egote mortuam sic deploraui. Sic sic sine cõsolatione plorandum esset peccatum, ex supradicto prophetæ consilio: sed væ nobis insensatis, qui mortua anima mille peccatis, nullum sentimus dolorem; sed opus est exprimere lachrymas, excitare dolorem, quærere afflictionem. Quanta hæc confusio, quanta hæc cæcitas & miseria. Si *Simile.* mortuo viro vxor pergeret ad vicinas dicens, non possum plangere, vbi quæram dolorem & lachrymas? Quid illæ responderent. O insensata, non multum diligebas; quem non deploras. Sic fratres post peccatum confusio est nostra indigere monitione ad lachrymas: si sciremus malum quod perpetrauimus, quid amisimus, quid incurrimus, non possemus à lachrymis temperare: potius fræno, quàm calcari egeremus. Sed tamen Deus cognouit figmẽtum nostrum, *Psa. 112.* quia sensuales sumus, & spiritualia incommoda, non sic vt temporalia sentimus, & ideo si non spontè dolemus, saltem ipsum dolorem perquiramus, vt Propheta ait. *Tribulationem & dolorem inueni.* Et iterum. *Circuiui & immolaui in* *Psal. 114.* *tabernaculo eius hostiam vociferationis,* id- *Psal. 26.* est clamoris & lamenti. Sed quomodo circuibimus? Vtique consideratione & intellectu, more auium, quę circumeundo volatu se in alta rapiunt: sic circumeundo consideratione, iacentem & grauem affectum excitemus, & eleuemus intelligentiæ plumis. Sed quomodo fiet istud practicè, audite. Reclusus in oratorio solus, considera Dei bonitatem, clemẽtiam & amorem erga te, & multiplicẽ eius beneficentiã, & dona quæ tibi dedit, quomodo te sustinuit, & expectauit in multa patiẽtia, quomodo ꝓ offensis multa bona dedit, offens⁹ rogat vt redeas ad illũ. & considera tuam duritiã, pertinaciam, ingratitudinẽ, & prauitatem, quàm male respondisti tã bono patri, quomo- *Rom. 9.* do contẽnis monentem, despicis vocantem, & sine timore & verecundia pro nihilo habes illũ offẽdere, & mille iniurias facere. Qua audacia, quo vilipendio formica.

mica de terra erigis caput contra tantã
Iob. 9. maiestatem, & rebellas contra eum, quẽ trepidant cœlestes principatus, sub quo curuantur qui portant orbem? & legem eius, quam Angeli, & cœli, & omnes creaturæ custodiunt, solus cum diabolo præterire & præuaricari audes stultus & cæcus? & relicto parente conditore, qui te proprio sanguine redemit, cum diabolo inimico suo & tuo conspiras, & solus rebellas contra illum, qui tanta pro te sustinuit, & tãtam gloriam tibi parauit? Hæc (inquam) & similia profunde considera attente & morosè, & si lapis non es, mouebitur certè cor tuum, & molescet in lachrymas, tanta Dei bonitate, & tãta ingratitudine & malitia tua considerata, & in meditatione tua exardescet
Psal. 38. igais amoris, & doloris calore succenderis. Quod si hæc via non vales duritiem cordis deuincere, saltem iuxta consiliũ Prophetæ, conuertere ad infernum, qui obliuiscceris Deum: & cogita damna quæ
Psal. 54. peccando incurristi innumera: quot virtutes, quot dona, quantã gratiam perdidisti: quomodo vitam tuã malè consũpsisti: quam alius esses, si domino adhæsisses, & mandata eius seruasses, sicut ipse
Isai. 48. per prophetam ait. *Vtinam custodisses mãdata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris.* Cogita etiam pœnas illas æternas, & æterna supplicia quæ incurristi: gloriam quam amisisti: seruitutem diaboli duram, quam sustines: cæcitatem quam pateris: vilitatem tuam & eiectionem, qua confunderis: quàm vilis & abominabilis factus es, & quantum decorem innocentiæ perdidisti: quomodo vitijs ligatus es, & irretitus, tua nobilitate & libertate captiuata sub iugo peccati. Cogita (inquã) quid pro quo commutasti: ò stulte, Dei amicitiam & gratiam, omnia dona eius, & gloriam illam sempiternam, & diuitias perpetuas, Angelorum societatem, iustitiæ & innocentiæ decorem, pro vilissima & momentanea voluptate, & pro modico temporali lucro contempsisti & commutasti, & te perpetuis ignibus & ardoribus, & dæmonum seruituti obligasti. Quanta dementia, quanta stultitia, quanta miseria. Sicut si regina decora & ornata, relicto rege marito suo, & gloria regni contempta, cum vili mãcipio Æthiopiæ pro vili precio recedat, *Simile.* & omnem ignominiam sustineat: Hæc cogita, vt quem Dei amor non excitat, saltem incommodum moueat ad luctũ: quòd si neque sic emollescit cor tuum, saltem ipsam tuam duritiam & insensibilitatem deplora, quòd quasi phreneticus in tanto periculo mortis, & in tanta miseria constitutus nihil sentias, sed rideas & gaudeas, futurus post modicum torris inferni perpetuus, & cibus ignis. Et conuersus ad dominum, ora vt amoueat à te cor lapideum, & præstet cor car- *Ezech. 11.* neum: & aperiat tibi fontem lachrymarum, *venã aquæ viuæ salientis in vitam æternam*: neque ab hac oratione desistas, do- *Ioan. 4.* nec obtineas: nam certè si perstitis, obtinebis. Noui ego fœminam, quæ de hac siccitate dolebat, quòd nullas haberet lachrymas, quæ monita vt peteret à Domino cum fiducia, & perseuerantia, tantam obtinuit abundantiam lachrymarum, vt necesse fuerit postea eas reprimere, & ab oratorio recedere, ne euanescerent caput, & oculi caligarent. Credite mihi, nostra culpa est quod tepescimus: quia non oramus, non postulamus, non quærimus, non procuramus. O fœlices lachrymæ quibus peccatorum maculæ abluuntur, & ignis ille sempiternus extinguitur O fœlices gemitus, quibus vlulatus illos sempiternos euadimus. Fœlices dolores quibus tormenta mortis æternæ declinamus. Fœlix contritio & tristitia, quæ hic peccatum delet; veniam obtinet, Deo reconciliat, hominem à seruitute diaboli liberat, & lætitiam illam inenarrabilẽ, & gloriam impetrat sempiternam,

ad quam nos perducat Iesus Christus Amen. Deo gratias.

FERIA SEXTA POST DOMINICAM in Passione.

THEMA.

Collegerunt pontifices & pharisæi concilium. Ex Ioan. 11.

IN Euangelio narratur causa mortis domini: audito nanque magno illo miraculo suscitationis Lazari à præsentibus, vt dicitur in Euangelio, quidam abierunt ad phatisæos, & nuntiauerunt illud. Die sequenti congregati sunt in concilio cum pontificibus, & principibus populi, sicut scriptum est. *Principes conuenerunt in vnum, aduersus dominum & aduersus Christum eius.* Et dicebant. *Quid facimus? quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eũ sic, oẽs credent in eũ, & facient eũ regẽ:* quo audito, *venient Romani, & tollẽt locum nostrũ, & gẽtem.* O iniqui, ò peruersi, nõ mouetvos zelus populi, non gẽtis liberatio? Quæ enim apparentia fuit regni in homine paupere, & humili, alienis eleemosynis sustẽtato? Quam ambitionem, aut dominandi libidinem vidistis in homine humili, & contemptore diuitiarum, & pomparum? Quòd si inuitus à populo constitueretur rex, nũquid non sufficeret liberare populum à Romanis, qui poterat homines suscitare à mortuis? Quis vnquam saluator populi tam potens fuit, vt talia opera faceret? Quanta vobis esset fœlicitas in tali rege? quanta securitas in tali saluatore? Nõ ergo erat vlla ratio aut causa timendi, sed colorem suæ malitiæ, & inuidiæ præstabant *illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor* Sederunt itaque, & singuli sẽtentiam dicebãt, alius sic, alius sic. Vnus dicebat comprehendatur secretè, & mittatur procul in custodiam vbi amplius non appareat, alius ligetur, & mittatur ad Cæsarem, vel tradatur Pontio Pilato: alius occidatur secretè ab aliquo: alius inuitetur, & poretur veneno: alius publicè rapiatur, & occidatur, *sed non in die festo, ne fiat tumultus in populo.* Nulla erat ibi qui responderet pro innocente & diceret. *Quid enim mali fecit?* Nullum aliud crimen reperitis, nisi quòd signa multa facit, quod sanat ægrotos, quòd illuminat cæcos, quòd suscitat mortuos? Propter hæc adorare debuistis, & pro his occiditis? His beneficijs talem præstatis remunerationem? O audaciam, ò cæcitatem stolidorum consiliariorum? Illũ tẽtatis occidere, qui mortuis vitam præstat? qui tantam à Deo accepit potestatem, & non consulitis an poteritis? Talẽ vobis facitis inimicum, & non timetis, ne fortè ille occidat vos? Facilius enim multo est viuos occidere, quam mortuos suscitare. Quanto consultius ista omnia tractassent, si cæci non fuissẽt. Psal. de his: *Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labijs eorum.* Non faciebant concilium vt veritatem inquirerent, sed vt malitiam confirmarent: & sic excitati passione, hæc omnia non attendebant. Tunc Caiphas pontifex anni illius, auditis singulorum suffragijs, absoluit negotium, dicens. *Vos nescitis quicquam, neque cogitatis quia expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat:* quid aliam causã inquiritis? Sufficit ad hoc salus populi. O prophane, quantam veritatem dixisti? Verè expedit vt moriatur Christus pro mundo, *ne tota gens pereat.* Ira est. Hoc à semetipso non dixit, *sed prophetauit.* Spiritus sancto mouente linguam suam, *quia põtifex erat,* sed non tangente cor illius. Prophetauit, sed non fuit propheta: quia non intellexit quod dixit, sed in sensu in quo ille locutus est, falsum protulit. Non enim debet occidi innocens, etiamsi inde speretur quæcunque commoditas: quia sanguis effusus clamat contra populum: neque occisio innocẽtis potest esse populo vtilis, sed nociua. Alia via quærendum est remedium: nam occidere innocentem, non est quærere, sed destruere bonum publicum.

Ab illo ergo die decretum & determinatum est, vt Christus dominus occideretur. Iesus ergo iam non publicè ambulabat in populo vt prius, sed abijt in regionem separatam, iuxta desertum in ci-

Psalm. 2. *Christi humilitas & modestia aliena ab omni ambitione.* *Psal. 13.* *Marc. 14. Matt. 27.* *Psal. 139.* *Caiphas prophetauit ignaras mysterij mortẽ Christi necessariã.* *Gene. 4.*

ciuitatem Ephrem, & ibi latuit, vsque ad sabbathum sequens: nam sabbatho præterito factum est concilium, & post octo dies venit Bethaniam, & die sequenti ingressus est Hierusalem, cum ramis, & gaudio populi. Vnde patet, quod hoc cõcilium non fuit factum hodie, sed sabbatho præterito. Pharisæi autem & pontifices non inuenientes eum, dederunt mandatum, & voce præconis iusserunt sub anathemate & ejectione à synagoga, *vt si quis nouerit vbi sit, indicet*, vt comprehendatur. Et vt existimo, quæsitus est in domo Mariæ, & Marthæ, & per totam ciuitatem: & hic fuit primus gustus passionis eius in virgine. Hæc de Euangelio.

Christus voce præconis quæritur ad necem.

Hoc concilium mirabiliter fuit expressum in libro Sapientiæ, vbi dicitur, *Dixerunt impij cogitantes apud se non recte: circumueniamus iustum, quia inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris.* Etsi iustus, tamen nobis valde aduersatur, perdit ac destruit nos: acceptionem populi quam habebamus abstulit. Iam populus nõ honorat, non sequitur nos, pro nihilo despicit nos, & eleemosynæ perierunt. Ex quo hic homo prædicare cœpit, honor redditusque cessauit nobis valde pernicios⁹ est, *& contrarius est operibus nostris*: in omnibus aduersatur & reprehendit opera nostra: *improperat nobis peccata legis*, quo d non intelligimus legem, sed præuaricamur, & dissipamus eam: quod dimittamus legem Dei propter traditiones nostras, *& diffamat in nos peccata disciplina nostra*, infamat doctrinã nostram, dicens, quòd doceamus solas cæremonias, vanè omittentes potiora: mundantes quod foris est paropsidis, & nõ quod intus est cordis: *quod excolamus pulicem, & deglutiamus camelum.* Personas nostras & doctrinam infamat: neq; sola exteriora reprehendit opera, *sed factus est nobis in traducem cogitationum nostrarum.* Etiam cogitationes nostras nouit, & publicat: nescimus quomodo: vt neque cogitare quæ volumus liceat, & desiderare non sit liberum coram eo. Nã illico dicit, *vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Nihil potest esse occultũ huic homini: tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, *& abstinet se à vijs nostris, tanquam ab immunditijs.* Vocat nos semper hypocritas, fictos, mendaces, cæcos, & duces cæcorum: & detestatur vitam nostram vt prophanam & pessimam, monendo populum vt non sequatur nos: quod imponamus onera grauia & importabilia, & digit o non tangamus, nõ agẽtes quod docemus: propter quod grauis est nobis etiam ad videndum, & odio est nobis maximo. Non possumus eum oculis aspicere præ rancore, *quoniã dissimilis est alijs vita illius.* Habet vitam extraneam, & plusquam humanam: non ridet, non lætatur, non otiatur, nõ quærit quæ mundi sunt, longe est ab omni humana consuetudine vita illius: nullus mortalium sic viuere possit: *& filiũ Dei se nominat, & gloriatur patrem se habere Deum.* Et certè negare nõ possumus, quòd opera faciat stupenda, & prodigia terribilia. *Sed videamus si sermones illius veri sunt, tentemus quæ ventura sunt illi*, tentemus vadum, perscrutemur hanc veritatem. *Contumelia & tormento interrogemus eum, & morte turpissima condemnemus eum*: si enim verus filius Dei est, suscipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum, neque permitteret filium suum sic torqueri & occidi: quòd si non liberatus fuerit, proculdubio fallit, & filius Dei non est, sed seductor populi. Hoc ergo inquiramus, hoc sciamus. *Hæc* (inquit) *cogitauerunt, & errauerunt: excæcauit enim illos malitia ipsorum, & inuidia ipsorum.* Quàm apertè, quàm exactè, quam propriè huius concilii malignitas expressa est à spiritu sancto in illo libro? Quis illorum consiliorum astantium concilio, rem sic exprimere potuisset? Ex hac authoritate patet, istos non solum timuisse plebem, ne illum defenderet: sed etiam timuisse, ne forte ipse eriperetur miraculo, & ideo quasi tentando negotium inchoasse. Nam licet oderant illum, & eius mortem optarent, tunc non poterant ignorare potentiam miraculorum eius, & quamuis pessimi nõ tamen erant rudes. Vnde forsitan timebant, ne faceret ignẽ

Sap. 2.

Mat. 23.

Sap. 2.

Sap. 1.

Mat. 15.

Matt. 23.

Mat. 9.

de cœ-

de cœlo descendere, vt Elias supra quinquagenarios: vel ne cæcaret comprehẽ-
4.Reg.1. sores vt Elisæus; vel alio modo occideret eos, vel de manibus eorum euaderet. Et
4.Reg.6. ideo quasi negotium arduum & difficile aggressi sunt, rei exitum pertimescentes. Vnde Augustinus super Psalmos. *His omnibus, curationibus eius ingrati, tanquam multa febre phrenetici, insanientes in medicum qui venerat curare eos, excogitauerunt consilium perdendi eum, tanquam volentes probare, vtrum verè homo sit qui mori possit, an aliquid super homines, & mori se non permittat* Propterea dominus, vt probaret ita esse vt cogitauerat, quòd liberare se posset, antequam comprehenderetur, vno verbo eos prostrauit
Ioan.18. in terram, quasi mortuos. Et nisi adhoc missus esset, vt paterentur quotquot venissent prostrasset: & ipsos principes & pharisæos si veniissent, similiter prostrasset; vt experirẽtur quàm meritò timuissent, & quàm facilè posset se liberare de manibus eorum. O nimiam cæcitatem, ò stupendam phreneſim, quomodo ausi sunt comprehendere illum, qui solo tactu autem restituit? nisi mens læua fuisset, surgentes etiam timore correpti fugere debuissent. Et pontifices non cessauerunt à prosecutione negotij, cum famuli eorum hoc eis narrauerunt. Vnde postmodum cum vidissent dominum in cruce positum, pallentem & morientem, quasi ouantes & gloriantes, quòd res prospere successisset, insultabant domino dicentes. *Alios saluos fecit, & seipsum*
Mat.27. *non potest saluum facere. Si rex Israel, descendat nunc de cruce, & credemus ei. Speauit in domino, eripiat eum si vult.* Num vsque tũc semper timebant, sed quàm modicum durauit illa insultatio, & illa gloriatio eorum? Adhuc ista dicebant, & ecce
Mat. 27. sol obscuratur, terra contremit, petra sub cruce scinditur, velum templi rumpitur, elementa turbantur, adeò vt Centurio visis his quæ fiebant, conterritus
Luc.23. acclamaret. *Verè filius Dei erat iste:* & populi sua pectora percutientes, ad ciuitatem reuerterentur timentes, & trementes pro peccato commisso. Sed tunc tũc magis confusi, quoniam venerũt custodes, & eum surrexisse à mortuis nuntiauerunt. Et necesse fuit pecunia corrum- Mat. 28.
pere eos, ne hoc populo proderẽt. Quomodo tunc confusi sunt, quomodo timuerunt, & palluerunt? Quanto aliud fuit illud concilium ab isto? Sed postea quoque veritate aperta, quando populus conuertebatur, & apostoli faciebant signa magna, & nomen illud quod
Act.2. ipsi extinguere voluerunt, non solum in Iudæa, sed in toto orbe adorari & coli cepit, ipsis videntibus & scientibus, quomodo fremebant, & intra se contabescebant? Vnde dominus per prophetam. *Ne lateris* (inquit) *inimica mea* (synagoga scilicet) *super me, quia cecidi: consurgam cũ*
Mich.7. *sedero in tenebris*, mortis scilicet & sepulchri; *dominus lux mea est.* Et in Psalmis.
Ps.40. *Tu autem domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis.* O duritiam, ò pertinaciam, quomodo non conuersi sunt his omnibus visis atque compertis? Quam benè Iacob patriarcha istorum malitiã, & pertinaciam, & concilium hoc pessimorum expressit in figura? nam cũ morti appropinquaret, videns in spiritu hæc
Gen 49. omnia, ait: *Simeon & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorũ nõ sit gloria mea: qua in furore suo occiderunt virum. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum quia dura* Nam ex tribu Simeon fuerunt Pharisæi, & ex tribu Leui sacerdotes, qui hodie congregati sunt in concilium contra Christum. Quorum concilium patriarcha in spiritu detestatur, & pertinaciam incredulitatis. Quoniam visis tot mirabilibus non sunt conuersi De quibus Iob *Per diem incurrent te-*
Iob 5. *nebras, & quasi in nocte, sic palpabunt in meridie.* Sed fefellit eos malitia, *& mentita*
Psal.26. *est iniquitas sibi* Hanc fregerunt lampadẽ sacram, & effusum est oleum super omnem terram. Sicut scriptum est. *Oleum effusum nomen tuum.* Ruperunt sac- Cant.1.
cum mortalitatis nostræ, & intus aperuit aurum diuinitatis, & potentiæ diuinæ. Voluerunt extinguere lucernam mundi, *& posuerunt eam super candelabrum, vt luceret omnibus qui in orbe sunt.* Et dum Mat.5.
mortificare voluerunt granum illud frumenti

menti cœlestis, seminatum est, & emortuum creuit in amplissimam segetem populorum. Sicut ipse ait. *Nisi granum* Ioa.12. *frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Horum omnium causa fuit inuidia. Fugiamus fratres tam malum vitium. *Inuidia diaboli, mors introiuit in* Sap.2. *orbem terrarum*: inuidia Cain fratrem innocentem occidit: inuidia fratres Gen 7. enderunt Ioseph: inuidia Pharisæi occi- Ge 37. derunt Christum; & infinita alia mala Mat. 27. fecit inuidia. Deus nos liberet à tã malo & tam ignominioso vitio. Primo hoc peccatum diabolicum est, & purum malum: nam alia vitia & peccata aliquod bonum prætendunt, licet inordinatè. Nam ambitiosus quærit honores: auarus diuitias: lubricus voluptates: gulosus saporem; accidiosus quietem: & hæc omnia sunt, si non nimis, & præter diuinæ legis & rationis ordinem quærerentur, sed inuidia pura malitia est, nihil habens commodi, sed tormenti plena: nihil solatij, nihil voluptatis. Nihil habet bonum inuidia, nisi quod merito torquet habentem. Vnde maximè contrariatur caritati, ac propterea sicut caritas facit hominem filium Dei, sic è conuerso inuidia facit eum filium diaboli. Inuidia est vitium infame & vile, non cadit in animum generosum. Iob: Iob. 5. *paruulum occidit inuidia*: nam inuidendo se abiectum & defectuosum esse ostendit. Tertio est vitium periculosum, nam vnus inuidus sufficit euertere vnum populum; non enim cauetur, quia non sentitur. Quis enim caueat ab amico, cur plurima fecit beneficia, & in nullo eum læsit? In hoc solo læsum se putat, quia benè tibi est. Inuidus nemini parcit: sic detrahit amico, sicut inimico. Vnde benè comparatur basilisco, qui solo visu occidit. Habet enim visum fascinantem, & occultum venenosum. Si te viderit lætum, & prosperum, statim detractionis virus ostendit, etiam si eum genueris, Neque scies effugere: nam si quis iratus est, aut placas, aut declinas: si offensus reconciliari procuras: si damnificatus vel læsus, satisfacis: si lubricus, prouides vt. ori: si latro, rem tuã custodis: sed inuido quid facies, vt non noceat? Nisi miserum te viderit, nocere non cessabit: sola enim miseria, & paupertas cauet inuidiam. Vnde inuidus in inferno optimè locaretur, ibi quiesceret; quia non haberet cui inuideret. Caueamus fratres, ne simile nobis cõtingat; nã dicebat illis dominus: Mat. 23. *væ vobis hypocritæ pharisæi, qui dicitis si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine prophetarum, & vos implete mensuram patrũ vestrorum*, maiora quippe scelera facturi estis. Nam illi occiderunt prophetas, & vos occidetis dominum prophetarum, & apostolos eius. Nam *ecce ego mitto ad vos prophetas, & apostolos, & ex eis occidetis & flagellabitis in synagogis vestris*. Simile nunc cõtingit multis, qui detestantur facinus pharisæorum conspirantium contra Iesum, & ipsi etiã contra ipsum conspirant, & intra seipsos ipsum crucifigunt. Religiosus enim qui Heb.6. relicto suo monasterio & professione redit ad mundum, conspirat contra Iesum: prælatus qui suscepto officio oues tõdet, & non visitat, conspirat contra Iesum. iudex qui odio prosequitur innocentes, conspirat contra Iesum: aduocatus qui defendit causam iniustam, & molestat proximum, conspirat cõtra Iesum: dominus temporalis qui pauperes spoliat, & opprimit populos subditos, conspirat contra Iesum. *Totus mundus hodie* (vt ait Bernar.) *conspirauit contra te ò bone Iesu, & qui sunt de domo & de familia tua*. Non mirandum hoc de pharisæis cum Christiani & domestici tui hoc faciunt. Quisquis aduersatur & impedit aliquod bonũ, maximè publicum, quod pertinet ad salutem, antichristus est, & conspirator. Vnde Ioannes. *Audistis quia antichristus* 1. Io.2. *venit*? Nunc antichristi multi facti sunt, magna est hodie factio contrariorũ Iesu, qui statim se opponunt omni bono, & contradicunt. Ecce quantum bonũ hac quadragesima inceptum est in destructione vsurarum, in quibus tot animæ periebant: nunc vt audio multos habet cõtradictores & oppugnatores. Sciat quisquis est, quod est vnus de numero istorũ pharisæorum, & consors istius cõcilij. Audet

Inuidia vitium quam abominandũ.

Basilisco cõparatur.

aliquis aduersus Deũ iuire cõsilium? aggredi negotium? formica de terra luctari cum Deo? *Scio* (inquit) *quod est malum & peccatum, & Deo displicet, & Deum habebo contradictorem & contrarium: sed tamen faciam quòd potero.* Et quid poteris miser contra Deum? *Per annum sicut aranea ordieris telam, & vno flatu dissipabitur à Deo.* Quem negotij finem speras contradicẽdo Deo? Quis restitit ei, & pacem habuit? O audaciam, ò stultitiam, quid tibi accidet nisi quòd istis qui occiderunt Christum, ne venirent Romani, & perderent ciuitatem, & quia occiderunt, ideo venerunt, & destruxerunt plebem. Iob, *qui apprehendit sapientes in astutia sua, & consilia prauorum dissipat.* Parum est Deo dissipare prauorum cõsilia, sed ipsos in suis consilijs capit, vt tendant rete & cadant; in eo parent laqueos, & incidant in eos: faciant foueam & incidant in eam: & illa via qua prætendunt Deo aduersari, impleant Dei voluntatem: & qua putant fugere, illa via incidant, & pereant: vt isti occiderunt Christum ne perirent, & quia occiderunt, ideo perierunt. Caueamus igitur de cætero aduersari Christo: sed in omni negotio nostro primo considerem⁹ an Deo placeat, an Deum fautorem habebimus, si secundum Deum est negotium, alias non aggrediamur. Secundo istud non nostris viribus solis efficere cogitemus, sed domino committamus, orationibus, & sacrificijs cõmendantes, vt si rectum est, & ei placitum, fiat. Vt ait Psalm. *Iacta curam tuam in domino, & ipse faciet.* Tertio, vt quicquid postea acciderit, beneuole acceptemus, credentes quòd ita expedit nobis. Hoc autem maximè conuenit principibus, in bello, & negotijs arduis, omnia agere cum summo consilio. Non confidere in consilio hominum, sed in Dei adiutorio, semper commendantes Deo omnia, & ad ipsum in omnibus accurrentes, & eius auxilium postulantes. Vnde oportet principem esse deuotissimum, & timentem quanto plus indiget Deo quam cæteri, propter ardua negotia & frequentia. Sicut faciebat Dauid, qui in omnibus consulebat dominum: similiter & Moyses. Vnde Iosue, quia non consuluit dominum super facto Gabaonitarũ, deceptus est. Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ. Vnde Iob, *qui adducit consiliarios in stultum finem, &c.* Placeat Deo, vt regalis altitudo vestra sic semper Deo coniuncta, & deuota existat, vt per eius bonam gubernationem, hic pacem & tranquillitatem habeamus, & postea cœlestem gloriam consequamur. Amen.

Isa. 59.

Iob. 5.

1. Cor. 3.

Psal. 56.

Psal. 54.

Ioſu. 9

Sap. 9. Iob. 12.

Deo gratias.

IN DIE SANCTO Resurrectionis.

THEMA.

Præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis. Marci 16.

DOminicæ Resurrectionis hodie sacra dies lætior cunctis refulsit fratres: gaudeamus, *hæc enim est dies quam fecit dominus.* Bonorum dierum mater, vitæ immortalis exordium, totius gloriæ nostræ principium. In huius ergo tam venerandæ solennitatis die, & Christo congratulemur, & nobis. Christo (inquam) post crucis trophęum de hostibus spolia reportanti, cui ob diti agonẽ certaminis, & inuiolati obsequij humilitatẽ supernus arbiter Deus post immortalitatis gloriam, cunctorum vniuersale dominum tribuit, sicut ipse non inaniter gloriatur, dicens. *Data est mihi potestas in cœlo, & in terra.* Quam gloriosus, quàm decorus, hodie victor resurgis ab inferis? Quam nouum, quàm mirandum in suæ carne præbuit cœlicolis spectaculum? Noua quædam creatura sæculis demonstratur in carne, qualis ab initio non fuerat spectata in orbe. Nobis autem propterea congratulandum est, quia futuræ nostræ resurrectionis speciem iam videmus, & speratæ specimen gloriæ in Christo cõspicimus. Nostra est fratres gloria quam recolimus, nostrũ est decus quod veneramur, inchoata est in Christo resurrectio nostra, suo tempore in nobis quoque perficienda. Radix nostra iam

Psal. 117.

Mat. 28.

Apo. 22.

viuit,

viuit, non dubium quin quandoque
Ioa.15. viuificabuntur & rami. Glorioſa iam
vitis comparuit, pro certo glorificabuntur & palmites. *Ego* (inquit) *sũ vitis, & vos palmites.* An non ſpectat ad palmites, an
Rom.3. non pertinet ad ramos glorificatio vitis? & vita radicis? *Multum vtique per omnem modum*: quia qualis radix, tales & rami: & quod radici donatum eſt, ramis omnibus præſtitum eſt in radice. In vita namq;
1.Cor.15. radicis, certa eſt ſpes vitæ ramuſculis. Surrexit Chriſtus radix noſtra, procul dubio ſurgemus & nos. Non conturbet nos fratres reſurrectionis promiſſæ dilatio, poſtquam illius iam in trũco noſtro pignus accepimus. Caput viuit, vita deferetur ad mẽbra. In te domine Ieſu omnes
Act.17. iam viuimus, in te conſurreximus, in te iam ad dexteram patris omnes conſedimus: ſicut Apoſtolus memorat, dicens:
Eph 2. *Qui conreſuſcitauit nos, & conſedere fecit in cœleſtibus.* In Chriſto collatum eſt iam
1.Cor.15. in virtute, quod aliquando conferetur & opere. Nouus hodie Adam formatus apIſa 9. paruit, non in animam viuentem, ſed in ſpiritum viuificantem, futuri ſæculi deſtinatus pater & origo: à quo noua quædam oriunda progenies, non terrena, &
1 Cor.15. ſordida, ſed cœleſtis & lucida: vt qualis pater cœleſtis, tales ſint & filij cæleſtes.
Mat. 13. Denique *fulgebunt iuſti ſicut ſol* in regno patris eorum. Primogenitus mortuorum
Col.1. hodie Chriſtus ſurrexit ab inferis, glorioſuſque regenerationis futuræ tempus
Apo.1. expectat: hunc glorioſorũ quoq; filiorũ ſequetur innouata propago, vt ſit ipſe
Rom.8. primogenitus in multis fratribus, in multis dico, non in omnibus, nam etſi propter ipſum *omnes reſurgemus, non tamẽ*
1.Cor.15. *cum ipſo omnes immutabimur.* Immutabuntur autem, qui eius imaginem in vita potarunt: & configurabuntur corpori
Ibid. claritatis ſuæ, qui in hac mortali vita cõfigurari cruci humilitatis ſuæ non ſunt
Phil 3. dedignati. Omnibus ergo Chriſtus reſurrectionẽ promeruit, ſed non omnibus
Mat.20. immutationem glorificationis ſuæ præſtabit, ſed quibus paratum eſt à patre ſuo. Hæc feſtiuitas fratres, hoc gaudium noſtrũ, hæc noſtra iucunditas. Congratulemur domino noſtro, ad tantũ gloriæ faſtigium ſublimato: congaudeamus principi noſtro, toti hodie creaturæ prælato, & cœleſtibus principatibus præſidenti. Solent nanq; vernaculi, ſolet familia, exaltato domino gratulari, & de domini ſui nouo principatu vehementer lætari. Si ergo de familia Chriſti ſumus, ſi ad eius domum pertinemus, perfuſa genis lætitia monſtrabit: iubilus laudis & exultationis oſtendet. Naſcenti de virgine domino plauſerunt angeli, naſcẽti de terra domino plaudant populi. De virginis nanq; vtero mortalis exortus eſt dominus, de terræ gremio hodie naſcitur immortalis: virgo partus dolorẽ non ſenſit, terra hodie tantum fœtum paritura contremuit. O nouum partum, ò nouã ſoboIem, ò nouã natiuitatem. *Vetera* (inquit) *tranſierunt. ecce facio omnia noua*: nouum Apo. 21. cœlum, nouam terram, nouam familiã: huius nouitatis exordiũ in Chriſto monſtratur ab inferis reſurgente. Innouatus eſt Chriſtus, innouabuntur ſuo tempore poſt ipſum & omnes. Huius autem ſacræ reſurrectionis ſeriem, narrare vobis ex euangelica hiſtoria mens eſt, attenti eſtes vos cupio propter hoc, quia nõ facile eſt vnam ex omnibus euangelijs elicere formam, quæ omnibus congruat, & nulli in aliquo cõtradicat. Sed vnde ſumemus exordium, vnde tuam incipiam Chriſte gloriam enarrare? Si iuſtus Deus, rerum omnium moderator & rector, vnius quantumuis exigui laboris officijque munus nõ dimittit inglorium, & potum Mar.10. aquæ frigidæ pro ſe pauperi exhibitum ſine iuſto præmio non relinquit, quid tibi donatum eſt ò bone Ieſu, tam fortiſſimo ac potentiſſimo prælatori, tam humillimo & obſequentiſſimo ſeruitori? qui propter gloriam & obedientiam patris, & mundi totius ſalutem, tale certamen aggreſſus es, talia non recuſaſti ſubire ſupplicia, extremamque mortem non formidaſti. Verè *dignus eſt agnus qui occiſus eſt* (vt in Apoca- Apoc.5. lypſi cœleſtium militum turma proclamat) *accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem, & dominationem ſuper omnem creatu-*

ram, & subtus terram, & mare; & quæ in eo sunt. Vere dignus est *vt in nomine eius omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Vt quia cunctorum dominus, propter patris obedientiam, omnibus se subiecit, propter eandem iterum omnibus præferatur. Talem se hodie præstat magnificus noster triumphator, cum tartareas mansiones perlustrans, sua potestate vectes ferreos, portasq; confringens, tenebrarum larebras mirifica luminis sui claritate, perfundit. Quantus ibi tremor, quanta turbatio totam inuasit abyssum, insolitam potentiam expauescentem? Scripturam super hoc audiamus. *Tunc conturbati sunt principes Edon, robustos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Canaam, irruat super eos formido, & pauor in magnitudine brachii tui domine. Fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus domine, populus iste quem possedisti.* populus (inquam) sanctorum patrum quem *in sanguine testamenti eduxisti vinctum de carcere, & lacu in quo non erat aqua.* Eduxisti eos (inquã) velut pastor ouesquas deuorat abyssus, & in pascuis vberrimis collocasti. Quo autem eas tua præsentia gaudio perfuderis, quo replesti iubilo, quibusue te laudibus prosequuntur, quia lingua non explicat, degustet affectus. *Momordisti infernum domine,* iuxta prophetæ vaticinium, non totam deuorans reorum abyssum, sed velut morsũ quodam sanctorum euacuans limbum. Horum autem sanctorum præconia, vocesque, in mystica illa eductione populi de Ægypto cognoscito, cum per siccum mare personant acclamantes: *cantemus domino, gloriosè enim honorificatus est. Equum & accensorem proiecit in mare dominus, quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius. Currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare, electi principes eius submersi sunt in mari rubro, abyssi operuerunt eos, &cat. Dextera tua domine magnificata est in fortitudine, dextera tua domine percussit inimicum, & in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos, &cat.* Quanto potentius impleta sint hæc in hoc exitu quam in illo, exprimere nõ est opus. Sed neque modo vacat, Propheticæ huius singula verba notare. Eductis igitur de barathro, vt creditur, in Paradiso eos de qua eiecti fuerant collocauit: vt non solùm cælestem, sed & terrenam eis hereditatem restitueret. Sicut scriptũ est. *Tu es qui restitues hereditatem meam mihi:* quo loco vsq; ad ascensionis diem consedisse cum patribus suspicamur. Interea virgo cum apostolico cœtu, in sancto illo cœnaculo cõmoratur: illuc nanq; mœsta familia post domini sui obitum cõuenerat, matris solatium, & magisterium, loco filij susceptura. Veluti cum rapidus inuadit columbas accipiter, dispergitque per cãpos, aut turbidus imber inuisus socialia agmina rurbat, sereno postmodũ lucente cœlo agglomerentur singulæ passim, iunguntur que per sata, ita pusillum gregem passio turbauerat pastoris, disperserat q; per abrupta. O quantus pudor facies eorum perfuderat, quia talem tantum q; magistrum reliquerãt in agone? quanta eorum occuparat tristitia mentes? Glomerantur ad matrem, neque audent pudore in eam attollere vultus. Felicem dixerim hospitẽ illum, qui tantam promeruit hospitari familiam: fœlicem domum, in qua tot mysteria peracta sunt. Apostolicus ibi cœtus abluitur, ibi agnus paschalis cõmeditur, ibi dominici corporis & sanguinis mysterium instruitur, ibi noua mater ecclesia cõgregatur, ibi spiritus sanctus è cœlo demittitur: ex hoc quoq; cœnaculo veluti ex quodam horreo dispersa grana per orbem, multiplici illum discipulorum segete repleuerunt. Quid hoc loco diuinius? quid sanctius? vix illa tunc apud eos dominicæ resurrectionis spes: vix in eis vlla fidei scintilla remanserat: eorũ vndiq; corda mœror luctusq; repleuerat. Sola omniũ virgo mater plena fidei, plena spei, mysteriũ pectore voluebat suo: sola rem tacita considerabat. Neque tamen suam mœstis animis pandebat certissimam spem, quia solatij nullum in eis reliquerat tristitia locum. Quis tuam nunc virgo explicet mentem? sensusq; tuos quis valeat propalare? Quibus nunc pectus æstat fluctibus? quibus agitur nubib. anima? Post illum

Phil. 2.

Christi descensus ad inferos explicatur & sanctarũ animarũ liberatio

Isa. 45.

Exo. 15.

Zach. 9.

Exo. 34.

Osea. 13.

Exo. 15.

Psal. 15.

Act. 1.

Ioa. 13.

Mat. 16.

Act. 2.

Apost. & Discipuli tremũt & dissipãtur ante resurrectionẽ.

lum nanque acerrimum passionis dolorem, & vltimam omnium mœstitudinẽ, post transuerberantem viscera gladium, noui nunc insurgunt lætitiæ motus, veluti cum turbida nocte inspiratum oritur hemisphęrio lumen, facessit paulatim inualescente fiducia metus, mœstosque deserit tristitia sinus. Exclamat itaque cum propheta amore furens, longoque ab imo pectore rugitus emittit. *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara:* exurge ne moreris ô fili, tristemq; hanc solare familiam: *nõ glorietur super te qui oderunt te gratis*, retribue vicissitudinem inimicis tuis, & confusionem æmulis tuis. *Confundantur pudore qui te contẽpserunt, & mouerunt super te capita sua. Memor esto opprobriorum tuorum quæ ab insipiente sunt tota die* Memento quia nulla est substantia amicis tuis, nulla fiducia pusillis tuis. Hæc dicens, placido rigat liquore vultus, totaque liquescit intus amore: purpurata fulget ruboribus gena, flagrat cœlesti spiritus ignita candore. Audit è tumulo catulus æstuans leænæ rugitus, nec longum differt protelare soporem, properat resumere quos fœdarat cruore tẽpestas passionis artus, prostratum que tumulo leuare cadauer. Prędixerat hoc olim patriarcha Iacob, cum sub nomine Iudæ, Christum signaret eulogio. *Catulus* (inquit) *leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum?* Pulchrè filium matris clamoribus suscitandum denuncians, sicut solent mortui catuli leænæ rugitibus suscitari. Hæc igitur virgo virtutibus suis Deum cœlo deduxit: hæc eum iterum suis clamoribus ab inferis reuocauit: sicut scriptum est: *Quis ascendet in cœlum*, id est Christum deducere? *aut quis descendet in abyssum:* hoc est Christum à mortuis reuocare? Iã ergo tertia dies aderat, & serenior cæteris oriens rutilabat aurora, cum anima illa potenti vnita verbo, grauissimo comitata senatu sanctorum patrum, tumulum quo corpus iacebat ingreditur, circumstantibus foris angelorum agminibus, quos pater è cœlo pius miserat spectare miraculum, dignaq; triũpho concinere laudes. Hærebat saxo corpus lacerum, cruore perfusum, liuoribus vsquequaque turgidum, corpus sacrum, non humano opere, sed spiritus sancti virtute formatum: corpus mundissimũ, quod nulla vnquam peccati contagio fœdauerat, corpus cœlo dignũ, angelicis virtutibus prędferendum, cuius contactu curantur ægroti, cuius voce suscitantur mortui, cuius vestigijs subijcitur põtus, cuius nutui omnis obtemperat creatura. Subintrat animus viscera frigida, & tepentes artus rediuiuus calor immutat: clarior sole splendet pallida prius caro, rutilantque fulgoribus membra deifica, purpureis immixtæ candori vernant coloribus plagæ, fulgidoque cęlata corpore, veluti carbunculi vulnera rubent, surgit è tumulo rediuiuum corpus, clausoque procedit ex antro. Quantus tunc plausus omnium, quis cantus, quæ laus, quæue personat harmonia, dicere quis sufficiat? Stupent ad nouum spectaculum cœlorũ agmina passim, nec est quĩ possit tantum iubilum enarrare? Quid sentis ô virgo, cum sacras ad aures cœlicolarum peruenit cantus? quæ te tunc lætitia tenet, cum fides filium super astra fulgentem, cœlo terraque prælatum, illiusque potiris affatibus, amplexibusq; teneris? Crediderim ego (nec me opinio fallit) diuina te tum fruitione beatum, vidisse verbum, cunctosque lustrasse sanctorum angelorum cuneos, qui te miris efferunt super astra præconijs, prædicantque fęlicem. Interdum mulieres denotæ, quæ pendenti in cruce domino astiterant, parant vnguenta, vt tranfacto sabbatho dominicum corpus inungant, totaque nocte peruigiles morantem lucem expectant. Sed amor impatiens lõgas non sustinet moras, denique nocte prodeunt, oblitæ sexus conditionisque fœmineæ. Hæc autem earum maxima cura erat, quis videlicet lapidem eis ab ostio monumenti resolueret. Quasi non maior esset illius in milite, quam in lapide difficultas. O vim amoris quæ nulla reputat incommoda, modo suo potiatur desiderio. Quid de harum dicam sanctarum fœminarum amore? Sepul-

Luc 2. *Psal. 56.* *Psal. 68.* *Psal. 21.* *Psal. 88.* *Psal. 73.* *Psal. 68.* *Gen. 49.* *Rom. 10.* *Circumstãtie resurrectionis.* *Mat. 8.* *Mat. 9.* *Mar. 14.* *Mat. 8.* *Luc. 24.* *Mat. 27.*

chrum armatis custodiri non ignorabãt, signatumque mira diligẽtia lapidẽ, ne videlicet corpus ab aliquo auferretur in triduo, neque timent per media castra in sepulchrum irruere: signaturamque dirumpere, & corpus illis inuisum honorificè perungere. O fœminæ deuotæ, quo pergitis? Quis vos amoris furor exagitat? Non attenditis circunstantes armatos tumulo, quivos fuspicati latrones, rapient ad pœnas? & per mediã vrbẽ arreptas in senatum trahent? similemq; in vobis crudelitatem, qualem ipsum pati vidistis, explebunt? Putatis ne preces aut precio flectentur crudeles, vt optatũ vobis permittant tractare corpus? vnctionisque illi beneficium impendere? Ardent crucifixi odio, neque sine magno vestro detrimẽto poteritis explere quod vultis. Nihil horum æstuans amore animus formidabat, sed vngendi corpus absorptæ desiderio facilia cuncta putabant, omnia subire supplicia paratæ, modo daretur dulces tractare manus, vulneribus sacris imprimere oscula, dilectiq; corpus magistri non tam vnguẽtis, quam lachrymis irrigare. Prodeunt ergo domo, cum adhuc tenebræ essent, & *veniunt ad monumentum orto iam sole*: non quod segniter itẽt, quę quasi aquilæ volabant ad corpus, sed quia euntibus medio se itinere crux obtulit (cur ita non credamus) quę instante sabbatho adhuc erecta manebat, pristinosque illis renouauit dolores. Dumque illã sæpius amplexantur, repetitisque deosculãtur amplexibus, dominicam passionem multis gemitibus & eiulatibus prosequentes, hora abijt, lugẽteque ortus reperit sol. Neque tamen ab incæpto desistunt, sed propinquum adeunt tumulum, & fortè prostratos circum circa satellites seminices reperiunt, nimioq; stupore correptos: angelus siquidem domini, veste fulgenti, aspectu terribili, cuius erat vultus vt fulgur, sua eos visione tertuerat, semimortuosque prostrauerat: qui ne similia parerentur, & fœminæ blando eas sermone solatur. *Nolite* (inquit) *timere vos*, ò fœminæ sanctæ, quæ dominũ pietate requiritis. Timeant sacrilegi, qui stultè impieq; custodiunt. *Scio quia crucifixum quaritis, surrexit: venite & videte locum, vbi* communis *positus erat dominus*. Sed hoc citissimè apostolis nuntiate, dicentes, quia sicut eis olim prædixerat, sic impleuit. Accedunt ergò trepidè: locum sine corpore vident: & nimis exterritæ iussa nuntiare discedunt. Sopor armatos reliquit custodes, & quæ eos tenuerat mortis imago: surgunt attoniti, celeriq; fuga iter arripiunt. Intrant erectis crinibus ciuitatem, stupidi pauidoq; gestu, trementi affatu tremorem cordis ostendunt. Verba dimidiant, nequevalent anhelo, quæ viderunt, proferre sermone. Stupent pontifices, quibus prius nũciata res est, nimioq; timore correpti conuocant concilium, medioque custodibus eductis, tẽ vt facta fuerant addiscunt. Quantus tunc tremor, quis pauor improbas illas inuasit mentes? neque enim negare fas erat quod euidenti patebat tot testium iudicio. O nefãda rabies, ò progenies scelerata draconum, quæ te concitat insania? quis furor impellit aduersari Deo? tantumque palliare sermonem? Cur non redis ad cor? quid cõtra stimulum calcitrdra conaris? Cur non subdis colla iugo, & vel nunc pietati succumbis? Publico efferũt ærario pecuniam, corruptisque custodibus furatum publicant ab apostolis corpus: nec vlla erat apparentia mendacio, sed hoc scuto tutari vitas potuere, ne veritate comperta, in frustra eos populus laniaret, crimenque expiaret horrendum. Vadunt itaque gestu celeri fœminæ, iunctisque discipulis nunciant mysterium, neque creditur illis, sed delirare putãt, fœmineaq; leuitate permotas cõfinxisse fabulam. Neq; ita res erat, accurrunt igitur ex apostolis, duo, Petrus, & Ioãnes, veritatẽ perquirere, quos grãdior magistri affecerat dilectio. Currit vterq; viã, neque seniorẽ iunior expectat, tanta erat vidẽdi miraculum auiditas. Sepulchrũ simul intrant, vacuumq; conspiciunt, neque erat qui eos prohiberet armatus. Stupẽt nimis, redeuntq; præcipites nũciare mysteriũ sociis, quos anxia suspẽsos expectatio tenebat. Hos

Ioan. 20.

Mar. 16.

Mat. 24.

Mat. 28.

Terrẽtur custodes sepulchri Dominici ab Angelo.

Isa. 46.

Mat. 28.

Luc 24.

Ioan. 20.

secu-

secutæ fœminæ ad sepulchrũ redeũt, ibidemq; manẽtes, amarissimè plorabant, neque enim eas oraculi verba lenierant, oblitæ quæ prius illis inspectus prædixerat angelus: diuertuntq; ad hortuli angulos ex illis duæ: manet sola Maria soror Lazari, ad sepulchri ostium, neque enim inde diuelli eam sinebat amor, affectusque magistri: luget totumque replet eiulatibus locũ, neq; est qui tantum possit mitigare dolorẽ Prospicit iterum, iterumq; sepulchrũ, si forte reperiat quẽ ante quæsierat: sic nanq; solemus auream sæpius requirere drachmã, neq; inspectę semel oculis confidere arcæ. Dũ ergo sic prospicit, angelos investe fulgẽti insidere videt lapidi, quo conditũ dudũ corpus iacuerat: qui placido vultu ploranti aiunt. *Quid ploras ò mulier?* quid viuũ inter mortuos quæritas? insciaque deploras? Sed illa maiori depressa mœrore, neque angelos curat, neq; cœlestes veretur vultus: totũ nanque possidebat dolor, candentique succensa camino, quẽ amabat pleno quærebat affectu. Luctus ergo sui causã breui sermone perstrinxit. *Tulerũt* (inquit) *dominum meum, & nescio vbi posuerunt eũ.* Hoc est quod defleo, hæc mei causa mœroris. Dumque eos alloquitur, assurrexisse venienti prospicit cuipiam: conuerſaque retro visura quem colunt, aspicit ad latus hominem, neque Christum agnoscit horti suspicata cultorem: qui simili eam voce præfatur. *Quid ploras ò mulier?* cur anxia gemis? At illa. *Si tu* (inquit) *sustulisti eum, dicito mihi, & ego eum tollam* per mille pericula, per medios enses, media per arma, per mille discrimina rerum ego eum tollam: neque meũ quispiam poterit arcere vigorẽ. O quam insciа facti mulier prophetat: ipse eum tenet, ipse quod quęris corpus arripuit: repete vt reddat. Neque tibi talẽ vt requiris reddat, sed quem mortuum requiris, viuum ostendat. Mouentur dilectæ suæ lachrymis pia magistri viscera, & proprio eam sermone fatus, Maria (inquit) verboque se permittit agnosci, Maria (inquit) ò Maria, quænam est hæc hæsitatio, Maria? vbi Maria fides? sic verbis meis credidisti Maria? cur me Maria luges? purum me hominem existimasti Maria? Vbi sunt prodigia quæ coram te feci Maria? Me negas dũ ploras, non est pietas hæc ò Maria. Agnoscit illa dilecti vocem, & anima eius omnino liquefacta est, postquam dilectus locutus est. Potentem hunc lętitiæ ictũ quo animus illius subito transfigitur, dicere quis sufficiat? Mirum quòd non est extincta præ gaudio. Clamat furens gaudio, nec se valet ipsa portare, magister, clamat, magister, sic enim eum nominare solebat, magister mea gloria, mea tota lætitia, magister, magister meus, Deus meus, quem super omnia colo, magister te super omnia amo, tu nosti: iuua me, tantum gaudium vt sustineam magister. Viuis magister meus, viuis ne mea gloria, viuis? Vigilo, an dormio? Estne vera quam prospicio forma. Vera est, & credo, credo te potuisse quod dixisti implere facto, mortuam que resumere carnem. Sed ille, *ne me*, inquit, *tangito*: non enim est digna contactu fœmina, quæ oculo plusquam oraculo credit. *Vade cito, fratribus* scilicet *nuntiare, quod viuo*: hæc dices ad eos, *communem Deum patremque conscendo.* His dictis disparuit, & beata illa fœmina mãsit plena gaudio, totaq; tripudians, lætitiæ voces, plaususque fũdebat. Accurrũt aliæ exultationis clamoribus cõcitæ, miraturque valde tã subitã mutationẽ: quid factum sit percõtantur, sed illa præ gaudio non valet proferre quod viderat. Viuit Dominus meus, inquit, viuit, ne dubitetis fœtores. Vidi ego eũ his oculis, hęc & hæc mihi mãdauit: eamus eamus tantãque lętitiam fratribus nunciemus. Deum ergo irent, ne se tanta visione frustratas aliæ quærerẽtur, quæ simili eum deuotione quæsierãt, medio illis itinere rursus Dominus apparuit, easq; placidè salutauit, dicens, *Auete*, tractariq; se permittit ab eis. Et cum nonnulla dixisset, disparuit iterũ. Vadunt ouãtes, ingredientesq; cœnaculum, inuenerunt turbatos, scandalizatosque Discipulos. Audierãt. n. legatos, quos miserant veritatẽ perquirere, Petrum scilicet & Ioannem, asserentes verum esse quod mulieres prædixerant;

Magdalena nequit diuelli à sepulchro Domini.

Luc. 15.

Ioan. 20.

Ibid.

Christi resurgentis alloquiũ ad Magdalenam Ioan. 20.

Cant. 5.

Ioan. 20.

Luc. 24.

Mat. 28.

sant: neque quid factum esset suspicabãtur, sed hærebant stupidi: huius rei exitũ expectantes. Intrant ergo fœminæ plaudentes, oculisque salientibus cordis lætitiam demonstrantes. Quid hæretis clamant? non in dubio res est, nolite fratres hæsitare, pro certo Dominus viuit, his nos eum oculis prospeximus, his eũ manibus tractauimus, & hæc vobis dicere verba mandauit. Gaudent, neque tamen omnino creditur illis, sed maiori deinceps admiratione tenentur; donec post modicum viso Domino Petrus mulierum nuncio fidem fecit: aduentantibus discipulis à castello, roborata grandiori testimonio fides est. Denique iam vespere, eodem die, ne vllus maneret dubitationis scrupulus, omnibus congregatis Dominus apparuit, & mira eos alacritate repleuit. Quis tunc fuerit Apostolis animus, quæ mens, quantumque ex tunc innouata familia Christi fuerit: nemo poterit pro merito cogitare. Agnoscunt apertè, se nõ purum hominem, sed Deum habuisse magistrum; & facta eius memorantur & dicta. Fælices se tãto magistro putant, præteritamque mentis cæcitatem incusant. Vbi fuimus (inquiunt) vbi noster tũc sensus abierat, cum te cœlestia loquentem Iesũ non agnouimus? vbi erat tunc animus, cum tot patrares vbique prodigia? quomodo hæc non auertimus stulti? Tuam quomodo non percepimus maiestatem? neque enim in obscuro res erat, si mens non cæca fuisset. Cur sic tuos illusisti Domine? cur tanta nos fœlicitate fraudasti? Nostros cur non reuelasti sensus? te cur non apertè monstrasti? vt te sciremus, diuinosque tibi exhiberemus honores? ad matrem verò conuersi, ò te fœlicem (inquiunt) Virginem, ò te super omnes fœminas benedictam, tantum quæ sæculis genuisti filium; orbem quæ tuo fœtu beasti. Sancti te cuiuspiam hominis hucusque parentem venerati sumus, ex nunc Dei hominisque te credimus genitricẽ. Nos ergo suscipe virgo, nostrosque sola dirige actus. Hæc (aiunt) panditurque audientibus cunctis magnum illud mõtis Thabor sacramentum, quod Dominico præcepto hucusque fuerat occultatum; audiuit suspensi narrante Petro, tãtæ Maiestatis fastigium: inopinatamque Domini sui omnes admirãtur gloriam, plaudũt manibus cuncti, nec tãtam capit lætitiam sensus. Dignis etiam testibus roborata fides, hoc amplius testimonio coalescit. Fit gaudium immensum, impressaque dudum animis tristitia venienti lætitiæ cedit: excussoque mentis sopore reuiuiscit spiritus. Diuinis vacant laudibus, die nocteque orantes, se totos Domino commendantes. His ergo quadraginta diebus multiplici eos Dominus apparitione solatur, & in fide firmat, altum donec conscendit olympum. Hæc de historia. Sed non leuiter prætereunda legatio, quam per mulieres Dominus fratribus destinauit, dicens. *Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum,* communem se nobiscum habere patrẽ, Deuq; profitens. *Debuit enim* (vt Apostolus ait) *per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret.* Quid prius Domine magnificabo, aut pro quo tibi magis gratias dabo? quia tuum patrem fecisti nostrũ, aut quia Deum nostrum fecisti tuum? In priori nanque exaltasti nos sublimiter ad te: in secũdo deiecisti te humiliter ad nos. Prius enim quam nostram indueres formã patrẽ habebas, sed Deũ non habebas: nos autẽ Deũ habebamus, patrẽ nõ agnoscebamus. Veniens autem ad nos, Deum suscepisti, patrem dedisti, vtrobique magnificus, vtrobique misericors. Tecum igitur ad Deum in spiritu tuo audẽter clamamus, *Abba pater.* Tu quoque nobiscũ simili voce proclamas. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Mira res, & omni dilectione prosequenda. Deus Deum habet: Deus Deum sibi interpellat adiutorẽ in agone: pro seruo Deus factus est seruus, vt me seruum faceret filium; ille sic humiliatus, ego sic exaltatus. In nullo igitur *differas à seruo, cum sis Dominus omnium.* Gratias tibi Domine pro tanta humiliatione tua, gratias tibi iterum pro tanta exaltatione mea. Quid dicam? Ex terræ vermiculo filius Dei factus sum, vt Ioannes pro-

Luc. 24.

Apost. mirabũdi & lætabundi Resurrectione Domini explorata, eius diuinitatem cognoscunt.

Mat. 17.

Act. 1. Christum resurgens 40. dies solatur: os vsq; ad ascẽsionẽ. Ioan. 20.

Heb. 2.

Gal. 4. Rom. 8. Psal. 21. & Mat. 27.

Gal. 4.

proclamat. *Dedit* (inquit) *eis potestatem filios Dei fieri* Et alibi. *Videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur, & simus.* O verbum potens, ò verbum omni acceptione dignissimum, ò dignum tali tempore legationem. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.* Huius autem sacræ Resurrectionis typus olim præcesserat in Ioseph, cũ vidit in somnio manipulum stare suum, stratis fratrum suorum manipulis, & adorãtibus ipsum. Quod in Dominica resurrectione impletum esse non ambigimus. Stetit manipulus quem ex agro virgineo cœlestis sibi agricola collegerat, quem synagoga crudelis odio, & inuidia tumulo prostrauerat: steterit post triduum in terra seminatus, reuixit mortuus, grandemque in cumulum creuit; stetit gloria, & honore coronatus, immortali vita ditatus: fratrum verò manipuli sternentur ad tempus, tumulisque sepulti iacebunt, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ: donec tempus messis adueniat, & quæ nunc sub altari quiescunt ipsorum animæ, cum exultatione veniant, & manipulos suos reportent. Aderunt nunc è cœlo messores, qui reiecta zizania, iacentes colligãt manipulos: statimq; manipulos in horreum Domini sui recondant. Interdum caro nostra requiescet in spe, suo tẽpore colligenda. Vbi enim meum conspicio caput, ibi me futurum esse non ambigo: & talem me futurum qualis est ipse. Præcessit in Galilæam Dominus, prior trãsmigrauit ad vitam: cum tempus transmigrandi aduenerit, sequemur, & nos. Ibi eum videbimus: ibi eũ adorabimus. ibi in ipso pertransito flumine pede lætabimur: ibi similes ei *apparebimus, quia videbimus eum sicuti est*: ibi nos filios esse noscemus, quoniam similitudo genus ostender: ibi ergo eum videbimus, & amabimus, amabimus, & gaudebimus, perpetuaque cum illo iucunditate fruemur. Quam nobis indulgeat, qui mortuus fuit, & viuit cum Patre, & Spiritu sancto Deus, in sæcula sæculorum. Amen.

Deo gratias.

Ioa. 21
Ioan. 3.

Gen. 33.
Figura.

Psal. 8.

Can. 1.
Mat 13.
Apo. 6.

Psal. 125.

Mat 13.
Psal. 131.

1. Cor. 15.

Psal. 65.
1. Io. 3.

DE RESVRRECTIONE Domini, altera concio.

THEMA.

Surrexit, sicut dixit. Matth. 28.

DIgnum profecto tractatu, & inquisitione videtur, inuestigare, & scire propter quid tertia die post mortem Dominus resurrexit, & non vsque ad finem sæculi, & generalem omniũ resurrectionem, suam distulit. Sed *quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit*? An & nos cum Apostolo dicere audebimus, quia nobis reuelabit hoc per spiritum suum? Reuelauit vtique sed sanctis suis: ex quorum codicibus plures huius rei causas, & rationes didicimus. Factum est hoc primo ad Christi gloriam, & inimicorum eius confusionem. Si enim non ita properè Christus à mortuis surrexisset, bone Deus, quis Iudæorum fastum, quis sacerdotum & pharisæorum superciliũ sustinere potuisset? Quibus verbis familiam Domini subsãnarent? quibus ludibrijs in Christi matrẽ & discipulos insultarent. Quanta Christi sequacibus confusió? quantus pudor discipuli eius, & ignominia fuisset in populo? quo irent? vbi comparerent? Delusos eos ab illo omnes dicerent, & Pharisæorum prouidẽtiæ omnis populus applauderet, quia videlicet hominem illusorem digna morte multasset. Gloriaretur in Christum perfida synagoga tota die, & sicut scriptum est, exultantes ad se inuicẽ acclamarent. *Euge euge viderunt oculi nostri.* Sed non decuit ita fieri, absit, vt in Deum glorietur homo, & gloriatio ista permaneat. Vnde per Prophetam, ipse dominus ad synagogam ait *Ne lætere inimica mea super me: quia cecidi: consurgam cum sedero in tenebris. Dominus lux mea est.* Et ad patrem in psal. *In hoc cognoui quoniã voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me.* Pro discipulis verò, sic orat ad patrem. *Non erubescant in me, qui expectant te Domine, Domine virtutum non confundantur super me, qui querunt te Deus Israel.*

Rom. 11.
1. Cor. 2.

Psal. 34.

Mic. 7.

Psal. 40.

Psal. 68.

Nihil passio sine resurrectione prodest.

Psal. 29.

Mar. 6.

1. Cor. 15.

rael Et rationem petitionis suæ adiūgit. *Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.* &c. Ac si dicat. Non mihi vertatur in ignominiam zelus, & in confusionem obedientia tua. Oportuit etiam fieri, ad Catholicam fidē cordibus hominum inserendam: audeo dicere, si Christus à mortuis non surrexisset, nihil eius aduētus, nihil passio, nihil miracula profuissent. Vnde in Psal. *Quæ utilitas* (inquit) *in sanguine meo cum descendero in corruptionem?* Quasi dicat, nulla, Si enim non surrexero, nullus conuertētur, nemo mihi credet. Tanta namque fuerat passionis eius ignominia vt etiā ipsi qui eius opera viderant, & doctrinam audierant, & vitæ innocentiam nouerant, vehementissimè turbarentur: atq; ita consternati animo defecerant, vt nō putarēt se illum videre, quē videbant, *sed spiritum aut phantasma esse.* Quid de illis putandū est, qui ista neq; viderant, neq; nouerant? Fideles Apostoli nō facile credunt Christo viso, infideles populi quomodo crederent prædicantium verbo? Itaque si diligenter inspicias, plus ad fidem nostrā sola Christi resurrectio, quam tot prodigiorum contulit multitudo. Hæc.n. sola totius Christianæ religionis immobilis columna, anchora firma, & stabile fundamentum est. Vnde Apostolus ad Cori. ait. *Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides vestra.* Quis enim obsecro, quamuis clarus eloquio, peritus verbo, potens miraculo, gentili mūdo, dæmoniorum idolatriæ tot retro seculis dedito persuadere potuisset, vt hominē crucifixum, inter latrones pendentem medium, relicto patrum suorum ritu, vt verum Deum ac Dominum adoraret, nisi cuius tanta præcesserat passionis ignominia, maior sequeretur vitæ immortalis honor & gloria? Hæc sola omnium, & maxima, furentes in Christum principes mitigat: insultantes paganos humiliat: aduersantes populos conciliat: irridentes Iudæos confundit, & hæreticos subsannantes prosternit. Hęcomnem intellectū contra veritatem Dei superbientem in fidei obsequium captiuat, & omnem altitudinem aduersus fidei pietatem extollentem se, in Christi seruitutē redigit: hæc fideles munit: infideles confundit: homines Christo conciliat: Angelos in Christo lætificat. Tolle Christi resurrectionem, & omnis fides nostra tepescit, omnis gloria nostra labascit. Nouerat hoc Apostolicus ille cœtus, qui Spiritu sancto edoctus, in concionibus ad populum Christi resurrectionem frequentius, & maximè personabat: quia videlicet in illa totius fidei nostræ vigor est, & ex illa credentium populorum fruges abundantior surgit. Neque solum ad fidem plantandam, sed etiam ad spem nostram erigendam decuit Christum resurgere, Vt quod in Christo iam factū credimus, in nobis aliquando futurum non dubitemus. Si enim radix viuit, viuificabuntur & rami. Vnde Apostolus. *Nunc mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: cum autem Christus apparuerit vita nostra, tunc & vos apparebitis ipso in gloria.* Et iterum. *Si spiritus Dei habitat in vobis, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit, & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis.* Transibit vtique hyems temporis huius, & approximante sole flores apparebunt in terra nostra. Quamuis enim in sacris codicibus mortuorū resurrectio sæpius promissa legatur, valde tamen spem nostrā erigit, hanc in Christo videre completam. Propter quod idem Apostolus quorundam duritiam admiratus, ait. *Si Christus prædicatur quod surrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis quoniam resurrectio mortuorum non est?* Resurrectio enim Christi, resurrectionis nostræ exemplar, & causa est. Ne autem quispiam super hoc aliquatenus hæsitaret, *multi sanctorum qui dormierant,* cum illo *surrexerunt, & apparuerunt multis;* ne videlicet quispiam dicat, si Christus surrexit, nil mirum, quia Deus & sine peccato erat: *ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.* Ne quispiam igitur de sua resurrectione desperet, fecit Dominus resurrectioni nostræ à consortibus fidem. Quam eleganter, quam luculenter, quā potenter hoc ipsum sanctissimus ille Iob

2. Cor. 10.

Act. 2.

Col. 3.

Rom. 8.

Col. 2.

1. Cor. 15.

Mat. 27.

Rom 7.

tot

tot ante ſeculis perſonauit? *Quis mihi* Iob 19.
tribuat vt ſcribantur ſermones mei: quis mihi
det vt exarentur in libro ſtylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte ſculpantur in ſilice?
Quid autem ſit quod tam vehementer ſcribi deſiderat, attendite. *Scio enim, quod redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum ſaluatorem meum; quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Vnde repoſita ò vir ſanctiſſime, vnde repoſita? Attendite vnde. *Quia redemptor meus viuit.* Inde mihi vitæ ſpes magna repoſita eſt: in illo enim quodãmodo viuo, & in illo iam quodammodo Eph. 2.
ſuſcitatus ſum, vt Apoſtolus ait. *Qui conreſuſcitauit nos, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto.* Amen.

Deo gratias.

DE EODEM FESTO

Feria ſecunda.

THEMA.

Tu ſolus es peregrinus in Hieruſalem?
Luc. 24.

IN lectione Euangelica tractatur de ſecunda apparitione Domini Diſcipulis euntibus in Emaus, & fuit ſic: q̃ duo ex ſeptuaginta duobus Diſcipulis, illo mane reſurrectionis, oblato negotio ibant in illam viam, quæ diſtat à Hieruſalem plus minus tres leucas, & dum irent per viam, loquebantur ad inuicem de his omnibus, quæ audierant: ſcilicet de atrociſſima crudelitate ſacerdotum, & grauiſſimo peccato eorum, qui hominem ſanctum & iuſtum ſic occidiſſent: de prodigijs quæ in morte Domini contigerant, & de patientia maxima qua mortem ſuſtinuit: de nuntio mulierum quod adduxerant illo mane, & inter hæc recordabantur ſuauiſſimæ cõuerſationis eius, & doctrinæ, & vitæ innocentiſſimę, & ingentium miraculorum, & quam deſtituti, & orphani remanſerant ſine illo, & fluebant lachrymę per maxillas eorum abundanter, & ſingultus verba interpellabat. Erat quoque inter hæc maxima hæſitatio, an ille ſuiſſet filius Dei, & verus Chriſtus. Dicebant enim, ſi erat ille Chriſtus, quomodo ſic mortuus eſt morte ignominioſa? quomodo populum non liberarit à ſeruitute Romanorum? Si non erat, quomodo mentiretur homo tam iuſtus & ſanctus? quomodo faciebat tam magna prodigia? Dum ergo hæc & ſimilia loquerẽtur, Dominus poſt tergũ veniebat in habitu peregrini, & extenſo greſſu appropinquauit, & ait illis. *Qui* Luc. 24.
ſunt hi ſermones quos confertis ad inuicem ambulantes, & eſtis triſtes? Video vos afflictos, & męſtos, cupio ſcire cauſam? Tunc reſpondens vnus illorum Cleophas nomine, dixit. *Tu ſolus peregrinus es in Hieruſalem, & ſolus hæc ignoras?* non eſt enim quiſpiam in vita qui ignoret hæc quæ loquimur. O ſi ſciretis quam bene ſcit, & quam bonam poteſt dare rationem de eis? Dicit eis, Quæ? & illi, *de Ieſu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere, & ſermone coram Deo, & omni populo: & quomodo tradiderunt eum ſummi ſa-* Ibid.
cerdotes, & principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum: nos autem ſperabamus quia ipſe eſſet redempturus Iſrael. Et nunc ſuper hæc omnia, tertia dies eſt hodie quod hæc facta ſunt, ſed & mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos, quæ ante lucem perrexerunt ad monumentum, & non inuenta corpore eius, venerunt dicentes ſe etiam viſionem Angelorum vidiſſe, qui dicunt eum viuere, & abierunt quidam ex noſtris ad monumentum, & ita inuenerunt ſicut mulieres dixerunt, ipſum vero non inuenerunt. Ponderaverbum *nos ſperabamus*, nam iam ſine ſpe erant; *& mulieres terruerunt nos*, quia turbati ſunt illo nuntio, non lætificati, immemores quippe erant verborum Domini, quæ de reſurrectione ſua præmiſerat. Et ait Dominus: *O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt prophetæ, nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ità intrare in gloriam ſuam?* Hæc eius paſſio & mors quæ vos ſcandalizat, magis oſtendit magiſtrum veſtrum eſſe Chriſtum. ſcrutamini ſcrip-

turas ,& videbitis quod Christus talia passurus erat. Nõ legistis in lege quomodo Moyses exaltauit serpentem in deserto æneum, & aspicientes sanabantur? Quænam ratio vt sic curarentur ægroti? imò amplius ex recordatione serpẽtum debebant maiori ægritudine teneri. Hæc figura fuit, quod Messias in similitudine carnis peccati, sine veneno peccati veniens exaltandus esset in Cruce, vt omnes qui in illum crederent à peccato sanarẽtur. Non legistis in Genesi, quomodo Abraham obtulit arietem loco filij? Figura erat, quòd filius Dei non in sua natura, sed in humana occidendus erat. Non legistis etiam quòd Deus formauit Euam de costa Adæ dormientis? Quare non ipsam sicut Adam formauit de limo terræ. Hæc figura erat, quod de latere Christi dormientis in Cruce fundanda esset Ecclesia. Quod si prophetias attenditis, multo amplius hoc intelligetis. Quã apertè Propheta Dauid in illo Psal. vigesimo primo prophetizauit, quod Christus occidendus esset? ibi omnia legite quæ magistro vestro contigerant; *foderunt manus meas, diuiserunt vestimenta mea.* & subsannationem eorum, *sperauit in Domino, &c.* Et in alio Psalm. *Quare fremuerunt gentes?* cõspiratio sacerdotum apertè describitur. Et in alio Psal. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Legite Isaiam, & videte totam seriem passionis magistri vestri descriptam: *tanquam ouis ad occisionem ducitur, & quasi agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum: verè languores nostros ipse tulit. Et vidimus eum, & non erat species. Et cum iniquis deputatus est.* Videtis certè quod ipsa passio magis probat magistrũ vestrum fuisse Christum verum in lege promissum. Dum hæc exponeret, verba illa quasi carbones igniti inflammabant corda eorum, & feruebant intus viscera à sermonibus eius: aspiciebant se mutuo, & dicebant intra se O mirabilem peregrinum, ò doctissimum peregrinum, in qua schola didicisti? Nunquam sic locutus est homo, videtur doctrina magistri nostri: sed hic nunquam audiuit ab eo, neque fuit Discipulus eius; ne-

Num. 21. & *Io.* 3. — *Figura.* — *Gen.* 22. — *Gen.* 2. — *Psal.* 2. — *Isa.* 53.

sciunt sic loqui nostri Sacerdotes & rabbini. Durauit hæc prælectio per totam viam, neque senserunt laborem itineris; vellent amplius protendi viam. O si habuissemus hanc prælectionem. O sacer Euangelista quare non ad longum scripsisti, quot & quanta mysteria declarata sunt in hoc tam longo sermone? Appropinquauerunt ergo castello, *& Dominus finxit se longius ire, & illi coegerunt eum dicentes, mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis* annuens petitioni eorum. Et intrantes domum, illi parauerunt cœnam, & inter se admirantes dicebant. O qualis est ille peregrinus: fœlices nos qui talem socium inuenimus. Sperabant post cœnam tota nocte loqui, & audire. Stratis ergo toris, peregrinus dixit benedictionem mensæ consuetam. Et illi mirabantur quod eandem diceret, quam magister illorũ cõsueuerat dicere: *& accipiens panẽ fregit.* Dicunt aliqui quod manu sine cultello, sed non est opus: & dum frangeret & porrigeret eis, *aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum*: & volentes amplecti eum, *ipse euanuit ab oculis eorum*, & manserunt attoniti, & stupidi ad modicum: & reuersi ad secum ingenti gaudio dicebant, perfusi lachrymis. O Domine quare fecisti sic, quare illusisti nobis? quare nõ permisisti, vt agnosceremus te, & manus & pedes tuos oscularemur, & tecum gauderemus? O nos stolidos, quomodo non aduertimus quando loquebatur, in via, quod verba illa non erant humana, sed diuina. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis?* Relicta ergo mensa, sicut fulmina, & aquilæ veloces *eadem hora* redeunt Hierusalem. Vndè cùm iam dies festinaret occasum, ante solis occasum peruenerunt Hierusalem currentes, & ingressi domum vbi erant Apostoli cum gaudio, antequam ipsi loquerentur præuenti sunt à dicentibus; gaudete fratres, *quia surrexit Dominus verè & apparuit Simoni*: nam de mulieribus nõ curabant. *Et ipsi narrabant* per ordinẽ *quæ gesta sunt.* Et cum ista cum summo gaudio confabularentur, Dominus coram omnibus

Luc. 24. — *Luc.* 24. — *ibid.*

Ibid. nibus apparuit iterum, & ait illis. *Pax vobis, nolite timere.* Conturbati autem, & cõterriti, *existimabãt se spiritum videre.* Et ait illis. *Quid turbati estis? videte manus meas, & pedes meos,* quia ego ipse sum; *palpate & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet. Habetis aliquid hic quod manducetur?* Et comedit coram eis: & factum est gaudium magnum, & lætitia incredibilis tanta, vt superaret & absorberet totã tristitiam præteritam, & quasi à somno profundo excitati, sic admirabantur & stupebant de his quæ videbant scientes, & intelligentes quoniam magister eorũ non solum verus esset Messias Saluator in lege promissus, sed etiam verus Deus omnipotens creator; à quo tam magnæ præmia expectarent. O felicem familiã, ò felicem scholam tanti magistri. Hæc de Euangelio.

Mar. 16. Sub quatuor formis, siue figuris dominus se monstrauit post suam resurrectionem; Magdalenæ apud sepulchrum in forma hortulani; discipulis Emaus in forma peregrini: Apostolis in cænaculo in forma propria humana: virgini in oratorio in forma propria gloriosa. Omnibus istis modis monstrat se Deus efectis suis, quos ipse secũ resuscitauit de morte ad vitam, vt iam in nouitate vitæ ambulent. Nam incipientibus, & qui nouiter suscitati sunt, ostendit se in forma hortulani. His enim animabus exhibet se hortulanum, eradicans malas radices vitiorum, emolliens terram cordis eorum, & ordinans omnes eorum potentias, plantans in eis multiplices & varios flores, & rosas desideriorũ, cogitationum cælestium, varias quoq; arbores bonorum morum, & virtutum, quibus fructificent Deo: faciens animã illam ex hispida & horrida eremo, viridã & floridum hortum, & amænum, quasi paradisum. Sicut scriptum est. *Et eris quasi hortus irriguus, cui non deficiunt aquæ.* Talis est omnis anima iusta in principio quando conuertitur ad Dominum. *Cant. 6.* Fælix anima quæ talem habet hortulanum. Talis erat illa quæ dicebat. *Veniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructum pomorum suorum.* Iustum quippe est & rationabile, vt fruatur ipse fructibus operum, & actuum bonorum morum, & virtutum quas ipse plantauit. *Can. 7.* Vnde dicebat. *Omnia poma noua, & vetera seruaui tibi dilecte mi.* Ideft, nihil perdidi ex eis, nihil comedi, nihil vsurpaui, sed omnia seruaui tibi. Illa anima hoc dicere potest, quæ omnibus suis viribus, & potentijs fructificat Deo: cor bonos affectus & desideria, mens bonas cogitationes, lingua verba sancta, manus bonæ opera, totum quod oprat, quod intelligit, quod loquitur, quod agit, quod videt, quod audit, totũ ex omni parte Deo tribuit, nihil vsurpãs sibi: sicut hortus totũ q; producit fructificat hortulano suo.

Sed postea iam proficiscentibus in via Domini, & festinantibus in Emaus ostẽdit se in forma peregrini docentis mysteria. Nam postquam plantauit animã bonis desiderijs, & virtutibus; & moribus, contemptum mundi suadet. Docet eam festinare in cœlum, peregrinum se ostendit in mundo, faciens etiam animã peregrinam. Sicut scriptum est de sanctis. *Confitentur quia peregrini & hospites sunt super terram.* Et Psalm. *Et non dixerũt qui præteribant, benedicto domini super vos.* Bonus peregrinus Apostolus qui dicebat: *non habemus hic Ciuitatem manentẽ, sed futuram inquirimus.* Prius est homines esse bene institutos in moribus, quam mundi contemptores, & æternorum inquisitores. Vnde Salomon prius in proverbijs se exhibet animarum hortulanũ; in Ecclesiaste se ostendit peregrinum, ad mundi contemptum omnes exhortantem. Quàm pauci sunt qui tecum in hac vita peregrinari velint bone Iesu, qui in mundo radices non habeant, qui de terrenis nihil inquirant, sed cœlestibus & æternis inhient. Apostolus, non cõtemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Nam quæ videntur temporalia sunt, quæ non videntur æterna. Istis tamẽ si qui sunt, quàm familiarem & iocundum socium te exhibes in via, docens mysteria, instruens de scripturis, vt viæ labores & fatigationes vitæ præsentis non sentiant: sicut scriptum est. *Beatus quem tu erudieris Domine, & de lege tua*

Luc. 2. *Sub quatuor figuris se ostẽdit dominus.* *Rom. 6. 1.* *Heb. 11.* *Psal. 118.* *Heb. 13.* *Prouer. & Eccles.* *1. Cor. 4.* *Psal. 39.*

tua docueris eum, vt mitiges ei à diebus malis, donec fodiatur peccatori fouea, id est corpori sepultura. Felix peregrinus qui talē habet socium: in itinere, cum quo loquatur, & confabuletur, à quo instruatur. *Erit ei certè talis socius pro vehiculo*, vt ait Bernardus. Sed valde notandum est (vt inquit Gregorius) *quòd isti discipuli quem non cognouerunt disputantem de scripturis, cognouerunt in fractione panis: quia sæpius contingit, vt maior lux & cognitio Dei reperiatur in bonorum operum exercitio, quàm in sacrarum scripturarum scrutinio*, sicut scriptum est. *A mandatis tuis intellexi*. Et iterum, *super senes intellexi, quia mandata tua quæsiui*. Quantos videmus sæculares simplices, & sine literis, eleemosynis & fractioni panis vacantes, feruidos, deuotissimos, illuminatissimos. Et quantos literatos, & prædicatores theologos, mundanos, tepidos, frigidos, & sine lumine. *Illa lux vera quæ illuminat omnem hominē venientem in hunc mundum*. Credite mihi, operibus & eleemosynis potius, & perfectius inuenitur quam in libris. Vnde Isaias. *Frange esurienti panem tuum, egenos, vagosq; induc in domum tuam; cum videris nudum operi eum, & carnem tuā ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur. Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt meridies, & implebit splendoribus animam tuam*. Frāge ergo, da pauperibus panem tuum, & franget etiam tibi Deus panem suum: id est lumen suum. Hoc etiam nos prędicatores sæpius experimur, quòd cum vobis Euangelicum panem frangimus, cælestis luminis amplius participes efficimur: & quoties ab huius fractione cessamus, quasi oppositā nube & caligine à cælesti sole minus illustramur. Propter vos enim nos illuminat Deus, & hic panis quanto amplius frangitur & donatur, tanto magis abundat: nam fideli ministro in modico ampliora dantur. Tertiò post mortem institutionē, in quibus est quasi hortulanus post sæculi contēptum, in quo videtur vt peregrinus, sedētibus in domo, inclusis in oratorio viris religiosis & contemplantibus, quorum conuersatio in cœlis est, iam non aliam exhibet formam, sed in propria apparet: non iam hortulanum aut peregrinum, sed Christum se exhibens, multiplici oleo, & suauissimo Chrismate vngens, & demulcens animas varijs consolationibus in terris: non iam de scripturis differens, sed interius docens, sicut Ioannes ait. *Non opus est vt aliquis doceat vos, sed vnctio docebit vos de omnibus*. Sed istis (vt ait Bernardus) super cantica, aliquando se ostendit in propria forma gloriosa. Nā quidam sanctorum in contemplatione humanitatis Christi suam habent consolationem, semper habentes præ oculis hominem illum sanctissimum, purissimum: vitam Christi, opera, & exemplum eius imitantes: redemptionis mysteria sæpius pertractantes: de conceptione, Natiuitate, Passione, & Resurrectione, Ascensione, & missione Spiritus sancti sæpius cogitantes; in quibus meditationibus abundantissimum oleum dulcedinis & suauitatis inueniunt, siquidem corpus illud sacratissimū vas plenū est balsomo cælesti: *vnctus est enim oleo letitiæ præ consortibus suis*, ac propterea tractantes illud vngi necesse est. O quanta dulcedo in his mysterijs contemplandis reperitur, vt alia omittam in hac sacra resurrectione imitanda & contemplanda, in considerando illo fulgore corporis, & potentia, in festo angelorum, & animarum ripudio, in gaudio virginis & discipulorum, in confusione illa iniquorum crucifigentium, in quibus anno præterito totū sermonē consumpsimus, & erat sicut mel suauissimum. Sed sunt alij perfecti & contemplatiui, quos non tam delectat Christi humanitas, quàm diuinitas; qui oculis lynceis sacrū illud carnis velamen penetrantes, interiorem fulgorem & diuitias penetrant: qui dicere possunt cum Apostolo. *Et si cognouimus Christum secundum carnem, sed iam non agnoscimus secundum carnem*. Nam statim figunt oculos in verbo, penetrantes carnem, sicut ait propheta. *Spiritus ante faciem nostrā Christus dominus*. Fælix anima quæ tam clarum habet visum, vt plus iam in verbo quam in carne domini delectetur. Talis erat quæ dicebat *nos*

Psal 118. *Ibidem.*

Ioan. 1.

Isai. 58.

Luc. 18

Phi. 3.

Ioan. 2.

Psal. 44.

2. *Cor.* 5.

Thren. 4.

2. *Cor.* 3.

Au-

autem reuelata facie gloriam domini speculantes, in eandem imaginem trãsformamur,
Exo:29. & 39. *à claritate in claritatem, tanquã à Domini spiritu.* Istis Dominus in propria figura glorioſa monſtratur, quibus nihil iam deeſt, niſi vt rupto ac ſciſſo velo carnis, ſancta ſanctorum appareat intra velũ, &
Heb.9. videatur Deus intus in corde ipſorum, ſicut videtur ab angelis & beatis, non iã
1. Ioan. 3. *per ſpeculum & in enigmate,* ſed ſicuti eſt.
1. Cor 13. *Non ſunt* (inquit Apoſtolus) *condigna paſ-*
Rom. 8. *ſionis huius ſæculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis,* non quaſi à foris: nam regnum Dei intra vos eſt, intus eſt illa gloria in intimis, ſed occultatur velo corporis ſancta ſanctorum: rupto autem
Luc. 17. velo reuelabitur illa gloria in intimis cordis. *Nunc enim* (inquit) *filij Dei ſumus, ſed nondum apparuit quid erimus.* Et Apoſtolus. *Nunc mortui eſtis & vita veſtra abſ-*
1. Ioan. 3. *condita eſt cum Chriſto; cum autem Chriſto apparuerit vita veſtra, tunc & vos ſimul apparebitis cum eo in gloria, ad quam nos perducat. Amen.*

IN OCTAVA PASCHÆ.

THEMA.

Quia vidiſti me Thoma credidiſti: beati qui non viderunt, & crediderunt. Ioan. 10.

DVas nobis apparitiones Euangelica narrat hiſtoria; primam, quæ ad ſolos decem Apoſtolos ipſo die Reſurrectionis facta eſt, de qua iuxta Lucam, feria tertia Paſchæ dictum eſt: alteram, quæ octauo die ad vndecim Apoſtolos facta eſt, de qua hodie futurus eſt ſermo. *Niſi videro,* &c. Admiranda duritiLuc 15. es: cui tot fratrum authoritas, & gaudiũ inſpectum non ſufficit ad fidem. Vt hanc curaret Dominus apparuit: prius paſtor ouem ſuam non patitur ſicut ad patrem
Ioan 18. dixerat. *Quos dediſti mihi non perdidi ex eis quenquam.* Diſcant prælati quam commiſſis ouibus ſolicitudinem exhibeant; ſi pro vna ſola Dominus apparuit, omnis ſolicitudo, omnis labor vnius animæ negotio minor eſt. Ciuem Romanum fieri olim magni pretij res erat, ciuem cælorũ fieri quanti erit? qui errantẽ ouem reducit ad ouile, ſi illa ouis à vita diſcedat, magnum ſibi apud Deum aduocatum legauit. *Infer digitum tuum,* &c. Fœlix manus quæ dominici pectoris ſecreta rimauit: quas diuitias non intus inuenit? A illo pectore arcana cœleſtia Ioannes hauſerat dormiendo in illo, Ioan. 13. Thomas grãdes theſauros reperit ſcrutando. Grandis illa ſchola, quæ tales diſcipulos facit. Inde alta ſuper aſtra volãs mira de diuinitate dictat, cũ ait. *In prin-* Ioan. 1. *cipio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Alter radio veritatis tactus, ſublimiter exclamat. *Dominus meus, & Deus meus, Dominus meus & Deus meus.* Maior incredulitate cõfeſſio altius ſonare non potuit: qui quid fides habet, breui elogio comprehẽdit. O miram hominis perſpicaciam: hominem palpat, & Deum vocat: aliud tetigit; aliud credidit. Si mille codices ederet, non ita Eccleſiæ profuiſſet. Quàm apertè, quàm fideliter, quàm nudè Chriſtum vocat Deum. O verbum Eccleſiæ Dei vtiliſſimum & neceſſarium, quo multæ hæreſes & validiſſimæ olim ab Eccleſia extirpatæ ſunt. Laudatus eſt Petrus: quia Mat. 6. dixerat: *tu es Chriſtus filius Dei viui;* expreſſius intonat Thomas. *Dominus meus, & Deus meus;* ſimplici verbo vtranque naturam in Chriſto confeſſus. *Quia vidiſti me Thoma credidiſti; beati qui non viderũt & crediderunt.* Grandis ex hoc verbo no- Ioan. 10. bis eſt conſolatio fratres. Quoties dicimus, quoties clamamus, ò beati oculi, ò tempora fœlicia, ò ſæcula dulcia, quæ tanta myſteria inſpicere, ac videre meruerũt. Ita eſt, *beati oculi, qui vident quæ vos vidiſtis,* ait Dominus; *ſed & beati qui non viderunt, & crediderunt.* Fuit illud maioris ſolatij, hoc altioris meriti. Viſio rgis lætificat, fides amplius honorat. Quid magnũ & Petrus, & Andreas, & Thomas, & alij Apoſtoli, pro Domino quem viderant à mortuis viuũ, & in cœlo ſublimatum, vitam expoſuerint? an non altioris meriti videtur, pro non viſo mori? Niſi quòd Apoſtoli duplici hoc titulo

beati

beati sunt, & quod viderint Christum à mortuis surrexisse, & quòd sic viderint vt visio hæc fidei meritum nõ euacuaret: quæ posteris relicta est in exẽplum. Admiramur autem amplius eorum fidem & constantiam, qui cum neque Christum, neque Apostolos viderint, Apostolicæ fidei & perfectionis imitatores, & veluti hæredes sunt. Non sic stupeo, cùm Petrum & Andream crucifixos video, sicut cùm Laurentium inter prunas, & Sebastianum inter sagittas gloriantes inspicio. Vnde Bernardus ad fratres. *Quid est quod vita vestra vitam apostoliceam non repræsentet? Illi reliquerunt omnia in schola Saluatoris, sub eius præsentia congregati: vos autem non in præsentia, sed in absentia: non ad verba oris eius, sed ad vocem nunciorum eius, simile aliquid fecistis. Defendite vobis hanc prærogatiuam fratres: quod illi ad visum & ad verbum, vos ad auditum & nuncium credidistis.* Hæc Bernardus. Et ipse Dominus per Prophetam, vt eos confunderet qui videntes Christum increduli fuerunt, inquit. *Populus quem non cognoui seruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi* Et Petrus in Canonica commendans eos, qui cum Christum non vidissent, fidem Apostolicam imitabantur, ait. *Quem cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis, credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata: reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum.* Hæc de Euangelio.

Psal. 17.

1. Pet. 1.

De fide & testimonio Dominicæ resurrectionis dicendum est hodie, quomodo videlicet Christus suam resurrectionem probauit: quomodo etiam nos probabimus nostram. Inter fidei nostræ orthodoxos articulos, vnus ex difficillimis & magis arduis, resurrectio mortuorum inuenitur. Quam difficile fuit hoc mundo persuadere, vt post incineratum corpus, & vsquequaque per elementa distractum, iterum reparari ad vitam crederet, & vitales rursus auras haurire. Animas corporibus solutas, rursus alia viuificare corpora hominum, vel brutorum, aut in melius mutatas, fulgida in astra transferri, quorundam philosophorum dogma tenebat: sed carnem & ossa post cineres suo viuificata spiritu, in viram quandam immortalem resurgere, ni fides diceret, quis vnquam hominum suspirare: ur? aut cui vnquam veniret in animum. Paulus Apostolus cùm Athenis, in Phylosophorum gymnasio publicè concionaretur, summa attentione, & magno silentio auditus est, quousque ad hunc articulum perueniret; sed hoc audito, riserunt omnes, & veluti delirus ab omnibus explosus est. *Quisnam* (inquiunt) *est hic seminator verborum, nouorum dæmoniorum annunciator?* Quanto igitur veritas hæc mundo difficilior ad credendum visa est, tanto fortiori indiguit testimonio. Fuit resurrectio Christi resurrectionis nostræ exemplar, & causa. Vnde vt persuaderet nostram, decuit validissimis medijs probare suã: sicut & factum est. Nam per quadraginta dies, suam distulit ascẽsionem: vt hoc temporis interstitio (sicut ait Lucas) *discipulis suis præberet seipsum viuum, in multis argumentis apparens eis, & loquens de regno Dei.* Sicut enim quadraginta horis mortem suam probauit, ita quadraginta diebus suam firmauit resurrectionem. Triplici autem testimonio ad hoc vsus est Dominus, scripturarum, Angelorum, & sensuum. Nõ solùm enim exteriori quodam magisterio ex sacra scriptura, plurimos ad hoc, & fortissimos locos & citauit & exposuit, sed etiã interiori quodam lumine eorum intellectus illustrauit: sicut Euangelista ait, *aperiens illis sensum, vt intelligerent scripturas.* Ipse enim qui exterius docebat, interius illuminabit: quia lux & magister erat. Quàm potenter, quàm luculenter discipulis illis in itinere Emmaus, omnes scripturas euoluit & exposuit? *Incipiens enim à Moyse, & per cæteros prophetas discurrens, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant* O sacram lectionem, ò desiderabilem expositionem, ò quis eam nosset: ò Euangelistæ sancti, cur nobis hanc lectionem conticuistis? Plurima Augustinus in libro de Ciuitate Dei ad hoc adducit testimonia. sed nõ sic iuuat illa audire ab Augustino, sicut iuuaret à

Act. 1.

Luc. 24.

Chri-

Christo. Ex his autem, illa potentiora, & euidentiora putamus, quæ in Psalmis leguntur: vt est illud. *Quoniã non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuũ videre corruptionem.* Quod in hoc ipsum ab Apostolo Petro allegatum est. Et illud, *ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me.* Et rursus. *Exurrexi & adhuc sum tecum.* Et rursus alibi. *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara, exurgam diluculo.* Vbi non modo resurrectio, sed & resurrectionis tempus exprimitur. Et illud, quo nihil apertius. *Aduersum me susurrabant omnes inimici mei, aduersum me cogitabant mala mihi. Verbum iniquum constituerunt aduersum me: nunquid qui dormit, non adijciet vt resurgat? etenim homo pacis meæ in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Tu autem Domine miserere mei.* Sed in quo? nunquid vt liberes me ab illis? nunquid vt à Cruce ista deponas me. Non, inquit, *sed resuscita me, & retribuam eis*: in hoc miserere. Sicut & per alium Propheram ad æmulam synagogam loquitur dicens. *Ne lætere inimica mea super me, quia cecidi: consurgam cum sedero in tenebris: Dominus lux mea est.* His & similibus testimonijs suam resurrectionem & scripturis sacris Dominum comprobasse credimus, quæ passim per omnes Propheras leguntur, adiunctis figuris & typis, quorum lex plena est. Vt est illud Ionæ in ceti vtero nauigantis, & illud Samsonis parabolicum: *ex comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo*: & similia. Fidem quoque prophetiæ fecerunt angelorum visa oracula, & audita. Non enim vnius tantum, sed trium aut quatuor angelorum testimonio roboratum est sacramentum. *Iesum queritis* (ait vnus) *Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic.* Et duo alij ad mulieres sanctas, *quid* (inquiunt) *queritis viuentem cum mortuis?* Neque tantum dixerunt hoc, sed etiam vt alijs dicerent indixerunt. Non solos autem angelos filio suo testes pius pater misit è cœlo, sed etiam plures sanctorum patrũ, in huius rei testimonium destinauit limbo; qui vt Euangelista ait, apertis monumentis, post eius resurrectionem *surrexerunt, & sanctam Ciuitatem ingressi, apparuerunt multis*: & pro culdubio Dominicam Resurrectionem, & suam, illis testificati sunt. De quibus postmodum quid factũ fuerit, ardua inter doctos quæstio est: quibusdã asserentibus quòd postea dormierunt nobiscum iterum suscitandi, & Apostolico testimonio roborantibus ad Hebræos, vbi ait: *& hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt promissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consumarentur.* Cui cõsonat Psalmographus dicens. *Me expectant iusti, donec retribuas mihi.* Alijs autem è cõtrario opinantibus, perfectam in illis resurrectionem fuisse, & cum suis corporibus æthereas possidere mansiones. *Neque enim* (vt inquiunt) *tam ardenter & cupide prope regionem illam se sancti patres sepeliri curarent, vt etiam ab Ægypto corpora, reliquias que suas quidam illorum transferri mandauerint, nisi cum Christo suam anticipare resurrectionẽ spiritu prophetico cognouissent. Quid enim illis contulit resurrectio post modicum morituris?* Sed in re tanta tutius existimarem cum Hieronymo dubitare, quam certum aliquid diffinire, nisi me illa Apostoli verba cum Augustino sentire compellerent: nondũ fuisse sine nobis perfecta resurrectione consummatos, sed meliore sui parte beatos, sola prima, Dei videlicet visione frui Vtcunq; tamen res se habet, hoc pro certo credimus & sentimus, neque scripturas, neque Angelos, neque patres è limbo suscitatos, mundo ad resurrectionis plenam fidem satis fuisse, nisi idem ipse Dominus qui surrexerat, discipulorum oculis appareret. Visus enim apud homines in testificatione veritatis principatum tenet, cuius testimonium Dominicæ Resurrectioni deesse non decuit. Apparuit enim non tantum semel, sed plus decies: non vni soli, aut duobus, sed *plusquam quingentis fratribus simul*; non in secreto, sed in publico, non in obscuro, sed in monte die claro; non à longe, sed in medio eorum, vt ab omnibus distinctè videri posset, notus omnibus; vsque adeò *vt nemo illum auderet interro-*

Psal. 115. Act. 13. Psal. 3. Psal. 26. Psal. 207. Psal. 40. Mic. 7. Iud. 14. Mar. 16. Luc. 24. Mat. 24. S. Aug. Ep. 99. ad Euodium. Heb. 11. Psa. 144. Gen. 50. Exo. 13. S. Ambro. S. August. 1. Cor. 15. Luc. 24.

terrogare, tu quis es? scientes quia Dominus est, vt Ioannes ait. Et vt visui concordaret auditus, sono, voce, stylo, organo sante passionem, consuetis & vsitato eloquio, locutus est cum illis; vt etiam si non videretur, ex audito solo posset agnosci. Et ne vllus in eis scrupulus remaneret, palpabilem se illis exhibuit, vt tactu probaretur, non habere corpus phantasticum, sed verum; non aereum, sed solidum; non alterius naturæ, sed osseum & carneum; & idem ipsum quòd in cruce pependerat. In cuius fidem vulnera reseruauit, & ostendit. *Et quia glorificatis corporibus* (vt Augustin. ait) *non potestas, sed egestas edendi aufertur, comedit etiam, & bibit coram eis, vt viuũ & animatum se esse monstraret.* Denique nihil omisit, quod ad plenam & integram fidem à quodam scrupulosissimo & incredulo efflagitari potuisset: ne fortè postmodum fidelium quispiam diceret. O si attrectassent, ò si palpassent, ò si hoc, aut illud visores discipuli experti fuissent. Vnde mira dispensatione incredulitatem illam discipulorum euenisse putandum est, vt dum eorum hæsitatio euidentioribus argumentis plenè conuincitur, illorum cunctatione fides nostra solidetur. Quamuis enim modicæ fidei homo, quamuis imbecillis ingenij Christianus (vt Leo sanctissimus inquit) nunquam solicitudinem suam inquisitioni Thomæ æquiparare potuisset: nunquam enim post agnitam veritatis loquelam, ausus esset petere vt etiam tactu Christum perscrutaretur in Christo; & in ipso homine quem cerneret, hominis corpus inquireret: Quis obsecro post tot, & tam euidentia testimonia, cuipiam dubitandi relictus est locus? Omne quamuis arduum & difficile creditu, si quinque vel sex hominum grauissimorum oculata fide asseritur, ab omnibus suscipitur & indubiè creditur, & acceptatur quingentis testibus oculatis, & talibus testibus, fidem quis non adhibeat? qui non solum hoc doctrina & verbo asseruerũt, sed morte & sanguine cõfirmarunt. In huius enim rei testimonium à tyrannis mundi atrocibus supplicijs, & dira morte occisi sunt. Pendet in Cruce Petrus, biduo in Cruce pendebat Andreas, ex patibulo veluti ex pulpito populo acclamans: Videte fratres quid sustineo, considerate quæ patior, credite crucifixo, credite morienti. Si enim vera non sunt quæ vobis prædico, vt quid miser ista sustineo? Si non vidi quæ vidisse me asserо, vt quid libens, ac volens in hac Cruce pendeo? Pro falsitate agnita quis moritur? aut quis expectatur ex mendacio fructus? *Si Christus non resurrexit*, vt dicimus, *inuenimur falsi testes Dei; quoniam testimonium diximus aduersus Deum, quòd suscitauerit Christum, quem non suscitauit*, sed falsus testis non erit impunitus, pro falso testimonio à vero Deo gloriam quis expectet? Quænam igitur nobis moriendi ratio, quæ tam dira tormenta patiendi; non enim ea vobis prædicamus, quæ alijs narrãtibus audiuimꝰ, aut pro libito ipsi cõfinximus, sed quæ oculis nostris perspeximꝰ, & oculata fide probauimus. Non ergo fallimur quia vidimus; non fallimur, quia pro veritate morimur. O fides catholica, quam stabilis, quàm firma es, quàm bene radicata, quàm benè fundata super firmam petram. *Cœlum & terra transibunt*, tu autem præterire nunquam poteris. Totus orbis à principio tibi contradixit, sed tu potentissimè de omnibus triumphasti? *Hæc est enim victoria quæ vicit mundum fides nostra*; hæc reges potentissimos Christi imperio subiugauit; hæc populos ferocissimos Christi obsequio mancipauit. Quid fecit martyres diros agones, & acerrimas pœnas subire, nisi fides? Quid fecit Anachoritas contemptis delicijs, spretis honoribus, calcatis diuitijs, cœlibem in solitudine vitam agere, nisi viua fides? Quid hodie Christi fideles facit inter luctuosas sæculi delicias impolluto pede transire, nisi fides, quæ per charitatem talia operatur? Hæc veros christicolas facit mollia abijcere, dulcia relinquere, aspera subire, laboriosa sufferre. Hæc facit spe futurorum, præsentia bona dimittere: & futuris præsentia commutare. Quid mirum si vitam hanc ardentissimè diligit, qui aliam aut non credit, aut non sperat

Luc. 24.

Act. 1.

Fidei Catholicæ magna fundamenta.

Mat. 16.

Mat. 24.

Hebr. 1.

1. Io. 5.

Gal. 5.

Rom. 1.

sperat? Denique *iustus ex fide viuit*, quòd si fidei salubertimis monitis per inobedientiam se subtraxerit, Deo non placebit. Fides, praua desideria frœnat, effrœnes appetitus cohibet; ferocès cordis motus sedat: vitia pellit, virtutes inserit; mollia calcat, aspera tolerat: in prosperis non erigitur, in aduersis non deijcitur. Denique nihil est tam arduum, & tam durum quod non aggrediatur propter Deum, qui viua fide credit in Deum. Apostolum audiamus. *Sancti per fidem vicerunt regna: operati sunt iustitiam: adepti sunt repromissiones: obturauerunt ora leonum: extinxerunt impetum ignis: effugauerunt aciem gladij; conualuerunt de infirmitate; fortes facti sunt in bello. Alij autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, vt inuenirent meliorem resurrectionem. Alij verò ludibria, & verba experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tẽtati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Circuierũt in melotis: in pellibus caprinis; egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, &c.* Quam mire, quàm luculenter, fidei virtus & potentia à Spiritu sancto descripta est? Decuit igitur, talem ac tantam fidem huiusmodi argumentis corroborari, ne violentia principum, & æmulorum inuidia cassaretur. Nisi enim supra omnem dubitationem firmissimo testimonio firmaretur, poterat forsitan malignorum impetu, & contradictione labefactari. Sed dicet quispiam cur igitur toti populo Christus publicè non apparuit? Sic enim & fortius æmulos suos confunderet, & firmius resurrectionem suam probaret. Sed in aperto est responsio; Hoc enim non esset fidem fundare, sed euertere: non esset homines ad se allicere, sed conuincere. Vtilior autem mundo fides, quam scientia erat. Non sic etiam diuinæ sapiẽtiæ ordo poscebat, quæ non indifferenter omnes, sed dignos admittit, & indignos excludit. Propterea vt Petrus Apostolus ait, *dedit eum Deus manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo.* Sed adhuc manet scrupulus, cur istis testibus non in forma gloriosa, sed in forma cõmuni Dominus apparuit? in quo diluendo non nimis laboramus: quoniam si in forma glorioſi corporis appareret, putaretur alter, & sic resurrectionem suam minime comprobaret. Sed cur (inquies) cum Discipulis non continue per illos quadraginta dies conuersatus est, sicut prius? Respõdeo, ne videlicet ad priorem vitam surrexisse, & mortalis sicut prius fuerat, putaretur. Si enim eadem esset conuersatio, eadem existimaretur & vita. Euanescebat subito ab oculis eorum, vt eadẽ persona, sed alius putaretur status. Neq; tamen vlla præstigij, aut ludificationis, in Christo tibi suspicio surripiat, quoniam etsi in veritate caro eius Sole fulgidior, & Luna clarior refulgebat, tamen in potestate eius erat monstrare se secundum fulgorem, aut secundũ colorem; palpari autem, & comedere, corpori glorioso non naturali dispositione, sed gratiæ dispensatione contigisse putandũ est. O mirum Diuinæ sapientiæ ordinem, quàm artificiosè, quàm peritè, quam decenter omnia fecisti? O Deus *attingens à fine vsq; ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter.* Hæc de Christi resurrectione, & eius testimonio dicta sunt: de nostra nũc vel modicum differamus. Quicunq; enim cum Christo resurrexit, similibus indicijs vitam suam probare oportet. Omitto nunc decem illa testimonia viuentis animæ, quæ in iustificatione peccatoris à doctoribus enumerari solent: non enim nunc ea testimonia inquirimus, quibus viram in seipsa anima deprehendat, sed quibus viuam se esse alijs ostendat, hæc autem sunt quæ de Christo diximus. Si vita consonat scripturis: si sanctorũ iudicio cõmendatur: si vulnera cordis, & manus per confessionem ostendit: si mellis fauum, idest Dominici corporis sacramentum comedit: si laudes Dei fervide loquitur: si scripturas prius absconditas, & intelligit, & exponit; si Deũ animæ palato gustat: si tentationibus, & infirmitatibus tactus, non facile cedit, sed solidum & firmum se in omnibus exhibet, & similia, quibus indicijs vita animæ restituta, etsi non euidenter cernitur, tamen probabiliter coniectatur. Primum igitur

Heb. 11.

Act. 10.

Sap. 8.

& maximum testimonium scripturarum est, si secundum Euangelium viuimus; si ea quæ ad nostram eruditionem scripta sunt, vita, & opere implemus. Ne te quæsieris extra: non te ex vulgi fama, sed ex vita commenda. Sacra scriptura nitidissimum speculum est, talem reddens vultū hominis, qualis est. Quem pagina sacra redarguit, etiam si ab omnibus commẽdetur, deformis, & fœdus putandus est. Sed post hoc, præstat etiam Angelorum; id est sanctorum virorum pro se habere iudicium; quoniam vt Apostolus ait, *decet sanctos habere testimonium etiam ab his qui foris sunt*, non à prophanis & mundanis, à quibus laudari vituperiũ est: sed à iustis, & bonis, qui quoniam bonitatis artifices sunt, de bonitate merito iudicare possunt. Sutor de calceo iudicat, & de imagine pictor: miles arma discernit; & tractant fabrilia fabri. Qui ergo bonus est, bonitatis rectus est iudex: cæcus malè iudicat de coloribus; & de virtutibus prauus. Sed quoniam *in multis offendimus*, omnes tunc de nobis peccatorum vulnera agnoscimus, & sicut cognoscimus, ita per confessionem sacerdoti medico pandimus. Vulnera (inquam) manus & lateris; non solum enim peccata exteriora operum, sed & vulnera interiora cordium confiteri debemus. Qui modo non confessus est, qui ad Domini mensam neque in Paschate accessit, quomodo cum Domino surrexisse credendus est. Væ tibi misero; in pallio luti maculam vel ad horam sustinere non vales, & in animo diuturnam, & annosam peccati sustines lepram? Est ne aliud quod imiteris in Christo? est vtiq; *Christus resurgẽs ex mortuis iã non moritur, mors illi vltra non dominabitur*: & tu quoque resurgens ab operibus mortuis, non vltra moriaris peccato, neque *regnet vltra peccatum in tuo mortali corpore*. Perpetua sit tua resurrectio sicut Christi; vt quid iterum sepulchrum repetis vnde surrexisti? Non qualis sepultus est Christus, talis resurrexit, sed immortalis & gloriosus; & tu quoque in nouitate vitæ consurgito, in nouam creaturam innouatus & immuratus. Vixisti pecca-

Angeli testimoniũ perhibent fideinostræ

1. *Tim.* 3.

Iacob. 3.

Rom. 6.

Ibidem.

Ibidem.

to, viue iam Deo: vixisti in carne, viue de cætero in spiritu. *In Christo enim Iesu neq; circuncisio, neque præputium aliquid est, sed noua creatura*, quæ scilicet de veteri per spiritum formata est in vitæ nouitatem. Hæc prima resurrectio est quæ fit à spiritu transformante: in quibus hæc prima inuenta fuerit, perficietur aliquando secunda. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*; sed illa tantum, qui fuerint hic prius per spiritum immutati. Vnde Apostolus. *Si spiritus eius qui suscitauit Iesum habitat in vobis, qui suscitauit Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Configurabit enim corpori claritatis suæ*, quos configuratos inuenerit cordi humilitatis suæ. *Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione hac prima: in his enim secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei & Christi eius, & regnabunt cum illo* in sæcula sæculorum. Amen.

Gal. 6.

1. Cor. 15.

Rom. 8.

Phi. 3.

Apo. 20.

Deo gratias.

DOMINICA QVARTA post Pascha.

THEMA.

Cum venerit ille arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio.
Ioa. 16.

LItera Euangelij pars quædam est illius dulcissimi, & suauissimi sermonis, quem Dominus fecit post cœnã iam proximus passioni: in quo velut cygnus morti proximus suauis cecinit, adeò vt discipuli illo eius eloquio delectati, dicerent. *Nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis*. Fuit autem huius causa maxima tristitia Apostolorum: nam dici non potest, quanto dolore, & mœrore affecti sunt, audientes quod tam cito Dominus separandus esset ab eis, & tam crudeliter occidendus. Consternati sunt animo, & amaritudine

Ioa. 16.

pleni.

pleni, oculis in terra defixis, & vultu demisso, non poterant se mutuo aspicere præ multitudine lachrymarum. Vnde Bernardus. *Quid ni concuterentur viscera, turbaretur affectus, hæsitaret animus, horreret vultus, pauoret auditus, nec omnino exanimi iter discessionis eius sermo posset admitti, vt relinqueret eos pro quo omnia reliquissent?* Mat. 23. Sicut enim gallina in sinu suo fouet, & à miluo protegit pullos suos sub alas, ita eos Dominus sua præsentia protegebat. *Et propterea*, vt Chrysostomus ait, *cognito eius discessu, non poterant aspicere in eum, neque eum alloqui præ dolore* Ioan. 6. Hoc est quod ait. *Vado ad eum qui misit me: & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis? sed quia hæc loquutus sũ vobis, tristitia implenit cor vestrũ.* Sicut enim cum paterfamilias dilectus longè recedit, vxor, filij, filiæ, serui, ancillę seorsum lachrymãtur, & plorant, sic tota illa familia mæstitia plena erat: vnde ad eos consolandos vsus est Dominus sermone tam longo, & consolatorio. O benignitas, ò charitas, ò clementia: ipse post modicum tã duros cruciatus, & tormenta passurus, oblitus dolorum suorum, de Discipulorum tristitia magis ãgitur: & ipse magis consolandus, consolatur discipulos. O quanta pietas, quanta dignatio, quanta viscera misericordiæ. Vsus est autem Dominus triplici consolationis medio, sicut solet pater familias recessurus. Nam primo dicit sui discessus vtilitatem, & quantum omnibus expedit vt recedat. Secundo, non dimittam vos solos, nam ecce filius, vel frater meus manet, qui curam vestri habebit, & non sentietis meam absentiam. Tertio consolatur eos ex absentiæ breuitate, dicens: Nolite tristari, nam citissime redibo. Sic Dominus, primo proponit eis vtilitatem sui discessus, dicens *Ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam.* Secundo ait. *Non relinquam vos orphanos, sed alium paracletum dabo vobis: & gaudebit cor vestrũ.* Tertio ait. *modicum, & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me; quia ad patrem vado.* Et iterum, *si quo minus dixissem vobis quia vado parare vobis locum, &c.* Sed tanta erat tristitia eorum, quòd nec sufficiebant ad solatium, & ad reprimendum dolorem. Sed quia paracletum illum, quem sæpius promittit in illo sermone, illi non agnoscebant, neq; modum aduentus eius, neque vtilitatem sciebant, ideo in litera ostendit duo, quisnam sit ille paracletus, & ad quid venturus, primò vtilitatem aduentus eius tractat, dicẽs. Veniet ille paracletus, propter mundum, ad illum scilicet corrigendum, & reformandum: *nam cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me; de iustitia vero, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me: de iuditio autem, quia princeps huius mundi iã iudicatus est.* Obscura litera, & ipse vidit, vnde ait *Adhuc habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* Ioan. 16. Veniet propter vos: *nam cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, & quæ ventura sunt annũtiabit vobis.* Veniet propter me: *nam ille me clarificabit*, ille manifestabit mundo quis ego sum, meam potentiam, diuinitatem, maiestatem, & gloriam, & totum orbem pedibus meis prostrabit. Sed *non loquetur à semetipso, sed quæcunque à me audiuit, loquetur*: sicut & ego quæcũque audiui à patre meo, nota feci mundo: *quia de meo accipiet, & annunciabit vobis* Ioan. 16. *Nam sicut doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me patris*: sic eius doctrina mea est, & de meo accipiet illam: nõ sicut Discipulus à magistro: sed sicut productus à suo principio. Erit enim legatus meus, sicut & ego legatus sum patris Et quomodo hoc fiat exponit. *Omnia* (inquit) *quæ habet pater, mea sunt*, vnde & ipsa patris substantia mea est: & ideo sicut Spiritus sanctus à patre procedit, sic & procedit à me: & sicut mittitur à patre, sic etiam à me: vna est enim substãtia de quo procedat. Propterea dixi quia de meo accipiet, quia à quo habet substantiam, ab illo habet & sapientiam & doctrinam. Nescio an in tota sacra scriptura de persona Spiritus sãcti, & modo procedendi eius à patre, & à filio, tam latè, & tam apertè differatur. Sic itaque exposuit, & quis esset ille paracletus mittendus, & ad quid mitten-

Christus triplici ratione consolatur suos, assimilaturque Patrifamilias.

Ioan. 7.

Ioan. 17.

dus esset. Hæc de Euangelio. Ex quo colligitur triplex vtilitas aduentus Spiritus sancti. Prima mundi reformatio: *ille arguet mundum*, &c. Secunda doctrina, *ille me clarificabit*. De prima solum fiet sermo, & dicemus duo primo in quo consistat ista mundi reformatio: secundo quomodo Spiritus sanctus mundum reformabit. Quantum ad primum notandum, quòd homo tripliciter potest considerari, scilicet in se, quo ad proximum, quo ad Deum: & ita indiget triplici reformatione, siue ordinatione: scilicet quo ad se, vt sit sobrius; quo ad proximum, vt sit iustus; quo ad Deum, vt sit pius. Sicut Apostolus ait. *Apparuit gratia Dei Saluatoris* **Tit. 1.** *nostri omnibus hominibus, erudiens nos: vt abnegantes impietatem; & sæcularia desideria, sobrie, & iuste, & pie viuamus in hoc sæculo. Sobriè*; ad nos: *iustè*, ad proximum: *piè*, ad Deum. Homines autem, ante aduentum Saluatoris, erant flagitiosi quo ad se, facinorosi, quo ad proximum, impij quo ad Deum. Erant enim brutales, vitiosi, carnales, vt satis ostendit Apostolus ad Romanos 1. Erant quoque cupidi, **Rom. 1.** elati, raptores, pernicioſi ad proximos: vtpote sine timore Dei. Erant & impij, infideles, idolatræ, & sicut illis ait Apo- **2. Tim. 3.** stolus: *Eratis sine Deo aliquãdo*, & per aduẽtum Spiritus sancti de carnalibus & brutalibus facti sunt iusti & benigni: ex infidelibus & idolatris, facti sunt fideles & pij. Hoc est quod ait, *arguet mundum de iudicio* corrupto, scilicet quia bestiales e- **Ephe. 1.** rant quo ad se: *arguet de iustitia*, non seruata ad proximum: tertio de peccato impietatis & infidelitatis quo ad Deum; & sic reformabit perfectè hominem quo ad se, quò ad proximum, & quo ad Deũ. Sed expositio huius triplicis reformationis in litera posita, obscurissima est. Ait enim, *arguet de iudicio, quia princeps huius mundi iam iudicatus est*. Ac si dicat, corruptor ille & malus suggestor humani iudicij per meam passionem iam erit explosus, & sic poterit homo in suo iudicio reformari. *Arguet de iustitia, quia ad patrem vado, & iam nõ videbitis me*, Quasi dicat: si ego per longum tempus fuissem in mũdo, mea doctrina homines arguerem, & reducerem ad iustitiam: sed quia recedo & vado ad patrem, mittam spiritum qui hoc agat. *Arguet etiam de peccato* quo ad Deum; *quia non crediderunt in me*, & ipsa incredulitas, & infidelitas satis magna est impietas ad Deum. De hac ergo triplici reformatione, in qua tota hominis perfectio est, in quo consistat, & quomodo facta sit à Spiritu sancto dicemus.

¶ Prima hominis reformatio quo ad se, in tribus cõsistit; scilicet in ratione illuminata, in volũtate bene inclinata, in sensualitate subiecta; qui hæc tria habet in se perfectus est. Primum valde necessarium est homini; nam ipsa ratio est regula humanorum actuum, & totius vitæ lumen: & sicut auriga in curru, vel gubernator in naui, & sicut oculus in corpore: ab illa enim dependet tota vitę ordinatio, & gubernatio. Vnde Dominus in **Mat. 6.** Euangelio. *Vide ne lumen quod in te est, tenebræ sit: nam si lumen tenebræ sit, & ipsæ tenebræ quantæ erũt?* Et iterum, *si oculus tuus fuerit simplex*, id est ratio illuminata, *totũ corpus tuum lucidum erit*; id est tota vita perspicua, & illustris. *Si autem oculus tuus fuerit nequam & tenebrosus, totum corpus erit tenebrosum.* Vnde Ptalm. *Intellectum da mihi, & viuam.* Magnum donũ, & grandis fœlicitas, præstare intellectu, pollere ingenio, vigere sensu & prudentia, & rationis acumine. Respice duos iuuenes, filium regis, filium pastoris: Deus bone, homini quid præstat? Vnus quasi Angelus, alius quasi bestia. Hæc autem rationis illuminatio in tribus consistit. Primo in acumine intellectus, & vigore luminis naturalis intellectus. Secundo in industria per quã acquiruntur quinque illi habitus, seu virtutes intellectuales, quæ perficiunt intellectum; de quibus Aristoteles in Metaphysica, scilicet intellectus, sapientia, scientia, prudentia, & ars: de quibus non oportet **Isa. 11.** modo dicere. Tertio in donis spiritus sancti, scilicet dono intellectus, sapientiæ, scientiæ, & consilij: qui supernaturaliter illustrant rationem hoc modo, nã donum intellectus facit intellectum viuacem, perspicuum, subito intelligen-

Nota. Tria de hominis reformatione. 1.

Psal. 118.

tem,

tem, & penetrantem veritatem modico discursu, & angelico simile. Donum sapientiæ illuminat ipsum quoad spiritualia, & æterna; donum scientiæ quoad visibilia naturalia: donum consilii quoad agibilia, & operabilia. Sed quid prodest habere clarum intellectum, si voluntatem habeas corruptam, proterua, & male inclinatam? Quantos vidimus ingenioſos, & malitioſos, verſutos, doloſos, vitioſos, quibus ingenium nō ſeruit niſi ad iniquitatem? Sicut ſcriptum eſt. *Sapientes ſunt vt faciant mala*, quibus melius fuiſſet eſſet ſimplices, & bonos. Vnde pſalmiſta hoc poſtulabat dicens. *Voluntaria oris mei beneplatita fac Domine*, Ideſt, da vt voluntati placeat quod ratio probat. Sic enim plurimos videmus quaſi natura bonos, & benè inclinatos, qui ſine labore, & ſtudio ſunt probi: alios vero natura malè inclinatos, qui non ſine violentia magna boni ſunt. Sicut in equis, quidam leniter, & tenui filo ducūtur, alii efferæues fræno duro indigent vt regantur; non minor eſt ſed maior hęc fœlicitas quam prima. Fit etiam hoc tripliciter. Primo virtutes congenitas naturaliter, vt videmus in pueris: ſecundo per virtutes morales acquiſitas: tertio per virtutes infuſas, & per dona Spiritus ſancti, ſcilicet pietatis, & fortitudinis, firmantur in bono. His nō reſtat niſi habere ſenſualitatem ſubditā & domitā: nō enim oportet expectare quòd ſit benè inclinata: vipera venenoſa eſt, prona ſēper ad malum ab adoleſcentia ſua, non poteſt bene inclinari: ſed fręno, cenſura, & flagello opus eſt ad illam. Vnde Apoſtolus. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutē redigo*; *nam ſcio quod non inhabitat in me*, ideſt in carne mea, *bonum*. Caro enim legi Dei non eſt ſubiecta, neque enim poteſt, ſemper parata concupiſcere aduerſus ſpiritum; perfundit venenum, & repugnat legi mentis noſtræ, ideo in illa non eſt habenda fiducia, ſed ſemper ſuſpecta exiſtimāda, caſtiganda, domanda, & fręnanda. Facit autem hoc ſpiritus per donum timoris; nam per timorem domini declinat omnis à malo. Vnde Auguſtinus de matre ſua Monica. *Erat autē timor caſtus in corde eius: tanquam faſcia pectoralis qua cogitationes aſtringeret; in ore, tanquam frenum quo linguam deprimeret: in opere, tanquam ſtimulus, ne pigritia torperet, in cunctis tanquam regula, ne modum excederet.* Ecce in quo conſtat hominis reformatio quoad ſe. Talis erat ſapiens, qui de ſeipſo dicebat. *Puer eram ingenioſus*, quo ad primum; *& ſortitus ſum animam bonam*; quo ad ſecundum, *& cum eſſem magis bonus veni ad corpus inquinatū*, quoad tertium. Vnde huiuſmodi homo ordinatiſſimus, eſt in omnibus quaſi horologium, in cogitationibus, deſideriis, ſermonibus, operibus, in vitæ veſtitu, motu, geſtu, conuerſatione, totus eſt ordinatus moderamine rationis, ſicut in horologio motum rotarū ſequitur manus index. De hoc figura in Ezechiele de quatuor rotis oculatis, *& rota in medio rotæ, & vbi erat impetus ſpiritus ſequebantur & rotæ.* Quatuor rotæ ſunt quatuor animæ potentiæ, ſcilicet intellectus, ſenſus, voluntas appetitus ſenſitiuus, rota in medio rotæ, quia intellectus comprehendit ſenſus, nam quicquid poteſt ſenſus ſentire, poteſt intellectus intelligere & amplius; ſimiliter voluntas comprehendit appetitus, nam quicquid appetitus appetere poteſt, voluntas poteſt velle & amplius. Iſtæ quatuor rotæ ſequuntur in homine iuſto motum rationis, & ratio motum ſpiritus, ſicut in horologio motum ponderum ſequitur motus rotarum, in nullo enim repugnant neque diſcrepant à ratione & ſpiritu, in hoc ordine conſiſtit illud decorum, & honeſtum maximè quærēdum. *Va impio in malum*, qui totus inordinatus diſcerpitur & fatigatur, ſicut ait Auguſtinus. *Ordinaſti domine & it a eſt, vt omnis animus inordinatus ſibi ipſi pœna ſit.*

Hier. 4. Pſal. 118. Gen. 8. 1. Cor. 9. Rom. 7. Rom 8. Gal. 5. Phi 3. Sap. 8. Homo ſic peratus & paratus horologio. Exe. 1. Iſa. 3.

Secunda hominis reformatio quo ad proximum, quam facit integra & perfecta iuſtitia, conſiſtit in quinque partibus; ſcilicet in diſtributione temporalium, in communicatione gratiarum, in ſupportatione onerum, in redditione debitorum, in innocentia operum. Oportet primo, vt homo ſit iuſtus ad 2.

prox-

proximum in distributione temporaliū; nam vt ait Ambrosius, in libro de officijs, natura omnia fecit communia; & hic mundus non est nisi quasi quædam cōmunis hæreditas hominum, sed iure positiuo appropriata sunt in particulari, & locum habet in populis meum & tuum. Vnde sententia Clementis. *Communis vsus omnium quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse debuit; sed per iniquitatem, alius hoc dixit esse suum, & alius illud; & sic inter mortales facta est diuisio per iniquitatem ex iure gentium.* Pertinet ergo ad iustitiam, vt ex hac communi hæreditate nullus vsurpet superfluacum damno aliorum. Quis nāque pater æquus, & iustus, si haberet decem filios, libenter pateretur vt vnus omnem sibi hæreditatem, vel maximam eius partem vsurparet, fratribus in paupertate relictis? Sic etiam Deo displicet quorundam abundantia, cum damno proximorum. Vnde per prophetam dicit. *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, vsque ad terminum loci, nunquid habitabitis vos soli in medio terræ.* Sed quando iure positiuo permissa est appropriatio, pertinet quoque ad iustitiam, vt si quis de communi naturæ cellario sibi multum appropriauit, illud quod superest distribuat indigentibus. Vnde Apostolus. *Abundantia vestra illorum suppleat indigentiam, vt fiat æqualitas,* sicut scriptum est *Qui multum non abundauit; & qui modicum, non minorauit;* qui *multum scilicet habuit non abundauit, quia superfluum indigentibus erogauit; & qui modicum habuit, non minorauit;* id est non ei defuit, *quia aliorum abundantia illius supplenit indigentiā,* & sic fiet æqualitas iustitiæ inter proximos. O si hæc regula seruaretur ab omnibus, profecto totus mūdus omnibus bonis ad plenum redundaret, & nullus esset indigens in toto orbe. Vnde enim tanta in mundo indigentia, nisi ex iniqua auaritia plurimorum? *quæ pestis est & venenum iustitiæ,* vt ait Ambrosius. Deus enim & natura sufficientem, imò redundantem & diuitem mundum hominibus creauit, opulentamque eis mensam in campis, riuis, arboribus, auibus, animalibus & piscibus posuit, etiam si decies tantum & supra homines redundarent. Sed nimia multorum abundantia indigentiam in diuite mūdo parturijt: nam dum vnus quinquaginta ciborum genera apponit in mensa, fit vt quinquaginta nō habeant vnam escam. Et dum alius quinquaginta vestes seruat in arca, cogit vt quinquaginta non habeant vnam vestem: & dum alius horreis plenis abundat, necesse est vt alteri cibarius & hordeaceus panis deficiat: & sic in aliis. Hæc vtique prima portio iustitiæ est, vt in temporalibus vnusquisque de communi naturæ cellario neque nimius sit in conseruando, etsi fortè iuris permissione abundat, æquus sit & largus in distribuendo. Secunda iustitiæ portio consistit in communicatione gratiarū, non enim nobis nati sumus, & naturales dotes gratuitasque gratias, quas accepimus solis, sed omnibus profuturas, Apostolo teste qui ait. *Manifestatio spiritus datur ad vtilitatē,* scilicet cōmunē ecclesiæ, vnde ad iustitiam spectat, vt gratias, dona, scientias & artium peritiam quam quisque vel dona accepit, vel industria quæsiuit, in communem vtilitatem expendat, dicente domino. *Gratis accepistis, gratis date.* Et Petrus ait. *Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei,* dispensatorem se nouerit gratiæ non dominum, vt sit fidelis in dispensatione: nam qui abscondit frumentum non tam panis quàm doctrinæ, maledicetur in populis: non enim seruandi sed communicandi gratia accepit. Theologus ergo libenter impartiatur populis doctrinam: medicus non vendat pauperibus curandi peritiam, sed libenter visitet, gratis curet egenos. Nā si à diuitibus accipit stipendium, non facit injuriam: quia de sua arte viuere debet. Similiter aduocatus non vendat pauperibus patrocinium, neque sacerdos suffragium: & vnusquisque in sua arte quærat vtilitatem, vt non communem relpuat commoditatem. Neque enim sibi tantū didicit, neq; sibi soli sapit, sed omnibus, quibus sua arte vel scientia sufficere potest: quod si tyrannicè vendit quibus nō debet,

12.q.1.c. dilectissimis.

Isa.5.

2.Cor.8.

Exo.16.

Mat.10.

1.Pet.4.

1.Cor.4.

debet, iniustè agit. Tertium pertinet ad
Gal. 6. hanc ordinationem sustinere onera proximorum, sicut scriptum est. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Non solum corporalia onera, mœstes consolando, infirmos visitando, egenos adiuuando: sed etiam spiritualia, defectus, ignorantias, stultitias, malitias
Col. 3. tolerãdo Sicut apostolus ait. *Supportantes inuicem in timore Dei.* Quis enim est, qui non in aliquo indigeat tolerari? qui non interdum conqueratur iniustè? qui non asperè aliquando respondeat? qui non frequẽter importunus, onerosus, morosus, & molestus existat? Tu iracundus es, & ego superbus: sustine meam superbiam & ego tuã portabo iracũdiam. Tu loqueris plusquam oportet, & ego neq; interroganti respondeo: sustenta meam taciturnitatem, & ego tuam sustinebo loquacitatem. Quam necessaria est hæc ad inuicem supportatio degẽtibus in cõmuni? vt maritus vxorem, & vxor maritum: parentes filios, & filij parentes: serui dominos, & domini seruos ad inuicem supportent. Sunt n. parentes senes, vt plurimum tristes, rigidi, onerosi, rixosi, auari, molesti: iuuenes verò filij è contrario, leues, vani, prodigi, petulantes, stulti, loquaces. Quomodo conuenient in vna domo, si non se inuicem supportent & tolerent? Insigne virtutis est, alienam tolerare nequitiam: neque est est omnino iustus qui impios tolerare non valet. Exemplum nobis posuit Petrus apostolus huius to-
2. Pet. 2. lerantiæ in Loth, de quo ait. *Aspectu & auditu iustus erat, habitans inter eos qui de die in die animã iustam iniquis operibus cruciabant.* De qua re Paulus quoq; vtilissimũ exhibuit documentum dicens. *Si præoccu-*
Gal. 6. *patus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis* Id est, non excandescentes, nõ exasperantes, non criminantes, cauens *ne & tu tenteris*: scriptum enim est. *Qui exas-*
Psal. 65. *perant non exaltentur in semetipsis*: ipsa
Ibid. namq; superba crudelitas qua infirmum fratrem exasperas, te eijcit in præcipitiũ similis, aut grauioris delicti. Quartum documentum spectat ad probum virum & iustũ, redditio debitorum, iuxta apostolicum præceptum: *nomini quicquã debeatis: cui tributum tributum, cui vectigal, vectigal, cui honorem honorem*: pariformi-
Rom. 13. ter cui obedientiam obedientiam, cui reuerentiam reuerentiam, cui obsequiũ obsequium, cui fidem fidem. Sit quispiã quantumuis largus, & liberalis, & benignus in proximos, si superbus & procax est in prælatos, non eis deferens reuerentiã, præceptisq; obedientiam denegans, non est iustus. Subtrahit enim debitum non pecuniæ, sed obedientiæ & reuerentiæ, quam debet. Debitum autem hoc iustitiæ non solum inferiorum est ad superiores, id est subditorum ad prælatos: filiorũ ad parentes, seruorum ad dominos, sed è contrario. Debet enim prælatus subditis custodiam & doctrinam: debet pater filijs disciplinã & alimoniam: debet dominus seruis stipendium & curam. Neq; minus iustitiam deserit prælatus, si subtrahat curam, quam subditus si deneget obedientiam aut reuerentiam. Sed ne quicquã desit ad plenam perfectamque iustitiam, decet vltimo vt innocentiam erga proximum custodiat: vt neq; dicto, neq; facto, neque etiam negotio, neque etiam desiderio proximo noceas: vel *fratrem in negotio circumuenias.* Veritas custodiatur in verbo: fides in promisso: iustitia in negotio: æquitas in officio: sicvt in nullo, neq; in fama, neque in persona, neque in substantia, neque in arte, vel dignitate, vel officio proximum indebitè lædat, vel ei molestus sit, sed quãtum in ipso est viuat
Sap. 18. sine querela. Vnde nõ omnino iustus est, qui etiam sine causa proximum iudicat, & bonam de eo existimationem, & opinionem quam habebat amittit: læsit nanq; indebite proximum quo ad se, iniquè suspicans malum, vbi non debuit. Pertinet quoque ad iustitiam, non solum non inferre iniuriam, sed & propulsare cum potest: illator enim est iniuriæ, qui cum eam possit prohibere permittit. In iure sic habetur. *Faciẽtis culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare.* Vnde
Iob. 29. Iob de se ipso ait. *Conterebam malas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Perstrinxi breuiter iustitiæ formam, quam quilibet debet seruare cum proximo. De

1. Thes. 4. *Iustitia est tueri & propulsare iniuria proximi.*

hac spiritus sanctus mundum iniquum, & facinorosum, sine timore, & pudore viuentem redarguit: & in iustitia reformauit, veniendo scilicet homines in vnã fidem, in vnum cultum, & baptismũ, sub vno Deo, in vna ecclesiæ domo: sicut de illo scriptũ est. *Psal.67.* *Qui inhabitare facit vnius moris in domo,* & infũdès hominibus erga proximos charitatem quæ est verum & perfectum iustitię cõplementum *Caritas* *1. Cor. 13.* *enim* (vt Ait Apostolus) *patiens est*, scilicet, ad portanda onera: *benigna est*, ad dona cõmunicanda: *non æmulatur, nõ irritatur, non est ambitiosa* ad persoluenda debita *nõ agit perperam* ad inferanda nocumenta: *non quærit quæ sua sunt,* ad temporalia distribuenda. Vides quomodo omnia quæ ad perfectionem iustitiæ pertinere insinuauimus, sola contineat atque impleat charitas, quæ non ab hominibus, sed à Spiritu sancto est.

3. *Fides in promissione seruãda*

Tertia reformatio hominis ad Deum, in tribus cõsistit: in fide, obediẽtia, latria. Nam homo debet Deo fidẽ dictis; obedientiam præceptis; gratitudinẽ beneficijs. Debet fidem, quia veritas est; debet obedientiã, quia dominus est. *Ioa. 14.* *Ego dominus,* *Isaa. 24.* solus dominus naturalis, nam alij sunt facti domini. Debet latriam; quia Deus, *1. Cor. 8.* quia summe bonus, summe beneficus. Si ratio naturalis sufficeret nos dirigere in vitam æternam sine diuina illustratione & doctrina, non opus esset fide; sed quia per se non sufficit, sed indiget dirigi & illustrari à Deo, iuxta illud; *erat lux vera, qua* *Ioa. 1.* *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; ideo oportet Deo credere, & captiuare intellectum in obsequium fi- *1. Cor. 10.* dei. Magna enim superbia est, velle suo dirigi consilio in via tam lubrica & tenebrosa. Vnde Petrus de sacra prophetia ait. *2. Pet. 1.* *Cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Neq; minor superbia est velle suo regi arbitrio & voluntate, & nolle obtẽperare mandatis, neq; dirigi *Dei præcepta qualia* à Dei præceptis; nam Dei præcepta regula viuendi sunt, & forma humanæ vitæ. De his Iob. *Iob. 11.* *Si pullum onagri liberum se natum* *Psal. 118.* *putat* sc. vt faciat quicquid vult. Vnde Ps. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Hoc generale mandatum est, vt custodiantur & seruentur, nimis, sc. vt neq; cogitatu, neque desiderio, nec verbo, neque facto homo audeat attẽdere oppositum; sed quasi à natura sint, sic seruentur. Ita vt homo pauper Christianus, etiam si inueniat alienas pecunias, neque cogitet eas accipere, quoniã à Deo prohibitum est; & homo famelicus alienas dapes nõ esuriat, quoniam Deus sic mandauit, neque ascendat in cor eius. Tertio debemus latriam, id est honorem, reuerẽtiam, amorem, gratitudinem, & obsequium Deo, & propter ipsum, & propter sua beneficia. Quantum est totum quod quis tribuere potest laudis & amoris, ad id quod ipse mereatur? Et similiter, *quid retribues domi-* *Psa. 115.* *no pro tantis donis & beneficijs, quæ tibi dona-* *uit?* Psa. *Te decet hymnus Deus in Syon,* id est, *Psal 64.* tibi debetur laus, tibi propria est laus. Et sicut Apostolus ait. *Soli Deo honor & gloria.* *1 Tim. 1.* In his tribus pietas consistit. Vis videre hominem verè pium, & quoad Deũ benè ordinatum, attende Abraham, qui iubẽte domino, *egredere de terra tua, & de cog-* *Gen. 17.* *natione tua, & de domo patris tui,* & pollicente se daturum illi & semini eius post eum terram illam, statim credidit, & obediuit, nescius quo iret, factus exul & peregrinus super terrã omnibus diebus vitę suæ. Nec hæsitauit de promissione, aut *Gen. 15.* quæsiuit, quomodo possessurus sum terram tot populis inhabitatam? homo alienigena, & peregrinus, quibus armis, quo exercitu, expugnaturus sum eam? Et postea iam senex, cum post tam longam, & diuturnam peregrinationem, neque passum pedis illius terræ accepisset, & videret se iam senem & *emortuam vuluã Sara,* *Ibidem* neque filiorum spem reliquit, neque diffidit, nõ hæsitauit in promissione, neque se deceptum conquestus, in terram suam de qua exierat rediit, sed firmam fidem & obediẽtiam seruauit. Et quod magis stupendum, cum postea dato filio, illũ iuberetur occidere in quo repromissionem acceperat, dicente domino, *in Isaac vocabi-* *Gen 22.* *tur tibi semen,* non hæsitauit, non percõctatus est. Quomodo ergo implebis domine quod mihi promiseras, si filius promissionis occiditur? sed incunctanter domini præceptum implere festinat. O *Rom. 9.*

Sunt seruanda.

verè

verè virum fidelem, pium, & Dei amicitia dignissimum. De cultu autem quid dicam? cum in medio mundi vndique per totum orbem vigeret idolatria, solus cū domo sua, Dei veri culturam tenuerit, illibatamque seruauerit? Nonne veniebat in mentem, quod solus ex omnibus mundi incolis hunc ritum seruaret, quòd à toto penitus orbe deuiaret? nonne secū aliquando voluebat, quid facio solus? ego sapio, totus desipit orbis? Nihil tale suspicatus, ne à solius Dei amore & timore deuiaret, propter quod eximio hõnore à Deo sublimatus est, vt verus Deus, omnipotens, totius orbis creator & rector, Deus Abraam vocari dignatus sit. Quàm eximius titulus, quantum fastigium dignitatis? Hanc reformationem fecit spiritus sanctus in mundo, vt liquet; mũdum infidelem, incredulum, idolatram, à Deo alienatum, dæmonibus manciparũ, per doctrinam apostolicam ad veram fidem, & obedientiam, & cultum reducendo, sicut scriptum est. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur; renouabis faciem terræ.* Quid enim profuisset per tuam passionem hominem redimere, & cœlum aperire, & gloriam promereri, nisi per spiritum tuũ homines reformares, perficeres, sanctificares, vt idonei essent tantæ salutis? Nũquid bestialibus, & carnalibus, impijs, idolatris, & sacrilegis daturus eras regnũ cœlorum, & brutales cum angelis collocaturus? Per passionem tuam hominibus cœlum aperuisti, & per spiritum sanctum homines reformasti, renouasti, & capaces cœli fecisti. O quam reformatus fuit mundus illis diebus, quanta bonitas, quanta innocentia, quanta iustitia, quã sobrij & continentes, & studiosi ad se? quàm iusti, benevoli, benefici ad proximum? quam deuoti, quàm pij, quàm sancti ad Deum? Quæ religio hodie tam sancta & reformata sicut tũc erat ecclesia? Lege actus apostolorum, & vide mores ecclesiæ congregatæ in Hierusalem: lege Philonem Iudæum, & vide sanctitatem ecclesiæ congregatæ Alexandriæ sub Marco: verè Carthusia non est hodie tãtæ perfectionis. Sed heu, *egressus est à filia Sion omnis decor eius*, perijt omnis illa reformatio pauitatum, & ad pristinos mores redit mundus. Leuate oculos, & videte quæ fiunt hodie in ecclesia. Vbi hodie iudicium? vbi iustitia? vbi pietas? O si hodie redires spiritus sancte, quantos argures de iudicio? quantos de iustitia? quantos de peccato? Pudet videre quę fiunt: & libet in montibus, & solitudine commorari cum bestijs, nec videre fraudes, dolos, calumnias, nequitias, iniustitias, & cætera flagitia, quæ quotidie fiunt in populis. Oremus dominum, vt mittat iterum inuisibiliter spiritum sanctum in suam ecclesiã: qui eam arguat, purificet, sanctificet, reformet, & in pristinum sanctitatis fulgorem restituat: vt sic munda & sanctificata, coram eo in hoc mundo placeat, & postea cũ eo fine fine quiescat in gloria: ad quam nos perducat. Amen.

Psal. 103.

Phi. lib. de vita contemplatiua. Eu. li. 2. de hist. eccl. c. 17. Thre. 1.

IN ASCENSIONE Domini. Concio prima.

THEMA.

Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum? hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet.
Actuum 1.

CElebris apud Romanos consuetudo fuit, cum totius orbis Roma teneret imperium, duces suos qui in augendo, aut tuendo imperio strenuè desudassent, & pro reipublicæ commodo fortiter dimicassent, parta de hostibus victoria, solenni decorare triũpho: vt videlicet huius tam præclari honoris gloria, aliis esset exhibitæ virtutis præmium, aliis exercendæ fortitudinis incitamentum. Erat autem hic triumphus omnium honorum quos præstare Roma poterat maximus: siquidem curru vectus potenti Imperator Romanus, ingenti comitatus caterua, vndique ad currum multitudine captiuorum circumfusa, procedebat ad vrbem: cui longo tactu obuiam grauissimus ille senatorum ordo regio cultu ornatus, & vniuersa ciuitas cum incredibili pompa & immenso gaudio veniebat. Arcus quoque lapideus mi-

Descriptio Romanorum triumphi.

ro elaboratus ingenio, duci Romano in honoris titulum erigebatur : cui totus bellici certaminis ordo, & victoriæ modus erat insculptus. Sub quo Imperator cum toto illo magnifico apparatu vndique clangentibus tubis, musicisque resonantibus instrumentis, vniuerso populo acclamante transibat. Cuius virtutes & laudes orator insignis postmodum coram omnipopulo, indicto silentio, ornatissimo personabat eloquio: eratque hic dies toti Romano populo celeberrimus. Hic virtutis honos, hęc gloria triumphantis. Hoc est quod nunc agimus fratres, hæc est solennitas quam tãta deuotione prosequimur. Triumphi tui gloriam Christe recolimus, tuos hodie celebramus honores. Quod enim tunc agebatur apud Romanos, hodie fit apud angelos. Opotentissime Imperator, quanto hodie honore triumphas? qua gloria, qua pompa, post partã de mundo & diabolo victoriã, post laboriosum cruentumq; crucis certamen, ingenti comitatus captiuorum numero, cœlestem illam vnde exieras, ciuitatem ingrederis? Quis huius diei gaudium valeat recensere? quis festiuam cœlestium principatuũ poterit enarrare lætitiam? quo apparatu, quo fastu hodie cœlorum ciues redeuntem cum spolio principem in sua ciuitate suscipiunt? qua maiestate sacri mundi senatores obuiam venienti duci occurrunt? quo honore, qua laude, quibusue illũ pręconijs prosequuntur? Non existimo huius tantæ festiuitatis, neque ipsos qui interfuerunt Apostolos idoneos oratores, siquidem à principio sæculi vsq; nunc similis in cęlonõ est audita lætitia, aut vnquã celebrata festiuitas. Noluit autem dominus postquam victor surrexit, ab inferis statim cũ gloria vrbem intrare cœlestem, sed ad quadragesimum diem in regna cœlestia suum distulit ingressum: vt hoc temporis spatio resurrectionis suæ veritatem euidentibus demonstraret indicijs. Neq; n. facile mundo persuaderi potuisset resurrectio mortuorũ, nisi firmissimo testimonio firmaretur. His ergo diebus sæpius discipulis apparẽdo, comedẽdo, bibẽdo, loquendo, seipsũ illis tractabilẽ exhibẽs, vulnerumq; suorum cicatrices ostendẽs, omni modo possibili cunctis sensibus, visui, tactui, & auditui, de sua resurrectione indubitatum præbuit argumentum. Post hæc autẽ non in obscuro aut in occulto, sed clara luce, palam videntibus illis, non vno quidem aut duobus, sed plusquam centum & viginti discipulis, ad æthera eleuatus est: & nõ abs re: qui enim secreto cõcipi, nasci, transfigurari voluit, nullo quę vidente resurgere, publice destinauit ascendere: vt dũ ascensionis suæ euidentiam facit, nostræ quoq; olim futuræ & fidem faciat, & spem erigat. Erat enim apud homines non minus arduus ad credẽdum ascensionis, quam resurrectionis articulus. Tali ergo fuerat testimonio roborãdus, vt nulla prorsus de illo posset hominibus suspicio suboriri. Sicut nanq; corpus in cineres redactum, viuificari rursus, & vitales auras redire, mundo impossibile videbatur, ita etiam carnẽ & ossa super astra locari, & rationi & philosophiæ, & totius naturæ ordini aduersũ, & dissonũ penitus apparebat. Quis n. vnquam philosophorũ hoc vel præsumere, vel suspicari ausus est? Animas hominum corporibus istis exutas, sideris locari infundiq; corporibus, præteritarum q; miseriarum oblitas, rursus in corpora velle reuerti, Platonica doctrina cẽsebat: corpora verò cum spiritibus ad cęlestia rapi, neq; Platoni vnquam in mẽtem venerat: quia id prorsus irrationabile, & impossibile videbatur. Vnde cum Athenis de resurrectione corporum, & glorificatione, coram philosophis luculenter Paulus differeret, nimio cũ ctorũ risu, & subsannatione explosus est. Non enim attendebant stultissimi homines (*dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt*) neque considerabant nihil in orbe impossibile omnium creatori: atque in his quæ rationem exuperant, cœlesti potius oracului, quàm infirmo rationis oculo fidem habendam. Quòd enim caro & ossa, qualia nunc sunt mortalia & ponderosa, cœlum inhabitent aliquando, hoc fides non asserit, & ratio prohibet: sed carnem cœlo præstantiorem, digniorem, illustriorem que, imo ipso etiam sole splendidio-

Christi ascendẽtis in cœlum triũphus.

Cur claræ luce & palam Christus ascendere voluerit.

Rom. 1.

cidiorem, super astra locari, & in cœlis degere quis vetat? At dicunt, hoc impossibilius videtur, mortalem scilicet carnem, aliquando ita disponi, vt cœlo ipso dignior lucidiorque reddatur. Sed si artē naturamque inspiciant, hoc incredibile non videbitur. Quid enim nubis vapore deformius? quid vilius? & tamen radiante sole pulcherrima splendidissimaque efficitur creatura. Quid ouium vellere abiectius? quid crassius? ex quo tamen ars valde decora conficit indumenta. Vermium quoque bombycino filo quid leuius? ex quibus omnis sericus decor arte contexitur. Quantam etiam in metallorum materia variationem quotidie arte, & natura fieri conspicimus? Quid ergo miraris ò philosophe? quid rides? quid veram sanctamque doctrinam naso rugato subsannas? Ars & natura hæc possunt, & non poterit amplius artis naturæque institutor, & cōditor Deus? Rudem materiam sic potest excolere ars, & humanam carnem non poterit amplius perficere summus & omnipotens artifex? Noctilucæ (quam lampyridem vocant) corpori natiuum splendorē natura indidit, & miraris quod diuina potentia humano corpori tribuatur. Quāta fieri quotidie natura & arte cernimus, quæ nisi viderentur non crederentur? Quid magnum est si Deo reuelante in his etiam quæ ratio non attingit fides adhibeatur? quamuis neque etiam longe sit à ratione, cum anima remunerari & carnem, quæ multarum ei virtutum in hac vita extitit instrumentum: fieri honoris consortem, quæ fuit etiam socia laboris. Vt ergo ad cœlestia promerenda sperandaque noster erigeretur affectus, oculatum dominus voluit habere regressum, & vt latentis quoque maiestatis foris monstrarentur indicia: sicut scriptum est *Etenim non credentes inhabitare dominum Deum, viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto.* Non credentes ergo, ingressus cœlorum, viderunt, & videntes crediderunt. Sed mirum valdè est, quod recessurus dominus discipulos suos de incredulitate & cordis duritia redarguit. Consolandi enim magis quam increpādi tempus, & opportunitas videbatur. Quis nanque recessurus à suis, durius agit, & non potius beneuolentiam monstrat, vt eius ab omnibus regressus optetur? Sed consulto hoc factum est: tum vt eius increpatio immobilius fixa permaneat, ea enim quæ recedentes vltimo dicimus, ipso nostro discessu amplius commendamus: tum etiam vt ostendat vtilis reprehensionis, & fraternæ commonitionis semper opportunitatem adesse: & cum magis opportuna videatur, tunc maximè esse opportunam. Quamquam etsi importuna videatur, omittenda ideirco non est: sed sicut Apostolus monet. *Argue, obsecra, increpa opportune.* Commonendi autem de sua incredulitate, tunc temporis cum ad prædicandū gentibus fidem destinantur maximè fuerant, vt ex his quæ passi sunt discerent tolerantiam, propriæque hæsitationis memores, alienæ facilius indulgerent: neque mirarentur si eis narrantibus nō facilè gentes assentiant, cum ipsi etiam angelis dominicam resurrectionē asserentibus non crediderint. Supra montē ergo oliuarum, vnde ascensurus erat, discipulis constitutis, longo eos sermone præfatur. Vidistis filioli mei, grex mea, & oues pascuæ meæ, vidistis vitæ meæ processum, & modum, vidistis signa, & prodigia quæ in populo feci, vidistis vulnera, & tormenta quæ pro mundo suscepi, vidistis acerbissimos dolores, & mortem quam pro mūdi piaculis pertuli, vidistis resurrectionem meam, & nunc quoque ascensionem meam videbitis: audistis doctrinam meam & quæ dicere mundo pater verba mandauit. Ite, & toti orbi quæ audistis, & vidistis nunciate: padite mysteria, reuelate sacramenta, docete gentes, instruite populos, cæcos, & miseros in viam salutis & veritatem reducite. *Eritis ergo horū omnium mihi testes in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ*, prædicates vbique Euangeliū meū, omni genti, & nationi, sine exceptione vlla, Græcis, Iudæis, Latinis, & Barbaris, à solis ortu vsque ad occasum nomen meum, doctrinamque diffundite: *baptizantes*

Mar. 16.

Correctio vtilis semper opportuna.

2. Ti. 4.

Quare increparat ante ascēsionē discipulos.

Psal. 99.

Psal. 67.

Act. 1.

zantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Nolite timere, attendite quia ego mitto vos. Ego vici mundum & vos quoque in nomine meo superabitis ipsum. Non enim vestra virtute hæc omnia patraturi estis, sed mea. *Sedete ergo in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Ecce ego mittam vobis spiritum de cœlo paraclerum, qui tanti vos operis idoneos ministros efficiet, sufficientiam virtutemque præstabit. Audiunt læti cœlestis verba magistri: & quia iam iam recedentem videbant, nouam ei ingerunt quæstionem. *Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel*: scimus procul dubio, verum te esse Messiã, recedis & nos Romanis subiectos relinquis: quando ergo implebuntur scripturæ, quæ populo in te libertatem gloriãque regni promittũt? Quibus dominus. *Non est* (inquit) *vestrum nosse tempora & momenta, quæ pater in sua posuit potestate.* Fiet quidem hæc regni quandoque restitutio, sicut promissa est, non sicut vos modo putatis. Tempora verò nolite requirere, nõ ad vos hoc pertinet scrutinium: sed magis videte, vt firmum de me apud homines exhibeatis testimonium. Grande nobis his verbis documentum dominus reliquit, ne diuinorum secretorum & iudiciorum scrutatores simus, ne curiosè quæ ad nos pertinent inquiramus. Quanta cæcitas & stultitia humanas ex hoc possidet mentes? Necessaria vtilia que saluti, in quibus vita æterna & gloria nostra consistit, scire negligimus, & inutilibus, & arduis, & quæ ad nos non pertinent quæstionibus curiosè vacamus. Quid Deo facere possit, quid non possit discutimus: & quid nos oporteat facere non attendimus. Inutilibus disciplinis plenus est mundus: quibus dũ bona implicantur ingenia, necesse est vt in necessarijs, & vtilibus minus valeant. O Christiane possessorem non scrutatorem cœlorum teipsum præstato. Motus cœli dinumeras, & motus tui cordis ignoras: Influentias astrorum discutis, & passionum tuarum influentias non discernis? Quanto tibi vtilior & facilior est scientia tui quàm cœli? quanto facilius in te deprehendere poteris ortus & occasus vitiorum, quàm in cœlo ortus & occasus signorum? quanto sapientius ageres, si ex aspectu morum tuorum futuræ tuæ beatitudinis aut damnationis iudicia percipias, quam ex aspectu astrorum, de futura tibi prosperitate vel aduersitate; & rerum successu, vana & mendacia iudicia proferas? Omitte futura, quære præsentia: noli quoque tu scrutari iudicia quæ pater posuit in sua potestate: noli humanos trascendere limites: *noli sapere plusquam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Non enim homo propter astra creatus est: sed astra propter hominem. Non est homo in agendis astris subditus, sed astrorum dominus liberum te creauit altissimus, & tu astrorum te fateris mancipium? Non est hæc scientia sed stultitia, ab astris perquirere quid agendum: ex astris agnoscere quid futurum Mirantur idiotæ & rudes astrologorum peritiam, sed sapientes eorum stultitiam execrantur. Quòd si aliquando de futuris vera prædicunt, non ideo dicunt quia sapiunt, sed quia dæmonis, aut oraculo, aut instinctu loquuntur: vt iusto Dei iudicio decipiantur, qui huiusmodi stultitijs fidem exhibent, & in talibus vanitatibus suam fiduciam locauerunt. Expriore quoque illa domini sententia, qua inquit, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit,* quidam largam cunctis sperandæ salutis fiduciam spondent, dicentes. Si fides cum baptismo sufficit ad salutem, quid vltra quæritur, credentium quis damnabitur? Omnes credimus, omnes baptizati sumus, non est cur timeat quis de sua salute, cum talem à domino habeat cautionem. Neque attendunt miseri, quod statim subiungitur. *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur, &c.* Vbi viuæ credulitatis traduntur indicia. Si ergo talem fidem habes, quæ ad ista non solum corporaliter, sed etiam spiritualiter implenda sufficiat, fateor saluus eris: æterna tibi salutem promitto. Sed vbi obsecro tanta fides? Extam nu-

Mat. 28. *Ioan. 16.* *Luc. 14.* *Ioan. 15.* *Act. 1.* *Ibidem.* *Astrologia iudiciaria vana est.* *Rom. 12.* *Matt. 16.*

numerosa [illegible]m multitudine rarus admodum inuenitur qui in horum aliquo non deficiat: non dico vt illa prodigia faciat, quæ in ecclesiæ exordio à primis fidelibus facta sunt, in quibus ad literam hoc prognosticum impletum est, sed vt spiritualiter dæmonia non tã ab alieno corpore, quam à proprio corde reijciat: expulsoque per pœnitentiã dæmone, linguis loquatur nouis, cõfessionis videlicet & laudis: lingua enim noua confessio criminis, lingua quoque noua confessio laudis. Vtraque lingua mutus est, qui hospitem pectoris sataną nondum expulit. Mortiferas deinde venenatasque peccatorũ passiones extinguat, quæ serpentino morsu animam enecant: à quibus etsi quandoque mortiferum quid gustauerit, minime lædatur: quia etsi adest sensus, abest tamen consensus, huiusmodi namque venena inuita præsenti non gustare impossibile est. Sed vt Apostolus inquit, *nihil damnationis est his qui sunt in Christo: qui etsi carnem sentiant, non tamen secundum carnem ambulãt.* Rom. 8. Demum verò cum fixam permanentemque in seipsis sanitatem persenserint, intimo charitatis affectu super ægros morti proximos, consulendo, corripiendo, cõmonendo, manus imponant, & sanẽtur. Si quis huiusmodi est qui ita crediderit, & baptizatus fuerit, fateor saluus erit: qui autem sola fide sine operibus consequi à domino salutem expectat, similis est famulo stertenti, qui se laborantibus imprudenter adiungit ad præmium, hac sola innixus fiducia, quia illius domini famulus est. Sed iã ad historiam redeamus. Cũ hæc & similia dominus ad suos discipulos loqueretur, facer ille Angelorum senatus cælo demissus ingenti multitudine aera repleuerat. Astant sursum cœlestis Hierusalem principes auro insignes & ostro, regis domini exitum præstolantes. Rutilat etiam desuper triumphalis currus, grandi decore purpureos radios emittes. Eia princeps gloriæ cœlestia te agmina quærunt, expectat te ciuitatis supernæ omnis authoritas: *surge in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* Num. 10. Col. 2. arca (inquam) corporis tui sacra, *vnde redemptionis humanæ pretium solutum est*, vnde tot mundo factam ẽtorum diuitias edidisti: arca (inquam) illa fœderis in qua sapientiæ & scientiæ Dei thesauri reconditi sunt, hanc tecum ad cœleste tabernaculum arcam defer to, hanc super Angelorum vertices in illo sancta sanctorum æterno, ad patris dexteram collocato: vt particeps tecum gloriæ sis, quæ fuit etiam consors contumeliæ: & maiestatis throno resideat quæ pro mundi salute pependerat in patibulo. Quondam cùm Elisæum prophetam regis Syriæ satellites circundarent, timenti eius puero, apertis animæ oculis, diuinitus ignitorum curruũ ingentem multitudinem Deus ostenderat, quæ domino suo prophetæ venerat in fauorem. An putas & nunc Apostolico cœtui coruscantem desuper potentiam, examinaque Angelorum circumuolitatia, Deus quoque non tenebrauit? Multõ nanq; plures currus domino prophetarũ ascendẽti obuia venerant, quã olim fuerant cũ propheta. De quibus mirabiliter Psalmista intonuit. *Mons Dei mons pinguis, mons coagulatus. Mons pinguis*, & quomodo coagulatus? quomodo pinguis? *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium dominus in eis in Sinai in sancto.* Hac tripudiãtium curruum multitudine mons ille oliuarum ascendente domino coagulatus scatebat, sicut olim cũ Elisæo apparuerat mõs Samariæ. Vnde sequitur *ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus*: vt liqueat quia de Domini Ascẽsione loquebatur. Propter quod de eadem quoque subiungit. *Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto.* Ingressus (inquam) regis domini ad cælestia regna cum gaudio triumphantis. Quorũ autẽ huiusmodi currus extiterint, aduertito. *Coniuncti sunt principes Angelorũ, psallentibus in medio iuuẽcularię, id est* animarũ *tympanistrarũ.* his.n. duabus turmis, Angelorũ s & animarũ stipatus, magn⁹ ille Iacob, reuertitur in patriã suã: qui in baculo crucis suæ quondã solitari⁹ mũdi hui⁹ Iordanẽ trãsierat. Adẽrãt etiã ibi eccles. primates Apost. vicissim

Christiana humanitas figurata per arcam fœderis synagoge. Exod. 2 6

4. Reg. 6.

Psal. 67.

Angelorũ chori assistunt Domino ascẽdenti in cœlos. Psal. 131.

sim cum Angelis, domino communi cãtica dramatis personantes. *Ibi Beniamin adolescentulus*, ideſt dilectus domino Ioãannes, *in mentis exceſſu*, *ibi principes Iuda, principes Zabulon, & princeps Neptalim* duces eorum: quorum inæſtimabilem lętitiam nulla ſufficiet lingua narrare. Quibus ſigillatim allocutis, & amplexatis, matre etiam virgine Maria mira benevolentia vt piè creditur deoſculata, manibus eleuatis benedicens eis, incipit eleuari. O quantus tunc laudis & exultationis cantus, quantus cęleſtium inſtrumentorum ſonitus, qui clangor tubarũ, à ſæculo non eſt audita tanta lætitia. Fęlices qui affuerunt, beati nimium qui hæc viderunt & audierunt. *Aſcendit nanque dominus*, teſte propheta, *in iubilo: & dominus in voce tubæ*. Sicut enim olim in eius natali aſſumptis corporibus Angelorum multitudo corporali voce laudes cecinerat, ita hodie etiam multiplicius corporibus aereis velut tubis corpoream muſicam perſonabant. Quod enim homini eſt tuba, hoc eſt Angelo corpus aſſumptum. Vnde vt ſenſibilem audibilęque harmoniæ concentũ in domini aſcenſione affuiſſe cognoſcas, aſcendiſſe Dominum in voce tubæ typicè propheta prædixerat. Senſim ergo cunctis videntibus & admirantibus ferebatur in cælum, donec nubes lucida eorum occupauit obtutus: iamque ſemotus erat ab oculis, & adhuc ſurſum eorum tenebatur aſpectus. Manent ſtupidi in exceſſu mentis, ſopiti velut exanimes, hęrent ſolo immobilia ſtupore cadauera: eorum namque ſenſus & corda ſecum ad cœleſtia dilectus rapuerat. Illis igitur ſic ſtupentibus, duo Angeli proximo eis aere volitantes, *quid* (inquiunt) *viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum?* Quid attoniti defixis in cœlum oculis contemplamini? Redite ad vos: *hic enim Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* Mira diuinæ prouidentiæ cura: factum eſt hoc, vt quoniam penetrantem cœlos ſequi poterat eorum intuitus, quod viſui deerat, angelico teſtimonio ſupplerętur. Ne videlicet putaret quiſpiam, velut Eliam raptum furiſſe ſum in amœnam terræ paradiſum, ideirco Angeli ſępius replicant repetentes. *Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* Hac igitur voce velut excitati redeunt ad cœnaculum, & ibidem in oratione perſiſtunt expectantes promiſſionem, quàm illis de cœlo ſe miſſurum dixerat dominus. Qualiter autem dominus in cœlum receptus ſit, & quanta ibidem fuerit admiratio cum peregrinos illos ſpiritus duce domino, apertis cœlorum ianuis, in ſuas locari ſedes Angeli proſpiciunt, quantus iubilus & ſtupor ſupernas ex hoc inuaſerit mentes, ex parte Iſaias propheta commemorat: cuius teſtimonium quia omnibus compertum eſſe non dubito, nunc reticeo. Hæc de hiſtoria. ¶ Ad vos nunc ò fratres noſtra conuertatur oratio. *Viri Galilæi quid ſtatis?* An neſcitis quia Galilæi eſtis? an ignoratis quia ex prælenti ſæculo quam citiſſimè tranſmigrabitis. *Quid ergo ſtatis?* quid hæretis? quid futuram in vobis gloriam non requiritis? *Non habetis hic ciuitatem manentem, ſed futuram inquiritis*: ad eam ergo cur non properatis? citò velociter hic tranſplantandi in alieno ſolo quid radices emittitis? An non attenditis, radicarorum in terra quam difficilis, quàm violenta, quàm triſtis & amara ſit auulſio? Conſiderate obſecro amatorum huius ſæculi amaros exitus, graues torſiones, acerbos dolores, quos in morte tolerant: & nolite cum eis ſimiliter radicari. Quid anxiè quæritur quod tam celeriter amittitur? Quid cœlorum futuri perpetuo ciues, tranſitorijs vitæ deliciis inhiatis? Mementote quia Galilæi eſtis, huius tam celeris Galilæi nolite obliuiſci: ſurſum animos veſtros agite, ſurſum ſenſus, & corda leuate: *quæ ſurſũ ſunt quærite, nõ quæ ſuper terram. Ecce enim dux veſter, & dominus coram vobis pandens iter aſcendit*, vos poſt illum properate: quid ſtatis? Quanta illum omnis ſexus, ætatis, & conditionis militum caterua inſequitur? Quàm alacres poſt eum in odorem vnguentorum ſuorum teneræ etiam virgines, & delicati pueri percurrunt?

Pſal.67. *Mat.13.* *Pſal.46.* *Act.1.* *4.Reg.2.* *Act.1. & Luc.24.* *Iſai.63.* *Heb.13.* *Col.3.* *Mic.2.* *Cant.1.*

runt? & vos ſtatis, & vos ſedetis? O Galilæi, ò viatores, ò peregrini, via cælorũ patet, ianua paradiſi aperta eſt: non vos iam Patrum limbus, ſed Angelorum paradiſus expectat. Quid ergo ſtatis? tãta vos gloria manet, & ſtatis? tantũ vobis præmiũ repoſitũ eſt, & hęretis? Talis vobis corona promittitur, & deſidioſe pugnatis? Quid dicam vobis ò deſides, ò pigri, ò inertes? Labor modicus, & ſempiterna lætitia: pugna leuis & corona perpetua: via breuis, & vita longa. O peregrini, quid ſtatis? Ex hoc vitæ veſtræ momento omnis æternitas veſtra dependet, & ſtatis? Tam modico & breui labore gloria perpetua conquiritur, & dormitis? & quod grauius eſt aſpicientes in cęlum? Aſpicitis (inquam) & contemnitis: videtis, & negligitis? Si non vtique videretis, leuior eſſet culpa: at modo quia videtis & deſpicitis, peccatum veſtrũ manet. Pudeat pudeat vinci à gentilibus, à philoſophis gentium ſuperari. Quanta geſſerunt Romani, quàm ardua & præclara opera virtutis aggreſſi ſunt, quàm difficilem, & aſperam vitam philoſophi portauerunt, ſolo amore virtutis allecti, ſola ſapientiæ pulchritudine delectati? Aliam mercedem non expectabant, aliud præmium non quærebant. Quid nos dicturi ſumus, quos tanta præmiorum moles etiam cognita non prouocat ad virtutem? *Væ genti peccatrici, filijs ſceleratis, ſemini nequam, populo graui iniquitate. Erubeſce Sidon ait mare.* iuſtè namque præſentem vitam diligit, qui meliorem aliã nõ cognoſcit: meritò bonis præſentibus inhiat, qui meliora futura non expectat. Vos verò quibus Deus oculos mentis aperuit, vt latentes, reconditaſque cœli diuitias contemplemini, quas non morte & ſanguine, non eculeis & tormentis, ſed vitæ modeſtia, animique continentia poſſideri non ignoratis, vos (inquam) ò Galilæi, ò Chriſtiani, quid ſtatis? Quod ſi nõ mouet vos tantę beatitudinis inæſtimabile pondus, moueat ſaltem terribilis expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt veritatis aduerſarios, propriæ ſalutis contemptores, & pigros. Moueat etiam diſtrictiſſima operum & vitæ veſtræ ratio, quam ſeuerè in die iudicij, in oculis omnium Angelorum, & hominum, reddituri eſtis. *Hic enim Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cælum ſic veniet.* Veniet vtiq; Galilæi, veniet, & cum non expectatis veniet: & ſicut ſcriptum eſt, *veniet, & non ſilebit. Semper* (inquit) *tacui, ſemper ſiłui, patiens fui, vt parturiens loquar.* Quid tunc dicturus es ò Chriſtiane, quid reſponſurus es ò contemptor? Dicet forſitan Gẽtilis, neſciui: dicet Indus, non audiui: dicet Paganus, non intellexi. Tu verò miſer quid dicturus es? Quæ omnia etſi ad cunctos Chriſti fideles apertè pertineant, ad vos tamen ò fratres maximè deriuantur, quos profeſſio, habitus, & tonſura, Galilæos eſſe conuincit. Sed & loquela veſtra manifeſtos vos facit, quippe qui totis diebus ac noctibus, Dei laudibus incumbitis, altiſſimi præconijs deſudati, Angelorum officium in terra exercetis, beatorũ ſpeciem, & modum in corpore geritis, cæleſtium ſpirituum in carne quietem, & puritatem æmulamini. Galilæos vos exhibete: nolite fieri Babylonis huius terrenæ ciues & incolæ: nolite caducis iſtis voluptatibus adhærere: ſed quotidie ad cæleſtia ſuſpicientes, cum Propheta clamate *Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando apparebo ante faciem tuã Deus?* Quãdo trãſmigrabõ? quãdo recedam? quando *tranſibo in locũ tabernaculi admirabilis, vſque ad domum Dei*, vſque ad interius cubiculum, vſque ad reclinatorium aureum, vſque ad viſionem & fruitionem Dei, vſque ad perpetuam illam & ineffabilem dulcedinis & gloriæ tuæ multitudinem? quam dilectis iuſtè præſtas glorioſus & benedictus Deus, cui eſt honor & gl[illegible]ia, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ioan. 9.
Iſai 16. Iſai. 23.
Hebr. 10.
Iſai. 49
Iſai. 24.
Mat. 26.
Pſal. 41.
Ibidem.
Can t. 3.
Iſai. 64. & 1. Cor. 2.

DE EODEM FESTO.
Concio secunda.

THEMA.

Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia.

Ephes. 4.

TRIA in his Apostoli verbis tanguntur: scilicet persona quæ ascendit, locus in quē ascēdit, & fructus Ascensionis: de quibus in præsenti futurus est sermo. In illo doctissimo & altissimo colloquio, ad legis peritum Nicodemum à domino habito, inter alia dominus ait. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo.* Admiratus est super hoc sermone legis ille peritus, & meritò: quis enim super hoc non admiretur? Si ita est domine, quid frustra contendimus? quid frustra laboramus? vt quid ieiunijs, orationibus & lachrymis quotidie nos ipsos atterimus? Væ martyribus, væ virginibus, væ anachoretis, & cæteris mundi contemptoribus, si cœlorum regnum nullus ingreditur. Ad quid ergo tam repetita regni cælorum in Euāgelio promissio? Ad quid frequens illa illius obtinendi, & impetrandi, acquirendi, ad homines exhortatio? Nunquid sibi ipsi euangelium contradicit? Nunquid falsa est fides nostra, & vacua spes nostra? Absit, absit. Quid ergò dicendum ad ad hæc? Augustinus. *Ita est: solus filius Dei & hominis ingressurus est cœlum:* solus (inquam) sed totus. An non cum illo manus, pedes, brachia, & cætera eius membra conscendent? Sumus nos teste Apostolo, membra eius viua, non omnes, sed qui ei fide & charitate adhæsimus: cum his suis membris Christus ipse qui descēdit de cœlo, ascendit in cœlum. Si quis illi nō incorporatus cœlum conscēdere confidit, fallitur fateor, fallitur nimis, & supra modum fallitur. Solus itaque qui descendit ascendet: sed non sicut descendit, ita ascendet. Descendit nudus, & purus Deus: ascendet autem vestitus & accinctus: homo vestitus (inquam) carne, vestitus & tunica talari ecclesiæ, sicut de sanctis scriptum est. *Viuit dominus, quia omnibus his sicut vestimento vestieris.* Vnde propter hoc *vnxit illum Deus oleo lætitiæ & charitatis præ participibus suis,* vt per vnctionem illam qua vnctus apparuit, possent & alij participes adhærere, & illi adiuncti, eius meritò & virtute cū illo ad cælestia rapi. Quamuis possit hoc aliter intelligi: quòd videlicet nemo ascendat in cœlum virtute propria, sed assumatur potius virtute aliena. Sicut in Psalmo scriptum est. *Domini est assumptio nostra, & sancti Israel regis nostri:* Et in cāticis de ecclesia. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectum suum.* Innixa (inquam) quia vtique per seipsam ascendere non valebat. Vnde egregius ille vates de Christo dicebat: *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assūpsit eos atque portauit in humeris suis,* prouocauit verbo, supervolitauit exemplo, assumpsit dono, portauit merito. Quid enim aliud hodie Christus grandi sanctorum Patrum cæterua comitatus apparuit, nisi aquila grandis, alarum suarum remigio pullos suos in cœlestia deferens? in nidum altum, nidum & securum & turum, nidum sempiternum quò nequeat venenatus serpens irrumpere, neque quicquam aliud nocens attingere. In hunc nidum nullus vnquam pullus, neque patriarcha primus, neque prophetа egregius, sed neq; Ioannes ille sanctissimus, *quo maior inter natos mulierum nō surrexit,* alius ascēdere valuit donec parens aquila venit, & eos super se volās ad illum traxit. Vnde psalmographus ille propheta, nidum istum procul inspiciens, & magno cordis sui desiderio ad illum suspirans, clamabat. *Quam dilecta tabernacula tua domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria domini.* Quam bene, quàm apertè concupiscit, & deficit: quia videlicet cælestes illas mansiones pullus aquilæ valde desiderabat, sed non habere se pennas quæ sufficerent ad volandū non ignorabat. Concupiscit desiderio, sed deficit meritò, sed nō diffidit, & vnde non diffidit attēde. *Etenim passer inuenit*

Psal. 44. *Psal. 88.* *Cant. 8.* *Deut. 32.* *primus omnium Christus ascendit.* *Matt. 11.* *Psal. 28.* *Ibidem.* *Psal. 101.* *Psal. 140.*

si de

Joan. 3. *1. Cor. 6.* *Gen. 37.* *Isai. 49.*

sibi domũ, & turtur nidũ vbi reponat pullos suos. Quis passer, nisi ille solitarius in tecto singularis, donec trãseat quæ turtur, nisi casta & gemebunda ecclesia, spõsi sui solatio viduata, cui in hac viduitate gemitus continuus pro cantu est? Reperit ille domum, reperit illa nidum. Domus passeris sinus est patris, nidus turturis pectus est corporis: corporis (inquam) dilecti sui, in quo per lateris aperturam subintrans, secura nidificat, & pullos suos in tuto collocat. Attende nidum,

Apoc. 6. *altaria tua domine virtutum. Sub hoc altari vidit* Ioannes *animas interfectorum propter verbum Dei* clamantes: *vsquequo domine sanctus & verus, non vindicas sanguinem nostrum?* Quid aliud sunt martyres sub altari, nisi passeres in nido? O al-

1. Cor. 15 tare sacrum, ò ara tutissima, in quã turtur ista gemebunda pullos suos destinat seruandos, vtique donec plumescendi tempus adueniat, & *corruptibile hoc induat incorruptionem, & mortale hoc induat immortalitatem.* Et vt de his dictum non

Psal. 83. possis ambigere, sequitur. *Beati qui habitant in domo tua domine, in secula seculorũ laudabunt te:* hæc turtur, ille pulli. Turtur in deserto gemit: pulli sub altario non gemunt, sed garriunt. *Qui descendit ergo, ipse est qui ascendit* Ita Apostolus ait

vbi supr. in prothemate, & Euangelista. *Nullus ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo,*

Psal. 56. *filius hominis qui est in cœlo.* Vide quàm si-

Psal. 148. bi consonant cælestes fistulæ, eodem spiritu personantes? Quid hac scripturarũ concordia suauius? Sed quò ascenditò

Ascensio per diuersos praecantata. Apostole? *Super omnes cœlos* (inquit) sunt enim cœli cælorum teste propheta, neque vno tantum modo cœlum dicitur: est namque cœlum aereum, cœlum sydereum, cœlum aqueum, cœlum empyreum, cœlum spirituale, cœlum intelle-

Psal. 18. ctuale, cœlum supersubstantiale. Hos omnes cælos transcendit Christus, donec ad supremum attingeret. Sicut scri-

Psal. 8. ptum est. *A summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsq; ad sũmũ eius.* Corporaliter namque super mundialis orbis conuexũ sacra illa humanitas locata est, totum corporalem orbem pedibus suis calcans. Sicut scriptum est. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Cunctos etiam angelicos vertices gloria & dignitate superauit: nõ sicut olim in figura, vbi in Dei tabernaculo arca testamenti sub Cherubim locari iussa est: nam vetus illa dignitas tabernaculi cælesti maiestati cedebat: humanitas verò redẽptoris maiestate ampliori sedebat super Cherubin. Et de hac propheta clamabat. *Surge domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis* Psal. 131. *tuæ.* Vnde ipsa hoc ipsum sentiens, ad spõsum aiebat. *Reuertere dilecte mi, similis esto capreæ, hinnuloque ceruorum super* Can. 2. *montes Bethel.* Montes Bethel sunt angelorum vertices, quos omnes hinnulus hic gratissimus celeri salu transcendit. Quantum ergo prius descenderat, tantum rursus ascendit. Ascensum & descẽsum istum attẽdite in propheta, *Inclinauit*, Psal. 17. inquit, *cœlos, & descendit: & caligo sub pedibus eius.* Ecce descensum vsque ad caliginem, vsque ad inferorum tetram & caliginosam abyssum. *Et ascendit*, inquit, *super Cherubin, & volauit super pennas ventorum.* Ecce passeris volatum, ecce ascensum. Descendit quò amplius nõ decuit: & ascendit quò amplius non potuit: vt Bernardus ait. Decuit enim eum, qui cùm esset filius Dei vnigenitus, & gloriæ princeps, patris obedientia paulominus ab Angelis minoratus est, & inter homines minimus & vltimus inuentus est, super omnes homines & Angelos Psal 8. gloria & honore sublimari, vt in eo iustitia Dei consummationem accipiat. Hoc est quod Apostolus ait. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se* Phil. 2. *æqualẽ Deo.* Quãta maiestas? *sed semetipsum exinanauit formã serui accipiens.* Quãta humilitas? sed vsque ad quid? vsque ad formã serui, vsq; ad alapas, vsq; ad irrisiones, vsq; ad flagella, vsq; ad tormenta, *vsque ad mortẽ*: ne quid de genere mortis deesset, *mortẽ autẽ crucis:* O descensũ maximũ, ò profũdissimã humilitatẽ, sic humiliatus est filius Dei. Audi nunc simile & correspondentem à iusto Deo exaltationem: *propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod* Ibidem.

est super omne nomẽ, vt in nomine Iesu, omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Ecce quomodo descendit, ecce quomodo ascẽdit: eisdẽ enim gradibus quibus descẽderat, rursus ascendit. Tribus namq; gradibus filius Dei descenderat, scilicet vsque ad formã serui, vsque ad passionem, vsque ad mortem: & per eosdem ascendit. Quia enim patris amore factus est seruus, super omnem creaturã meritò constitutus est dominus: quia iniquè ab homine iudicatus est, viuorum & mortuorum à patre constitutus est iudex: & quia pro omnibus mortuus est, sibi & omnibus immortalitatem & ęternitatem promeruit. Inde exaltatus, vnde prius fuerat humiliatus: descendit Deus vsque ad passiones carnis, ascendit caro vsque ad proprietates Dei. Esurire namque, sitire, lassari, fatigari, pati, mori, passiones carnis sũt: has Deus assumpsit, vt caro fieret impassibilis, incorruptibilis, immortalis, perpetua sicut Deus: Deus factus est homo seruus, vt homo Deus omnib. dominetur. Vnde & sedere ad dexteram patris in Euangelio hodierno dicitur, non quia materiali quodam throno resideat, sed propter cunctarum rerum præsidentiam, gubernationem, & dominium, propter gloriæ, & dignitatis excellentiam super omnem creaturam, propter honorem & cultum, quò cum Deo ab omnibus simul adoratur & colitur. O mirabilem exaltationem, ò eximiam generis nostri gloriam, vt homo Angelis præsideat, mundum regat, omnibus imperet, & cuncta disponat. Frater, inquam noster, & caro nostra in cœlo & in terra dominatur & regnat. Quis super tãto honore non gaudeat? quis de tanto fratre non glorietur? Quis seruus quem domini sui tam sublimis gloria nõ tangat? Exultemus, & lætemur fratres in hac die, gratulemur fratri nostro ad Dei dexteram super Angelos sublimato, gratulemur & nobis eiusdem gloriæ & dignitatis consortibus: non enim sibi tantũ, sed omnibus fratribus suis hunc accepit honorem. Vnde dicebat: *Ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam.* Et iterum. *Si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum: vt cum abiero, & parauero vobis locum, iterum veniam, & assumam vos ad me ipsum: vt vbi ego sum, & vos sitis.* Non vult regnare solus, omnibus nobis regna parauit. Expectat nos frater noster dilectissimi, properemus, festinemus exire de carcere, & cælestes cum illo diuitias possidere. Si quis enim pauper & nudus, exilio deputatus, regẽ Franciæ aut Hispaniæ clarissimum sibi fratrem haberet, qui eum suæ felicitatis & regni ardentissimè cuperet habere consortem, quanta putaris ad eum diligentia properaret; & nos tantam dignitatem & gloriam nobis paratam & promissam negligemus? Grandis itaq; nobis vtilitas ex domini saluatoris ascensu accreuit: nam qui propter nos descenderat, propter nos quoque ascendere dignatus est. Descendit propter iustificationem nostram, ascẽdit propter glorificationem nostram, descendit vt præstaret salutem, ascendit vt pararet mansionem. Sicut ipse ait: *Vado parare vobis locum.* O eximium sui populi metatorem. Denique sicut in prothemate dicitur, *ascendit, vt adimpleret omnia:* adimpleret (inquam) virtute, sapiẽtia, lumine, gratia, spiritu & veritate: vt cõsummaret, è cælo, quæ 30. annorum spatio in terra degẽs inchoauerat. Sicut propheta orabat. *Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis, à templo sancto tuo, quod est in Hierusalem.* Vacua enim erant ante eius ascensum corda fidelium, sed adimpleuit ea rore cælesti. Sicut in Psalm. scriptum est. *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata est, tu verò perfeciſti eam.* Et rursus. *Visitasti terram, & inebriasti eã, multiplicasti locupletare eam, riuos eius inebrians. Multiplica genimina eius, in stillicidijs eius lætabitur germinans.* Sicut enim in vere, ascendente sole super capitis nostri zenith, terra prius sterilis & arida, herbis, virgultis, & floscul is vernat: arbores frondibus, floribus, & fructibus vestiuntur: ita Christo in æthera conscendente, arida ecclesiæ facies, multiplici gratiarũ & charisma-

Quam vtilis nobis ascensio sit.

Simile.

Rom. 4.

Ioan. 14.

Ephes. 4.

Psal. 67.

Ibidem.

Psal. 64.

Simile.

Mat. 16.

Gen. 37.

Psal. 117.

Ioan. 14.

rissmatum varietate refloruit: Sic antea per propheram Dominus promiserat, dicens. *Erit firmamentum in terra in summis*
Psal.71. *montium, superextolletur super Libanũ fructus, & florebunt de ciuitate sicut fœnum terræ.* Fructus (inquam) ille virgineus benedictus, super naturæ angelicæ libanum, & cedros illas altissimas extolletur: & tunc rorem spiritus stillantibus cœlis, in nostra hac ciuitate, arida prius corda florebunt sicut fœnum terræ. O quales tunc martyrum & virginum flores? quàm candidos & purpureos flosculos ecclesia pullulauit? O quanta spiritus viriditate vernauit? quanto gratiæ vigore decorata est. Videres cateruatim gentes innumeras ad fidem confluere? & populos cœlestis gratiæ sitibundos, auidissimè baptismi aquam exposcere. Cunctis fidelibus tunc hoc vnum votum erat, toto animo Christo deseruire & pro illo mortem & extrema omnia pati. Heu heu, *egressus est à filia Sion omnis decor eius,*
Thre.1. & omnis illa viriditas exiccata est. *Vineæ confusa est, & ficus elanguit: malum, & omnia ligna agri aruerunt. Confusi sunt agricolæ, vlulauerunt vinitores super frumento, vino, & hordeo, quia periit messis agri.* Ver mutatum est in autumnũ, & ad priorem ariditatem terræ nostræ facies redacta est. Sed ad propositum redeamus. Consueuerunt principes, regni aut imperii
Simile. possessione susceptâ, pecuniæ copiosam multitudinem gratulanti populo effundere, & nobilibus regni atque magnatibus amplissima dona largiri. Sic etiam gloriæ princeps, postquam sanguine suo partum cœlorum regnum intrauit, magnifica suis dona diuisit: vt ex hoc maiestatis & gloriæ suæ diuitias ostenderet, & ad eas desiderãdas absentium animos inclinaret. Quàm apertè hoc Prophera
Psal.67. vaticinatus erat ante? *Ascendisti* (inquit) *in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus.* Accepisti (inquam) in hominibus munera, quæ ipse dedisti: sic n.
Ephe.4. hũc locum de spiritu sancto citat Apostolus, dicens, *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* In tertis namque velut pius medicus, languores nostros ægritudinesque curauit: E cælis autem velut potens dominus, pretiosa magnificaq; nobis dona demisit: vt sicut in terris eius misericordiam experti sumus, ita in cælis eius potentiam nosceremus. Hæc de domini nostri ascensione breuiter dicta sufficiant. Quod verò ad nos attinet fratres, conemur & nos similiter cum illo descendere, vt similiter ascendamus. Nõ enim alia via ascendisti, nisi descendẽdo. Descende coram te, & ascendes coram Deo: esto paruus in oculis tuis, &
1.Reg.15. eris magnus in oculis Dei. quia verè qui descendit, ipse est qui ascendit: & è contrario, qui ascendit, ipse est qui descen-
Ephe.4. dit. Vnde Psalm. *Deiecisti eos dum allenarentur.* Quò maiorem te repuras, minor
Psal.7. es: & quò minorem te facis, maior haberis. Discè homo humiliari, vt exalteris: discè contemni, vt sublimeris: stultissimum nanque est alia via quam humilitatis cœlum conscendere velle. Quid enim? per humilitatem Christus sublimatus est in gloriam suam, & tu per superbiam exaltaberis ad alienam? Caput in tormentis deficitur, & membrum in deliciis coronabitur? Omiserandam stultorum hominum insaniam, ò phrenesim nimis dolendam, ò mentis cæcitatem nunquam pro merito deploratam. Qui Christiano nomine censentur, qui fidem Christi eiusque doctrinam euangelicam profitentur, quid dico profitentur, imò qui de populi Christiani ducatu magisterioque gloriantur, hi superbiæ facibus magis ardent: hi honoribus & ...nitatibus insatiabilibus inhiant, h... omnis cura & solicitudo est, qualiter ... ter homines magni & honorati videantur, & in acquirendis ampliandisque reditibus, annos suos omnes, & totam vitam expendunt. Quid (inquã) delirius, quid insanius, quàm sub humilitatis ... illo, ambitioni militare, & in magistri humilis schola, superbiam profiteri? Quomodo audierũt hi cœlestis verba magi-
Matth.11. stri? *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris.* Imò contritio & *infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt:*

vtique quia viam humilitatis deseruerunt. Non est enim par, nō est quies, nisi in humilitate. Quid enim mūdum inquietat, nisi ambitio & superbia? *Cum enim* (vt Bernardus ait) *descendere facillimum sit, & ascendere difficillimum, homines miserandi facilem viam contemnentes, asperam, & difficilem elegerunt, iustam stultitiæ suæ retributionem recipientes, laborem improbum vque ad mortem, eos veluti sub* Psal. 36. *tribulo paleas demolientem, cōterentemque.* O homo *desine obsecro ab ira, relinque furorem*, quid frustra consumeris? Abiice superbiæ pondus: euome ambitionis venenum, & requiesces. Non enim per dignitatis, sed per virtutis & humilitatis gradus est ascensus in cœlum. Vis tibi ostendā hos gradus? prophetam audi. *Ibunt de virtute in virtutem, & videbitur Deus Deorum in Sion.* Et iterum. *Beatus* Psal. 83. *vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in* Ibidem. *corde suo disposuit.* In corde (inquam) scala tibi erigenda est, per quam ascendas in paradisum: non in habitu, non in sermone, non in exteriori aliqua cæremonia, vel cultu: omnis namque gradus perfectionis profectusque virtutis, in corde potius quam in opere, vel sermone quærendus est. Non enim aspicit Deus, quid aut quātum agas, sed quantum in eius desiderio & amore proficias. Nam etsi ex operibus vnusquisque iudicandus est, virtus tamen operis est Psal. 23. charitas cordis. Quàm apertè hos ipsos gradus idem propheta in alio Psalmo distinguit, dicens, *Quis ascendet in montem domini, aut quis stabit in loco sācto eius?* Et huic quæstioni respondens, subiungit. *Innocens manibus & mundo corde, qui* Qui gradus sint Ascensionis. *non accepit in vano animam suam, neque iurauit in dolo proximo suo.* Hi quatuor sunt gradus per quos in vitam ascenditur: scilicet innocentia in vita, puritas in corde, fructus in opere, veritas in sermone. Primo igitur ab omni labe peccati, & ab omni fæce libidinis & terrenæ cupiditatis, mundandum est cor: scriptum est enim, *Beati mundo corde, quoniam ipsi* Matt. 5. *Deum videbunt.* Deinde curandum, vt nemini noceamus, & inter proximos nostros, & fratres sine querela viuamus. Sed Sap. 12. non satis est ad vitam, si malum proximo non irrogamus, nisi etiam bonis operibus proficiamus. Vnde ait. *Qui nō ac-* Psal. 23. *cepit in vano animam suam.* Frustra enim rationalem accipit animam, qui brutaliter viuens, rationis non elicit actus, sed more pecudum, tota vita otio, & voluptatibus incumbit: dormire namque, comedere, bibere, luxuriari, vagari, iucundari, & similia, brutis, & hominibus cōmunia sunt. In quo ergo te à brutis discernis, si præter hæc in vita alia non ostendis? Restat adhuc veritas in sermone, vt qui proximum non lædit facto, non etiam decipiat verbo: sed probitatem vitæ linguæ veritas comitetur. *Si* quis ergo hæc quatuor supradicta inuiolabiliter obseruauerit: si quis breuem istā quatuor graduum, sed arduam & difficilem scalam sedulo conscendere procurauerit, *hic accipiet benedictionem à domino, &* Ibidem. *misericordiam à Deo salutari suo. hic ascendet in montē Domini, & stabit in loco sancto eius*, hic perpetuæ felicitatis gaudiis perfruetur æternis cum Deo, & filio eius vnigenito, Iesu Christo domino nostro: cui est honor, gloria, imperium, & potestas, in sæcula sæculorum. Amen.

Deo gratias.

IN ASCENSIONE DOMINI Concio Tertia.

THEMA.

Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua.

Psalm. 56.

IVsta quædam in deuotis mentibus fratres dubitatio surgit, quid hoc sit, quòd filius Dei vnigenitus, qui ex ardentissimo amore suæ flagrantissimæ charitatis, è sinu patris descendens, terras lustrare, & miserias nostras subire dignatus est, & nobis cælestia regna donaret, post resurrectionem suam nobis in hoc exilio relictis, post modicū tēpus ipse in cœlos sine nobis redierit. An sicut vita, ita & animo in resurrectione mutatus est, vt glorioſus effectus, mortalium obliuiscetur, quos sanguine

fuo & morte redemerat. Quis hoc dicat, cùm ipſe per prophetam clamet: *Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio veteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te.* illasque vulnerum memores cicatrices in tui memoriam in meo corpore reſeruaui. Quid ergo bone Ieſu, cur tam citò rediſti, cur ſine nobis aſcendiſti? Secura tibi tua gloria erat, cur non expectaſti nos, vt in vltimum diem tecum in cæleſtia regna gaudentes migraremus? An non melius eſſet, vt ſocius itineris & peregrinationis noſtræ, gregis tui tum conſolator & cuſtos exiſtens, poſtmodum ductor iter pãderes ante eũ, & cũ gloria & triũpho tuis comitantibus, ſupernam illam ciuitatem intrares? Quantum ſolatii, quantũ ſecuritatis & gaudij, ouibus tuis hæc tua præſentia contuliſſet? Te præſente non graues fuiſſent perſecutiones, tormenta omnia tyrannorum & vitæ huius diſcrimina nobis tolerabilia viderentur; nihil tam durum, nihil tam acerbum, quod non tuo eloquio molliretur. Vita hæc calamitoſa & triſtis, leuis nobis & facilis tua iucunda ſocietate fuiſſet: ſi quid ſcrupuli incidiſſet, conſuleremus te: ſi quid periculi, fugeremus ad te: ſi quid doloris & amaritudinis, recrearemur à te: eſſesque nobis etiã nũc omnia in omnibus in quibus indigeremus te. Oues, inquam, tuas, quas tanto pretio comparaſti, inter atroces lupos & beſtias crudeliſſimas relinquis, & tu ad cæleſtia tutus migras? Dic mihi ô gloria mea, vbi amor tuus? vbi pietas? vbi viſcera illa charitatis flagrantia? Hæc ne cura gregis, hæcne ſolicitudo tuorum? Filiolos tuos miſeros & ærumnoſos in hac lachrymarum valle relinquis, & ſolus ad regni ſolatia vadis? Quænam hæc impietas regni, vt tuos deſeras in ærumnis? Expectares domine, ſuſtineres modicum, vt finito mundi curſu, nobiſcum triumpharet: non enim è cœlo veneras quærere quæ tua ſunt, ſed quæ omnium. Hãc noſtrã quærimoniam fratres agnoſcite in propheta, cum ait. *Quare ſicut colonus futurus es in terra, & ſicut viator declinans ad manendum?* Quaſi diceret. Ciuem te volebamus, non colonum; indigenam, non viatorem; ſicut in hoſpitio, ita in mundo breui triginta annorum ſpacio verſatus, celeri curſu in patriam vnde veneras remeaſti. An ideo veneras, vt abires? Et alius propheta hanc ipſam feſtinantiam deſignans, ait. *Exultauit vt gigas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius.* Sed ô verè *magnum pietatis ſacramentum*, mirandumq; diuinæ diſpoſitionis cõſilium. Qui propter nos venerat, propter nos rediit; nos illi aduentus cauſa, nos cauſa regreſſus. Sic vtique nobis expediebat, ſic oportebat, vt cito rediret. Natus propter delicta noſtra, *reſurrexit propter iuſtificationem noſtram*; aſcendit propter glorificationem noſtram. In omnibus ſe nobis vtilem exhibuit: totus noſter, & totus in noſtros vſus expenſus. Audi ſuper ſuo reditu pſalmographum eum deprecantem, obſecrantemque. *Exurge domine Deus meus in præcepto quod mandaſti, & ſynagoga populorum circundabit te, & propter hanc in altum regredere.* Prꝛterquã q mandauit, amor eſt; ſicut in Euangelio dicit. *Hoc eſt præceptum meũ, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* Hic amor (inquit) domine à mortuis te ſuſcitet, quem moriens commendaſti: in hoc exurge, & ſynagoga populorum, quæ mortalem te non agnouerat, circundabit immortalem; & propter hanc in altum regredere; propter hanc veniſti, propter hanc regredere. Gratias tibi domine quia veniſti, obſecramus vt redeas; ſic volumus, ſic cupimus, ſic petimus, ſic nobis expedit ad ſalutem. Grata nobis præſentia tua, ſed valde vtilior aſcenſio tua, *Reuertere* obſecro in *requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.* Sufficit nobis vt in ſacra Euchariſtia velatus permaneas. Quàm efficaciter idipſum ſponſa in canticis deprecatur & rogat: *Veniat* (inquit) *dilectus meus in hortum ſuum, vt comedat fructum pomorum ſuorum, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat.* Et aduentantem inſpiciens, *ecce* (inquit, *iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens*

Iſa. 49.
Ibidem.
Mich. 2.
1. Cor. 15.
Luc. 10.
Ioan. 8.
Ier. 14.
Pſal. 18.
1. Tim. 3.
Rom. 4.
Pſal. 7.
Ioan. 15.
Pſal. 131.
Cant. 5.
Cant. 2.

liens colles. Et post modicum. *Reuertere,*
Ibid. *similis esto dilecte mi caprea, hinnuloque ceruorum super mõtes Bethel.* Et iterum. *Fuge dilecte mi, assimilare caprea hinnuloq; ceruorum super montes aromatum.* Quænã hæc leuitas ò sponsa, modò vocas, modò reiicis. Rogasti vt veniat, & iam iterum rogat vt vadat. vbi sunt illi gemitus, illæ lachrymæ, clamores, & voces illę? *Rorate*
Isai. 45. *cœli desuper, & nubes pluant iustum; emitte agnum domine dominatorem terræ; vtinam*
Isai. 64. *dirumperes cœlos, & venires.* Quid aliud ista his vocibus clamitat, nisi veniat dilectus meus in hortum suum? & lilia col-
Cant. 5. ligat? In hortum (inquam) suum, quem plantauerunt manus eius, quem ipse inseuit ab initio, vt pascatur in hortis, & lilia colligat. Nemo enim potest ea colligere, nisi hortulanus; ipsi soli reseruata sunt; nisi ipse aduenerit, omnia lilia & rosæ marcescent. O pulcherrimas rosas, ò placidissima lilia, virginum & martyrum animas, niueo purpureoque candore vernantes: has monet sponsum colligere, & patri suo gratissimas, fide veluti canistro deferre: propter quod & monet vt redeat, non quidem leuitate fœminea, sed quia sic nouerat expedire. Vt quid enim collectis liliis
Cant. 8. v. 14. morabitur sponsus ea patri deferre? Sed illud magis admiror, quòd post longum cum sponsa colloquium, vltimo monet: *fuge dilecte mi.* Vt quid fugiat ò sponsa? vt quid fugiat? Absit à fortissimo principe, vt fugiat. Quid enim? mortalis militum caterua vallatus non fugit, & nunc fugiet immortalis? Non
Num. 24 faciet hoc, cuius *fortitudo est sicut rhinocerotis. Christus resurgens ex mor-*
Rom. 6. *tuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Incõmoda nulla pati potest, & quomodo eum tumones vt fugiat? nec propè, sed procul & celeriter, & vbi iterum capi non possit super mõtes Bethel, id est super cœlorum vertices, & angelicas potestates. Plena sunt ista mysteriis, & quæ nisi exponat spiritus, non penetrat intellectus. Sed iam exponamus, quid mundo vtilitatis hæc Christi ascẽsio attulerit, vt sic obnixè super reditu ei supplicetur: quid enim aduentus eius profuerit, nouimus palam omnes, sed de reditu non ita liquet. Sed mentiri non potuit qui dixit, *Amen dico vobis, expedit vobis vt ego vadam.* Sed quomodo nobis expediat audiamus. *Si enim non abiero* (inquit) *paracletus non veniet ad vos, cum autem abiero, mittam eum ad vos.* Et iterum: *si quo minus dixissem vobis quia vado parare vobis locum, & cum parauero vobis locum, iterum veniam & assumam vos ad me ipsum.* Duo ex his verbis emolumenta colligimus, & quòd paracletum missurus, & quod nobis in cœlo locũ paraturus sit. De primo Apostolus ex
Psal. 64. propheta citat: *Ascendẽs in altum, captiuã duxit captiuitatẽ, dedit dona hominibus.* De
Mic. 2. secũdo alius propheta vaticinatus erat ante *Ascẽdet pandens iter ante eos.* Et bene pandens iter, quia nisi ipse præcessisset, nullus vtique sequeretur: & nisi prior cælos penetrasset, nemo sanctorum vsque in finẽ sæculi illuc intrasset. Et quãquam in eius societate vbilibet beati essent, non tamen oportuit beatos tãdiu promissa cœlestis Hierusalem amœnitate priuari, iucundaque ciuium supernorum societate fraudari. Quid profuisset interea cœlorum aperuisse ianuam, si per eam nullus intraret? Reatus filiorum solutus erat, vt quid hæreditas differretur? Ascendit itaque prior parare nobis locum, quasi legatus, quasi patronus, quasi aduocatus: vt assistat vultui Dei pro nobis, sicut Apostolus ad He-
Heb. 9. bræos ait. *Non enim in manufacta sancta Iesus introiuit, exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Et Ioannes apertius in epistola,
1. Ioan. 2. *Filioli mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis, sed et si quis peccauerit, aduocatum habemus*
Ibidem. *apud patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Ipse (inquam) aduocatus, ipse iustitia, ipse venia, & propitiatio nostra. Nõ nostra merita, sed sua vulnera coram patre hic allegat aduocatus. O mirum aduocandi modum, vbi in aduocati merito clientis iustitia consistit: causæ modo factus est aduocatus, cuius postmodum futurus est iudex. Et quando clientem suum dãnabit aduocatus pius? O magnã spei
Rom 8. nostræ

Fuit valde vtilis mundo ascensio Dñi.

nostræ fiduciam fratres? *Si Deus pro nobis*
Ibidem. *quis contra nos? quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est, imo*
Rom. 8. *qui & resurrexit, qui & est ad dexteram Dei. qui etiam interpellat pro nobis. Quis nos* ab huius tanti aduocati *charitate separabit* fratres, vt non eum totis viscеribus
Psal. 22. diligamus? & in eo omnem spem nostram reponamus? Non me capiò præ lætitia, quoties mihi hoc patrocinium in mentem venit. Quando occisero, vincetur & cadet causa, quæ filium regis vnigenitum, fratrem nostrum, patronũ habet & iudicem? Non mihi tanta fiducia in totius cœlestis curiæ patrocinio reposita est: cùm enim alia defuerint patrocinia, hic mihi nunquam deerit ad-
Psal. 31. uocatus. Quam pulchrè hoc psalmista personat, dicens Dixi: *Confitebor aduersum me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac*, scilicet impietate mea, *orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno, verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Quid ergò? desperabo, quia sancti tunc non approximabunt? Non vtique. Sed quid? *Tu*, inquit, *es refugium meum à tribulatione quæ circundedit me. exultatio mea, erue me à circundantibus me.* Ad te domine confugiam deferentibus sanctis in diluuio aquarum multarum, tẽpore importuno: expectat enim sanctorum omnium interpellatio opportunum tempus. Tibi autem filio regis, domino meo, patrono meo, omne tempus est opportunum. Non itaque timebo abyssum aquarum multarum quam deuorat abyssus misericordiarum tuarum domine.

Deo gratias.

IN DIE SANCTO Pentecostes.

THEMA.

Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.

Psalm. 103.

NOn sumus hodie de spiritus sancti persona locuturi, sed de eius aduentu: de quo gratia illius adiuuante dicemus, propter quid venit: & quomodo venit: tertio quomodo in nobis spiritualiter nunc veniat.

Sub quadruplici forma Spiritus S. missus est. *Ioan. 1.* *Luca. 9.* *Ioan. 20.* *Act. 1.*

Sicut à theologis doctoribus traditur, duplex est spiritus sancti missio, visibilis & inuisibilis. Missio visibilis est, quæ sub aliquo signo sensibili fit: & sic spiritus sanctus sub quadruplici forma, missus siue datus legitur. In specie columbæ in baptismo: in specie nubis in transfiguratione: in specie flatus post resurrectionem: in specie ignis in die Pẽtecostes. Vnde semper apparuit sub exteriori signo effectui inuisibili proportionato. In baptismo namque, quia spiritualis regenerationis negotium agebatur in aquis, fœcundæ auis typum assumpsit. In transfiguratione autem, quia doctor & magister sæculi Christus pronũciabatur à patre, cum ait, ipsum audite, nobis roscidæ figuram habuit: vt euangelicæ doctrinæ pluuiam, ecclesiæ faciem fœcundaturum designaret. Vnde quidam propheta: *Filiæ Sion exultate, & lætamini in domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorẽ iustitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum & serotinum, sicut in principio.* Post resurrectionẽ verò, quia remittendi peccata discipulis facultas præbebatur, & sine gratiæ inspiratione non fit, in flatus specie inspirando spiritus datus est. Nunc autem, quia magistri & prædicatores orbis Apostoli destinantur, vt sapientiæ & eloquentiæ gratia eis collata exteriori signo panderetur, in forma linguæ congruenter apparuit. Sicut in hymno hodierno ecclesia concinit. *Ignis vibrante lumine, lingua figuram detulit, verbis vt essent profluæ, & charitate feruidi.* Alia est missio inuisibilis, qua quotidie spiritus sanctus electorum cordibus spiritualiter immittitur: de qua dominus in Euangelio. *Spiritus vbi vult spirat: & vocem eius audis, & nescis vnde veniat, aut quo vadat.* Non enim exteriori aliquo signo eius aduentus agnoscitur, sed interioti quodam experimento vox eius & inspiratio deprehenditur. Nam etsi motio eius interior, quæ vox

Luc. 9. *Ioel. 2.* *Ioan 3.* *Deus interiùs clamat et vocat hominem.*

in Euangelio nuncupatur, aliquando sentitur, sed tamen à quo sit illa vox, vel in quem finem tendat, penitus ignoratur O vocem potentem, quæ interiora nostræ mentis concutit, & visceribus nostris flammam ignis incendit. De qua Psalm. *Vox domini in virtute, vox domini in magnificentia, &c.* Est autem miraculum hoc grande in hac spiritus infusione, quod cùm à spiritu nostro longè amplius in infinitum distet spiritus Dei, quam quiuis alius spiritus, nullus tamē ei sic intimè interferri & vniri potest, sicut ille. Vnde neque Angelus Angelo, neque Angelus homini, aut dæmoni, neque dæmon Angelo, aut homini, aut dæmon dæmoni sic illabi potest, sicut spiritus sanctus illabitur menti. Hæc enim intima & veluti substantialis inhabitatio, vnioque, soli Deo conuenire potest: qua præsentior & intimior sit animæ, quam sit ipsa sibi. Vnde Bernardus. *Illud autem scitote, nullum creatorum spirituum per se nostris mentibus applicari, vt videlicet nullo mediante nostri, siue corporis instrumento, ita nobis vniatur, & infundatur, quo eius participatione docti siue doctiores, boni siue meliores efficiamur. Nullus Angelorum, nulla animarum hoc modo mihi capibilis est: nullius ego capax: neque ipsi Angeli ita se alterutrum capiunt. Sequestretur proinde prærogatiua hac summo & circunscripto spiritui, &c.* Hæc Bernardus. Deprehenditur autem à nobis multipliciter hic illapsus: scilicet deuotionis feruore, intelligentiæ claritate, mentis inenarrabili dulcedine: cordis dilatatione: hiantis animæ desiderio: operis mira facilitate: quibus veluti indiciis præsentia spiritus innotescit: quæ multo melius esset sentire, quàm dicere: possidere, quã exponere. Sed quænam fuit ratio, quæ causa, vt post viuificam illam spiritus infusionem in flatu, iterum spiritus mitteretur in igne? Hoc nunc tractemus hoc in sermonis exordio proposuimus. Cuius rei tres potissimas inuenio causas: prima quam Diuus Bern. assignat, vt Trinitatis mysteriũ hominibus innotesceret. Erat naque ex operibus creationis satis agnitus Deus pater: ex ipsa etiam incarnatione & miraculis filius aliqualiter innotuerat: quid supererat, nisi vt spiritus sanctus visibili aliquo signo mõstraretur, vt illius notitia haberetur in mundo? inter omnes enim diuinas personas spiritus sanctus occultior habebatur. Quæ enim gens tam barbara & rustica, vt Deum omnino nesciat? & per hæc visibilia quæ cernimus, conditoris omnipotentiam non intelligat? *Inuisibilia enim Dei, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* De verbo autem Dei, non ita communis & vulgaris notitia erat: nisi quod philosophorum peritissimi nescio quo lumine, ad ipsum attigerant, suspicando magis, quã comprehẽdẽdo. Hermes enim ille trismegistus philosophus antiquissimus de verbo Dei librum edidisse dicitur: & Plato philosophorum omnium maximus, Augustino authore, eousq; in verbi cognitionẽ profecerat, vt eadem quæ Ioannes in sui Euangelii exordio, de verbo Dei, licet aliter protulerit. Sed de Spiritu sancto, nulla vspiam apud philosophos, aut vulgares, facta est mentio, propterea (vt opinor) quia productio illa, qua Spiritus sanctus producitur, in illam habeat in natura similem: cum enim à patre naturam sicut & filius accipiat, & ei consubstantialis sit, & cõsimillimus: neque tamen eius productio generatio est, neque ipse productus est filius, sed Spiritus S. dicitur: quia spiratione non generatione producitur. Huius rei nulli philosophorum vel leuis vnquam suspicio suboriri potuit: quoniam longè sit ab omni sensu ista productio. Vnde apud Exodum, Magi Pharaonis defecerũt in tertio signo: quia mũdi sapiẽtes de Spiritu sãcto nullã omnino habuere notitiã. Vide quã necessaria hæc spiritꝰ manifestat. fuerit, sine cuius cognitione neq; fidelibus vita est. *Hæc enim est vita æterna, vt cognoscãt te Deũ verũ, & quem misisti Iesũ Christũ.* Fuit etiam hoc aliũde necessarium, vt Dei pietatem, beneuolentiam, charitatem, quam hominibus exhibuerat spiritus declararet: & quantũ Deo homines debeãt eius lumine noscerentur. Vnde Apostolus: nõ *inquit, accepimus spiritum huius mundi, sed spiri-*

Psal. 28.

Ber. super Cãt. Ser. 5

Causa quare Spiritus S. in igne apparuerit.

Bern. serm. 1 in die Pentecostes.

Exod. 8.

Ioan 17.

1 Cor. 2.

ſpiritum qui à Deo eſt: vt ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis. Opus enim illud inſigne verbi incarnationis, & humanæ redemptionis, non aliter mundo innoteſcere potuiſſet, niſi hanc ſpiritu Dei homines illuſtrati didiciſſent. Ille ſcripturas quas ore prophetico protulerat, expoſuit: ipſe myſteria & figuras quas olim præmiſerat, declarauit: illo magiſtro & doctore, homines arcana cœleſtia didicere. Quid autem nobis redemptio, quid incarnatio, quid paſſio non agnita profuiſſet? Vnde huius aduentus vtilitatem & finem dominus inſinuans, ait: *Cùm venerit ille paracletus, ille teſtimonium* Ioan.15. *perhibebit de me ille me clarificabit: ille docebit vos omnem veritatem. Non loquetur autem à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet loquetur: & quæ ventura ſunt annunciabit vobis* Ex quibus verbis, in veritatis lucem & magiſterium, hunc ſpiritum fuiſſe demiſſum apertiſſimè cõſtat. O mirificum doctorem, quis ita docet vt hic ſpiritus? Vna ſola prælectione diſcipulos conſummauit, & ex rudibus piſcatoribus doctiſſimos ac eloquentiſſimos prædicatores fecit. Vnde Gregorius huius magiſterii potentiam admiratus exclamat. *O qualis eſt iſte artifex ſpiritus, nulla ad diſcendum mora indiget. ſed in omne quod voluerit, mox* 1.Reg.16. *vt tetigerit mẽtem docet: ſolumque tetigiſſe, docuiſſe, eſt* Implet namque citharædum puerum, & Pſalmiſtam facit: implet paſtorem armentarum, ſycomoros vellicantem, & prophetam facit: implet abAm.2. ſtinentem puerum, & iudicem ſenum facit: implet piſcatorem, & prædicatorem Dan.13. facit: implet perſecutorẽ, & gẽtium doctorẽ facit: implet publicanũ, & EuãgeMatth.4. liſtam facit, neſcit enim tarda molimina Act 9.& infra. Luc.5. Spiritus ſancti gratia. Si quid ergo in eccleſia ſapientiæ & intellectus, ſi quid virtutis & gratię, ſi quid ſanctitatis & decoris, omnia ab iſto fonte prodiere. *Diuiſiones enim gratiarum ſunt, idem autem ſpi-* 2.Cor.12. *ritus. ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam prophetas, alios Euangeliſtas, alios autem paſtores, & doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti.* Venit etiam viſibiliter alia non minori ratione, vt videlicet opera quæ Chriſtus in mundo inchoauerat, ſua virtute conſummaret, Sicut ſcriptum, *Confirma hoc Deus, quod* Pſal.67. *operatus es in nobis à templo tuo, quod eſt in Hieruſalem.* Ad hoc namque filius Dei in mundum venerat, vt filios hominum faceret Dei filios, & ſuæ gloriæ cohæredes: *vt eſſet ipſe promogenitus in multis fratribus* Vnde Ioannes Euangeliſta poſtquam Rom.8. verbi Dei gloriam expreſſerat, dicens: Ioan.1. *in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*; huius verbi incarnationem deſignans, adiungit; *& verbũ caro factũ eſt* Et huius incarnationis, veluti rationem vtilitatemque deſcribens, ait. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius; qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Ac ſi diceret, Filius Dei factus eſt homo, vt filios hominum filios Dei faceret: hæc generatio diuina in naturali filio Dei inchoata eſt ab ipſo, Apoſtoli & diſcipuli veluti ſemina quædam, & oua in nido relicta ſunt, ex quibus iſta generatio pullularet. Vnde Iſaias. *Omnes qui vi-* Iſai.6: *derint eos*, dicent; *hoc eſt ſemen cui benedixit dominus.* Et iterum: *Niſi dominus exercitu* Iſai.1. *um reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.*

Venit itaque Spiritus ſanctus, & Apoſtolos veluti oua ſuperincubans eos fouit; & nouam quandam generationem eduxit, vnde omnis iſte fidelium multitudo propagata eſt. Sicut enim Luc.1. ex Maria virgine Spiritus Sancti opere filius Dei conceptus & natus eſt, ita etiam ex virgine eccleſia Spiritus ſancti virtute, hæc filiorum Dei generatio Act.1. nata eſt. Quid namque aliud cœnaculum illud fuit, niſi eccleſiæ ſanctæ vterus, vnde ex veteribus hominibus noua Spiritus ſancti proles ſu[illegible]to formata eſt? O pulchertimam ſobolem, ò decoram nimis generationem. O quomodo in nouam creaturam ex veteri commutati ſunt? Admiratur Iſaias ſubitam iſtam propagationem, dicens. Iſai.66. *Quis audiuit vnquam tale, & quis vidit huic ſimile? Nunquid parturiet ter-*

ra in die vna, aut parietur gens simul? quia parturiuit, & peperit Sion filios suos? Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit dominus. Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait dominus? Admiratur prophetа & meritò, quia subito vno partu, generatio tam multa ex Sion vtero nata est: *non quidem ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri,* sed sicut Euangelista ait, *ex Deo nati sunt.* Hoc est quod psalmographus in prothemate nostro ait. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur: creabuntur* (inquam) id est, regenerabuntur ex veteribus noui homines, *& renouabis faciem terræ*: nam ipsa terra suo etiam tempore renouabitur. Apostolum audi: *Saluatorem expectamus dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Sed quando anima renouata est per spiritum, caro etiam illo tempore renouabitur. Creati ergo sunt hodie ex veteribus, spiritu Dei, noui quidam homines: non quales natura à principio ex Adam propagare consueuerat, sed cælestes, sed diuini: per quos noua quædam filiorum Dei propagatio in diuinam quandam pulchritudinem coalesceret. Cuius quidem propagationis olim in lege figura illa vulgatissima præcesserat, de fratre defuncti fratris sobolem suscitante, non suo quidem, sed fratris sui nomine nuncupandam, quam in Christo impletã fuisse euangelicæ historiæ textus insinuat. Nam post resurrectionem suam Christo iam in vitæ nouitatem à mortuis suscitato, ad Apostolos suos mulierem sanctam mittit, cui talia mandat. *Vade ad fratres meos & dic eis: ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.* O magnum absconditum que mysterium: vix eos vsquã in toto Euangelio fratres nuncupauerat, sed amicos, discipulos, aut socios: nunc verò, quia regenerandi tempus aduenerat, debiti officij onus ex fratris vocabulo eos admonet. Quasi dicat. Dic ad fratres meos, vt meminerint quia fratres sunt, vt proprii muneris recordentur: vt ita mecum agant, sicut boni

Ioan. 1.

Phil. 3.

Deut. 52.

Ioan. 20.

fratres, ecce enim ad patrem defunctus sine prole consedo, meminerint vt fratri suo semen suscitent in ecclesia. O egregium fratrem Paulum, ò quam multam domino & fratri suo sobolem generauit? Vnde ad eos ait. *In Christo per Euãgelium ipse vos genui,* & iterum, *filioli mei, quos iterum partio, donec formetur in vobis Christus.* Neque suo quidem, sed defuncti fratris nomine, genitam à se prolem Apostoli nuncuparunt. Non enim Petrinos, aut Paulinos, sed Christianos, conuersos à se fideles appellauerunt. Sicut scriptum est in Psalmo. *Filia regum in honore tuo.* Quã grauiter, quã acerbè Paulus increpat quosdam, indignatus quia dicerent: *ego sum Cephæ, ego sum Apollo, ego sum Pauli Nunquid* (ait) *Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Diuisus est Christus bonus frater, qui non sibi ex aliena vxore susceptam prolem vsurpat. Videant prælati, caueant Episcopi, quibus suscitandæ huius sobolis officium datum est, ne ab officio vacent. Caueant etiam prædicatores, quibus diuinitus sacri verbi fœcunditas data est, ne huic fratri semen ex sponsa eius suscitare aut negligãt, aut dissimulent: ne grandi sua ignominia, eis calceus cordis, id est spiritus sancti gratia, auferatur, & in faciem à neglecta fratris vxore coram omnibus spuatur, & dicatur eis. Sic fiet homini qui non ædificat domum fratris sui: proprium nanque amittere promeretur honorem, qui cum possit & debeat, domini & fratris sui gloriam non quærit. Sed cur in die Pentecostes Spiritus sãctus missus est? nũquid vacat hoc misterio? imò magno hoc sacramento factum est, vt eadem die & lex, & legis cõsummatio mitteretur. Lex in Sina, spiritus in Sion, vtrũque in monte, vtrumque in igne, vtrumque in sonitu, & maiestate. *Et lex quidem per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* O quantum interest inter legem & legem: dedit ille legem tabulis deformatam & mortuam, quæ homines ligaret, potius quam solueret: grauaret quàm iuuaret: occideret magis quàm viuificaret: Chri-

Gal. 4.

Psal. 44.

1. Cor. 1.

Deut. 25.

Exod. 19.

Ioan. 1.

Exod. 34.

stus

stus verò legem suam non tabulis scribit: sed cordibus intus infundit: non largitur CHRISTVS Ecclesiæ suæ Euãgelium literis in codice deformatum, sed viuificantem spiritum, qui & mentem illuminet, & omnem doceat veritatem: Euangelium viuum, legem igneã, sanctificantem virtutem quæ non solum quid agendum instrueret, sed ad implentum iuuaret. Quàm apertè hoc olim propheta prædixerat? *Ecce dies venient, dicit dominus: & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum: non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti: sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribãm eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populũ, &c.* Quid de Spiritusancto apertius, quid clarius aut promitti, aut prophetari potuit? Fuerat enim hoc olim præfiguratum in duplici illa legislatione: dederat namque dominus Moysi tabulas digito Dei formatas & scriptas, quas Dei famulus ita percitus propter vitulum in radice montis confregit. Neque à domino dictum est ei cur ita feciſti? Propter quid obsecro, super hoc non est à domino reprehensus, nisi quia in mysterio facta sint omnia? Præceptum est ei rursus ieiunare, iterum montem conscendere, & dccidere tabulas quas Deus insculperet. O domine cur non tu eas sicut priores effingis, & largiris? Non (inquit) ita faciam, sed tu eas dola, & ego scribam eas: vt sic daretur intelligi, bis legẽ à Deo hominibus præstandam esse: & priorem quidem illam non semper duraturam, sed propter populi malitiam aliquando cessaturam, secundam verò legem perpetuam & æternam, ad quã homo de proprio tabulas cordis ponat, quas Deus inscribat: nam in priore quidem lege nihil de suo posuerat homo. Non attendis mirabilem institutionem, viuos codices, id est Apostolos spiritu Dei exaratos & inscriptos, ecclesiæ suæ Christus legendos transmittit: in quibus Dei populus non solum doctrinæ magisterio, sed etiam opere & exemplo vitam legat: vt qui nescit legere Euangelium in libro, legat illud in sancto. Hæc enim lectio vtilior multo & efficacior est: valde namque melius Euangelium legitur in sancto, quam in libro, & visa quàm audita vitæ forma mortalium animos magis mouet. Qualis autem hæc fuerit hominum institutio, rei exitus manifestat: breui namque temporis spatio, talibus exemplarijs ad veram fidem vniuersus pene orbis conuersus, & à prauis suis moribus immutatus est. *Conturbati sunt omnes qui videbant eos, & timuit omnis homo*: tanta erat in eis vitæ sanctitas: morum grauitas, prodigiorum potestas, doctrinæ sapientiæque auctoritas. Die itaque illo sancto cũ innumera populi multitudo in Hierusalem, propter diei solennitatem, more solito conuenisset, & discipuli omnes in cœnaculo cum virgine sacra vnanimiter orarent, tertia diei hora, è cælo ingens sonitus & terribilis quidam & inauditus fragor factus est, tanquam tonitruum, & tanquam spiritus quidam vehemens: & irruens super eos, lumine, claritate, fragrantia, & odore diuino repleuit totam illam domum, vbi erant sedentes. Cum enim dominus ad cœlum leuaretur, acceperant in mandatis, ab *Hierosolymis ne discederent, sed expectarent virtutem ex alto*, quæ eos & sapientia perficeret, & fortitudine roboraret. Apparuerũt etiam super eos linguæ quædam ignitæ, viritim singulæ singulos super insedentes, & calore illo spiritus viuifico corda eorum perfusa sunt. Flagrant igne diuino viscera sancta: & sicut vasa argentea in camino ardenti, sic spiritu Dei homines illi inflammati sunt. Bone Deus, quis pectoris æstuantis ardorem, suauitatem, dulcedinẽ, & ecclesiasticas illas dulcedines, quas viri isti hac hora experti sũt, dicere sufficiat: Quæ lingua, qui sensus, in huius tam mirabilis spectaculi enarratione nõ succumbat? Subito quippe cõmutati sunt in viros alteros, mutante se Deo: & sic à seipsis alterati sunt, vt neque ipsi cognoscerent semetipsos. Stupebant in eis om-

Hier. 3.

1. Cor. 15.

Ioan. 6.

Hier. 31.

Exod. 24.

Exod. 34.

Psal. 63.

Historia ex Act. 2.

1. Reg. 10.

nes, qui videbant eos: sed & ipsi de seipsis amplius mirabantur. Ingressi sunt enim terreni, exierunt cælestes: ingressi sunt carnales, exierunt spirituales: ingressi sunt idiotæ, exierunt sapientes: ingressi sunt timidi, exierunt fortes: ingressi sunt tepidi, exierunt ardentes: ingressi sunt rudes piscatores, exierũt eloquẽtes prædicatores. O magnum stupendumq; prodigium: ò sublimem & admirabilem sæculis mutationem. Omnis quippe illa vetusti ac terreni hominis rubigo, illo flagrantissimo incendio consumpta est: & sicut in fornace excoquitur argentũ, sic ab omni corporis & mentis contagio excocti sunt purificante eos spiritu, cuius ignis est in Sion, & caminus in Hierusalem. Vnde propheta. *Ipse quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum & sedebit conflans, & mundans argentum, & purificabit filios Leui.* Et psalmographus apertius. *Dum discernit cœlestis reges super eam, niue dealbabuntur in Selmo, monte Dei, monte coagulato, monte pingui, monte in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Nos enim à peccatorum sordibus aquâ mundamur, illi autem, quia non solùm à sordibus, sed etiam ab omni fomite & contagio peccati penitus purificabantur, igne lustrati sunt. Sic Ioannes prædixerat ante. *Ego quidem aqua baptizo vos: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne.* Fit concursus plebis vndique curritantis ad spectaculum istud: & videntes illos supra modum mirabantur dicentes. *Nõne omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt? quomodo nos audiuimus vnusquisque linguã nostram, in qua nati sumus?* Neque solùm in linguarum varietate admiratio erat, sed multò magis in sapientia & mysterijs, quæ ex ore ipsorum procedebant, attoniti stupebant. Neque tamen sic inuidorum perfidia conuicta conticuit, sed musto plenos illos esse dicebant: & ita erat. Illo musto pleni erãt, de quo saluator eis prædixerat, ꝙ in vtres nouos & nõ veteres & putridos mittendum sit, ne rumpantur. An non musto pleni, qui in conuitiis & contumelijs gaudebant, *quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati?* Quos neque parẽtum, neque vxorum, neque filiorum vlulatus & lachrymæ poterant auertere, ne atrocibus tormentis, & diræ morti propter Christum & fidem exponerent semetipsos? Ebrios quippe cœlesti vino, & à terrenis omnibus alienatos nulla prosperitas alliciebat, nulla aduersitas deterrebat. O vini potentiam inæstimabilem: ò musti feruorem immensum. Inter candentes prunas & micantes gladios, inter stridentes feras & rugientes leones, inter lanientes vngulas & discerpentes equuleos lætabundi, laudes & gloriam Christo domino decantabant. Petrus ergo audito pharisæorum murmure, indicto silẽtio, magna authoritate populum sic alloquitur. *Viri Iudæi, & qui habitatis Hierusalem vniuersi, hoc vobis notum, sit & auribus percipite verba mea: non enim sicut vos existimatis hi ebrij sunt, cùm sit hora diei tertia, sed hoc est quod dictũ est per Prophetam Ioel. Et erit in nouissimis diebus dicit dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ. Iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt, &c.* Pluribus quoque alijs testimonijs Christum verum esse dominum, & Messiam contestatus est. Quo audito, ò linguam verè ignitam, fere tria millia ad fidem conuersi sunt: & compuncto corde animarum suarum remedium postulabant. Alio etiam sermone postridie quinque millia conuersa sunt. Et ita ecclesia breui tempore in grandem fidelium numerum adducta est. O si nunc vnam talem linguam haberet ecclesia: heu, frigida lingua ignitum sermonem proferre non valet & quoniam spiritu Dei prædicatores non incalescimus, auditorum corda minimè inflammamus. Qualis verò illorum neophitorum cõuersio erat, & quanta muratio? Audeo dicere, non tales sunt hodie qui religionem arctissimam profitentur. Venditis enim statim omnibus quæ habebant, pretium eorum ad pedes Apostolorum ponebant, & in commune viuebant, multi maiori & arctiore obedientia Apostolorum, quàm sit hodie in claustro obedientia prælatorum. Denique Di-

Isai. 31.

Malac. 3.

Psal. 67.

Matt. 1.

Act. 5.

Ioel. 2.

Ecclesia admirabilis propagatio in die Pentec.

Marc. 2.

uus

tus Augustinus religionem suam horum imitatione perfecit, satis existimans ad veram religionem, si sui fratres illorum primitiuorum sæcularium institutionē & regulam sequerentur. Quæ illis deuotio, qualis pax, quanta concordia? dicere quis sufficiat? *Multitudinis credentium* (vt ait Lucas) *erat cor vnum, & anima vna; neque quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Magno deuotionis feruore loco sancta visitabant; iciunabant assiduè; indefinenter orabant; scripturas sanctas indefessè legebāt; Apostolorum doctrinam attentius audiebant; pietati & contēplationi quiete vacabant; proximorum necessitatibus prout poterant succurrebant; affluenter coram domino preces cum lachrymis effundebant; piè conquerentes, & deuotè clamantes O domine *cur fecisti nobis sic?* Quare sic delusi sumus, vt non agnosceremus te? cur præsentem non agnouimus maiestatē? Vt quid datum non est tua dulci præsentia frui? sacris hærere vestigijs, diuinas osculari manus, suaues percipere & intelligere voces? Heu nō satis notus abisti, & vbi nunc quæremus te? O cæcitatem nostram, ò densissimas cordis nostri tenebras; quomodo non vidimus, quomodo non cognouimus, quomodo non intelleximus? cum in conspectu nostro cæcos illuminares, mortuos suscitares, leprosos mūdares, ægrotos curares, obsessos liberares, aquas siccis pedibus calcares, mari & tempestatibus imperares? Vbi eramus quādo hæc faciebas, quādo docebas nos, & secreta cœlestia differebas? Heu gloriam nostrā blasphemauimꝰ bonum nostrum crucifiximus, Deum nostrum crudelibus tormentis & morte affecimus. O inexpiabile scelus, ò facinꝰ inauditum. Parce domine, ignosce domine, miserere domine; quoniam per ignorantiam fecimus, maiestatis & gloriæ tuæ potentiam ignorantes. Hæc & similia (vt existimo) crebris singultibus, & fusis lachrymis sæpius repetebant. Mirum prodigium & nunquam satis pro merito ponderatum, illum, quem paucis ante diebus tam atrociter occiderant, quem spuerant, illuserāt, blasphemauerant, & inter latrones medium crucifixerant, in eadem ciuitate, coram eisdem pontificibus & iudicibus, non solum verum Deum & dominum, cum omni deuotione venerabantur, & toto animi desiderio adorabant & colebant. An non *dextra excelsi mutatio hæc?* Quis tam repētinam cordium mutationē facere poterat, nisi Deus? Quam apertè hoc prius prophetæ prædixerat. *Venient* (inquit) *ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te; & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi.* Quomodo tunc cōfundebatur malitia iniquorum; quomodo delusa est nequitia inuidorum? Stridebāt in eos dentibus sacerdotes: & quo acrius in eos furebant, eo amplius eorū fides & virtus inualescebat. *Augebatur indies credentium multitudo*, & Christi gloria in inuidorū oculis excrescebat. Quo gaudio tunc virgo sacra exultauit? quāta lætitia eius animus perfusus est, cū prodito incarnationis mysterio, & patefacto redemptionis humanæ sacramento excrescentem Christi filij sui fructum in ecclesia vidit. Confluebant ad eam vndique Christiani, videre sanctuarium domini, sacrosanctam Deiparam genitricem, virginem Deo charam super omnes fœminas, benedictam virtutis regulam, sanctitatis formam, totius honestatis vnicum decus & exemplar; cuius vita & magisterio in suo primordio ecclesia Dei illustrata est supra modum, & indies eius merito & feruore augebitur, & prosperabitur vsque in finem sæculi, & sempiterna sæcula. Hæc de historia.

Act. 4. Luc. 2. Matt. 12. Luc. 7. Mar. 14. Act 3. Psal. 76. Isa. 60. Act. 7. Psal 36. Act. 5.

Nos quoq; fratres, si admodum Apostolorum renouari cupimus, si ex vetere homine in nouam creaturam mutari desideramus, hunc domini spiritum iugiter flagitemus. Hic enim recreator & innouator est mentium; sine hoc frustra laborat omnis industria; si diebus ac noctibus cum omni solicitudine, & diligentia perfici satagas, sine spiritu Dei, non efficies. Frustra conatur animus si non adest spiritus; ex

Gal. 6. 1. Cor. 10.

peri-

Petientia didici, quia non potest homo capillum capitis sui album facere, aut nigrum, sic quo spiritualior fieri conor, eo amplius carnalior inuenior. Desperaui itaque de meipso, videns, quia nihil proficio, & hoc solum mihi reliquum est, leuare *oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi auxilium autem meum à domino, qui fecit cœlum & terram. Expectãs expectaui dominum, vt intendat mihi: vt exaudiat preces meas, & educat me de lacu miseriæ, & de luto fæcis. Laborauí clamans, rauca factæ sunt fauces meæ: defecerũt oculi mei, dum spero in Deum vnum.* Et quæ est omnis deprecatio mea apud te domine *quid mihi est in cœlo? aut à te quid vnquam volui super terram*? Quid aliud clamo, quid aliud quotidie à te postulo, nisi, *emitte spiritum tuum domine, & renoua faciem terræ huius: cor nouum, & spiritum nouum domine Deus meus*, vt efficiat coram te noua creatura. Sed non facile est spiritum obtinere: pretiosum balsamum est, & non datur nisi optanti. Vnde Psal. *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* Os cordis hiatus desiderij est, quo spiritus domini attrahitur inuocatus. Sic eum inuocabat quæ dicebat. *Surge aquilo, veni auster. Id est à quatuor ventis veni spiritus, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Quòd si multis lachrymis expetitus, crebris suspirijs & obsecrationibus inuocatus, assiduis bonorum operum fructibus promeritus, vix possidetur: quando dabitur contemptoribus. Triplicem spiritum in scripturis inuenio: scilicet spiritum Dei, spiritum mundi, & spiritũ carnis. Hos duos abijce, vt possideas primum: valde enim contrarij sunt, neque eos vnum capit habitaculum. Si quis negotijs sæcularibus implicatur, si quis illecebrosis turpitudinib⁹ sordidatur, in hunc spiritus Dei non intrat: hunc spiritus sanctus non inhabitat: quoniam quietis & puritatis amator est. Quietam & mundam mansionem offerat, qui eũ cordis sui domicilio hospitari desiderat. Vnde & in hac die, nõ nisi quietis & pacificis, & pariter confidentibus datus est. Sic enim Lucas ait. *Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodẽ loco, & factus est repente de cælo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes.* Et quib. verbis quomodo ad huius spiritus aduentum te disponas aduerte. Compleantur in te primo dies Pentecostes, & post longam delictorum pœnitentiam Iubilæi plena remissio concedatur: *quoniam in animam malevolam non introibit spiritus sapientiæ: neque habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus nãque disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate.* Primo ergo ab omni peccato mundanda est conscientia, deinde cum fratribus quærenda concordia. Vnde sequitur. *Erant omnes pariter in eodem loco: ipse enim inhabitare facit vnius moris in domo. Nam & vnguentum illud capitis quod descendit in barbam, barbam Aaron, vsque ad oram vestimenti eius*, quibus largiatur, attende. *Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum.* Deus pacis est, & dissidentibus non cohabitat. Vnde Apostolus: *Habete pacem, & Deus pacis erit vobiscum.* Neque sufficit si aliis es pacificus, nisi fueris etiam tibi ipsi quietus. *Super quem* (inquit) *requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & timentem sermones meos?* Vnde sequitur. *Repleuit totam domum vbi erant sedentes.* Caue ne foris sedeas: nam si extra domum Dei sederis, spiritum Dei non accipies: *nemo enim in spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu.* Videant hæretici, & attendant vbi sunt: quoniam si extra domum Dei sunt, proculdubio Dei spiritum non participant. Quæ aut sit ista domus Apostolus discipulo suo satis apertè denuntiat, dicens. *Vt scias quomodo te oporteat ambulare in domo Dei, quæ est Ecclesia.* Extra domum es ò Luthere, ab ouili diuisus es, & dicis anathema Iesu? In populo Dei diuisionem & scissuram facis, non te inhabitat spiritus Dei: non spiritu sancto, sed spiritu phantastico loqueris. Alia contra te argumenta non quæro: sufficit mihi quia fratribus nõ cohæres; nõ es pariter in eodẽ loco, nõ sedes in domo Dei cum cæteris, sed foris clamitas. Soli nõ datur spi-

Psal. 120.
Psal. 39.
Psal. 68.
Psal. 72.
Psal. 103.
Exec. 11.
Gal. 6.
Psal. 18.
Cant. 4.
Duplex spiritus in scripturis inuenitur.
Exo. 32.
1. *Cor.* 2.
Osea 4.
Act. 2.
Leu. 25.
Sap. 2.
Ibidem.
Act. 2.
Psal 67.
Psal. 132.
2. *Cor.* 13.
Isa. 66.
1. *Cor.* 12.
1. *Tim.* 3.

spiritus, singulari, non conceditur gratia. Qui enim singularis videri vult, superbus est: & *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Cauete igitur fratres ab ista peste: ecclesiã Dei catholicam & Apostolicam amplectimini: in ea quieti manete: vt cum Apostolis, spiritu Dei suscepto, per viam veritatis incedentes, in cælestem illam beatitudinẽ perducamini: quam nobis præstare dignetur, qui pignus æternæ hæreditatis spiritum suis cõcedere dignatus est. Cui cum patre, & eodem spiritu sancto, est honor & gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

DE SPIRITV SANCTO.

Concio secunda.

THEMA.

Emitte spiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ.

Ex Psalmo 103.

INter alios qui in veteri testamento domini Saluatoris gessere figuram, vnus Iosue filius Nũm, re & nomine videtur habuisse primatum, hic nanque primus hoc nomine Iesus legitur nuncupatus, qui factus successor Moysi, sicco vestigio Iordane pertransito, filios Israel in terrã desiderabilem introduxit, expugnata in ipso ingressu vrbe Iericho congressu mirabili. Non enim tormẽtis & iaculis, sed tubis & clamoribus muris corruẽtib⁹, tota penitus diruta est. Quid obsecro, Christo domino accõmodatũ magis, ac consonans, hac figura afferri potuit? Nõ lex Moysi populũ in hęreditatem perpetuam introducit, sed gratia quæ per Christum est: *nihil enim ad perfectum adduxit lex*, gratia autem Dei vita æterna. Hic verus Moysi successor, qui legem in gratiam commutauit: populũ suum per Iordanem vitæ præsentis sicco vestigio traducit, *& in hæreditatem incontaminatam, immarcessibilem, in cælis conseruatam* introducit. An non pede sicco Iordanis fluenta pertransit, qui doctus à Christo inter medias voluptatum delicias, & diuitiarum affluẽtias, nullo libidinis vel cupiditatis humore pertingitur? qui iuxta apostoli documentum, sic habet vxorem, quasi non habeat? sic diuitiis gaudet, quasi non gaudeat? sic emit, quasi non possideat? sic vtitur hoc mundo, quasi non vtatur? Vnde Psalm. *In flumine pertransibunt pede: ibi lætabimur in ipso.* Illa vero ciuitatis Iericho expugnatio, eam quæ per Christum facta est, mundi, idolatriæque oppugnationem, apertè designat. Non enim exercitu, & armis, sed apostolicis personantibus tubis, altitudo murorum, id est principatuum secularium, coram arca domini, id est Christi Iesu crucifixi sacra humanitate, ad pedes eius adoratura prosternitur. Sicut scriptum est: *Sagitta tuæ acutæ, populi subtecadent.* Et omnis ciuitas penitus vastata est, quia nihil de sæculari vanitate, & ritu idolatriæ antiquo, & mũdi huius cupiditate immistum, in ecclesiã relictum est. Vnde omnibus fidelibus anathema terribile à Christo Iesu indicitur. Maledictus homo, qui postquã sacro baptismatis fonte ablutus est, de Iericho, id est de hoc sæculo nequã quid-piam sibi reseruauerit. Reseruant aliqui, scio, sed malè: reseruant anathemate perpetuo feriendi, nisi eos peccati pœniteat: quia qui huiusmodi sunt, à Dei beatifica visione perpetuo separabuntur. Caue ergò ò Christiane, caue tibi aliquid reseruare de Iericho: non pallium coccyneum, id est carnis concupiscentiam: non siclos argenteos, id est auri cupiditatem, non linguam auream, id est blandientem adulatoriamque seruaueris: hæc enim omnia tibi mortifera sunt, & lethalia. Populus te nunc in vita præsenti multis iniuriis & contumeliis lapidabit, & perpetuo postmodũ anathemate condemnaberis. Grande prorsus miraculum, ipsa mundi ad Christũ conuersio: & quod ad fidem roborandam, etiam si alterum non adesset, Augustino teste, sufficeret. Verè opus altissimi, & dextræ excelsi mutatio, carnalem mundum in spiritualem cõuertere, ex brutalibus homines angelicos facere. Quis talẽ facere potuisset mutationẽ, nisi solus Deus? Quis obsecro, catholicam fidem mundo persuadere potuit, vt ea crederet,

1.Petr.5. Eph.1. Psal.118. Deu.1. Iosue 3. Ioan.1. Hebr.7. Rom.6. 1.Pet.1. 1.Cor.7. Psal.65. Psal.44. Ios.7. Gal.1. Psal.76.

ratio non apprehendit, intellectus non capit, nisi diuina virtus adesset? Videlicet Deum esse vnum & trinum: Dei filium hominem pro hominibus factum: virginem peperisse: eundem crucifixum, & mortuum, & sepultum, resurrexisse: hominem verum in cœlos ascendisse: futuram quoque omnium hominum post cineres resurrectionem: peccatorum in baptismate ablutionem: corporis dominici in synaxi assistētiam. Hæc inquā, & huiusmodi, quæ fides catholica firmiter complectitur, quis vnquam hominum credere potuisset, nisi exterius resonante apostolica tuba, interius spiritus sancti potenti virtute fulcirentur? Sicut scriptum est. *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa* Mira res, & incredibilis quoque ipsa credulitas: cum hæc primum prædicantibus Apostolis audiebantur, figmenta quædam videbantur & somnia: nænias quasdam & fabulas eos narrare putabant: & quasi deliros insanosque deridebant, & explodebant: eos & doctrinam eorum mūdi non sustinebat auditus. At post modicum eos ipsos euangelicę doctrinæ subsānatores pro eadē ipsa doctrina quāderidebāt, alios lapidatos, alios crucifixos, alios laniatos, alios excoriatos, alios exustos, alios diris tormētis incisos, & crudeli morte damnatos, cū gaudio & lætitia hæc omnia sustinere videres. Sic adhæserat fides mentibus, sic in eorū cordibus crucifixi amor, & virtus excāduerat. O mirabilē potentiam sermonis, ò verbi Dei stupendā nimis efficaciā. Huic doctrinæ totus orbis cōtradicebat, omnis potentia sæcularis obsistebat: fremebant in discipulos domini, & stridebant dētibus suis principes terræ dira supplicia exercentes, & duriora quotidie comminantes: fit vbique terrarum cōtra eos magistratuū cōuentus; cōueniūt vbique senatus, omnes gentes, omnes populi, ciuitates opulentæ, & amplissima regna, vt eos perderent, & occiderent; consilia ineunt, & sicut scriptum est, *congregatio taurorum in vaccis populorum, vt excludant eos qui probati sunt argento*. Et apertius. *Fremuerunt gentes, reges terræ & populi conuenerūt in vnum aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum.* Vincula enim, eis præcepta euangelica videbantur, quia videlicet eos à cōcupitis voluptatibus arcerent, & mūdi delicias prohiberēt. Iugum etiam importabile lex domini apparebat, quia huius sęculi diuitiarum, honorum, pomparum vanitatem damnaret, & mundialis prosperitatis verum contemptum indiceret, ideoque contrādicebant, ideo obsistebant; sed frustra, sed inaniter; sed vacuè. Quo enim amplius renitebātur, eò fortius fides catholica inualescebat; & quo magis aduersabantur, eò amplius numer⁹ fideliū excrescebat; quia ꝙ *stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, hominibus* etiam fortissimis *fortius est*. Huiusmodi ergo personantibus tubis, inclytus nostræ peregrinationis ductor Iesus, non Num, sed Dei viui filius, omnē malignorū spirituū, & terrenorū principū potestatē, Dei filiis aduersantem & veri Israelis in desiderabilem promissionis terram, & cœlestem Hierusalem ingressum prępedientē, spiritus sui virtute prostrauit; remitēresque animos fidei suæ veritati subiecit; sicut iamdiu per prophetas suos in suo aduentu se facturum promiserat; quibus huius tam mirabilis cōuersionis reuelarat arcanum. Vnde Psalm. de his. *Exultationes* (inquit) *Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus; increpationes in populis, Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis; vt faciant in eis iudicium conscriptum*. Id est, vt promissam in eis per scripturas prophetarum impleant conuersionem; & quæ ad Abraam dicta est, omnium gentiū in semine suo, id est Christo benedictionem. Neq; tamen (vt diximus facile opus erat & leue, à pristina sua cōsuetudine, & inolita prauitate torum mūdum conuertere: receptā tot sæculis per totū orbem idolatriā penit⁹ dissipare: antiquatos diu nephariorū sacrorum rit⁹, dæmoniorū cultum, & sacerdotalia officia procul eliminare; nouam sæculo reli-

Psal. 67.
Heb. 11.
Act. 5.
Act. 18.
Act. 7.
Psal. 63.
Psal. 2.
1. Cor. 1.
Act. 6.
Psal. 17.
Gen. 22.

religionem, nouum cultū, nouam fidē, nouā sapientiā, nouos ritº, nouos mores, nouam omnino vitam toto orbe introducere, hominum sēsus, affectus, voluptates, appetitus, & desideria omni modo permutare; inueteratum omnibus peccatis mundum, & fœce vitiorum infectum, eliminata prorsus omni turpitudine renouare; viuentiū animos à terrenis ad cœlestia, à temporalibus ad æterna, à præsentibus ad futura sublimiter auocare; & vt gaudiis temporalibus, deliciis & voluptatibus abdicatis, contemptis diuitiis, abiectis honoribus, & sæculi huius blandientibus bonis, cæterisq; omnibus quæ solent ab hominibus naturaliter desiderari relictis, labores, sudores, asperitates, pœnitentias, cruces, mortificationes, & quæ naturaliter omnes refugiunt, amplexentur; non vi & potentia, non exercitu & armis, sed paucorum hominū & pauperū, abiectorūque sola verborum acrimonia, sola sermonis efficacia persuadere; huiusmodi, inquam tā mirabilis totius orbis permutatio, nisi Dei virtute, nullis viribus, nullo cōsilio, nulla prudentia, nulla virtute vnquam fieri potuisset. Ad hoc igitur de cælo spiritus sanctus missus est, vt mundum bene quidem, & sapiēnter condito, sed peccatis hominum malè fœdatum, sua iterum virtute reficeret innouaretque, & ad prioris formæ speciem similitudinēque, quantum fieri poterat, redigeret: sicut propositi prothematis verba testantur. *Emitte spiritum tuū & creabuntur; & renouabis faciem terræ.* Hic autem spiritº, quamuis corporali quidem specie, in solos verbi Dei prædicatores, discipulos domini descenderit, inuisibiliter tamen totū orbē sua virtute repleuit. Sicut scriptum est. *Spiritus domini repleuit orbē terrarum.* Non enim tanta celeritate innumera hominum multitudo ad fidei veritatem conuerti potuisset, nisi idem ipse spiritus qui exterius per ora prædicantium personabat, interiº audientium corda disponeret. Vnde in canticis sponsa, id est ecclesia de seipsa loquitur, dicens. *Inuenerunt me vigiles qui custodiebant ciuitatē.* Inuenerūt, inquit; nō ait, plasmauerūt, fundauerunt, formauerūt; à Christo enim domino, ex proprio latere in cruce, veluti altera Eua formatā, & spiritu oris eius ad suscipiendam fidem dispositam, paratamque, vigiles sancti, id est veritatis prædicatores, eam inuenerūt. Dominus enim aperuit illi aurem, & ipsa non contradixit, sed in domini benedictionibus præuenta, vocantibus eam vigilibus occurrens, præueniebat eos. Sicut scriptum est: *Venient legati ex Aegypto: Aethiopia præueniet manus eius Deo.* Et quænam alia Aethiopia, nisi deformis illa & idolatra gentilitas? Hæc à domino interius spiritu sancto præuenta, prædicatores quoque suos ipsa præuenit. Vnde ad illos dominus. *Leuate* (inquit) *oculos vestros, & videte quia regiones iam albæ sunt ad messem.* Descendebat tunc à Samaria ingens plebis ad dominum multitudo, vnius tantum mulieris voce accita. Has messes dominus apostolos suos cōtemplari volebat, ac si diceret eis: Attendite quanta sit iam gentium populis ad recipiendam fidem dispositio. Si enim vna mulier suo verbo tot ad me cum festinatione sitibundas animas adducit, quid vos spiritu Dei plenos, in tāta gētium messe facturos existimatis? Verè alii laborauerunt, & non messuerunt: quia segetes cœlesti adhuc spiritus calore dispositæ non erant ad messem. vos autem nunc in eorum laborem introistis, & quæ illi longo tempore seminauerunt, mira celeritate metite: quia regiones iam albas, dispositasque ad messem, Deo disponente reperistis. *Non ergo humana persuasione* (vt Apostolus ait) *sed Dei virtute*, hæc tantarum messium tam subita & inopinata recollectio facta, *Quoniam regnum Dei non est in sermone, sed in virtute.* Vnde Marcus Euangelista de eisdem Apostolis, *prædicauerunt* (inquit) *vbique domino cooperante.* Et Psalmus *Præparans montes in virtute tua accinctus potentia: qui conturbas profundum maris sonum fluctuum eius.* Montes & culmina terrenarum potestatum ad euangelicam doctrinā, sua virtute ipse intus præparabat, qui accinctus potentia eos exterius

Cur spiritus sanctus in mundū missus sit.

Sap. 1.

Cant. 3.

Gen. 2.

Isa. 50.

Psal. 20.

Psal. 67.

Leuate Ioan. 4.

Ioan. 4.

1. Cor. 2.

1. Cor. 4.

Mar. 16.

Psal. 63.

terius verbo vocabat. Ipse (inquam) præparabat, ipse trahebat, ipse ad pœnitentiam conturbabat: & concitatos persecutionis fluctus in apostolos suos, ipse sedabat. Qualis autem & quanta fuerit hæc mundi commotio conturbatioque cum in gentibus euangelica tuba personuit: nemo qui historias legerit, ignorat. Siquidem vt idem psalmista inquit: *Conturbati sunt omnes qui videbant eos, & timuit omnis homo.* Quamuis non inficier, posse per montes, Apostolicos quoque vertices designari: vtrosque enim montes sua virtute, vt diximus, spiritus præparauit: hos ad loquendum, illos ad audiendum. Quàm apertè impletum est tunc quod olim per Hieremiam prophetam sub perdicis typo dominus prædixerat. *Perdix fouit quæ non peperit: fecit diuitias, & non in iudicio: in dimidio dierum suorum perdet eas: & in nouissimo erit insipiens.* Est enim (vt fertur) perdici vafrities naturalis, vt comparis suæ oua furetur, & super incubans adulterinos ex eis pullos educat: quos cum ad pastū iam adultos impudica furatrix eduxerit, audita veræ parentis voce, omnes illos amittit: adulterina enim fure relicta naturali instinctu omnes peruolant ad parentem. Sic omnino diabolo euenit apud Christum: creaturas quas non condidit furtim surripuit: homines quos nō ipse creauit in nido Paradisi repertos, nequiter sibi & stultè vsurpauit: sicut ipse apud Isaiam sub Assur nomine, de suo isto furto impudentius gloriatur, dicens: *In fortitudine manus meæ feci, & in sapientia mea intellexi & abstuli terminos populorum, & principes eorum depredatus sū, & detraxi quasi potens in sublimi residētes. Et inuenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum: & sicut colliguntur ouа quæ derelicta sunt sic vniuersam terram ego congregaui, & non fuit qui moueret pennam, & ganniret.* Fouit ergo perdicis more ouа quæ non peperit: fecitque sibi ex alieno nido diuitias. Sed non in iudicio; quia nequiter & stultè surripuit eas. Quas tamen longo tempore sibi restituit, multisque sæculis tyrannicè possedit. An nō eas se possidere putabat, cum in montis culmine ad Christū insolenter dicebat? *Hæc omnia tibi dabo.* Hæc omnia dabis miser? Feciſti tu illa? Non (inquam) fecerat, sed furatus fuerat. Alienis ergo pullis nouercam se exhibens, coli se ab eis quasi parētem, adosariq; fecerat. Sed neque parens erat, neque parentis viscera erga miseros exhibebat. Audita est tandem veræ parentis in orbe vox, ore apostolico personantis, & pullis audientibus agnita, relictoq; statim miserabili fure, ad verum conditorem celeri omnes volatu iunguntur. Quam confusus, quā solitarius permansit miser, alienis filiis denudatus? Sed in nouissimo amplius insipiens apparebit, quādo subsannātibus & explodentibus cunctis, cum adulterinis pullis qui auolare noluerunt, præcipitabitur in infernum. Non mirū igitur, si tanta celeritate ad proprium dominum & parentē orbis terrarū conuersus est, qui sub crudeli tyrannide tot sæculis miserabiliter detinebatur captiuus, neque hanc ipsam captiuitatem agnouerat, donec euangelica tuba veluti excitatus, ab ignorātiæ somno resipuit, & vbi esset agnouit. Sic enim in Psalm. scriptū est *Reminiscentur, & conuertentur ad dominum vniuersi fines terræ: & adorabūt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium.* Redibunt (inquit) ad se, & conuertentur: quasi enim extra se, & à suis sensibus alienatæ fuerant, cum statuis lapideis & ligneis, diuinum exhibebant honorem. Sed Deo exterius vocante, & intetius illuminante, torpore relicto, redeuntes ad cor, ad verum factorem, & creatorem suum conuersæ sunt. Tanta autem fuit vbique celeritas conuersionis, quanta præcesserat ignorantię tenebra. Quippe *sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Vnde quatuordecim fere annorum spatio ab Hierusalem vsque ad Illyricum, tam lato terrarū tractu Euāgelicū Paul⁹ repleuit, & innumeras vbiq; terrarū Ecclesias cōstruxit. Tāta erat in mūdo auiditas libertatis, tāta vbiq; veritatis & sapiētiæ sitis. Sufficiat hæc de mundi conuersione dixisse appareat ad quid spiritus S. aduenerit, & quē hominib. fructum eius aduentus attulerit. Reliquum est, vt quoniam

Psal. 63.

Hier. 17. Perdicis anis ingenū & feracitas.

Isa. 10.

Mat. 4.

Psal 21.

Psal. 138. Rom. 15.

iam totius terræ nunc facies arida facta est, & nos cum propheta quotidie à domino eundem spiritum flagitemus, qui ecclesiæ suæ faciem, quam mirabili decore depinxit, deformatam diu, in pristinam speciem renouet, & instauret. Proh dolor, in quem statum hodie ecclesia redacta est, quantum à prima illa venustate degenerauit? Vere, iuxta propheta vaticinium, *egressus est à filia Sion omnis decor eius, & omnis eius pulchritudo penitus immutata est. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, vt die ac nocte hanc filiæ populi mei contritionem deplorem? Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* Vbi est ille claritatis splendor, castimoniæ nitor, deuotionis candor, & omnis virtutis ornatus, qui tunc vbique terrarum in ecclesiæ facie rutilabat? *Lapides sanctuarij*, viri religiosi, quos tunc deuotionis cortina celabat, negotijs sæcularibus implicati, *dispersi sunt in capite omnium platearum.* Quocunque vadas, plena sunt omnia monachis: & qui cœlesti curiæ olim assidui erant, principum hodie curias implent. *Filii Sion*, prælati ecclesiarum, quondam vitæ sanctitate & morum honestate *inclyti*, auro sapientiæ primo vestiti, quomodo reputati sunt in vasa terrea? quomodo ad terrena lucra, & tẽporales diuitias suos oculos deflexerũt? Quid enim aliud hodie quæritur ab episcopis, nisi argentum & aurum? de animarum verò salute vltima cura est. Verè *opus manuum figuli*, quia nõ iam ad eorum promotionem spiritus sanctus inuocatur, sed principes exorantur, & à rege propter obsequia, & amicitiam eligũtur episcopi: vnde regis, non Christi negotia agunt, nimirum, quia regis factura sunt, & opus manuum figuli. Hinc episcoporum cateruas in curia residentes quotidie videas, ecclesias autem suis rectoribus vacuas: ac propterea *lamiæ*, id est hæretici, hodie *nudauerunt mãmas & lactauerunt catulos suos.* Quas nõ ita forte nudassent, si prælatorum vigilantia in populo non defuisset. Nota est Germanorum perditio, quos impia lamia Luther? fœtida lacte pascit hodie, & depascit. Sed & de populo Christiano quid expectandũ est, si tales facti sunt proceres illius? *Filia* (inquit) *populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.* Nõ est qui egenorum necessitatibus prouideat, qui alienis miseriis cõdoleat, & erga proximum viscera charitatis expandat. *Omnes quærunt quæ sua sunt*: maiores deglutiunt & spoliant minores: roduntque tributis & exactionibus substantiam eorum, quibus se debuerãt præstare patronos. Cui assimilabimus principes istos, nisi struthionibus in deserto, qui nimia crudelitate, etiam pignorum suorum desertores sunt, & filios veteri sui nutrire despiciunt? *Durantur enim* (teste Iob) *ad filios, quasi non sint sui.* Talis est hodie populus Christianus, talis est familia Christi: Sed neque cleri facies speciosior est: *candidiores olim Nazarei eius niue, rubidiores lacte, rubicũdiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores: at nunc denigrata est facies eorum super carbones: non sunt agniti in plateis.* Quomodo enim inter alios dignoscerentur, qui neque moribus, neque vita, neque habitu, neque eloquio à reliquis de populo differunt? *Nam sicut populus hodie, sic & sacerdos.* Vbi est illa sacerdotum matura grauitas? spectabilis honestas? sanctimoniæ candor? virtutis nitor? deuotionis feruor? & omni genæ doctrinæ mirificus splendor? Vbi sapiens? vbi scriba? vbi doctor paruulorum? *Adhæsit lingua lactentis ad palatum eius in siti, paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Ideo lamiarum lacte potantur: ideo *qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Defluxit populus in vitia, quia non est qui coerceat eum. Multi prædicatores, & pauci qui prædicent vt oportet: Non desunt qui prædicent verbo, sed desunt, qui opere impleant quod aliis prædicãt, & viuendo præcedant quos loquendo dirigunt. Deest etiam ille spiritus qui olim in sanctis prædicatoribus elucebat. *Emitte* ergo illum dominc, & *creabũtur*, & *renouabis* ecclesiæ tuæ faciem deformatam. Nouam obsecro sobolem Deus in ecclesia tua spiritu tuo crea: nouos pastores, nouos doctores, nouos principes, nouos populi tui rectores, & ductores,

Thr.1. *Hie 9.* *Thr.4.* *Ibidem.* *Thr.4.* *Ibidem.* *Thr.4.* *Phi.2.* *Iob.39.* *Thr.4.* *Ibidem.* *Osea 4.* *Isa.35.* *Thr.4.* *Ibidem.*

res, qui ecclesiã tuam labentem erigant: euersã reficiant: inueteratã innouent, & in pristinam pulchritudinem redigant & instaurent. *Quoniam* apud inimicos tuos
Psal. 30. *factus es* hodie propter nos *opprobrium vicinis tuis valde, & vituperatio cõmorantibus in circuitu.* Sceleribus & peccatis nostris blasphemare fecimus nomen tuum inter infideliũ gentes, & paganorum populos, de lege tua fecimus male sentire, dum legi imputant, quòd sub lege populus male viuit. Sed hoc quod generaliter de ecclesia dictum est, potest etiam ad vnamquamque animam per se deriuari. Quid est enim anima sine gratia, nisi terra sine aqua? Vnde Propheta. *Anima mea* (inquit) *sicut terra sine aqua tibi.* Steris& arida, hispidoque deserto similis est
Anima sine gratia, quid. *Psal. 142.* omnis anima, quam tuus domine non rorat spiritus. Nullos virtutum germinat affectus. nullos bonorum operum producit fructus: cælestium gaudiorum fœcunditate non viret: spiritualium desideriorum germine non vernat; sed velut arida terra, vacua germinibus sordet, & vertitur in salluginem. Emitte igitur
Psal. 106. domine de cœlo ex nubibus æternitatis
Psal. 67. tuæ pluuiam illam voluntariam, quam segregasti hæreditati tuæ; rorẽ aquę viuę cui non communicat alienus; & hanc animæ nostræ complue terram: vt grata tibi virtutum germina, placidos sapientiæ flores, vernantes purpurantesque charitatis rosas, humore spiritus fœcundata valeat germinare. Ros enim lucis ros tuus, sterilitatem adferens, fœcunditatem tribuens, mentem inebrians, amissumque animæ virorem restituens. Hunc (inquam) tuæ benedictionis rorẽ, quo tuam hodie hæreditatem irrigasti, in mentes nostras emitte, & creabuntur in nobis affectus ardentes, desideria viua, cogitationes flammantes; amores igniti, sensus cælestes, affectiones puræ. Hæc enim noua spiritus soboles, hæc pulchra cordis generatio est, quæ iãdiu
Isa. 26. *Sap. 4.* *Isa. 38.* proh dolor, *ablata & conuoluta est à me, quasi tabernacula pastorum.* Restitue eam
Psal. 64. domine, visita terram cordis mei, & *inebria eam; multiplicia locupletare eam, riuus inebrians; multiplica genimina eius, & in stillicidijs tuis lætabitur germinans. Pinguescent speciosa deserti mei, & valles cordis mei abundabunt frumento, & campi tui replebũtur vbertate.* Experiatur obtecro, in se anima mea, quod olim per prophetam tuũ misericorditer promisisti, dicens, *Deserta tua, & solitudines tuæ angusta erunt, præ habitatoribus tuis.* Et adhuc dicẽt in auribus tuis filij sterilitatis tuę, angustus mihi locus est, fac spaciũ mihi vt inhabitẽ; & dicens in corde tuo, quis genuit mihi istos? Ego sterilis & non pariens, transmigrata & captiua, & istos quis enutriuit? Ego destituta & sola, & isti vbi hic erãt? Vtinã domine, vtinã hac tam decora sobolis generatione anima mea sic scaturiret, & hac filiorum suorũ multitudine sic
Isa. 49. em atur, vt capere nequiẽs dulciter affligatur; & præ numero & abundantia tota perfluat, rumpatur; effluatur in laudes, rũpatur in ecstases. Felix anima quę spiritu tuo sic fœcundatur, & cælesti progenie sic repletur. Sed non simplicem tantum, sed triplicem à domino spiritũ cum propheta postulare debemus. Spiritum scilicet rectum, spiritum sanctum, & spiritum principalem. Ita enim ait. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectũ innoua in visceribus meis. Ne proijcias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne*
Psal. 50. *auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* Tria namque in nobis sunt, quæ spiritu Dei maximè indigent reformari; intentio, affectio, operatio. Ad hæc igitur tria triplicem à domino spiritum postulamus. Rectum, qui dirigat intentionem: sanctum, qui mundet affectionem: principalem, qui firmet operationem. Intentio per spiritum illustrantem in Deum, velut sagitta in signum plenũ dirigitur, quãdo in omnibus quæ agimus, soli Deo placere curamus. Sed quid proderit quòd bona prætendimus, si ab intentione recta per affectum deuiamus. Corrupta enim affectio intentionẽ rectam non sinet illuc peruenire, quò tendit. Ideo spiritui recto Spiritus sanctus adiungitur, vt ab bonum quod ratione prætendimus; volũtate efficiamur. Sicut alibi idem psalmographus ait, *Voluntaria*

Triplex spiritus à Deo petendus est.

ria oris mei beneplacita fac domine; ideſt, fac vt cordi meo placeat, quod ex ratione os approbat; & voluntas amplexetur, quod ratio recta dictat. Hoc ſola ſpiritus ſanctificatione perficitur; dum enim Spiritus ſancti calore animus ſanctificatur, & purificatur à malis, hac ipſa puritate diſponitur, vt inhæreat bonis. *Deus enim noſter* (vt propheta inquit) *ignis cõſumens eſt*; conſumens (inquam) cupiditates terrenas, vt afficiat ad cœleſtes. Sed neque ſic animus conſummatus euadet, niſi quod rectè intendit, & ſanctè concupiſcit, efficaciter exequatur. Audi ſuper hoc Apoſtoli querimoniam. *Velle* (inquit) *adiacet mihi, perficere autem bonũ non inuenio. Non enim quod volo bonum hoc facio, ſed quod nolo malum hoc ago.* Si Apoſtolus ita loquitur, quid nos homunculi dicturi ſumus? Infirmum ſe ad exequẽdum bona Apoſtolus deplorat, & nos fortes erimus? Ad hoc ergo ſpiritum principalem ſuppliciter flagitemus, vt iã quidem rectè prærendentes, ac bene volentes ſua virtute roboret ad opus, vt quod ardenter deſideramus, efficaciter impleamus. Eſt enim ſpiritus domini velut obſtetrix quædam animæ, pios eius affectus educens in lucem, vt quos ipſo eam fœcundante cõceperat, ipſo obſtetricante parturiat. *Sæpe enim*, vt propheta luget, *veniunt filij vſque ad partum*, & heu propter ſpiritus abſentiam *non eſt virtus in parturiente*. Qui operatorius ſpiritus merito principalis vocatur, quia in eo maximè vita cõſiſtit. Ex operibus enim, & nõ ex ſolis affectibus iudicabitur quiſque; ſicut ſcriptum eſt. *Opus hominis reddit ei*. Et iterum. *Qui reddet vnicuiq; ſecundum opera ſua*. Væ animabus prægnantibus, vę etiam abortantibus, in illa die quæ cum ſuis fœtibus damnabũtur. Tribus ergo viribus noſtris, intellectui, voluntati, & ſenſui, triplicem à Deo ſpiritum requiramus. Rectum intentioni, ſanctum affectui, principalem operatiuæ virtuti; rectum, vt illuminando dirigat; ſanctum, vt inflammando afficiat; principalem, vt roborando confirmet. Non quod Spiritus ſancti perſonam diſtinguamus, ſed munera eius & functiones diſcernamus.

Dan.4. *Heb.12.* *Rom.7.* *Iſa.37.* *Pſal.50.* *Iob 34.* *Rom.2.* *Mat.24.*

Viribus tribus ſpiritus à Deo cõparandus.

lumen ſcilicet, calorem, & virtutem. Et vide ne fortè iſti ſint tres panes, quos iuxta euangelicam parabolã monemur petere ab amico, ſcilicet ſcientiæ, charitatis & fortitudinis, quibus infirmitas noſtra, ſecundum omnes ſuas vires, reficitur, ne deficiamus in via. Quamuis Eliſeum prophetam, non triplicem, ſed duplicem tantum ſpiritum Elię legimus poſtulaſſe, pro eo, vt exiſtimo, quia ex illo duplici tertius regulariter oriatur. Amor enim numine formatus vix vnquã poteſt eſſe otioſus. Sed quia non niſi in vaſe mundo ſpiritus puritatis recipitur, ideo ante ſpiritus petitionem præmiſit; *cor mundum creа in me Deus*, & bene crea, hoc enim ſorde vitiorum penitus tabidũ & infectum, quis poterit emundare? *Quis* (inquam) *poterit facere mundum de immundo conceptũ ſemine*, niſi *tu qui ſoluses*, ſolus potes & vaſculum cordis mundare, & ſpiritus liquorem infundere? Sicut cõcinnè ſatis per alium prophetam promittis. *Dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri*. Ita nunc domine, ita fac cũ ſeruo tuo, ſecundum miſericordiam tuã. Quid enim aliud cupio aut requiro abte, niſi ſpiritum tuum domine? Petat alius diuitias, delicias, honores, & dignitates, exoptet ſibi ſapientiam, eloquentiã, prophetiam, ingenium, aut quæuis alia clariora chariſmata: ergo ſpiritũ ipſum mihi volo, & exopto iſtorũ omniũ largitorẽ. Vanus namq; eſt omnis homo, quẽ non inhabitat ſpiritus Dei: at vbi ſpiritus Dei adeſt, deeſſe quid poteſt? Spiritus operatur omnia in omnibus, ſpiritus ſcrutatur ſecreta Dei: ſpiritus loquitur myſteria: ſpiritus docet omnem veritatem: ſpiritus teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro quod filij Dei ſumus: ſpiritus adiuuat infirmitatem noſtram: ſpiritus interpellat pro nobis, & clamat, Abba pater: & ſi in peccato ſumus, ipſe nos arguit de peccato: & ſi in ſeruitute, ipſe liberat de ſeruitute, quia vbi ſpiritus domini, ibi libertas. Spiritus itaque noſter eſt paracletus, patro-

Luc.11. *4.Reg.2.* *Pſal.50.* *Iob.14.* *Ezech.36* *Pſal.118.*

nus,

nus, doctor, aduocatus, ductor, & custos.
Psal. 144. Denique spiritus tuus bonus deducet me in terram rectã, terrã desiderabilem, terram lacte & mellemanante, terram viuentium: in qua cum Patre & Spiritu sãcto viuis & regnas in sæcula sæculorum Amen.

IN FESTO S. TRINITATIS.

Ad Philippum Hispan. Principem. Concio prior.

THEMA.

Tres sunt qui testimonium dãt in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt. Ioan. in prima epistola canonica. Capit. vlt.

Simile. QVi profundum fluuium, aut aquis torrentemque vadum periculosum pedes transiturus est, multa in primis solet cauere.

Primũ nõ se proiicit temere in aquas, sed pedetentim cũ multo timore & prouidentia per transit. Secundò non fidens soli visui, baculum quo metiatur altitudinẽ aquarum assumit, quo etiam gressus regat, ne forte fouea occulta & latenti mergatur. Tertiò si de nocte traiiciendus est fluuius inundans, vt ex ripa ei incendatur lumen curat; quo ipsum
Ezec. 47. vadum appareat. In Ezechiele legimus fluuium quẽdam amplissimum de templo egrediẽtem, per quem angelus prophetam deducebat, & mensus est mille cubitos, & traduxit illum vsque ad talos; & rursus mensus est mille, & traduxit illum vsque ad genua, & rursus mensus est mille, & traduxit illum vsque ad renes: & mensus est mille, torrentemque non potuit transire; quoniam intumuerunt aquæ torrentis: Torrens iste, qui exiuit de templo, id est pectore saluatoris, sacra doctrina est: in qua sunt quædã facilia & leuia de moribus, & de virtutib⁹, de vitiis & peccatis: quædam profundiora de creatione; de gubernatione, & de prouidentia Dei; quædam adhuc profũdiora & altiora, de mysteriis redemptionis, & figuris eorum; quædam profundissima, altissima, impertransibilia, quale est hoc mysterium de quo tractate debemus Hodie nanque Princeps serenissime; pelagus profundum & abyssum magnam intraturi sumus: locuturi sumus non de moribus, non de vitiis & virtutibus, non de rerum natura, & eius creatione, non de cœlo & astris, aut motu cælorum, non de animalibus & plantis, non de veteris testamenti figuris, sed de omnium rerum primo principio; de naturæ artifice & potentissimo conditore, de illo secretissimo & impenetrabili diuinitatis arcano, & profundissimo Trinitatis mysterio. O altissima materia, & quis audebit pelagus tantum intrare? In hoc lacu profundissimo plurimi periclitati sunt: in hoc periit Arrius: in hoc Sabellius, Manichæus, Photinus, & innumeri hæretici perierũt. Quia incautè intrauerunt in hoc pelago: magnæ suscitatę sunt tempestates in *Mat.* 8. ecclesia: adeo vt nauicula Petri valde periclitata, & penè submersa sit. In eo ergo nos sensim pedetentim intremus, non temere nos proiiciamus sicut illi. Vnde *Psal.* 35. Psalm. *Accedite ad eum & illuminamini.* *Prou.* 25. Bernard. *Ne irruatis, ne obruamini: nã structator mæiestatis, opprimetur à gloria: sicut qui nimis attentè respicit solem nõ illuminatur, sed cœcatur.* Cùm baculo etiam fidei intremus, qui præcedat nos: ne fidamus visui nostro, ne præeamus ante baculũ. Fides præcedat, ratio sequatur: intellectus ne præeat, sed sequatur fidem. Quia *Isai.* 7. *Ex versione septuaginta.* scriptum est *Nisi credideritis, non intelligetis.* Oportet ergo credere, ad intelligendum: & non intelligere, ad credendum. Si credideris firmiter sine ratione, mira intelliges de diuinis secretis, mira etiam loqueris; sicut scriptum est. *Credidi propter quod locutus sum.* *Psal.* 115. Noli ergo prius intelligere, vt credas, sed prius credere vt intelligas Magna quippe stultitia est, velle mysteria fidei ratione comprehendere: O cœca superbia, vt vilis vermiculus & formica de terra, vasculo modico sui intellectus, Oceanum diuinitatis velit concludere, & pugillo comprehendere vniuersitatis authorem. *Quæ in prospectu sunt videmus cum labore*, ait Sapiens; *quæ in cælis sunt quis inuestigabit?* Exiguas creaturas quas videmus non intelligi-

Mysteria fidei cauè & circumspectè tractanda.

intelligimus, & abſconditam deitatis abyſſum volumus intelligere? Et quoniã nocte profunda ambulamus, poſtquam peccato parentis, ſpiritualis intelligentię lumen amiſimus, obſecremus aliquem de ripa ſecuritatis, & gloriæ, qui iam vadum tranſiuit, & periculum euaſit, vt nobis accendat lucernam ad oſtendendũ vadum iſtud, & lumen ad intelligendum, & gratiam ad loquendum imploret. Sed quem potiſſimum obſecrabimus, niſi illam virginem puriſſimam, de qua ſcriptum eſt. *Non extinguetur in nocte lucerna eius* Pro. 31. In illa quippe tempeſtate paſſionis filij eius benedicti, omnes lucernæ apoſtolorum vento illo perſecutionis valdè obtenebratę ſunt, fides virginis ſola inter illos permanſit, ardens & lucens. In tota nocte vitæ præſentis, à principio ſuæ conceptionis vſque ad mortem, qua venit ad diem claram, toto vitæ ſuæ tempore lucerna & fidei & gratiæ collatæ nullo turbine, nulla tempeſtate extincta eſt, ſed ſemper lucida & clara permanſit. Ad hanc ergo virginem accurrentes, gratiam poſtulemus, offerentes ei ſalutationem angelicam.

Duo dicenda ſunt themati propoſito conſentanea. Primò de Trinitatis myſterio: ſecũdo de eius teſtimonio. Vtrumque tangitur in themate. Primum cùm dicitur, *hi tres vnum ſunt*: Io. vlt. ſecundum cum dicitur, *tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, &cæt.* De priori in hac concione dicetur: de ſecundo autem in ſequenti.

A principio mundi grande fuit hominibus deſiderium, & naturalis quædam ac vehemens inclinatio, noſſe primum illud principium, & rerum omnium conditorem, quem vocamus Deum: qualis ſit, cuius ſit conditionis & naturæ, & merito; quid enim optabilius, quid dulcius homini, quam noſſe artificem & conditorem ſuum? Si enim imago pulcherrima à pictore aliquo depicta, capax eſſet ſenſus & intellectus, quid magis optaret, quàm agnoſcere & videre pictorem ſuũ, & ipſum totis viribus ſuis benedicere, & laudare? & multo amplius ſi ad eius ſimilitudinem depicta eſſet. O pictor noſter, ò artifex mundi, omnia tua opera corporalia o bieciſti nobis, & te ipſum abſcondiſti, vbi quæremus te? Iob. *ſi ad orientem* Iob. 23. *iero, non apparet; ſi ad occidentem, non videbo* Pſal. 17. *eum. Poſuiſti tenebras latibulum tuum.* Pſal 8. Video cœlos tuos, video ſtellas, matia, terram, opera digitorum tuorum, opera eximia, opera præclariſſima, artificem verò non video, quem maxime videre deſidero. O noctem, ò tenebras, ò peregrinationem, ò exilium intolerabile, ò abſentiam conditoris duriſſimam. Pſal. *Fuerunt mihi lachryme mee panes die ac* Pſal. 41. *nocte, dum dicitur mihi quotidie; vbi eſt Deus tuus?* Non enim opera eius videre cupio, ſed artificem. Quoniam ſicut ait Auguſtin. *Beatus qui te videt, etiam ſi cætera non videat, qui autem te & alia videt, non ideo beatior eſt.* Deum namque eſſe per ſe notiſſimum eſt: omnia namque hoc teſtantur. Clamat cœlum, clamat terra, clamat ſol & aſtra, quoniam ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Vnde neque eſt, aut Pſal. 99. vnquam fuit gens adeò barbara, ruſtica, & bruta, quæ non haberet & coleret Deum aliquem: quoniam Deum eſſe, omnis gens, omnis mundus agnoſcit, quaſi hanc veritatem ipſa natura monſtrante. Sed qualis ſit iſte Deus, cuius naturæ, cuius conditionis, & qualitatis, corporeus an incorporeus, vnus vel plures, viſibilis aut inuiſibilis, æternus aut corruptibilis, productus vel improductus, & quomodo omnia diſponat vel gubernet, & de eius prouidentia, & ſapientia, etſi sũt plures, an æquales vel inæquales, & de eorum dominio & iuriſdictione, & cõuerſatione, & vita, hoc latet: hoc arcanum ſecretiſſimum eſt & abſcõditum ab oculis mortaliũ: hoc eſt quod omnes homines tã ardenter ſcire cupiunt ab initio. O quantum in hoc inquirendo & inueſtigando illi antiqui Philoſophi, & ſapiẽtes, qui mũdi magiſtri & doctores ſe eſſe profitebantur, deſudauerunt, diuitias & delitias mundi, & hominũ ſocietates, & cuitates, & contemnentes, vt huic ſcrutinio vacarent, & abſconditũ intra creaturarum nebulam reperirent. Sed quantus eſt humanus intellectus, quanta rationis perſpicacia, & ingenij acumen, ad tantum arcanum perſcrutandũ? Laborauerunt, ſu-

Psa. 63. Psa. 26. Ioan. 1. dauerunt tota vita frustra. *Defecerunt scrutantes scrutinio. Vanum quippe erat eis ante lucem surgere* Ante illam dico lucem *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quoniam hæc veritas, hoc arcanum, non rationis scrutinio, nō intellectus lumine, sed diuina solum reuelatione manifestandum erat. O bone Iesu, quantas, & quam ridiculas insanias Rom. 1. & stultitias de Deo senserunt & docuerunt. *Verè dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Pudet referre ineptias pueriles illorum deorum quos colebat gentilitas. Ie- Aug. 4. de ciuitate Dei. c. 2. gatur Augustinus de ciuitate Dei: & vt vnum de multis dicam, quid puerilius, quid stultius, quā ponere tot deos, & deas pro segetibus solis; sicut ponebat populus ille Romanus, qui omnibus imperabat? Scilicet Seiam, Segetam, Proserpinā, Nodotum, Volutinam, Patelenam, Hostulinam, Floram, Lacturciam, Matutā, Runcinam, Tutilinam: quasi non potuerint vnum Deum inuenire, cui semel segetes commendarent, partitis muneribus vni sata committebant; alij segetem prodeuntem: alij crescentia germina: alij nodos: alii tolliculos: alij spicam patentem: alii aristis se æquantem: alii florentem; alii lactescentem, alii matureſcētē: alii messem: alii frumentum, vt tuto seruaretur. O miserandam infantiam tantę cęcitatis & tenebrarum. Sed & cultus, & sacrificium turpissima erant. Erant namq; in hoc tāta varietas, vt vnaquęq; prouincia proprios haberet deos, variosque cultus, varios ritus, & varia sacrificia, vt liquidò constaret, in tanta varietate nō posse consistere veritatem. In hac profūda cæcitate & tenebris, per quinque mille annos, & amplius ferè, totus mundus permansit; Rom. 1. sicut apostolus air. O grā dus diei seuēritas, ò terribilis vltio peccati. Pauciſſimi autē ex illis philosophis, instinctu diuino, vt existimo, magis quā studio, à longe aliquid de hoc sacratissimo arcano attigerunt, sicut fuit ille Socrates, qui pro vno Deo interiit bibita cicuta apud Athenas, & Aristotel. qui vnum naturæ Deum & principem asseruit; & Plato ille, vocatus diuinus, qui licet posuit plures Deos creatos, id est angelos, sicut in Psalm. dicitur, *Deus deorum dominus locutus est*, vnum tamen posuit verum Deum, omnium conditorem. In quo etiam nescio quo instinctu posuit quandam Trinitatem, scilicet ipsum per se esse; id est esse primum; & ipsum verbum, siue filium Dei, siue mentem, siue mundum exemplarē, & idealem; & tertio loco animam mundi. Vnde & trinitas Arriana parum à trinitate Platonica differebat; neque parum nocuit Arrianis esse Platonicos. Mirum de isto philosopho, qui tātum attigit de hoc mysterio, vt dicat Augustinus, se in libris Platonicis legisse totum illud principium Ioannis: *In principio erat verbum & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*, licet aliis verbis. Et quid mirum de isto philosopho, cum Hermes Trismegistus Platone multo antiquior, librum scripserit de verbo perfecto, quem ego legi; in quo dixit: Monas genuit monadem, & in se reflexa produxit ardorē. Quid amplius de Trinitate diceret Augustin. An putamus eos solo lumine naturali hæc attigisse, & non potius instinctu quodam diuino hæc sensisse? quia viri boni erant, & studio perquirendæ veritatis intenti sicut Sibyllæ, quæ multo maiora dixerunt, lumine quasi prophetico. Vnde Augustin. de Virgilio sentit nō nisi instinctu Dei dixisse, *iam noua progenies cœlo demittitur alto, &c.* licet nesciens quid diceret, sicut Caiphas. Qui Philosophi licet de verbo diuino plurima dixerunt, defecerunt tamen in tertio signo, id est in cognitione spiritus sancti, sicut Magi Pharaonis, vt refert Augustin. in libro quęstionum super Exodum. Talis ergo fuit gentilitas.

Psal. 49. Plato mysterium Trinitatis aliquo modo attigit, errabunde tamen. Ioan. 1. Ioan. 1. Exod. 8.

In populo autē Hebræo à Deo electo & illuminato, de hoc mysterio hoc solum innotuerat, quod dicitur; *Audi Israel Dominus Deus tuus vnus est.* Neque ex sapiētibus, & legis peritis, & scribis quisquam erat, qui aliud sciret, aut pluralitatem aliquam in diuinitatis natura suspicaretur, præter pauciſſimos Dei amicos, quibus propter amicitiam & familiaritatem, Deus vt maximum & præclariſſimum donum Trinitatis arcanū reue-

Deut. 6.

lau e-

Matt. 11.

Exod. 6.

Ioan. 17.

Psal. 118.

Psal. 2.

Isa. 6.

Psal. 50.

Ioan. 1.

Matt. 16.

Ioa. 17.

Iauerat: & quod in illa vnitate & simplicitate certatis, quã lex proclamat, aliqua esset pluralitas demonstrauerat. Neque hoc æqualiter omnibus: prioribus enim illis patriarchis generaliter, & confusè hoc exposuerat, sicut ipse dicit, *Ego dominus qui apparui Abraã, Isaac, & Iacob in Deo omnipotenti & nomẽ meum Adonai non indicaui eis.* Quod non de nomine illo altissimo tetragrammaton, sed de illo de quo dominus ait; *Pater manifestaui nomẽ tuum hominibus*, intelligendum existimo. Nam licet agnoscebant Trinitatem in diuinis, non tamen personarum proprietates, origines & relationes, & nomina propria, quæ posteri cognouerunt. Vnde ipse Dauid de seipso ait: *Super senes intellexi*, quoniam præ omnibus clarius de hoc mysterio locutus est, proprijs nominibus nominans personas, dicens in Psalm. *Verbo domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum* Et in alio Psal. *Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te* Quid amplius euãgelista dicere? Sic etiam Esaias, & alij prophetæ posteriores, hoc intellexerũt; sicut ait Gregor. *Crescente tempore, creuit notitia veritatis* Quanti putas æstimabat Dauid hanc creatoris sui notitiam? quomodo de huius tam alti ac mirifici mysterij sapientia gloriabatur. Plus certè quam de regno, & de omnibus diuitijs, & omni gloria mundi. Propter quod dicebat. *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Gratias tibi Iesu, gratias tibi *lux vera, quæ illuminas omnem hominẽ venientem in hunc mundum.* Tu nobis hoc arcanum publicasti, & notum fecisti Deus hominibus. Ecce iam bubulcus, & rusticus manu tenens aratrum & pastor ouium custos, & agricola segetes metẽs, nouerunt hoc secretum, quod tunc solis amicis tuis pro dono maximo reuelasti. Si quæras ab agricola, à pastore & bubulco, dic mihi quid sentis de Deo? Deus (ait) est Pater, & Filius, & Spiritus S. tres personæ, & vnus Deus. O admirandã gratiam. Hieron. *Hoc doctus Plato nescisset, hoc eloquẽs Demosthenes ignorauit.* Vnde & ipse dominus gratias agens patri, pro tanto beneficio, eleuatis oculis in cœlum, ait: *Confiteor tibi domine Pater, rex cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis: ita pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Et vt scias quia de reuelatione huius mysterii loquitur, adiungit. *Nemo filium nouit, nisi pater; Patrem autem nemo nouit nisi filius, & cui voluerat filius reuelare.* Ex quo etiam colligitur quòd ex sola reuelatione hoc mysteriũ potuit innotescere. Vnde cum Petrus interrogatus respõdisset; *Tu es Christus filius Dei viui*, audiuit à domino, *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cælis.* Ac si diceret. Non tibi hoc mater synagoga, nõ sacerdotes & scribæ, sed solus pater meus de cælo reuelauit. Beatus pro tãto dono, quia hoc mysterium agnoscere meruisti. Non itaque ratione, non studio, non experiẽtia vel aliquo alio lumine naturali, sed sola reuelatione Iesu Christi hoc innotuit mũdo: & mundus à tali magistro cognouit Deum suum, quis esset, qualis esset, & quomodo esset; adeo vt nihil restet, nisi videre eum. O præclara notitia, ò altissima sapientia, sola ista veritas, tres sũt qui testimoniũ dant in cœlo, Pater, verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt, prævalet toti sapientiæ mũdi, plusquã omnis philosophia, & omnis astrologia, & omnis alia vel naturalis vel ciuilis scientia: quia vtilius & optabilius est nosse creatorem mundi, quã nosse motus cœlorum, virtutes astrorum, herbarum, & animalium naturas, & omnes creaturas. Vnde dominus. *Hæc est vita æterna vt cognoscant te verum Deum: & quem misisti Iesum Christum.* Sine alijs scientijs saluari potest homo: sine hac nõ est salus Hæc sapientia omnibus hominibus iam necessaria est ad salutẽ: sine hac notitia post promulgatum euãgeliũ, nullus salus bitur. sed sicut scriptum est, *ignorans ignorabitur*: Vnde in symbolo. *Hæc est fides catholica quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, saluus esse nõ poterit.* Nã sine fide impossibile est placere Deo. Hæc veritas totius fidei vnica basis & firmamẽtũ est: quicquid de fide tenetur, hoc vnico fũdamẽto solidatur. Si Trinitatẽ neges, filiũ Dei incarnatũ, natũ, passũ, resurrexisse,

disse, & cæteros omnes fidei articulos quomodo credes? Vnde Augustin. loquens de Trinitate, ait: *Nihil difficilius quæritur, nihil fructuosius inuenitur, nullibi periculosius erratur.* Et propterea hæretici qui in hoc articulo errauerunt, cæteris peiores fuerunt, quia totam fidem radicitus euellebant. Quia igitur altissimũ hoc Trinitatis mysterium sola Dei reuelatione mundo innotuit, ideo summè colendum, venerandum & piè credendũ est, non temere discutiendum, neque curiosè perscrutandum: id enim solum in hac parte cognoscere possumus, quod de se diuina clementia reuelare dignata est. Vnde mea quidem sententia, sanctius multo, & magis piè doctores antiqui de hoc mysterio tractauerunt, quam aliqui ex recentioribus, qui dum multa subtiliter disquirunt, hanc sacratissimam veritatem inuoluunt, potius quam exponunt. Quos bene Diuus Ambros. ab hac subtili perscrutatione compescere debebat, dicens. Sanctus propheta ait, *generationem eius, quis enarrabit:* & tu enarrare contendis? Et magnus ille doctor Augustin. qui cum de hac superbenedicta Trinitate in sermone disseteret, nomen vna quo personæ illæ appellarentur perquireret, ingenuere spõdet, *nescio: & libere me nescire profiteor: quod Christus voluit indicare, hoc solum scio.* Augustin. fatetur se ignorare quod reuelatum non est, & tu innumera de Trinitate secreta quæ reuelata non sunt, explicare præsumis? & nõ attendis scripturam, in qua dominus hanc temerariam præsumptionem, & superbum scrutinium, per prophetam cohibet? Nam cum Esaias propheta dominum sedentem super solium excelsũ, & eleuatum vidisset, & seraphim clamãtia, *sanctus, sanctus, sanctus, dominus Deus exercitium* audisset, protinus dictum est ei: *vade, & dices populo huic, audite audientes, & nolite intelligere, & videte visionẽ, & nolite cognoscere.* Ac si diceretur mundo: Nolite mortales secretum hoc scrutari mysterium: hoc nolite sapere: nolite intelligere: audite audientes, & solum credite: nam hoc vobis proderit ad salutem: enim pietatis est, velle sapere temeritati

Isa. 53.

Isa. 6.
Ibid.

Vnde Bernardus *Scrutari Trinitatem summa peruersitas est, credere Trinitatem salus animarum est: videre Trinitatem summa felicitas est* Et August. in sermone Trinitatis. *Rogo vos fratres, hoc maius inter nos certamen sit, quomodo inueniemur, quomodo peccata nostra plangamus, quomodo aduersarios superemus: nam in die iudicij non dãnor quia nescii naturam creatoris mei, sed quia non seruaui precepta domini mei.* Hæc itaque custodiamus, hæc sciamus, & fidẽ Trinitatis syncera & firma mente teneamus: vt per hanc fidem, & mandatorum obseruantiam, ad claram & beatam illius visionem, & contemplationem pertingere valeamus cum Angelis, in cœlesti gloria. Ad quam nos perducat, &c. Amen.

DE EODEM FESTO S. Trinitatis.

Ad eundem Philippum Hispaniarum Ptincipem, Concio posterior.

THEMA.

Tres sunt qui testimonium dant in cœlo: pater, verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua, & sanguis: & hi tres vnum sunt. Ioannes primæ Epistolæ canonicæ, Capit. vltimo.

ANNO superiori coram serenissima altitudine vestra in concionem ascendens, duo mihi dicẽda ex hoc themate proposui, scilicet de Trinitatis mysterio, & de Trinitais testimonio. Alterũ dixi, de altero dicendũ mihi hodierna die est: de quo multa sese offerũt tractãda. Scilicet de quo dat testimonium hæc spiritus, aquæ, & sanguis Trinitas, & quale est hoc testimonium, & quomodo tres vnum sunt. Non ideò, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: quia hoc fide credimus: sed de secunda Trinitate, scilicet de spiritu, aqua & sanguine, quomodo hi tres vnum sunt: Quid enim spiritui cum aqua? quid aquæ & sanguini, cum sint tam diuersa,

&

& discrepantia? Videndum est etiam, quomodo dant testimonium in cœlo: nam vbi omnia patent oculo, quis locus est testimonio? In cœlo omnia videntur, omnia in prospectu sunt in verbo: quid ergo opus est testimonio? Quòd si dicatur sic intelligendum esse, quòd tres in cœlo dant testimonium non cœlo, sed mundo: quomodo ergo Spiritus sanctus qui est in cœlo, tribus quæ in terra dant testimonium annumeratur, cùm non sit de terra? Item quare verbum non annumeratur, cùm etiam dedit testimonium in terra sicut Spiritus sanctus? Hæc concione præsenti declarabuntur, adiuuante Dei gratia: ad quam impetrandã virginis fauorem imploremus, Offerentes ei solitam salutationem.

Tres sunt qui testimonium dant in cœlo: de quo ex præcedentibus, & sequentibus in litera notum est. Ait enim, *omne quod natum est ex Deo, vincit mundum: & hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Et quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est filius Dei? Et spiritus testificatur quòniã Christus est veritas: neque solus Spiritus testificatur hoc, sed tres sunt qui testimonium dant in cœlo, &c Et tres sunt qui testimonium dant in terra, &c. Si testimonium hominum accipimus, testimoniũ Dei maius est.* Et ne dubitemus de quo testimonio loquitur, adiungit: *quoniam hoc est testimonium Dei, quod maius est: quia testificatus est de filio suo. Qui non credit filio, mendacem facit Deum: quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de filio suo.* Vides quam apertè ostendit de quo dant testimoniũ, scilicet de fide catholica, & de eius fundamento in quo fundatur, q̃ Iesus est filius Dei: super quo fũdauit ecclesiam suam, sicut dixit Petro. Quasi diceret, nõ puretis fidẽ catholicã fabulam aliquam esse deorum gẽtiliũ, aut figmẽtũ Manichæorũ, aut inuentum aliquod subtile & cõmentitiũ, aut Mahometicas nugas, & similem cæteris legibus aut sectis, quas errore sequitur mũdas: non est sic, veritas firmissima est, grauissimis testimoniis de cælo & de terra corroborata

Ioan. 5.

Mat. 16.

Quoniam *tres sunt qui*, de illa sc. *dant testimonium in cælo, & tres qui testimonium dant in terra*, &c. Dicamus nunc quantũ indigeat fides testimonio: mox dicemus, quibus testimoniis roborata est.

Inter omnia Christianæ religionis præcepta, nihil magis arduũ, nihil difficilius quam fides: ne conferatis ieiunia, continentiam, humilitatem, patiẽtiam, mundi contemptum, pœnitentiã, acerbitates, omnes & cruces, omnia hæc in vnum adiuncta, leuiora & faciliora sunt quam fides: Nam iusto & bono viro quies, & solatium est, relinquere mundum cum suis diuitiis & delitiis: credenti futuram beatitudinem, & perpetuã illam gloriam, nõ est valdè difficile. Nam quid leuius, quàm temporale bonum pro æterno, & exiguum pro eximio commutare? Et si quid difficultatis est possum mihi persuadere, & appetitibus meis inferre vim, sed sublimes illas & accessibiles veritates fidei, quæ omnem intellectum superant, firmissimo sensu amplecti, & inconcussa fide tenere, id supra humanam facultatem, & supra humanas vires est. Nam exempli gratia, quod Deus sit trinus, & vnus, quòd Deus homo factus est, crucifixus & mortuus, quòd virgo peperit, quòd corpus Christi in Sacramento, & in qualibet parte hostia est, quòd corpus in pulueres redactum resurget, quòd supra solem fulgebit, quòd cœlo carneum & osseum corpus perpetuò locabitur, & ibi erit vita perpetua in corpore & anima, post resurrectionem: huiusmodi veritates fidei catholicæ, quę supra intellectum & rationem sunt, iniũgere homini arctissimo præcepto, vt mẽte amplectatur & teneat, & vt eas firmiter & absque vlla dubitatione, & scrupulo credat, & sic teneat vt pro illis mori paratus sit, & omne genus mortis potius sustineat, quàm vel modicum hæsitet aut dubitet, & hoc sub pœna ignis & dãnationis æternæ, sicut in euangelio dicitur: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui vero non crediderit condemnabitur*, hoc, in quam, omniũ præceptorũ Dei maximũ & difficillimũ. Quod n. non capio, nõ intelligo, cõprehẽdere non valeo, refugit sẽsus, ratio nõ attingit, intel-

Mar. 16.

lectus non assequitur, iudicium remurmurat, quomodo assentiam, quomodo amplectar, quomodo credam? Quod si sensui meo: & intellectui inferre voluero violentiam, vt renuens assentiatur quo amplius conabor, tãto minus adhærebit, & minus credet, fides enim non sustinet violentiam. O rem terribilem atque sublimem Hinc accidit, vt qui ex Iudaismo, vel ritu Mahometico ad fidem Christianam adulti adueniunt, Christianæ vitæ stylum, conuersationem, & formam, cæremonias, & cætera omnia quæ ad Christianissimum spectant facilè sequantur, fidem verò rarissimè teneant: facilíusque ab eis impetrabis, vt vitam monasticam, aut solitariam & eremiticam cum omni asperitate degant, quàm vt fidei catholicæ & huiusmodi articulis assensum præbeant. Refudit enim intellectus eorum catholicas veritates, neq; valet eas capere: horret, resilit ab eis: neq; sic possunt illum cogere ad credendum, sicut voluntatem ad obediendum.

Adeo arduum & difficile est hoc præceptum, vt nisi hominem interius Deus adiuuaret, impleri humanis viribus omnino non posset. Et ideo quisquis fidem catholicam tenet ac credit, Deo, non sibi imputet quod Christianus est. Vnde dominus in euangelio. *Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum* Augustinus. *Quid est, nemo venit ad me? Id* est, *nemo credit in me, nisi pater non solum adiuuerit, verum etiam traxerit.* Vnde sequitur. *Qui audiuit à Patre meo, & didicit.* Sicut Petrus, cui dictum est. *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis.* Qui sic (inquam) audiuit & didicit, qui sic illuminatus, & instructus, & adiutus est à Patre, hic venit ad me: qui vero nõ audiuit, frustra conatur nã per se suis viribus venire nõ potest. *Donũ Dei est fides, vt inquit Apostol⁹, & nõ ex vobis.* Et iterũ. *Vobis datũ est, vt nõ solũ in ipsũ credatis, sed & vt pro illo patiamini.* Vides certè q; à se fidẽ nõ habet, sed à Deo infusâ recipit intellectus. Propter quod apostoli merito ac sapiẽter supplicãt, *domine adauge nobis fidẽ*, scientes quia à se & per se habere non possunt, Ac si dicerẽt. Sequi te in omnibus parati sumus, & tecum in tribulationibus permanere, vtcunque possumus: fidẽ ipse dã, & quã dedisti adauge; nã hoc tuum est, nos ad id nostris viribus valere diffidimus. O verè magnũ ac necessariũ fidei donũ, ò mirãdã illi⁹ virtutẽ, ò potẽtissimũ glutinũ, quo veritates illæ sublimes & excelsæ omnem rationẽ & iudicium supereminentes ac transcẽdẽtes, intellectui nostro sic imprimũtur & adglutinantur, vt ei connaturales & congenitæ esse videantur. Sicut subtilissimæ mẽbranæ scriptura mandata radi omnino non potest, rumpi potest charta, sed non deleri: sic omnino fidei virtute, sublata omni illa repugnantia & resistentia, hominis intellectus emollitur & delinitur, & in eo catholicæ veritates insinuantur & inscribũntur: vt nulla vi, nulla potentia, nulla argumẽtorũ ac rationum apparentia, nulla sermonis ac persuasionis efficacia, penitus valeant aboleri. Quanta sustinuerunt martyres? quanta passi sunt ne fidem desererent? Ecce discerpti & dilaniati sunt: potuit dira mors animam à corpore, sed non fidem ab anima separare, quia videlicet spiritus sanctus in corde eorum potenti eam virtute descripserat. Magnum profectò miraculum, res tam dissonas & discordes, tam indissolubiliter vnire: *tres enim mirabiles vniones fecit Deus*, vt inquit Bernardus, *scilicet, quod humanitatem & diuinitatem vniuit in Christo: quod virginitatem, & maternitatem vniuit in Maria: quòd intellectũ & fidem in Christiano coniunxit.* Grande miraculũm, quòd in sacramento altaris corpus tuũ sic aptasti: sed magnũ quoq; quod me illud credere firma fide fecisti. Fides ergo nostra propter eius difficultatem interiori indiget adiutorio, quæ & propter eandem causam exteriori indiget testimonio. Nam si firmissimis testimoniis non fuisset exterius corroborata, quis vnquam hominum credidisset? aut quomodo iustè damnaretur infidelis & paganus propter incredulitatem, si nullum de credendis testimonium accepisset? Vnde dominus in Euangelio, de Iudæis ait: Si

Luc. 22.

Simile.

Hebr. 11.

Ioan. 6.

Mat. 86.

Ephes. 2.

Phil.

Luc. 17.

non

non venissem, & opera non fecissem, quæ nemo alius fecit peccatum non haberent.
Ioan.15. Qua enim ratione peccarent, non credendo quod filius Dei, & verus Deus sū, si id operibus non probassem? At *modo* (inquit) *excusationem non habent de peccato suo*, scilicet incredulitatis, quia potentiam & diuinitatem meam solidissimis testimoniis & miraculis comprobaui. De
Psal.92. quibus testimoniis Psal. *Testimonia tua* (inquit) *credibilia facta sunt nimis* Veritates quidem catholicæ, sublimes & excelsæ valde, & supra omnem rationis & intellectus facultatem, & fetè incredibiles: sed earum testimonia credibilia facta sunt nimis, quia fortissima, potētissima, vrgentissima, & euidentissima sunt supra modum. Vincit testimoniorum magnitudo articulorum credendorum difficultatem, vsque adeo vt nimis durus ac pertinax sit, qui post tantam testimoniorum syluam, & tam euidentissimarum probationum apertissimam lucem, fidei veritatibus credere renuat. Nec ei potest suffragari credendorum sublimitas ne damnetur in iudicio, quæ tam multiplici fuit superata probationis testimonio. Nam licet fides super rationem sit, tamen rationabile est vt tam attestatæ veritati credatur. Et quidem Deo sine testimonio credendum est: quid enim potest dicere Deus, vt non dicentis authoritas verbi superet difficultatem? Quid multum satis ò homo si Deo credis quamuis ardua & difficilia dicenti? Nonne attendis quis est qui dicit? Quanta quotidie credimus difficilia creditu, vt de miraculis naturæ, fontibus, de piscibus, de animalibus? Vtpote quod delphinus infantem inequitātem vehat per mare, & deducat ad littus: quod basiliscus solo visu homines interficiat: quòd lapis quidam semel incensus diutissimè ardeat, neque consumatur: quòd salamandra viuat in igne. *Natura enim* (vt inquit Plinius) *in suis operibus fide caret.* sed tamen creduntur à populo, quia referuntur in libris, propter scribentium authoritatem. Omittamus authores: quid obsecro Altitudo vestra se vidisse assereret quod non ab omnibus statim crederetur, etsi arduum & difficile videretur? Etsi quis forsitan aut dissentiret, aut dicti rationem peteret, quam inurbanus & rusticus haberetur, propter summam dicentis authoritatem? O homo, Regi aut Imperatori sine testimonio credis, & non credis Deo? Quæ est omnis authoritas hominis ad authoritatem Dei? Vnde Ioānes in Epistola. *Si testimonium, inquit, hominum accipitis, testimonium Dei maius est.* Exaggera quantumuis credibilium difficultatem: certè exuperat supra modum Dei authoritas vt credantur. Non dicimus tib vt credas Paulo, vel Matthæo, vel Ioannii Isaiæ, vel Hieremiæ, aut alteri Apostolo, vel prophetæ, sed Deo. Fides tua non
Matt.23. alicuius hominis innititur authoritati, sed Dei: *non enim vos estis qui loquimini, sicut ait dominus, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* Propter quod prophetæ sæpe repetunt. *Hæc dicit dominus,*
Hier.31. *audite verbum domini*: q.d. Non nobi fidē adhiberi postulamus, non nostra sunt verba quæ loquimur, sed Dei. Vnde Apo-
1.Cor.11. stolus locuturus de sacramento altaris, *ego* (inquit) *accepi à domino quod & tradidi*
1.Cor.7. *vobis.* Et iterum. *Dicit dominus, non ego* Et iterum. *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus?* Si ergo Dei sunt,
1.Cor.13. & non hominis verba, quæ in fide catholica tibi credenda proponuntur, quid multum est si simpliciter dicta, & nullo testimonio fulcita, credantur? Nonne impium & temerarium est à Deo dictorum suorum quærere testimonium? Vnde dominus. *Generatio* (inquit) *praua & adultera signum petit.*
Math.12. Et iterum *increpans* duritiam Iudæorum ait. *Nisi signa & prodigia videritis, non credetis.* Propter quid Zachariasi
Ioan.4. pater Ioannis taciturnitate multatus est, nisi quia dictis Angelis simpl i-
Luca.1. ter non credidit, sed signi testimonium postulauit? Propter quid virgo sacra de fidei meritò laudata est à cognata, nisi quia tam noua & ardua sacramenta solo Angeli dicto, sine aliquo signo
Luc.1. vel testimonio credidit? Vides certè quia fides de se non indiget testimonio: ideo enim fides est, quia non testimonio, sed

dicen-

dicentis aathoritati innititur. Sed tum propter nostram fragilitatem, tum propter eius difficultatem adhibentur testimonia, quia dicentis authoritatem non videmus, sed credimus. Si enim Deum in prophetis loquentē oculis cerneremus, quid opus esset probatione; Propter hoc (inquam) opus illi est magno & multiplici testimonio, sicut in themate dicitur. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo*, &c. Nunc autem qualia eius testimonia sūt audiamus. Tres (inquit) *sunt, qui testimonium dant in cœlo.* Et qui tres? *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* O magnam fidei authoritatem quæ talibus testibus comprobata est. Quid hac veritate firmius? quid certius. Quid sublimius? cui talia astipulantur testimonia? Nō Angelos, non Archangelos misit in testimonium, sed ipsa maiestas venit, ipsa descendit, & testimonium perhibuit. Quāta firmitas, quanta authoritas. Nam si publicum aliquod instrumentum de re grauissima describendum esset, tabellionisque officio in eo fungeretur Toletanus antistes, & testes qui fidem rei facerent summus Pontifex, Imperator, & Rex Franciæ forent, quam authentica esset ea scriptura? quis huiusmodi instrumenti fidem refutaret in iudicio? aut quasi incertam & inualidam reijceret? Hæc est fidei catholicæ sublimitas & dignitas, quæ non humano aut angelico, sed diuino, etiam fulcitur testimonio. Huic testimonium perhibuit pater ad Iordanem de cœlo intonans super filium, *hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, & idem iterum in Thabor repetens, filio tunc fulgentissima gloria coruscante: tertiò quoque cùm filius oraret, *clarifica me pater claritate quam habui apud te, priusquam mundus fieret*: non in secreto, sed publico, coram omni populo è cœlo, quasi tonitruo quodam, huius testimonij dignitatem atque sublimitatē cōmēdās, mirabiliter respōdēs, *& clarificaui & iterū clarificabo*. Propter quod dominus huius testimonij dignitatē & sublimitatē cōmēdans, ait. *Vos misistis ad Ioannem, & testimoniū perhibuit veritati: ego autem non ab homine testimonium accipio, ego habeo testimonium maius Ioāne, nam qui misit me pater, ipse testimonium perhibuit de me.* Dedit & testimonium verbum huic veritati, sicut ipse ait. *Ego testimonium perhibui de me: & testimonium perhibet de me, qui misit me pater.* Et quale sit eius testimonium audite, *Opera quæ ego facio testimonium perhibent de me.* Et iterum. *Si non facio opera patris mei, nolite credere: si autem facio, si mihi nō creditis, operibus credite.* Ac si dicat. Vidistis miracula potentissima, mortuos ego suscito: cæcos illumino: leprosos & infirmos solo verbo curo: mari, & ventis, & vniuersæ creaturæ impero: & de mea diuinitate dubitatis? Magnum miraculum, testimonium magnum resurrectionis, magnum & ascensionis: sicut ipse ait, *nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo.* Ideſt, non aliud euidentius testimonium requiratis, vt credatis quòd de cœlo sum & de cælo veni, quàm quod oculis proprijs in cœlum me remeare videbitis. Huic quoque testimonium perhibuit Spiritus sanctus, cùm in specie columbæ super ipsum descendit in Iordane, & in die Pentecostes in igne descendens visibiliter de cælo. Apostolorum mentes illuminauit, & omnium gentilium linguis magnalia de ipso domino Iesu, ore ipsorum in conspectu omnium eructauit: sicut ipse dominus prædixerat. *Cùm venerit paracletus, spiritus veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibet de me.* Vidistis è cœlo potentissima testimonia: sed non solùm cœlum, sed & terra huic veritati testimonium astipulatur. Nam tres sunt qui testimonium dāt in terra, *spiritus, aqua, & sanguinis.* Quorum testimonia etsi minora prioribus, tamē splendidissima sunt: spiritus in corde, aqua in baptismo, sanguis in martyribus: quorum virtutem & magnitudinem latius disseramus. Qui ideo martyres dicuntur, quia fidei testes fuerunt: inquam non verbo & eloquio, sed sanguine & morte iurarunt. Quis dubitet credere, quod tot millium martyrum sanguine confirmatum est? qui velut fluuius in mundo in primordio ecclesiæ nascentis inundauit? Pendet Petrus in cruce pen-

Ioan 1. ep. Can. c. vlt.

Simile.

Matth. 3.

Matth. 17.

Ioan 17.

Ioan. 3.

Ioan. 8.

Ioan. 10.

Matth. 11.

Matth. 3.

Ioan. 3.

Mar. 1.

Act. 2.

Ioan. 15.

Sancti Dei vnde dicantur martyres.

pendet Andreas frater eius biduo prædicans ex patibulo: pendet Simon, Thadæus, cruci affixus, Bartholomæus excoriatus, & Stephanus lapidatus in fidei testimonium. Audite gentes, *attendite populi*, ecce morimur, & volentes, non qualicunque, sed atrocissima morte morimur: nulla nobis est iam expectatio mercedis in mundo: si non vera sunt quæ narramus, si Christum ijs oculis non vidimus resurgentem, & ascendentem, vt prædicamus, ad quid ista patimur? ad quid tam dira tormenta volentes sustinemus? Quis tam stolidus, stupidus, & insanus, vt pro falsitate scienter & sine præmio moriatur? Non enim audita, sed visa narramus. Si non vidimus, si fallimus, falsum contra Deum testimonium tulimus, quod suscitauerit à mortuis quem non suscitauit, & falsus testis non erit impunitus: qualem ergo à Deo qui veritas est, pro nostro mendacio retributionem expectamus? O mirabile testimonium, quis ita desipuit vt pro mortuo & crucifixo mori & crucifigi sine præmio patiatur? Sed & sequentium martyrum innumera multitudo huic testimonium perhibet veritati: qui licet non viderunt ea pro quibus moriebantur, nunquam tamen præsentem vitam sic exponerent, nisi de alia meliori & perpetua certi essent. Non enim simplices & rustici, sed viri ingenui, sapientes, & cordati fuerunt. Sed inter hoc maximè fidem roborat, tanta virginum morientium caterua, quarum martyria quis non admiretur? Videas puellas tenerrimas & delicatas, quæ vel murium, vel lacertarum solent aspectum formidare, vt leones, vt vrsas, impauidas astare iudicibus: cruentas non reformidare bestias: à carnificibus intrepidas laniari. Quis Deum in puellari pectore latentem non videat? quis non humanam, sed diuinam hanc fuisse fortitudinē nesciat? quis talia testimonia nō recipiat? Dat & testimonium aqua in baptismo: olim enim quando catholica fides fundabatur in orbe, vt hominum mentibus firmius adhæreret, in eius robur & firmitatē, Spiritus S. in baptismo visibiliter in oculis omnium apparebat, & qui baptizabantur, quandoque linguis gentium, sicut in die Pētecostes, loquebantur: quod signum non parum cōtulit illis temporibus ad fundandam fidem. Dat quoque testimonium spiritus in corde, sicut idem Ioannes statim adiungit, dicens. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se*: ideſt non opus est vt exteriora quærat testimonia, nam in corde suo fidei suæ grauissimum, & validissimum testimonium experitur. Acceperat hoc testimonium qui dicebat, *quàm magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te.* Verè exuperat omnem cōporalem dulcedinem gustus Dei in corde iusti, nec opus est vt exterius quærat, quem intra se gustat. Nam sicut fauus mellis, & caro perdicis, & frustum panis, & quisq; alius cibus suo gustu discernitur, sic Deus suo quoque gustu dignoscitur. Ad quem idem propheta nos inuitat dicens. *Gustate & videte quoniam suauis est dominus.* Sed hoc testimonium non omnibus patet: manna absconditum est, quod nemo nouit nisi qui accipit. Fælix anima, quæ tali abundat testimonio: huic cætera testimonia superfluunt. Nam quæ diuini amoris feruore extra se rapta, torrente illo voluptatis vltra quàm sensus capere potest inebriatur: quomodo potest dubitare, se experiri quod gustat? Sed hoc experimētū breuissimū & rarissimū est. Cæterū & in cōmuni vita fidelium, ipsa pax & trāquillitas bonæ cōsciētiæ, dum quæ fidei sunt custodit & facit, &c. in oppositum amaritudo cordis discedentium à Deo, satis per se ostendit, verum esse quod creditur. Huiusmodi sūt, qui teste Augustino, dicere possunt ecclesiæ Iā nō propter tuā loquelā credimus, nā ipsi audiuimus & scimus, q a hic est verè saluator mūdi. Hic autē spiritus de quo loquor, non Spiritus sāctus sed spiritus hominis intelligēdus est, qui de terra est, & ideo terrēnis testimonijs annumeratur. Sed quomodo, tres vnum sunt, dicamus, si tamen litera hæc suscipitur à fidelibus, nā multi codices hoc non habent: & vt quidam dicunt, addi-

Act. 7. Isai. 49.

1. Ioan. 5.

Act. 2.

1. Ioan. 5.

Simile.

Simile.

Psal. 33. Apoc. 1.

Psal. 35.

Ioan 4.

ta est ab hæreticis hæc particula. Sed quoniam sic communiter legit ecclesia, intelligi debet, non quòd hi tres spiritꝰ, aqua, & sanguis, qua res sint, sicut & supra de prima, semper benedicta Trinitate dixi, sed quòd vnũ sit eorum testimonium, & ab vno principio procedat. Nã idem Spiritus sanctus est, qui martyres fortificat in martyrio: & qui visibiliter apparet in baptismo: & qui testimonium perhibet spiritui nostro, quòd filii Dei sumus Et sic idem est testificator, & idem testimonium, non formaliter, sed causaliter: licet varia sint instrumenta, per quæ exhibetur Audistis de cęlo & de terra magna & egregia testimonia, sed non hæc sola sum, sed præcipua: nam pluta alia ijs connumerari possunt. Totus namque orbis, & omnis creatura, huic veritati testimonium perhibuit. Nã
Mat.27. *Sol* testimonium perhibuit, cũ in morte
Matth.2. eiꝰ lucẽ abscõdit. *Astrũ* dedit testimoniũ, quod in natiuitate eiꝰ insuetũ apparuit.
Act.2. *Cœlũ* dedit testimoniũ quãdo factus est repẽte de cœlo sonus, tãquã aduenientis
Psal.67. spiritus vehemẽtis: & cæli distillauerũt à
Luc.2. facie Dei Sinai. *Angeli* dederunt testimo-
Matth.27 niũ, qui in eius natiuitate suauiter cecinerunt, & in resurrectione, & ascensione,
Act.1. Apostolis apparuerunt. Dæmones, etsi
Luc.4. muti, testificati sunt, licet eorum testi-
Matth.27 monium nullum sit: quando clamabant
Marc.1. scio te quod sis sanctus Dei, fili Dei, *vt*
Mat.27. *quid venisti perdere nos?* *Terra* testimonium dedit, quæ ipso morienti contremuit
Ioan.9. *Mare* testimonium dedit, quod se sub eius
Matth.8. pedibus calcabile præbuit *Venti* dederũt testimonium, qui ipso iubente siluerunt.
Marc.11. *Arbor* dedit testimoniũ, quæ ipsius præ-
Isai.1. cepto statim aruit. *Iumenta* dederunt testimonium, siue quando agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: siue quando in mare ipso permittente præcipitata sunt. Denique *saxa*
Marc.1. *durissima* testimonium perhibuerunt, quando in eius morte sciſſa sunt. Vides testimonium syluarum: vides omnem creaturam cõiurasse in testimoniũ creatoris? Væ miseris, qui obstinati animo tã innumera eius testimonia non susceperunt. Sed & nos die immunera quotidie per orbẽ testimonia fiunt: & cœlum & terra, & omnis creatura huic veritati astipulatur: vero siquidem omnia consonãt. Sed libet ex tam multis aliqua specialiter annumerare, & prædictis adiungere, quæ ampliora & notiora sunt. Dant quarto testimonia de terra, multa & grãdia miracula quæ facta sunt, & quotidie fiũt à sanctis: quæ quidem ideò miracula sunt, quia sola Dei potestate fiunt. Quæ cum à fidelibus in nomine Iesu fiant, si non est veritas in Iesu, Deus vtique testificator est, astipulator est falsitatis, quod dicere blasphemia est. Quòd si tam bonis & præclaris viris ore nefando fraudem imponas, dicens, quòd Magi & malefici fuerint, & per suas incantationes opera diaboli miracula ediderint: quid dicere poteris de ossibus eorum, ad quorum sepulchra quotidie ingentia miracula fiunt: non enim maleficus est qui mortuus est. Si ergo Deus huiusmodi viros miraculis honorat: & fidem eorum ipsis iam mortuis, prodigiis commendat, audeo dicere, si ipsi in errore & peccatis dormierunt, & fides eorum vera non fuit, Deceptor est, & Deus hominibus imposturam facit, qui & vitam eorum & fidem miraculis illustrat. Quis enim imputet homini si eos honorauerit, & sequatur, quos tam immensa miracula, & tam egregia testimonia etiam mortuos commendant? Aut ergo fides ecclesiæ vera est, aut si non, Deus deceptor est: hoc autem & cogitare sacrilegium est, ergo primum verissimum & certissimum. Quinto testimonium perhibent huic veritati reuelationes & apparitiones Angelorum, & sanctorum, quæ frequenter fiunt in ecclesia, & spiritus prophetiæ qui in sanctis aliquando apertissimè cernitur. Omitto libros grauissimorum virorum: quanta quotidie narrantur ab hominibus fide dignis & sanctis, de huiusmodi visionibus & reuelationibus ac apparitionibus, non in somno tantum, sed & in vigilia sibi factis. Sed de antiquis, quàm publica & notoria fuit illis temporibus illa martyrum Geruasii, & Prothasii apparitio, quæ Ambrosio facta est? Sed

Martiũ confessio necessaria Ecclesiæ.

& illa Gamalielis, & Stephani, quæ presbytero Luciano monstrata est? quibus fidem fecit indubitatam subsequuta corporum inuentio. Plura de his dicerem, nisi timerem modum concionis excedere. Sexto testimonium perhibet & verè maximum scriptura sancta, ad quam nos ipse dominus remittit, dicens. *Scrutamini scripturas, quia ipsæ testimonium perhibent de me.* Dic mihi ò Pagane, respondeBarbare, nunquid qui dicere potuires futuras antequam fierent, non communes & vulgares, sed insignes & illustres, per bis mille annos antequam fierent, & postea sicut dixi impleuit, nonne hic Deus est: & quæ ab eo taliter dicta, & impleta sunt, vera sunt fidei catholicæ sacramenta? Quæ fide nos Christiani profitemur, omnia multis ante sæculis à Deo pronunciata sunt prophetarum oraculis: si dubitas, non nostros, sed Judæorum codices ostendo, inimicorum nostrorum: lege, perlege: & si non es certus, intellige: & impleta esse oculis cerne. Quomodo fallum esse potest, quod tam longo temporum curriculo ante pronuntiarum & promissum est, aut quis ea potuit tam longè ante prædicere, & prædicta opere implere, nisi Deus? Hæc ratio si diligentius attendatur, difficilis est solutionis. Hanc insinuat Deus per Isaiam prophetam dicens. *Ego dominus, & non est alius. In abscondito non loquutus sum in loco terræ tenebroso, Annunciate, & venite, & consiliamini simul, qui auditum feci hoc ab initio, ex tũc prædixi illud. Nunquid non ego dominus, & non est vltra Deus absque me?* Et postea. *Audite hæc domus Iacob qui vocamini nomen Israel,* &c. *Priora ex tunc annunciaui, & ex ore meo exierunt, & audita feci ea: repente operatus sum, & venerunt. Sciui enim quia durus es tu & nervus ferreus cervix tua, & frons tuaærea. Prædixi tibi ex tunc: antequam venirent indicaui tibi, ne fortè diceres, idola mea fecerunt hæc: sculptilia & conflatilia mandauerunt ista. Quæ audisti vidi omnia.* O validissimum argumentum: hoc vtitur Augustinus contra gentiles, in libro de concordia euangelistarum diffusè, & multo diffusius Eusebius Cæsariẽsis in libro de demonstratione euangelica, in quo satis copiosè per totum demonstrat librum, ea quæ in Euangelio videmus impleta, vaticiniis prophetarum ampliſſimè fuisse diu ante prænunciata. Septimo dat fidei testimonium legis euangelicæ puritas & sanctitas, sicut scriptum est. *Lex domini immaculata conuertens animas.* Quid (inquam) purius, quid syncerius, quid perfectius Euangelio. Quæ philosophia moralis, quæ lex, quæ doctrina homines sic iustè & sanctè viuere docet, & circa mores mundum in sanctitate & veritate sic instituit, vt lex Christi? vtpote quæ nullum malum admittit, nullum bonum omittit, nullam turpitudinem sustinet. Quàm pura, quàm decora, quam recta, quàm iusta esset illa respublica, quæ lege hac instituta, nihil præteriret, nihil omitteret? Cui si Platonis, aut Ciceronis, aut cæterorum philosophorum respublicas conferas, impiæ, iniquæ, & fatuæ videbũtur. Quod si doctrina Platonis aliquando mirabilis visa est, hoc ideo fuit, quia in pluribus euangelicæ doctrinæ consona fuit. Non ergo indiget alio fulciri testimonio lex euangelica, quia ipsa sibi satis testimonium perhibet, quia vera est. Dat vltimò testimonium fidei sanctorum fidelium modestissima, innocentissima, atque sanctissima vita: quorum sanctitas & perfectio, humanam transcendere facultatem visa est: non enim humana, sed angelica, in mortali corpore visa fuit. Bone Deus: si illi qui relictis omnibus mundi diuitijs atque delicijs, in summa honestate & simplicitate degentes tibi soli, honori tuo, obsequio tuo, & tuis laudibus die ac nocte, quasi Angeli quidam humanati, vacantes, nihil prẽter te quærentes, soli contemplationi & orationi instantes, nulli hominum nocentes, omnibus benefacientes, humiles, modesti, & pii, si isti (inquã) decepti sũt, & in errore vixerunt, & tanquam male de Deo sentientes, & perfidi, & sacrilegi damnati sunt: qui ergo sunt qui saluantur? Si hos (inquam) despexisti, & deseruisti: si hos errare permisisti, qui super humanam

Scripturæ sacræ magnum fidei nostræ testimonium. Ioan. 5.

Psal. 18.

Isai. 49.

Psal. 48.

facultatem sanctè & purè vixerunt, tui obseruantissimos ac deuotissimos, quos ergo alios diligis? quos illuminas? Si isti maiestati tuæ non placuerunt, qui sunt qui placent? Neque enim tales in omni virtute & sanctitate, mundus vel habuit, vel vidit. Absit, absit hoc à Deo, vt huiusmodi cultores ac dilectores suos sanctissimos errare permiserit: & quos tanta puritate & sanctitate perfecit, æterna morte damnauerit. Nec enim ad tantæ excellentiæ culmen propria virtute, sed Dei gratia peruenerunt. Hæc sunt catholicæ fidei testimonia, sole clariora, luce splendidiora, quæ de cœlo & terra ei suffragantur. Verè *mirabilia testimonia tua domine, ideo scrutata est ea anima mea.* Quid enim delectabilius, quid iucundius, quam in his meditandis, in his ponderandis, ruminandis, scrutandis, die ac nocte versari? Superat hoc omnem mundi delitiarum dulcedinem sicut prophetа ait. *In via testimoniorũ tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs.* Verè *beati qui scrutantur testimonia eius, & in toto corde exquirunt eum.* Et vbi inquirendus, nisi in illorum diligentissimo scrutinio? Certè videbis quam verũ sit quod præmisimus ex propheta. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Sed vnde credibilia nimis, nisi quia fortia & apparentia nimis? Quis enim adeo pertinax, proteruus, durus, vt his auditis & cognitis testimoniis repugnare audeat, & à credendo abstineat? Dicam fratres, dicam, & cum nimio cordis mei gaudio dicam: etsi vobis forsan temerarius visus fuero, dicam fides tua domine, sanctis fidelibus tuis, qui in huiusmodi testimoniorum scrutinio versantur, iam vix fides est: quoniam de fide, iam quodammodo transit in lucem. Sicut scriptum est, *Iustitia in eo reuelatur de fide in fidem.* De fide obscura, in clariorẽ, & quasi notam, quæ iã fides vix est. Non quod aliquis mortalium sine fide viuat, & per speciem ambulet: hoc enim non viatorũ, sed beatorũ est: in vmbra enim eius viuemus inter gentes, inter Angelos verò in luce. Si enim virgo sacra in fide vixit, & de fide laudata est à cognata, in qua facta sunt diuina mysteria, quis sanctorũ sine fide viuit? Sed quòd volo dicere hoc est: plurimos sanctorum in hac vita, siue testimonio illo interiori spiritus de quo diximus, siue horum testimoniorum diligentissimo scrutinio, ad notitiam fidei maiorem, imò ad intelligentiam per fidem pertigisse. Sicut scriptum est. *Nisi credideritis non intelligetis.* Non quòd de Trinitatis, aut incarnationis, aut sacramenti altaris, aut de alio articulo simili in particulari euidentiam habeant, licet nonnulli putent se illorum aliquod demonstrasse, sed quòd in genere & in vniuersali, veram esse fidem catholicã quam tenẽt quodammodo clarè videat. Cum qua tamẽ generalis euidentia stat, quod de singulis articulis aliquo modo in speciali fidem habeant. Quia licet constet in vniuersali de omnibus quod veri sint, quomodo autem eorum quilibet vetus sit non vident. Hæc tamen lux (vt ego existimo) transit & diu remanet in intellectu, Deo sic volente, ne fidei meritum deperdatur: nam in hac vita vtilius est nobis credere, quam intelligere. Propter quod, Deus fidei probationes, quas diximus, sic temperauit, vt fides fulciretur testimonio, & non destitueretur merito. Nam si conuincere voluisset intellectum ad assentiendum, facilè erat cui nihil est difficile. Si enim gloriam, & splendorem quem habet in suo corpore in sacramento altaris quotidie omnibus monstrare voluisset, quis paganorũ, aut infidelium videdo pronus in terram nõ statim adorasset, sed hoc non esset fidem statuere, sed euertere. Mirabilis ergo prouidentiæ suæ temperamẽto fidem testimonio stabiliuit, & fidem meritò non destitit. Fides enim nunc necessaria est, nam per fidem ætenæ beatitudinis visionem promereri incipimus. Nam dum Deo mirabilia dicenti quæ non apparent firmissimè credimus, & in obsequium fidei, propriis sensibus abdicatis, intellectum nostrum propter eius dicta captiuauimus, mentemque nostram, qua nihil est in nobis præstantius ac sublimius, Deo fide subiicimus, & in obedientiæ

Psal. 118.

Psalm. 118

Ibidem.

Psal. 91.

Rom. 1.

2. Cor. 5.

Luc. 1.

Isai. 7.

2. Cor. 10.

sacri-

facrificium inclinamus, dum (inquam) tantum ei honoris & reuerentiæ deferimus, credendo, & amando quod non videmus, promeremur postea videre quòd credimus Fidem ergo catholicam, quã in baptismate fuscepimus firmam & immaculatam custodiamus, donec ipso donante, inter Angelorum choros constituti dicamus: *sicut audiuimus sic vidimus in ciuitate domini virtutum, in ciuitate Dei nostri.* Ibi namque Trinitatem, quàm nunc credimus, oculis claris *videbimus: videbimus, & amabimus: amabimus, & gaudebimus: gaudebimus, & laudabimus*, & fruemur in perpetua fœlicitatis æternæ gloria. Ad quam nos perducat. Amen. Deo gratias. Psal. 47.

IN DIE SANCTO Corporis Christi.

THEMA.

Manhu. Exodi 16.

HOC verbum dixerunt filii Israel, viso cibo quem illis dominus effuderat circa castra tantæ rei nouitate perciti: admirantes dixerunt ad inuicem. *Manhu?* & inde cibus ille, manna nomen accepit. Non secus (vt existimo) in ecclesia Dei hodie contingeret, si inter nos philosophorum aut paganorum caterua cõsisteret. Inspecta enim hac nostra celebritate, viso populi iubilanti concursus, sacerdotum laudantium apparatu, ministrantium ordine, canentium inbilo, saltantiũ tripudio, instrumentorum sonitu, vestium splendore, plebis exultantis applausu, inspectato etiam honore, reuerentia, cultu, qui sacræ hostiæ ab omnibus exhibetur, quid aliud putas dicerent inter se? quid aliud acclamarent, nisi *Manhu?* quid est hoc, quis honor hic panis, quænam hæc reuerentia cibi? Hi quos videmus, viri prudentes sunt, cordati sunt, plebs nobilis & vrbana, gens sapiens & diserta, quomodo illi hostiæ genuflectunt? quomodo diuinos pani præstant honores? Quid obsecro istis respondebimus fratres, quid illis dicemus, nisi quod admirantibus Hebræis, dux eorum Moyses illis respondit. *Hic est panis, quem dedit nobis dominus ad vescendum:* nõ qualiscunque, sed *panis viuus, qui de cœlo descendit:* panis Angelorũ: panis animarum: panis vitæ: *panis quem qui manducauerit, viuet in æternum.* Nunquid non meritò huiusmodi panis honoratur? an non vobis hoc dignus videtur honore. Si quis ex vobis pane aliquo ærumnosam hanc vitam centum annos producere posset, nunquid non sicut oculi pupillam, panẽ illum custodiret, nonne illum omnibus mundi diuitijs anteponeret? Hic autem panis edenti vitam præstat: non centenariam, sed æternam: vitam iucundam, vitam beatam, vitam omnium bonorum plenitudine fœlicissimã. Hic est fructus ligni vitæ in medio paradisi positi, quo qui participat non videbit mortem in æternum. Noli ergo mirari ò philosophe, si tali ac tanto cibo, talem ac tantũ exhibemus honorem. In hac tamen re experientiam noli consulere, sed fidem: noli intelligere vt credas, sed crede vt intelligas. Sicut scriptum est. *Nisi credideritis, non intelligetis.* Fides docet nos de omnibus: hac magistra, hæc omnia facimus, & non confundimur. Si credideritis quod credimꝰ, sentietis quod sentimꝰ. Quanta de hoc pane præconia in Euangelio hodierno Pharisæis, & turbis à domino disceptationem, super illo cibo diuinitus illis collato supra modũ superbirent, & contemptis domini Iesu miraculis, exprobrarent dicentes. Quod tu facis signum vt videamus, & credamus tibi, quid tu operaris, an quod surdos, cæcos, claudos, & ægros sanas? Modica sunt hæc & exigua. *Patres nostri manducauerunt manna in deserto*, sicut scriptũ est, *Panem cœli dedit eis.* Hoc est verè magnũ & illustre signum: quando tu simile aliquod vnquam feceris, neque facturus es quidem? Quàm proprium est liuidis extenuare opera quæ negare non possunt. His (inquam) ita superbientibus responderi poterat aptissimè, quòd

Exod. 16 *Ioan. 6.* *Sap. 16.* *Ioann. 6* *Simile.* *Psal. 6.* *Gene. 2.* *Isai. 7.* *Loco citato ex versione 70* *Ioan. 6.* *Ioan 6.* *Sap 16.*

maiora & illustriora opera ab ipso facta sunt, quàm olim Moyses fecerat, siue in Ægypto, siue in deserto. Sed ne arroganter hoc dictum existimarent more suo, vt piissimus, ac clementissimus dominus, pro calumnia eis exhibuit disciplinam: sicut scriptum est? *Pro iniquitate erudisti hominem* Quia ergo insipienter scripturam citauerant, non intelligẽtes de quo pane propheta loqueretur, eadem eos authoritate conuincit, dicens. *Amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum:* panis enim verus est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Quomodo enim ille panis de cœlo erat, qui in aere procul dubio formatus est? Quòd si scripturarum more aer hoc loco cœlum nominatur, sicut & alibi, *volucres cœli*, id est aeris, aues dicuntur: quomodo igitur quod sequitur verũ est: *panem Angelorum manducauit homo?* Nunquid rotcidum illum cibum in cœlo Angeli manducant? aut huiusmodi spiritus cœlestes indigent alimento? Quis hoc dicat? Iam hic cæca Iudæorum ignorantia confunditur, non habens quid respondeat. Quas tricas bone Deus super hunc locum Rabini confingũt, deliramenta puerorum subsannatione iisuque dignissima. Quidam autem illorum non valentes scripturam istam exponere, quasi à veritate coacti diuinũ radium quo Angeli pascuntur, illi cibo immixtum fuisse confingunt: atque ita fieri autumant, vt hominis & Angeli idẽ cibus extiterit. Quod quidem non in illo manna, sed in nostro verum est: splendor enim diuinæ lucis quod est verbum Dei, & Angelorum cibus, purissimo Domini & candidissimo corpori infusus, nobis in sacramento edendus proponitur: atque ita fit, vt panem Angelorum manducet homo. Hoc est quod illos voluit dominus intelligere: propter quod de hoc pane, & eius dignitate, & fructu, multa subiungit, quæ longum esset modo per singula exponere. Ex quibus illud nostro proposito congruit, quod addidit: *non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt: qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Acsi diceret: quid in illo temporali cibo gloriamini, qui neque vitam perpetuare, neque sine corruptione in diem alterum custodiri poterat? Hic panis quem ego dabo, perpetuus & incorruptibilis est, perpetuos faciens manducantes. Huius ille vmbra erat in quo tam impensius gloriamini. Ille populum ad horam satiabat, iste satiat in æternum. Dedit vobis Moyses vmbram, ego vobis daturus sum veritatem. Quomodo autem in illo manna huius sacramenti figura præcesserit, nunc largius prosequamur: hoc enim Apostolus ad Corinthios insinuat, cùm ait. *Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare trãsierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem spiritualem escam manducauerunt, & omnes eundẽ potum spiritualem biberunt: bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus.* Sed qualiter huic sacramento figura conueniat, nunc exponamus. Erat manna cibus quidam delicatissimus, dulcissimus, candidissimus, purissimus, non hominum industria, sed Dei virtute formatus, nullum habens cũ terra commercium, cibus admirandus & prodigiosus, cui inter alia hæc erant annexa prodigia: primo, quod vnus omniũ saporum plenitudinem continebat: secundo, quod cuique sapiebat, vt ipsa erat bonis bene, malis male. Vnde quidã illum fastidientes, dicebant. *Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo*, & cepas peponesque Ægypti, & ollas carnium cupiebant. Tertio, quod vnũquemque ad sufficientiam satiabat, sicut ipse comedens indigebat. Pro vnoquoq; enim capite, vnum colligebatur gomor. Neq; pro viro amplius, neq; pro puero minus. Et sic neq; edaci deerat, neq; parco supererat. Hoc miraculũ Apostolus ad Corinthios annotauit, dicẽs. *Qui multũ, non abundauit: & qui modicum, non minorauit.* Non datus fuit iste cibus populo in Ægypto, sed neque ingressis terram desiderabilem, postquam vberes terræ fructus gustauerunt, sed peregrinantibus in deserto, donec ingrederetur promissam patri-

Psal. 38. Vulgo legitur correxisti, sed vox Grata erudire etiam significat quia 70. interpretatores sunt vsi.

Ioan. 6.

Psal. 2.

Rabbinorum deliramenta.

Sap. 7.

Sap. 16.

Num. 21.

Exod. 16.

2. Cor. 8.

1. Cor. 10.

Ioan. 6.

Exod. 14. parriã. Neq; ſtatim vt egreſſi ſunt de Ægypto, ſed pertranſito prius mari, & ſub-
Exod 12. merſis in aqua hoſtibus, & conſũpta farinula quam ediderunt de Ægypto. Erat
Exod. 16. quoq; aliud non minus in eo mirandum, quod cùm in diem alterũ ſine putrefactio-
Ibidẽ & Hebr. 9. ne ſeruari non poſſet, domini tamen præcepto in arca teſtamenti illius tanti beneficij memorale ſempiternũ illęſum & integrum ſeruabatur. Quid obſecro fratres huic mirabili ſacramento conſonum magis, & accommodatum afferri potuit hoc edulio? Quam expreſſam & quam notoriam continet ſacramenti noſtri figuram? Quid enim dulcius, quid
Ioan. 3. Luc. 1. pretioſius, quid purius iſto cibo? qui nõ de terra eſt, ſed de cœlo venit: non hominum opere, ſed ſpiritus ſancti virtute, in
Sap. 16. ſacro virginis vtero formatus, omnẽ habet ſaporem, omnem continet ſuauitatem In eo omnium virtutum, & chariſ-
Euchariſtia in ſe continet omniũ chariſmatum plenitudinem. matum plenitudo eſt. Si quis eſurit, accedat ad illum, & omnem in eo reperiet ſatietatẽ. Si peccator eſt, accedat, & inueniet indulgentiam, ſi iuſtus, inueniet gratiam: ſi ægrotus, inueniet medicinam: ſi mortuus, inueniet vitam: ſi mœſtus, inueniet lætitiam; ſi famelicus inueniet abundantiam. Omnigena ſuauitate reficit iſte cibus: totus cœleſtis, totus diuinus: nihil terrenæ fœculentiæ habens admixtum. Tantum à malitiæ
1. Cor. 5. fermento caueat qui accedit, azymus enim eſt, & fermentariam non patitur corruptionem. Sapit etiam cuique ſicut eſt, & iuxta ſumentis qualitatem ſuum mutat panis iſte ſaporem. Vnde ſancta de illo canit eccleſia. *Sumunt boni, ſumũt mali, ſorte tamen inæquali, vitæ vel interitus. Mors eſt malis, vita bonis: vide paris sũptionis quam ſit diſpar exitus* Habet etiam aliud quod iuxta propriam cuiuſque capacitatem reficit vnumquemque edentis, namque merito & deuotioni reſpondet. Licet enim in ſeipſo infinitæ virtutis exiſtat, non tamen infinitam, ſed proportionatam cuilibet exhibet efficaciam: neque maioribus deeſt, neque minoribus ſupereſt: cui tamen ſecundum ſe, ex Dei beneplacito, determinata menſura, id eſt gomor, limitataque efficacia eſt, quam ex operato conferat: ſiue vt ſacramentum, ſiue vt ſacrificiũ eſt. Aliunde tamen tantam cuilibet præſtat gratiam, quantam in eo reperit meritorum & diſpoſitionis ſufficientiam: Quotus ergo quiſque fuerit qui accedit, ſiue gigas meritò, ſiue pigmæus ſit, habet in eo gigas vnde ſatietur, & pigmæus vnde reficiatur. Oceanus eſt gratiarum immẽſus: vas ſuum quiſque vſque ad ſummum repleat: ſiue magnum, ſiue paruum ſit, Oceanus non minuitur. Sed ſi iam iugũ Pharaonis excuſſit, ſi liber ab Ægypto peccati ſeruitutem euaſit: non enim captiuorum & ſeruorum, ſed liberorum & filiorum eſt iſte panis. Non etiam eſt ciuium in patria regnantium, ſed viatorũ in deſerto peregrinantium. Qui iam cœleſtis patriæ fructibus ſaginatur, hoc ſacramentali non indiget alimento: ex adipe enim frumenti ſine cortice illa ciuitas ſatiatur: ſicut in Pſalm. ſcriptum eſt: *Lauda Hieruſalem dominum, lauda Deum tuum Sion.* Sed propter quid? *Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum: quoniã benedixit filijs tuis in te. Quoniam poſuit fines tuos pacem, quoniam ex adipe frumenti ſatiat te.* Vnde iſte cibus viaticum merito nominatur, quoniam viatorum cibus eſt non ciuium. In deſerto quippe iſto inuio & inaquoſo hoc pane reficimur peregrini, donec promiſſam nobis patriam pertingamus. Hinc iam ô fratres deſidiã veſtrã perpendite: agnoſcite negligẽriam, quippe qui corpus in via toties in die reficiatis, & animam miſeram longa peregrinatione laborantem, vel ſemel in menſe reficere negligatis. Satis ſibi quiſque putat, ſi eccleſiæ præcepto coactus ad annum cõmunicat *Quid dicam vobis; laudo vos in hoc: non laudo.* Quid mirum ô viator ſi deficis, ſi laſſaris, qui viaticũ tuum recipere ad annum protrahis? Quid de infirmitate, & torpore cordis quotidie conquereris, qui illud cibo ſuo ſemel in anno paſcis. Nunquid non legiſti? *Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum?* Nunquid non vidiſti, quid laſſo corpori cibus conferat? Crede mihi, hoc cõfert animo viaticum ſalutare. Quòd ſi dixeris, non ita experior: hoc eſt quod

Pſal 147.

Pſal 65.

1. Cor. 11.

Pſal. 101.

ego

ego vehementer doleo: quia raro qui hoc experiatur inuentus est dignus. Refici namque hoc edulio pluribus commune est, sed hanc ipsam refectionem experiri, paucorum est, quos pius dominus adamauit. Quis hodie cœlestis edulij dulcedinem sentit? quis in hoc cibo præsentiam maiestatis agnoscit? An putas quia gustatus dominus nullam afferat sumentibus suauitatem? Occultatur quãdoque fateor, propter fidẽ: vt nõ huic experientiæ nostra credulitas inuitatur: sed frequentius hoc nostra euenit tepiditate, quoniã Ægypti farinula gustus infectus cœlestem non percipit alimoniam. Sic enim à populo illo sapidus ille cibus gustatus non est, donec Ægypti farinula penitus consumeretur. O Ægypti farinulam amariſſimam, & quis hodie hac farinula non polluitur? Curæ huius sæculi, anxietates, solicitudines, ambitiones, inuidiæ, odia, cupiditates, libidines, concupiscentiæ, appetitus effrenes, cogitationes turpes, illecebrosæ passiones, hæc farinula Ægypti sunt: his quisquis inficitur, istius manna dulcedinem non experitur. Mundum ab hac farinula deferat animæ palatum, qui cœlestẽ cupit gustare edulium. Si enim quauis terrena passione gustus fuerit infectus, palato cordis non sapit Deus. Nõ solum ergo ab omni criminis contagio, sed etiam ab omni cupiditatis veneno purgandus est animus, vt illi sapiat Christus. Sed heu miseri, quando hac pestifera farinula carebimus, qui de nostro & molas aquarias & frumentum habemus? Quæ enim rota grauior, quæ ponderosior, quæ mobilior corde nostro quod passionum inundantium, quasi aquarum torrentium impetu, continuè agitatur & trahitur? A principio quippe formationis nostræ vsque in vitæ finem vno momento non quiescit, semper voluitur, semper rotatur, ingratam farinulã vel ad punctum emolere non cessat, neque his molis vnquam deest frumentum durissimum quod terat, à sensualitatis inhauribili horreo demissum. Nam continuo illi sensualitas hæc varia frumenta cogitationum passionumque infũdit quæ suo pondere circũuolutum terat. Et proh dolor nunquam terendo lassatur. Odi tam hominum cæcitatem, ò *filij omnium, vsquequo graui corde?* vnusquisque quo improbum istum laborem frustra sustinebitis? quãdiu sicut vitula Ephraim laborioſam istam trituram diligetis, & duro isto pistrino fatigari voletis? *Redite obsecro præuaricatores ad cor*: frustra enim niti, neque aliud fatigando nisi dolorem quærere, extremę omnino dementiæ est. Comminatur dominus virgini cuidam Babylonis per prophetam, cõminatione terribili, dicens. *Descende, sede in puluere virgo filia Babylon, sede in terra, quia vltra non vocaberis mollis & tenera. Tolle molam mole farinam, reuela crura, transi flumina, &c.* Morte crudelior hæc indignatio cẽlenda est domine, *in hac ira tua non corripias me* Infœlix anima quæ ostro, & croceis enutrita præ teneritudine & puritate sua, neque leuis cuiuspiam cogitationis aut inordinatæ affectionis pondus portare volebat, cui omnis culpa etiam venialis grauissima & intolerabilis erat, nunc pistrino ad molendum dedita, ignominiosas carnis concupiscentias terere & durissimas huius sæculi curas molere, tetramque peccatorum farinam efficere cogitur Non est hoc miseris filiabus Babylonis terribile propter laboris consuetudinem, quam ab initio vitæ habent, sed filiæ Hierusalem, quæ propter suam superbiam & ingratitudinem à tanti honoris, & altitudinis fastigio cecidit: quæ spiritus inæstimabiles delitias & diuitias nouit. Filia Babylonis nuncupari, & vt talis laborioso huic pistrino cum iniuria deputari, omni absinthio & morte acerbius est: velutiſi filia regis speciosissima & delicatissima, regio ornatu spoliata, & catenis ligata, vt vile mancipium molere cogatur. Nõne optabilius illi esset millies mori, quam tali opprobrio, & vilipendio apud suos haberi. Caueat itaque sibi omnis anima, quæ cælestis contemplationis dulcedine fruitur, ne propter suam ingratitudinẽ huiusmodi promereatur iram: & tãto honore priuata tam misero officio mancipetur. Hæc dixerim propter fatinulam

Psal. 54.

Osee. 10.

Isai. 46.

Isa. 47.

Psal. 6.

Thre. 4.

Exod. 12.

Quomodo eucharistia sumẽda sit.

pter farinulam Ægypti, quam ſicut omnino a nobis eijcere non poſſumus, ita cõtinua ſolicitudine purgare debemus, ne longa conſuetudine animæ lateribus indurata hæreat, & quæ prius flatu leui faciliter exufflari poterat, malleo & dano poſtea non cedat. Non quieſcat igitur, neque à tergendo manus, neque oculus à rigando vt ſi non purum, ſaltem purgatum deferamus ad altare animæ palatum, quo Dei noſtri præſentiam & dulcedinem ſentiamus. Sic faciebat qui dicebat. *Memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum, & ſcopebam ſpiritũ meũ.* Niſi enim frequẽti exercitio ſolicitè ſpiritum ſuum ab hoc puluere purgaret, in Dei memoria huiuſmodi delectationẽ non vtique perciperet. Iam verò quod vt memoriale perpetuum, illud manna in tabernaculo domini ſeruabatur, quã dilucidum & indubitatum dominici corporis typum habet. De quo ſtatim poſt eius inſtitutionem à domino dictũ eſt *Hæc quotieſcunque feceritis in mei memoriam facietis.* Quid enim aliud hoc ſacramentum in eccleſia eſt, niſi magni illius beneficij, quo per ſanguinem agni immaculati rubro paſſionum carnaliũ mari calcato, Dei populus ab Ægyptiaca ſeruitute, ideſt dæmonis poteſtate ereptus eſt, memoriale ſempiternum? Quod etſi aliquando mortuum eſt & ſolutum, ſed iam in domini ſanctuario non corrumpitur, ſed immortale & incorruptibile perſeuerat. Hoc ergo ſuauiſſimo manna tamdiu in hac noſtra peregrinatione paſcemur, donec cœleſtem patriam ingreſſi, vberes illius fructus guſtemus. In quorum primo guſtu, qua exultatione, qua voce, putas anima noſtra clamabit, *Manhu, Manhu?* Longè eſt enim ab omni ſenſu, ab omni cogitatu, beatitudo illa, gloria illa, ſuauitas illa. Excedit quicquid dicere aut cogitare poteſt anim⁹, inæſtimabilis illa dulcedo, quam *Deus præparauit diligentibus ſe.* Hanc ſuis victoribus repromittit, cùm ait *Qui vicerit, dabo illi manna abſconditũ, & calculum candidum, & in eo nomen ſcriptum quod nemo nouit, niſi qui accipit.* Verè abſconditũ: quia neque in hac vita nouit illud, licet illius ſtillicidia aliquãdo viris ſpiritualibus concedantur. Abſconditum eſt peregrinis, ſed Dei beneficio prodetur beatis. Neq; ſolùm manna, id eſt dulcedo illa beatifica victoribus repromittitur, ſed & calculus candidus, ideſt corporis gloria, & ſole candidior refulgentia, & in illa nomen quoddam mirabile ſcriptum, ideſt filiorum Dei titulus: quo ſummo honore tunc gloriabitur quicunque in hac vita vitiorum fieri mancipium dedignabitur. Talis enim in illa beatitudine quiſque beatus apparebit, vt nemo videns dubitare poſſit, quin ſit illa diuina progenies quam cernit. Totus enim diuinus, totus deificatus erit animus, & plus habens de Deo quam de ſeipſo: ſicut carbo ignitus, qui ignis potius, quàm carbonis naturam oſtendit. Faciat Deus optimus maximusque, vt hac puritate hoc ſacramentale manna in hoc deſerto guſtemus, vt per illud confortati, ad illud quod in patria cœleſti promittitur perueniamus, illo præſtante, qui ſeipſum dedit in cibum fidelibus ſuis. Cui cum patre, & ſpiritu ſancto, eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Pſal. 76.

Luc. 22.

Manna ſeruatum in tabernaculo quã figurã repreſentet.

Exod. 12.

Exod. 14.

1. Cor. 1.

Iſai. 6.

Apoc. 2.

DE SACRAMENTO ALTARIS.

Concio ſecunda.

De eodem themate, *Manhu.* Exodi. 16.

VEra illa B. Leonis Papæ ſentẽtia eſt fratres, qua dicitur, neminem ad cognitionem veritatis magis appropinquare, quam qui intelligit, in rebus diuinis, etiam ſi multum proficiat, ſemper ſibi ſupereſſe quod quærat. Nam qui ſe ad id quo tendit perueniſſe præſumit, non quæſita reperit, ſed inquiſitione deficit. Vade & Paulus Apoſtolus, licet per reuelationem Ieſu Chriſti, & non homine, neque per hominem euangelium didicerit, non tamen arbitratur ſe comprehendiſſe, ſed de myſteriorum profunditate quando q; admiratur exclamans. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* Suprema (vt exiſtimo) diuinorum laus, & Deo magis

Gal. 1.

Phil. 3.

Rom. 11.

propria hæc admiratio est. Quamdiu namque de diuinis intellectus aliquid pronunciat, licet sublimiter & diserte, cum rei excellentia quodammodo loquendo certat, & propriæ intelligentiæ viribus fretus, cum rei potentia & magnitudine luctari videtur. Cum verò in isto loquendi certamine, à rei excellentia victus tacendo succumbit, cùm superatus silet, tûc incipit de ineffabilibus dignè loqui. Et hac Dei supra intellectũ victoria suprema eius & vltima laus est: de re enim ineffabili tunc pro nostra virili digne loquimur, dum ad hoc loquendo peruenimus, vt superati taceamus. Propter quod psalmographus Deo canit. *Tibi silentium laus.* Quia videlicet tunc verè Deus laudatur, cum laudando siletur, quod in admiratione & ecstasi fieri solet. Vnde Iob, hanc Dei supra se victoriã recognoscens ait. *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram.* Et propheta Dauid *Mirabilis facta est scientia tua ex me: cõfortata est, & non potero ad eam.* De animalibus etiam sanctis apud Ezechielem legitur, quod dum fieret vox supra firmamentum, stabant, & submittebant alas suas. Vox supra firmamentum diuina revelatio est, qua audita omnis sublimis intellectus, etiam angelicus, per admirationem stat, & intelligentiæ suæ alas cõprimit, quia se inferiorem his quæ de super audit mysterijs, recognoscit. Quæ omnia etsi in omnib aliis mysteriis vera sint, in hoc tamẽ dominici corporis admirabili sacramento, longè apertius, euidentiusque monstratur. Quid enim de tam ineffabili mysterio omnis lingua, etiam angelica personare potest, nisi *Mãhu* id est, quid est hoc? Si quis de illo audacter aliquid loquitur, nondum intelligit quemadmodum oporteat eum loqui. Inaccessibile est enim, & quod neque angelicus penetrare possit obtutus. Post illud enim magnum & ineffabile sacramentum, quo verbum caro factum est, secũdum opus hoc est, quo panis substantia in corpus Christi mirabiliter cõuertitur, dicente ministro, & operante Deo. Hæ sunt mirabiles illę inuentiones quas in populis prædicari propheta cõmonet, dicens. *Narrate in populis inuentiones eius: mementote quoniam sanctum est nomen eius.* O inuentio singularis, Deus & homo in vno supposito Christo: ò aliam huic, etsi non æqualem, certè similem inuentionem, Deus & homo Christus in exiguo sacramento. Has duas pro nobis inuentiones à Dei sapientia mirabiliter inuentas, totis viribus, & toto corde, die noctuque fratres ruminemus, has intelligamus, has laudemus. Christus ipse omnium prodigiorum supremũ est, hoc verò sacramentum miraculorum ab ipso factorum maximum. Neque vnum quidem solum miraculum, sed plurium miraculorum mirabile compendium meo iudicio dicendum est. Bone Deus, quis miracula quæ in illo sunt omnia recenseat? Ibi accidẽtia modum habent substantiæ, quia per se sunt, per se mouentur, per se viuam edentis carnem nutriunt. Ibi corpus modum habet spiritus, quia totum in toto, & totum in qualibet parte est. Ibi diuiso accidente substantia non diuiditur, sed sub qualibet speciei particula integra perseuerat. Neque sicut in confracto speculo, diuersarum partium integra quidem, sed alia imago est, ita in sacramento, sed vna eadem que substantia in pluribus indiuisa reponitur. Ibi etiam corporis dominici partes, quæ in ordine ad locum nullum habent ordinem, quia simul sunt, habent ordinem ad se inuicem, & ad totum, quia confusæ non sunt. collo enim caput nectitur, non pedi: & brachio manus vnitur, non capiti. Iam verò de mirabili illa conuersione quid dicam? Panis corruptibilis substantia in gloriosam & incorruptibilem Christi carnem subitò? nulla in Christi corpore facta mutatione, solo sacerdotis sermone conuertitur: & cum nihil postmodum de substantia panis remaneat, panem in consecratione anhilari pia fidei institutio non concedit, sed cõuerti ita, vt ex illo pane corpus Christi fiat, & verè sit sub panis speciebus: non per loci mutationem, sed per conuersionem substantiæ panis in ipsum. Quid hac tam subita inter tam dispares substantias cõuersione mirabilius?

Eucharistia magis quam cetera mysteria stupẽdæ est.

Psal. 64. ad veritatem Hebraicam.

Iob. 36.

Psal. 138.

Ezech. 1.

Ioan. 1.

Isaiæ.

Nun-

Nunquid non meritò in tanti huius mysterii speculatione, omnis nõ solum humanus, sed etiam angelicus intellectus prodigiorum magnitudine stupefactus, clamabit *Manhu?* Admirabilem namque hunc corporis Christi modum, quo sub sacramento existit, si gratia vel fides non instituit, nulla intelligentia capit. Neq; Christi præsentiam in Eucharistia naturali lumine Angelꝰ apprehendere valet. Omnem facultatem excedit, omnem intellectum exuperat hoc secretum. Mira res: quò non attingit Angelus intelligendo, rusticus pertingit credendo: & plus potest sancta simplicitas credere, quàm Angeli vivacitas valeat comprehẽdere. O miram fidei nostræ virtutem. Quid fide potẽtius? quid acutius? Inquisitus Angelus an sub illis speciebus Christus lateat, nisi gratia ipsum doceat, respondebit ignoro: interrogatus rusticus fidelis, respondebit firmiter credo. Sicque penetrat fides rustici, quod non penetrat naturalis visus Angeli. Hoc denique magnum est fidei nostræ meritum, quòd incomprehensibilia credimus, nõ alio quidem testimonio, quam solo veriratis dicto, non per intelligentiam fidem adhibentes, sed per fidem ad intelligẽtia ascendẽtes. Sicut scriptum est. *Credidi propter quod locutus sum.* Et alibi. *Nisi credideritis, non intelligetis.* Sed quid obsecro, magnum est, si Christo domino creditur? Christus ait, *Hoc est corpus meum,* & super hoc quispiam audeat hæsitare. Nam etsi ea quæ dicuntur ardua & difficilia sunt ad credendum, fidei tamẽ minuitur difficultas, vbi dicẽtis consideratur authoritas. Noli considerare quod dicitur, sed quis dicat attende. Intelligite fratres quæ dico. Si quidpiam difficile in hac vestra ciuitate imperator asseveret, propter eius authoritatem crederetis illi, quia imperator est: crederetis etiam Episcopo vestro quia Episcopus est: læsa enim imperialis maiestas videretur, si illius dicto quispiam fidem auferat. Si sic imperatori creditur, quomodo credendum est Deo? Quid dicere potest Deus, vt non rei difficultas à dicentis authoritate superetur? Et quidem si credibilia per seipsa attendas, difficilia sunt: si ad dicentem conferas, facilia sũt. Hinc omnis hæreticorum, & paganorũ cæcitas oritur, quia cum dicente dicta non conferunt, sed per se illa discutiunt. Vnde dicunt: *Durus est sermo iste: & quis potest eum audire?* Si ergo rem ipsam considerares, mira fides: sed si dicentem Deum attenderis, nihil est quod in fide mireris. Quanta quotidie hominibus credimus, quæ vtique non videntur? & sicut scriptum est, *omnis homo mendax:* quid ergo magnum, si Deo creditur quicquid dicat? Imo decuit Deum talia populo credenda proponere, quæ nisi à Deo dicerentur, à nemine crederentur vt per hoc & fides meritum habeat, & Deus in populo suo authoritatem habere videatur. Hæc enim Dei grandis authoritas est, vt quicquid dixerit, sine dubitatione credatur, neq; verba eius discutere liceat, sed dixisse sufficiat. Hanc Deo reuerẽtiam omnis creata intelligentia debet: hanc fidem exhibentes facimus quod debemus. Sed non desunt fidei magna & præclara testimonia: nam licet articuli fidei incredibiles gentibus appareant, *testimonia tamen eorum,* sicut scriptum est, *credibilia facta sunt nimis.* Fides testimonium non quærit, sed habet. Quanta de hoc mysterio testimonia D. Ambrol. recensuit, vt probaret, fieri posse quod in hoc sacramento factum esse fides catholica profitetur? quantas & quam mirificas conuersiones, mutationesque, seculis superioribus solo dicentis imperio factas, ex veteri testamento citat, quæ huius rei faciant fidem? Superfluum esset nunc eas repetere, quoniam cunctis notissimæ sunt. Vt est conuersio illa virgæ in colubrum, & colubri in virgam: petræ in aquam; aquæ in sanguinem: pulueris in cyniphes: & aliæ similes, quas scribit Iosue, & alijs prophetis factas fuisse scriptura sacra commemorat. Sed hæc fieri posse in sacramento q̃ credimus, ei qui sacras literas recepit satis persuadẽt sed Pagano & Gẽtili ita factũ esse, nõ itaprobãt. Euãgelio credimꝰ asserẽti, quia pridie quã pateretur ita dominus instituit. Si vltra hoc testimoniũ quæritur, nõ ex-

Pſal. 115. *Iſai 2. ex verſione 70.* *Luc. 22.* *Authoritas dicẽtis fidẽ facit rebus alioqui non credendis.* *Hæreticorũ & infidelium cæcitas vnde ortum habeat.* *Pſal. 115.* *Pſal. 92.* *Exod 4.* *Num. 26* *Exod. 7.* *Exod. 8.* *Luc. 12.* *Matth. 2.* *1 Cor. 11.*

pedit quidem fidelis: sed si à Pagano quæritur, non desunt in ecclesia huius rei innumera & ingentia, quæ hoc persuadeant, testimonia. Omitto quæ in sãctorum codicibus passim leguntur de hoc sacramento miracula potentissima: certè quæ nostris temporibus facta sunt, cuilibet etiam proteruissimo illius facerent
2. Cor. 11. fidem. Liceat nunc ex pluribus nonnulla narrare, quæ nouimus, quæ dico ecce in
Psal. 41. veritate: quia non mentior, neque enim mendacio meo indiget Deus. Vidi ego monialem quandam, quæ corpus domi-
Nota miracula de Sacramẽ. Euchar. ni sicut cernuus fontem aquarum desiderabat sitiens, cui vt videbatur, difficilè erat à sacramento vel vna sola die abstinere, tanta erat sumendi auiditas, tãtus accedendi appetitus. Si enim in loco vbi degebat interdicti, aut cessationis à diuinis impedimentum contigisset, quominus communicare illa die posset aliorsum gratia communicandi migrabat: ne vel vna dies sine spirituali hac refectione transiret. Die ergo sancto Parasceues, cum corpus Domini ecclesiastico more in monumento reponitur, quia
Matth. 6. oblitus sacerdos formam quam illi dare non reseruauit, eiulatibus & clamoribus domum repleuit, vt filii vnigeniti sepultura lugere videretur: neque tamen eius desiderio subueniri poterat, ratione iam dicta. Tãdem cũ in fletibus & lachrymis amarissima diu persisteret, mirabile dictu, duę manus visibiliter ei cum sacramento apparuerunt, ex quibus ipsum accepit: quo accepto, omnis illa amaritudo in consolationem vberrimam mutata est. Hæc omnia, inter multas alias reuelationes, ab eius ore ipse audiui: quas mihi non sponte sua, sed obedientia cõfricta narrauit, quia in ordine nostro mihi subdita erat. Quidã ex Iudæis cõuersus cum lecto ægrotaret, vocari me à domesticis instantissimè petiit, & timẽs ne forsan morte præuẽtus ea, quæ sequũtur nõ proderet, sic per ordinẽ mihi narrauit. Puer (inquit) in Iudaismo cum alio puero iter agebã, quò nos patris negotia deferebant, & cùm in itinere licet pueri, de Messia illo quem Iudaico errore venturum expectabamus, deuotissimè loqueremur, optantes valde si nobis daretur, vt nostris temporibus ortum proprijs eum oculis videremus, excrescebat supra modum inter loquendum deuotionis feruor, & ardor videndi sermone mutuo amplius accendebatur: cum ecce iam noctis crepusculo, mirus ex vna parte cæli fulgor splenduit, vt ex illa parte cælum apertum esse videretur: & quoniã à patre didiceram, vt si quandoque cælũ apertum vidissem, à Deo gratiam aliquã postularem, memor huius, ambo genua fleximus, postulantes vt optatum nobis Messiam Deus ostendere dignaretur. Tunc sic orantibus, in medio fulgoris calix apparuit fulgidus, superposita hostia, sicut Christianis mos est eum deferre: quo viso stupefacti primum, deinde mirum in modum refecti, & confirmati cognouimus quia ille erat verus Messias, quem desiderabamus & petebamus. Credidimus ex tunc, & gratias Deo pro hac veritatis reuelatione agentes, reuersi ad domum, à patre quidem timore puerili cessauimus: sed procedente tempore curaui ego fieri Christianus: de alio quid factum sit, penitus ignoro. Hæc vt dixi, illo Nephito narrante cognoui: rogabatque, vt hoc alijs illo mortuo publicarem: quod viuente facere nolui, ne huiusmodi Neophitorum testimoniis fides nostra roborari videretur. Sed quia ab æmulis fidei testimonium maius est, nunc illud libuit scripto inter alia publicare. Quidam præterea nostræ Augustinianæ familiæ, ac religionis Frater Ioannes à sancto Facundo, qui hoc tempore miro populi Salmanticensis studio, egregiaque pietate, ob innumera quæ continenter ab eo eduntur miracula, colitur. Is cùm missæ quotidianum sacrificium paulò prolixius perficeret, moraretur que in eo spatiosius, tædioque proinde circumstantes affecti id ægrè ferrent, factum est vt à prælato suo in virtute obedientiæ missam maturius absoluere præciperetur, de quo sæpius ab eodem, licet blandius, consilio præmonitus fuerat: cui frater prædictus, quia obedientiam præterire non potera-

3. *Fratris Ioannis à sancto Facundo ex ordine Eremitarũ D. Augustini apud Salmaticã, circa Dominicicorporis Sacramẽti miracula.*

gat, omne secretum patefecit, dicens. Ignosce, obsecro mi pater: nam aliud facere vt equi non possum, vt qui quotidie dominum nostrum Iesum Christum fulgentem in hostia istis oculis peccator inspicio. Quibus dictis perterritus prælatus, solo prostratus de inflicta molestia veniam petijt: eique prout vellet immorandi facultatem amplissimam dedit. Hæc non à prælato eodem, sed à viro nostræ religionis grauissimo, qui ab eius ore audierat, referente cognoui. Lõgum esset nunc omnia enarrare, quæ à pluribus audiui: sed neq; perscribere omnia, quę in codicibus legi mens est. Illud
4. autem quod de seipso super Mathæum Abbas Tuitiẽsis Rupert*, vir certè eruditissimus, & sanctissimus scribit, præterire non possum. Cùm enim in Monasterio ne presbyter ordinaretur, Abbati suo ex humilitate & timore contradiceret, reuelatione admonitus Abbati paruit. Cùmque iam ordinatus missam ex more cantasset, mirabile dictu, nocte illi in somnis Dominus apparuit, corpore quidem publicus, sed occultata facie, vt ab eo vultus eius videri non posset: qui ei membratim sic impressus est, vt neq; sigillum cerę tam intimè imprimi posse videretur, tantaque fuit ex hac impressione in eo orta delectatio, vt excitatus agnosceret, quia nisi cito voluptas illa pertransisset animam illius, suo impetu secum à corpore rapuisset. Vnde ex illo tunc experientia se didicisse asserit, quàm verum est quod scriptum legerat. *Non videbit me homo, & viuet.* Impossibile enim videbatur, torrentem illum voluptatis viuentem in carne spiritum diutius sustinere posse. In qua reuelatione monstrare voluit dominus seruo suo, & quam intimè & in sacramento vnitus fuerat, & quam inde, nisi fidei sensus obsisteret, perciperet quotidie communicans vo-
Exod. 33. luptatem. Vnde ideo facie velatus apparuit, vt velatum se in sacramento significaret. Ex quibus videri potest, quid il-
Ioan. 6. lud sit quod dominus in Euangelio ait. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* E. quod alibi scriptum legimus: *Qui adhæret Deo vnus spiritus est cum eo.* 1. Cor. 6.

Sanctus quoque Bonauentura in quodam libello asserit, se vidisse nonnullos dominicum corpus ardentissimè desiderantes, quibus nisi corpus Domini illico traderetur, corpore & animo languere & deficere viderentur: quo accepto subitò veluti longa ægritudine in vires pristinas conualescebant: ita vt cuilibet videnti notissimum esset, magnam in illo cibo latere virtutem, quæ corpore & animo debiles, ita subitò confortasset. Sed quid vltra miracula recito? an non ex his quæ quotidie spiritualis quisque homo in huius sacramenti perceptione inuisibiliter experitur, latentis in eo maiestatis indicia certa sumuntur? Vsque adeo, vt qui puro corde & feruido spiritu ad mensam istam accedit, vlteriora super hoc testimonia non requirat. Quia 1. Ioan. 5. scriptum est. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in semetipso.* Gustu namque cordis discernit, quia Deus est ille quem comedit: neque in hoc falli se vllo modo arbitratur: formidinem enim omnem tollit ab eo ille quem gustat. Quid enim, corporales cibos gustu carnis discernimus, & spirituales gustu mentis non discernemus? Quomodo Psal. 33. ergo verum est, *gustate & videte quoniam suauis est Dominus* si Dei suauitas gustu animæ non videtur? Cùm pomum aut pyrum, aut quoduis aliud corporaliter gustamus, non aliorsum de illo testimonia quærimus: satis enim apertè gustu dignoscitur, quia hoc est pomum, & illud est pyrum, etiam si hoc oculus non discernat (sapor enim proprius cibi cuiusque naturam satis liquidò edenti distinguit) sicut ergo pomum sapit pomum, & panis panem, & perdix perdicem: sic Deus gustatus sapit Deum, suoq; sapore ab omni creato, creator ipse dignoscitur: sed hoc rarò admodũ a- Apoc. 2. pud paucos, quibus datũ est manna illud absconditum gustare, *quod nemo nouit nisi qui accipit.* Neque nos quoque in hoc sacramento experientiã quærimus, sed fidem firmam præstamus: quæ non tam miraculis & experiẽtiæ, quàm sacrarum literarum innititur veritati. Hanc fi-

Sanctus per sũptionem Eucharistiæ consequũtur quidã.

Similia.

dem fratres teneamus, hanc sequamur, donec volente Deo aspiret dies, & inclinentur vmbræ: sub hac vmbra illius quē desiderauimus, cum sponsa immobiles & stabiles sedeamus: erit enim aliquando fructus eius dulcis gutturi nostro. In hac eius vmbra interim viuamus inter gentes, vt in eius lumine quandoque inter Angelos oblectemur ipso fauente, ipso donante, cui cum patre, & spiritu sancto est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Cant. 2. *Ibidem.* *Psal. 35.*

DE SACRAMENTO ALTARIS, Concio Tertia.

THEMA.

Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.
1. Cor. 11.

INter multa præclara & egregia, quæ de hoc altissimo sacramento dici possunt, vnum hodie elegi pertractandum, quod nobis præcipuè vtile est & necessariū: de dispositione qua se debet homo disponere ad eius susceptionē. De qua dicemus duo: primum quàm meritò & iustè nobis iniungitur, vt præparemus nosmetipsos: secundum qualis debet esse ista dispositio.

Si diligenter & solicitè consideraro voluerimus, sanctorum Patrum antiquorum deuotionem, feruorem, & reuerentiam, qua sacras illas legis figuras, & vmbratiles formas sibi à Moyse traditas, venerabantur & colebant, & tepiditatem nostram, negligentiam & cōtēptum in nostris sacramentis colendis & venerandis: & simul attenderimus, quātum interfit inter nostra sacramenta, & illorum: procul dubio inueniemus nos confusos, ignauos, & nimio rubore perfusos. Quis enim explicare sufficiet, cū quanto timore, & honore populus ille Hebræorum antiquas illas sāctificationes, & mysticas cæremonias exequebatur? qua reuerentia tractabat, qua deuotione colebat? Nomen illud sanctum tetragammaton, in tiara pontificis aurea, super frontem pontificis exaratum & insculptum, nullus neque sacerdos, nec popularis, quantumuis iustus & sāctus proferre audebat, piaculum existimans, si ore polluto tantum Dei nomen exterius personaret. Panes quoque illos sacros quos propositionis vocabant, teste Nicolao de Lyra, non nisi in auro pinsebant, & in auro coquebant, & in mensa aurea coram domino proponebant: quos edere aut contingere nefas erat, nisi ei qui esset sacerdos, aut de familia sacerdotum. Quid dicam de illo sanctuario interiori, quod sancta sanctorum dicitur, in quo nullus neque leuita, neque sacerdos, nisi solus summus Pontifex, & semel in anno, & vestibus pretiosissimis indutus cum tintinnabulis aureis, & sacro thimiamate ingredi audebat? nullique alteri mortalium arcam illam testamenti intus & foris inauratam, nudam & dilco opertam videre licebat. O sancta sanctorum, & sancta & sanctorum: ò sacra & sacra: ò quantum illa distabant à nostris. O si datum illis fuisset habere, & videre, quæ nos habemus & videmus: quid non agerent? quid non in eorum culturam, & reuerentiam exhiberent? Quid putatis, si rex ille Citharædus, qui coram arca illa lignea sic se humiliabat sic exultabat, & saliebat, qui tantam ei exhibuit festiuitatem, & tympanis & citharis, & cæteris musicis instrumentis, qui sic gaudio & lætitia dissolutus est, vt coram illa quasi mimus & histrio luderet & saltaret, cum esset alioquin fortissimus, grauissimus, & seueriissimus, quid (inquam) ille faceret coram isto sacrosancto & deifico sacramento, si ipsum suo tempore videre & possidere contingeret? Qui sic vmbram venerabatur, quomodo excoleret veritatem? Qui sic se humiliauit ligno, quomodo se dejiceret Christo? Qui sic ludebat coram arca, quomodo luderet coram vera, stabili, & tremenda Dei maiestate. O quale gaudium intus & foris nunc si adesset coram hoc mirabili sacramento demonstraret, quod sic in illo typico ligno venerabatur, & adorabat? Hæc enim est illa vera arca testamenti, quam faceriste rex &

Exo. 22. Nominis Tetragrammaton religio. *Exo. 25.* *Mar. 28.* *Heb. 13.* *Leu. 16.* *Heb. 9.* *2. Reg. 6.*

pro-

prophetæ oculis lynceis inclusam in illo signo cernebat & reuerebatur: de qua in Psalmo prædixerat. *Surge domine in requiem tuã, tu & arca sanctificationis tuæ*: i. cum illa sacrosancta humanitate, quam de nostro accepturus: in qua tota deitatis plenitudo corporaliter habitauit. Quid ergo nos hodie gaudij & lætitiæ exhibere possumus coram te ô pijssime Iesu? quid in tuo hodie obsequio exhibere possumus, vt non confundamur, & erubescamus? Verè *beati oculi qui vidẽt quæ vos videtis, dico enim vobis quòd multi reges, & prophetæ desiderauerunt videre, & non viderunt*: possidere, & non possederunt: Verè gẽs illa, & populus ille surget in iudicio contra nos, & cõdemnabunt nos, quia amplius illi vmbræ, quã nos veritati, detulerũt. Sed quod populus ille suas cæremonias sic coluerit, nil mirum: has enim à Deo sanctificationes acceperat, neque nouerat meliores: illud autem supra modum mirandum, quod tu domine qui sedes super cherubim, corporeas illas formas sic æstimaueris; & magnificaueris, tantumque horroris, & timoris illi gẽti in earum commendationem incusseris. Nam cum tempore Heli sacerdotis, arca illa testamenti mortuis filiis Heli, & iusso Israelis exercitu, capta fuisset à Philistæis, & per singulas quasque vrbes eorum cum honore & reuerentia debita circumferretur, indignatus contra illos grauissima & ignominiosa eos infirmitate multasti: vsque adeo, vt coacti sint emittere eam de terra sua, iunctis in plaustro vaccis & mugientibus, rectaque via pergentibus in Iudæam. Quæ cum peruenisset in primum oppidum Israelis, nomine Bethsames, messis tempore, & Bethsamitæ in area triticum purgarent, visa arca Dei præter omnium spem lætati sunt supra modum. Mactauerunt vitulos, obtulerunt victimas, & vt par erat, summo cum gaudio, & reuerentia susceperunt. Res mira & stupenda: misit dominus in illo populo grauissimam pestem, & occidit septuaginta viros nobiles, iudices & magistratus, & de populo quinquaginta millia: propter quid obsecro domine? propter quid in cultores tuos & adoratores sic sæuis, sic indignaris? Quænam iniquitas quod flagitium, quod peccatum? Vtique non aliud, nisi quia viderunt oculis suis aream nudam, quia eam non statim pallio operuerunt, ne aspicerent: quia ausi sunt in eã oculos intendere. O inæstimabilem seueritatem: itane tam graue piaculũ erat in auratum lignum aspicere, & fabrile propitiatorium cernere quod colebant? Iam non mirabimur quid super eadẽ re contigerit Ozæ: qui cum in iubilo & solennitate deferretur arca, & calcitrantibus bobus paulisper declinaret ad terram, quia supposita manu ausus est eam tangere, statim percussus à domino coram omni populo subito interiit. Et versa est omnis illa solennitas in terrorem. Obsecro domine quid peccauit Oza? quid fecit? nõne pietatis opus exhibuit? quid tã crudeliter interiit? Michol quoque filia Saulis, quia regem coram arca saltantem irrisit, perpetua sterilitate punita, fructu caruit toto tempore vitæ suæ. Obededom autem, quia lætus suscepit eam in domum suam, benedictus à domino, in omni substantia domus suæ multiplicatus est. Quanta grauitas, quanta seueritas, quanto maiestas, quãtus honor, quãtus terror in arca lignea? tanta ne tibi domine cura de ligno? Non vtique, sed propter nos hæc omnia facta sunt. In illis terremur, in illis admonemur, in illis instruimur. Illos examinas, vt nos erudias. In eis discamus quanti piaculi simul & periculi sit indigne tractare aut sumere sacrosanctam Christi carnem in hostia salutari: cuius typũ sic Deus magnificauit, sic sublimauit, sic vindicauit. Væ sacrilegis manibus, væ immundis pectoribus impiorum quorundam sacerdotum, quibus tam insolenter quotidie tangitur, & recondit. Si talis vltio in vmbra, qualis fiet in veritate ipsa? Si ignoranter & imprudenter videtes aut tãgẽtes typicã illã similitudinẽ tã aserba morte dãnati sunt, quę animaduersio fiet cõtemptoribus maiestatis? Horresco, referens, & toto corpore contremisco. Tantum mysterium non in seipso, sed in sua potius vmbra de-

Psal. 131.
Col. 2.
Luc. 10.
Luc. 11.
Heb. 6.
Psal. 67.
Psal. 67.
1. Reg. 4.
1. Reg. 6.
Ibidem. Michol quare diuinitus sterilitate multata.
Ibidem.
1. Cor. 9.

buit

buit commendari, vt sciamus quòd omne supplicium & tormentum minus est flagitio, quo Christus contemnitur in hoc sacrificio, si solius vmbræ eius contemptus tam dira morte punitur. Quam fortiter, quàm terribiliter hoc ipsum Apostolus intonat ad Hebræos. *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Scimus enim qui dixit, *mihi vindictam & ego retribuam.* Et iterum. *Quia iudicabit Deus populum tuum. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Audito hoc tonitruo, quis non contremiscat? Ad huius tubæ sonitum cuius aures non tinnient? Nunquid non meritò commonemur ab eodem, *vt probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat?* Quis de cætero his cognitis, impurus & immundus præsumat accedere? Sed iam si placet, hanc ipsam quam præmisimus figuram latius exponamus. Bethsamitæ qui curiosi intuitus pœnas luerunt, sciolos istos nostri temporis hæreticos designat: qui nimia præsumptione, ne dicam temeritate, sacrosancta altaris mysteria scrutari nō verentur: & quæ sub fidei velamine contecta venerari debuerunt, impuris oculis & caligantibus inspicere satagunt, debitam stultitiæ suæ mercedem reportantes. Nam more eorum qui fixo obtutu solem contemplantur, quo diligentius intuentur, eo amplius obcæcantur, grauissima non corporum, sed animarum peste puniti. Quæ nanque maior animarum pestis, quā perfida hæresis, per quā à Christi corpore diuisi, spiritu eius viuificari non possūt: Ipsa nāque diuisio mors est. Nāsicut in humano corpore, spiritus hominis nō nisi propria membra viuificat, ita quoq; spiritus Christi nō viuificat nisi membra Christi. Oza verò q̄ inconsideratè arcā tetigit, & subito percussus interijt, carnales hui⁹ sacramēti ministros significat: qui (pro facin⁹) eisdē manib⁹ quib⁹ paulo ante carnes meretricias tractauerūt, sacrū Christi corpus cōtingere nō timēt. Quorū temeritas, etsi nō sit horrenda, certè quod est multo terribilius, perpetua morte punitur. Filia quoque Saulis Michol, quæ pium regē domini cultorē irrisit, & perpetua sterilitate damnatur, quorūdam impiorum fidelium typū habet, qui neque dominici corporis sacramentū ipsi suscipiūt, neque alios suscipere patiuntur. Irrident nanq; in suis cōuenticulis, & subsānant deuotos, & pios huius sacramenti cultores, qui pia deuotione, ad propiā consolationem, & suarum animarum salutem, sacram altaris communionē frequentant. Quorum iusta & debita retributio est, vt omnis iustitiæ & pietatis fructu & sancto charitatis affectu vacui à summa bonorum omnium, & spiritualiū charismatum egestate & sterilitate moriantur. Qui verò piè deuotè suscipiunt, è contrario sicut Obededō à domino benedicti, variè multipliciq̄e omniū virtutum & gratiarum abundantia perfruantur. Ex his quæ dicta sunt facile est videre, propter quid probare se debeat, qui ad hunc panem manducandum accedit. Nam id primo suadet maiestas ad quam acceditur: non enim accedimus ad arcam ligneam, & altare aureū, & manufacta sacramenta, & lapideum tabernaculum: sed ad ipsam Dei sublimē celsitudinem, beatis spiritibus præsidentem, *sub qua turbantur qui portant orbem*, & ad iudicem viuorum omnium & mortuorū Christum, cui astabit omnis caro, coram quo omnes reges terræ, & omnes gentes & principes trepidabunt, ad verum Dei corpus, & sanguinem pretiosū, quo redemptus est mundus. Videte quam sublimiter hoc cunctis fidelibus Apostolus intimat ad Hebræos. *Non* (inquit) *accessistis ad tractabilem montem, accessibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellā, & tubæ sonum, & vocem verborum, &c. sed accessistis ad Sion, montem & ciuitatem Dei viuentis, Hierusalem cœlestem, & multorum millium angelorum frequentiam & ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlis, & iudicem omnium Deum, & spiritum iustorum, perfectorum & testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem, melius*

Hebr. 10.
Rom. 11.
Deut. 32.
Hebr. 10.
Hier. 19.
1. Cor. 11.
1. Reg. 3.
1. Reg. 6.
Iob. 9.
Act. 10.
Hebr. 12.

lius loquentem quam Abel. Videte ne recusetis loquentem: id est, nec clamorem eius Dei misericordiam imprecante vestris facinoribus opprimatis. Attendite quod ibi
Heb.12. scriptũ est *Bestia quæ montem tetigerit, lapidabitur.* hoc est, bestialis homo, qui montem excelsũ, montẽ omnibus donis cęlestibus pinguem, montẽ cũctis virtutibus
Exo. 19. *Psal. 67.* & gratiis coagulatum, montem denique, *in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*, indignè tetigerit, lapidabitur, torquebitur, & malleis inferni grauissimis contundetur. Secundò impellit periculum accedentium, non solum viæ, sed etiam
1.Cor.11. corporis Quot fideles propter hoc infirmati, flagellati, occisi sunt? *Propter hoc* (inquam) *multi inter vos infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Illis nanq; temporibus, cum nouella fides in hominum cordibus plantabatur, vt quid gloriæ & maiestatis sub illo panis velamine celaretur, mundo innotesceret, accerrima vltione indignè accedentes puniti sunt: vt & illis animaduersio hæc ad fidem proficeret, & sequentibus fieret exemplum. Quantum verò flagitium sit, in spurcissimam pectoris tui cloacam sacratum Christi sanguinem fundere, a-
Ibid. postolica illa tuba personuit, dicens. *Quicunque manducauerit panem, vel biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini.* Id est, ac si occidisset, & effudisset: non æqualiter quidẽ, sed proportionabiliter. Quascũq; enim blasphemias, quascunq; irrisiones, quæcunque opprobria impiissimi Iudæi in Christum corporaliter exercuerũt, has omnes spiritualiter repetit impius comestor, filiũ Dei
Heb.6. rursus in semetipso crucifigens, & ostẽtui habẽs. Mouet quoq; non modicũ fructus vberrimus, qui piè accedẽtibus præstatur. Illuminatur enim intellectus, inflammatur animus, impinguatur affectus, excitatur gustus, viuificatur sensus, pu-
Quomodo sumẽda Eucharistia sit. rificatur spiritus, virtutes augentur, dona cumulantur, gratiæ multiplicantur, & omnium denique bonorum spiritualium plenitudo in eius participatione possidetur. *Probet ergo seipsum homo, antequam de pane illo edat, & de calice bibat*: examinet suam conscientiam, lachrymis diluat, confessione detergat, gemitibus dissoluat, reatum puniat, remorsum tollat, disponat ac præparet se: & sic accedat. Sed quænam dispositio, quæ præparatio, quæ puritas sufficiet, Quid potest facere miser homo, putridus & impurus? quomodo poterit se disponere ad tãtum maiestatis edulium? Ecce *Luna non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius, quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis?* Væ nobis miseris & infirmis, *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu, qui solus es?* In peccato conceptus, in
Iob.14. peccato natus, in peccato nutritus, quomodo mundabimur, nisi ipse mundaueris, qui solus sanctus & purus es? *Domine da quod iubes, & iube quod vis*, præsta quod poscis. Non inuenit in saco Beniamin
Gen.44. frater Ioseph aurum, nisi quod ipse poluerat: neque inuenies ò bone Iesu in pectore nostro bonum, nisi quod ipse præstiteris. Vtinam domine, vtinam in corporis nostri lacco gratiæ tuæ scyphum sacro huic frumento clementer abscondas, & pie inferas: hac lege & conditione vt in quo beatum furtũ inuentum fuerit, tibi perpetuò mancipetur, & tibi seruiat in æternum: nam tibi seruire, regnare est. Et quid tibi dicã domine Deus? Hoc vnum video, hoc vnum scio, quia quas diligis animas, ipse purificas, ipse mundas, ipse ornas, ipse ditas, ipse pulchrificas: vt placeãt corã oculis tuis, quę prius placuerunt. Diligis, quia dilexisti: faues, quia fauisti: magnificas quia præueniisti: glorificas, quia magnificasti: misereris, cui misertus es: & misericordiam præstas cui misereris: gratiã pro gratia: donum pro dono, & cui gratis dedisti munditiã, gratis quoque adauges gratiam, dona tua remunerans & munera tua gratificans. Tu ergo diligis, tu præuenis, tu disponis, tu exaltas, tu magnificas, tu glorificas, tu omnia facis, & vt ego cooperer facis: quid à me requiris? O terque quaterque beati, qui in oculis tuis gratiam inuenerunt. Tuum ergo est, hanc dispositionẽ præstare, nostrum est petere: tuũ est efficere, nostrum est desiderare: tuum est dare nostrũ est, quærere, & flagitare, &

Psal. 50. *S. Aug. Lib. 10. confes.* *Rom. 6.* *Exo 33.* *Ioan. 1.* *1.Tim. 6.* *1.Reg. 1.*

hoc non nisi à te, & per te, à quo est & velle, & perficere, pro bona voluntate. Coadiutores. n. tui sumus in bonũ nostrũ, sed à te est vt coadiuuemus te: vt per te perueniamus ad te. Itaq; & quod nostrũ est, à te est, & à te totum, & per te totum, *vt non glorietur omnis caro coram te* Neq; propter hoc gloria nostra euacuata est, & meritũ voluntatis sublatum: imò eo maior est nostra gloria, & honorificẽtius meritum nostrũ, quando sic ex nobis est, non quasi ex nobis, sed quasi ex te. Sed quãuis nemo a se sit idoneus, quia tamẽ moniti is apostolicis suademur, vt *probet seipsum homo*, operæ pretium est videre, qualis esse debeat ista dispositio, quæ accedentem & à iudicio liberet, & Deo gratum faciat. Hæc autem (vt existimo) fide, puritate, & feruore constat. Fides enim necessaria est, *sine qua impossibile est placere Deo*: vt scilicet firmiter credat, verum Christi corpus, & verum eius sanguinem esse quod accipit non vt in signo, non vt in typo, sed in seipso verè, & reipsa sicut est in cœlo. Hoc enim dominus in Euãgelio, tam nudis, & apertis, & indubitati sermonibus expressit, vt nullus quamuis hebeti, & stupido ingenio dubitare meritò queat. *Hoc est* (inquit) *Corpus meum* Non dixit, hoc denotat, hoc significat, hoc figurat: sed hoc est corpus meũ. Et ne de mystico aut figuratiuo corpore, qualis est ecclesia loqui videretur, vt omnem dubitanti occasionem excluderet, adiunxit: *quod pro vobis tradetur*. Et de sanguine similiter. *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur* Id est, non aliud corpus, non alius sanguis, sed ipsũmet corpus, quod pro vobis crucifigetur: & sanguis ipse, qui pro vobis effundetur. Et iterum. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*. Id est, non mystice, non figuratiuè, non ænigmaticè, sed verè, realiter, sicut eam habeo, sic eam vobis trado, vt pro salute vestra à vobis sumatur in cibum, quæ pro mundi salute patri offeretur in sacrificium. Et iterum: *Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi*. Ad patrem quidem pro vobis aduocatus transeo, sed vobiscum in altari mãducandus permaneo. Quid apertius dici potuit? aut quibus verbis huius sacramenti veritas expressius potuit commendari. O impudẽtiam mãlignorum, ò frontem durissimã hæreticorum: quo iudicio, qua ratione, tam euidentibus testimonijs refragari conantur? Quid ais, ò hæretice, quid dicis? Christus asserit, *Hoc est corpus meum*: & tu dicis, non est ibi corpus Christi, Christus dicit, *Hic est sanguis meus*: & tu dicis, nõ est ibi sãguis Christi. Christus ait, *Caro mea verè est cibus*: & tu ais, nõ est verè; sed mysticè? Miser si euãgeliũ profiteris, cur tã impudenter euangelio contradicis. Si Christum in veritate sequeris, quomodo eius dictis tã apertè refragaris? Hos dominus prænouerat quandoq; venturos, qui euangelicę veritatis syncoritatẽ profanis expositionibus depraua rent, & in verbo isto, sicut & discipuli eius quondam scandalizati, ecclesiæ sanctæ vnitatem nequissimis inuentionibus deturbarent: propter quod *ne in errorem adducerentur electi*, ad fidei nostræ robur & confusionem eorum, tantum mysterium non verbis ambiguis, & quæ variè posset interpretari, sed apertissimo oris sui, & euidentissimo testimonio confirmauit. Et quidem ad omnem fidem abundè sufficere debuerat tam euidens verbum Christi: neque enim falli, neque fallere potest, qui veritas est, sed tamen propter infirmos, & quia arduũ nimis, & supra omnem intellectum est huius sacramenti arcanum, bone Deus, à die quo institutum est, quot signa, quot miracula, quot portenta in huius rei testimonium facta sunt? Et quot fiunt quotidie in ecclesia Dei? Quanta à patribus nostris audiuimus, quanta in libris legimus, quanta à narrantibus accepimus: quæ si infidelibus nota essent, omni semota perfidia, procul dubio credidissent. Sed de his; alias nunc enim de præparatione & non de credulitate sermo est. Ad quã tamen (vt diximus) ante omnia fides necessaria est, deinde puritas. Oportet enim accedentem mundum gestare cor ab omni malitia, & mundum corpus ab omni luxuria; vt sit sanctus corpore, & spiritu. Procul absit omnis liuor, omne odium, omnis ambitio omnis illecebra:

sa-

ſanctũ ſit pect⁹, in quo ſanctũ domini recondendũ eſt. Sicut ſcripũ legimus. *Sancti eritis, quia ſanctus sũ, dominus Deus veſter.* Vnde Iſaias. *Mundamini qui fertis vaſa domini*, id eſt pectora veſtra: in quibus veluti in vaſis, ſacrũ domini & corpus pretioſiſſimus Chriſti ſanguis infunditur, & inſinuatur. Si in puros & inauratos calices ad hæc ſacra myſteria celebranda paramus, quanto magis aurea & fulgida debẽt eſſe pectora, in quibus veluti ſacrarijs, & reliquiarijs eadem myſteria reconduntur.

1. Cor. 3. 2. Cor. 8. *Homo tẽplum Dei vocatur.*

Vnde Apoſt. *An neſcitis quia tẽplũ Dei eſtis, & ſpiritus ſanctus habitat in vobis: ſi quis tẽplũ Dei violauerit, diſperdet illũ Deus.* Quis enim conſenſus templo Dei cum idolis? Audes tu ò ſacrilege in pectoris tui ſacrario, quod Deus inhabitat, turpia idola, & nefandas imagines carnalium cogitationũ, & ſpurciſſimorum deſideriorũ inuoluere? Putas ne Deus tali dignabitur conſortio, tali commercio ſociabitur? *Expurgate* (inquit) *vet⁹ fermẽtũ, vt ſitis noua cõſperſio, ſicut eſtis azymi: etenim Paſcha noſtrũ immolat⁹ eſt Chriſtus Itaq; epulemur nõ in fermento veteri neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſynceritatis & veritatis.* Quàm pulchrè agni paſchalis figuram perſtrinxit, quam apertè nobis azyma cum quibus editur commendauit? Paſcha noſtrum Chriſtus eſt: procul procul omne fermẽtum, longè ſit omnis iniquitatis corruptio. Purus agnus non cum fermento nequitiæ, ſed cum azymis ſynceritatis & veritatis edendus eſt. Quid enim panes illos propoſitionis ſacros propheta dominj contingere non audet, niſi à ſacerdote domini de puritate requiſitus, vaſa puerorum à quibus edendi erant ſancta eſſe prænouiſſet: & nos panem angelorũ illotis manibus contrectabimus, immũdis faucibus aſſumemus. Omnia munda vult author puritatis, mundam matrem elegit mundum diſcipulum dilexit: mũda ſyndone inuolutus eſt: mundo in tumulo, & in quo nondum quiſquam poſitus fuerat tumulatus eſt: ab his qui ſunt mundo corde videtur, & ab his qui ſunt mundo corpore poſſidetur. Sed cum fide & puritate comitetur etiam pietas, quæ cultus Dei eſt, id eſt feruoris & deuotionis igniculus: quo veluti ſacro quodam incendio, holocauſtum domini in cordis altario ſuccendamus. Huius cæleſtis ignis ſcintillam in pectoribus noſtris facilè excitabimus, ſi clementiæ immenſitatem, beneficii magnitudinem, dignationis gratiam & inæſtimabile pondus amoris conſiderare voluerimus: ſi viſcera illa pietatis Dei noſtri erga nos ſolicite attenderimus, quibus ſic amauit, ſic extulit nos, ſic magnificauit facere nobiſcũ, vt ipſa ſe nobis viatoribus maieſtas nunc offerat in cibum, quæ poſtmodum triũphatoribus ſe largietur in præmium. Vt vno communi cibo paſcantur, & eadem menſa conſideant, vernaculus & filius, pauper & diues, ſeruus & princeps, miles, & dux, vilis de terra vermiculus, & cæleſtis gloriæ angelus. Quid (inquã) hæc gratia magnificentius? quid honorificentius, quid ſublimius? Quid retribuemus tibi domine, quas gratias agemus pro tanto munere, quod largiri dignatus es nobis? Hoc itaque in primis conãdum eſt, ne tam immenſæ caritatis dignationi ingrati inueniamur: ne dona Dei veluti inſenſibilia pecora ſuſcipiamus: perpetuò mente voluentes prophetæ vaticinium, quod prædixit. *Beſtia quæ montem tetigerit lapidabitur.* Illius quoque [illegible]lentis pauperis & pannoſi non immemores, qui quamuis vocatus & inuitatus, imo & compulſus, quia tamen ad menſam potentis principis nuptialem ſine veſte nuptiali præſumpſit accedere, debito ſupplicio punitus in tenebras exteriores ab ipſo pio, ſed iuſto domino proiectus eſt. Quo putas ſupplicio ſe ingerẽtis temeritas puniẽtur, ſi ſic inuitati & cõpulſi audacia vindicatur? Quia ergo paupertatẽ, & nuditatẽ noſtrã omnes agnoſcim⁹, ſi rectẽ [illegible]piè ad cęleſtis regis nuptialẽ epulã accedere cupimus, prius aurũ illud charitatis ignitũ, quo locupletemur, apoſtolico moniti conſilio, nobis emamus: & veſtimentis albis puritatis & ſãctitatis, ne nuditas noſtra appareat, nos induamus: & collyrio fidei optimo mẽtis noſtræ oculos præungam⁹, vt ſic nitidi & puri, cũ cæleſtib⁹ principatib⁹ intra regalẽ aulã ad mẽſã domini ſedẽtes, vt læti

Luc. 1. Pſal. 125. *Dei erga nos ſũmæ clemẽtia.*

Pſal. 115.

Heb. 12. Exo. 19.

Mat. 22.

iucundi & digni conuiuæ diuinis conspectibus placeamus. Quàm apertè hûc triplicem dispositionis ornatum Apostolus ad Hebræos commendauit, dicens. *Habentes, itaque fratres fiduciam, in introitu sanctorum in sanguine Christi, quã initiauit nobis viam nouam & viuentem, per velamen*, id est carnem suam, *& sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda. Teneamus spei nostræ cõfessionem indeclinabilem (fidelis enim est qui repromisit.)* Videtis certè quia non sit inuentio nostra, sed apostolica sententia, quã de triplici dispositione præmisimus: *habentes* (inquit) *fiduciam in introitu sanctorum* ad conspectum Dei, ad angelorũ frequentiam in cœlestem gloriam, ad beatarum animarum consortium. Non in meritis nostris, sed in sanguine agni: non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed per velamen, id est velatam sub panis specie carnem Christi, hoc est in dominicis iustificationibus, non in nostris. Hoc enim sacramentũ est pignus æternæ hæreditatis, hæc vnica anchora spei nostræ, hoc vnicum solatij nostri asylum, per hoc ad Dei nostri conspectũ intra sancta sanctorũ cæleste confidimus introire. Hac ergo munita fiducia, licet peccatores, debiles, & infirmi, domino tamẽ monẽte, & suadente, imo præcipiente. Et quomodo monente, quomodo suadente. *Nisi manducaueritis* (inquit) *carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam æternam in vobis.* Hac eius admonitione succensi, etsi timentes & tremẽtes, tamen quia sic præceptum est accedamus. Sed quomodo? cum vero corde, id est spiritu feruido: nam vbi deest spiritus, non est veritas. Vani enim sunt omnes homines in quibus non est spiritus Dei. Vnde dominus in Euangelio *Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate: congenita sunt spiritus & veritas, & ab inuicem nequeunt separari.* Exemplo innotescet: videas quam plurimos in oratione iactantes Deus meus, amor meus, bonũ meum, dulcedo mea, gloria mea, desiderium meum, deliciæ meæ. Si adest spiritus verum dicis: alias sine dubio mẽtiris, & veritas non est in te. Nam Deus tuus venter est, & desiderium tuum pecunia, aut honor, aut libido, aut quoduis aliud temporale bonum, in quo summè oblectaris. Quid de Deo te iactas, quem non gestas in pectore? quem solis labiis honoras, & cor tuum lõgè est ab illo? De his Propheta, *non est in ore eorũ veritas: cor eorum vanum est.* Vacuum spiritu cor linguam orantis mendacem facit. De quibus etiam Apostolus. *Quorum Deus venter est: & gloria in confusione.* Id est quorũ omnis gloria & lætitia in ventre, aut sub ventre est. Accedamus ergo cum corde vero, id est deuoto & feruido, in plenitudine fidei. Non ait, in fide: sed in fidei plenitudine: vt insinuet, quam integra, quam perfecta fides accedentis esse debeat, qua corpus domini ab alijs alimẽtis cordis palato diiudicet & discernat. Multo enim firmius hoc credere ac profiteri debemus, quam si centum oculis vidissemus: quoniam corporalis oculus facilè deludi potest, Dei autem veritas deludi nequit, & deludere nescit. *Cœlum* (inquit) *& terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Sequitur, *abluti corde à conscientia mala*, id est puri & nitidi, sine omni affectu & proposito peccãdi. Et pro cõmissis iam peccatis adiũgit, *abluti corpus aqua munda*: hoc est, vnda lachrymarum affluenti mundati, vel si mauis, baptismi lauacro purificati. Vides iuxta decretũ apostolicum, fidem, puritatem, & feruorẽ in accedentibus cõmendari. Sic ergo accedamus, sic de pane illo edamus, & de calice illo bibamus, tenẽtes spei nostræ confessionẽ indeclinabilẽ, id est firmam & immobilẽ spem cõsequendæ beatitudinis, ex tanto munere. Qui enim dedit propriam carnem, non negabit hæreditatem promissionis suæ. Indubium ob fidem nobis reliquit, & fidelis est qui repromisit: vtrinque spes nostra firmatur & roboratur, & propter vadem, & propter fidelitatem: non est itaque vnde frustrari timeamus. Sed promissionis verbum attendamus. *Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur: non sicut manduca-*

Heb. 10. *Apo.* 7. *Tit.* 3. *Dan* 9. *Eph.* 1. *Heb.* 6. *Heb.* 9. *Leu.* 16. *Ioan.* 6. *Ioan.* 4. 1. *Ioan.* 1. *Phil.* 3. *Psal.* 5. *Isa.* 6. *Matt.* 15. *Phil.* 3. *Mat.* 24. 1. *Cor.* 11. *Heb.* 4. *Heb.* 10. *Ioan.* 6.

ducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in aternum Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Quid clarius, quid iucundius, quid firmius? His auditis: quis valeat hæsitare? Nunc (inquit) habet vitam æternam in anima, & postmodum, vt integra & perfecta sit eius beatitudo, ego cui adhæsit, cui in altario inuisceratus est quia vita sum, viuificabo & *resuscitabo eum in nouissimo die*: vt corpore & spiritu totus deificatus, meo iucundissimo aspectu cum angelis in gloria perfruatur. Quam nobis præstare dignetur, qui eam repromisit Iesus Christus dominus noster: cui cum patre, & Spiritu sancto est honor & gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

Ioan 14.

Ioan.6.

IN TRANSFIGVRATIONE Domini.

THEMA.

Duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos
Matthæi.17.

CIrca domini transfigurationem duo dicturi sumus: primò, propter quid transfiguratus est: secùdò quomodo transfiguratus est.

Non vacat mysterio, quid ille qui tota vita mortali abiectus & pauper haberi voluit, sicut ipse ait in Psalm. *pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea*: hodie tam magnificus, & glorioſus apparuit: opus (inquam) tam nouum, tam insigne ratione nõ caret. Quæramus igitur quæ necessitas, quæ ratio, quæ causa fuit, vt dominus suam hodie maiestatẽ mõstrane voluerit. Et quãuis Dei cõsilia agnoscere difficile sit, tamẽ huius rei ex sãctorũ dictis tres causas potissimas elicimus. Prima ad fidei nostræ robur, & cõfirmationem: licet enim ex miraculis factis, tũ propter multitudinẽ, tũ propter magnitudinem, tum ex modo quo fiebant, & ex scripturis & virtutibus, & vita innocenti, homini non proteruo Dominus sufficienter diuinitatem suam probauerit, sicut ipse ait: *opera quæ ego facio, hæc testimonium perhibent de me*: tamen vt tantum mysterium mundo persuaderetur, euidentiori adhuc testimonio, & fortiori opus erat. Inter omnia autem testimonia quæ mundus acceptat, maximum omnium & fortissimum testimonium est visus: testis enim oculatus maximus, & acceptissimꝰ apud omnes habetur. Hoc igitur testimonio Christi diuinitas carere non debuit. Dicerent nanque Pagani, si Christus Deus esset, indicaret hoc aliquando sensibus, & aperte monstraret, vt ei crederetur. Vnde Philippus: *Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis*: Quasi diceret: ad quid tot multiplicas tu nomina de te ipso? ostende diuinitatem quam prædicas, & sufficiet. Fecit itaque hoc hodie Christus, vt ad diuinitatis & gloriæ suæ plenã fidem nihil deesset. Quantum putas ex hoc facto fides inualuit? quantum ad fidei robur opus hoc contulit? Audeo dicere, nihil supra. Licet enim Christi resurrectio latius innotuerit, hęc tamen tranfiguratio diuinitatem illius clarius euidentiusque monstrauit. Vnde quia testibus fide dignis diuinitatis suæ gloriam ostendit, nullum de hoc mentibus nostris dubitandi locum reliquit. Decuit itaque summum mysterium summo testimonio confirmari, vt nulla mundo incredulitatis excusatio relinquatur. Testes ipsos super hoc audiamus. *Vidimus* (inquit vnus eorum) *gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis*. Et rursus. *Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod prospeximus, & manus nostræ contrectauerunt, de verbo vitæ testamur & annunciamus vobis*. Quasi dicat. Non fabulas, non somnia, non figmenta narramus, sed rem apertam, & notam: quam non vnico, sed pluribus sensibus comprobauimus. Vnde alius testis in epistola. *Non indoctas fabulas secuti, notam fecimus vobis domini nostri Iesu Christi virtutem, & præscientiam, sed*

Psal.87.

Tres ob causas facta transfiguratio.

Ioan 1.

1 Ioan 1.

2.Pet.1.

speculatores facti illius magnitudinis, &cæt. In tanto igitur talium virorum testimonio, quis ambiguitatis locus etiam duris simo cordi, relinquitur? Sed obiicit quispiam, Quare ergo non publicè in plateis Hierusalem transfiguratus est, vt à pluribus firmius testimonium haberetur: Quare vel omnibus Apostolis & discipulis, sicut resurrectio, hæc gloria mõstrata non est; Sed in promptu est responsio: quia hoc non esset fidem confirmare, sed destruere; non esset homines credendo ad se allicere, sed rei euidentia conuincere. Quis enim locus fidei, vbi sensus adest? Aut quale esset meritum credere, quod vni ciuitati notissimum haberetur? Vnde quanto testimonium visus maius, & euidentius est cæteris, tanto debuit paucioribus exhiberi; ne rei euidentia & testium multitudine, fidei meritum destruatur. Neque te moueat, quod non est ibi visa diuinitas: nam etsi non fuit, tamen per visum certissimè cognita; plura namque visu addiscimus, quæ non videmus. Video fumum, & agnosco focum, video lumen, & agnosco solem: video vitam, & agnosco animam: neque etiam animam tuam oculis corporeis video, sed animam tum te esse omnino non dubito. Sic autem Deus videtur in corpore glorioso, sicut anima in corpore viuo: non secundum indubitabiles effectus suos. Præsentiam ergo deitatis Apostolos agnouisse non dubito, sed non clarè, & apertè Christum esse Deum: hoc enim euidenter videre non poterant, non visa Christi diuinitate. Item, quia ad quid audirent à patre, quod oculis apertè viderant? Si Christum esse verum Dei filium oculis inspexerant, quid opus erat ad hoc vocis testimonio? Ad hoc namque videtur vox illa sonuisse, vt quod visui deerat, auditus suppleret. Sed ex alia parte Ioannis authoritas hoc videtur innuere, cum ait. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre.* Nisi dicatur, quod viderint quidem gloriam corporalem vnigeniti: sed quod esset vnigeniti filij Dei non viderunt. Sed vtcunque res se habeat, existimo eos tunc de Christo eminentissimè fidei cognitionem habuisse, & diuinitatis eius omne testimonium possibile visui mortali percepisse. Quod autem Petrus Apostolus in epistola ait, *habetis firmiorem propheticũ sermonẽ*, non hoc dicit, quasi dubiũ ipsi testimoniũ acceperint, sed quia propheta falli omnino non potest, sensus autem deludi potest. Vnde debilius est testimonium oculi, quam oraculi, quantum est de se, licet quoad homines firmius habeatur. Mundus enim aliam visionem non nouit, præter oculi visionem, ideo illam maximè acceptat. Vnde si mente dicerent se hæc omnia vidisse, non ita eis fides adhiberetur à mundo, quamuis in veritate visio intellectus firmior, & certior sit, quàm sensus. Hæc igitur, vt opinor, prima, & potissima causa huius ostensionis fuit, vt ex hoc, & Christi diuinitas probaretur, & fides nostra confirmaretur. Alia autem non minus necessaria ratio videbitur, vt per hoc tepiditas nostra in opus bonum excitaretur. Nihil enim sic animum ad opus inflammat, vt nota operis retributio. Minus etiam audita mouent quàm visa: licet ergò sæpius audierimus, *quia neque oculus vidit neq; auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se*; supra modum tamen expediens, & vtile fuit ad prouocandos animos, huius ignotæ gloriæ specimen aliquod oculis demonstrari, vt auidius, & diligentius procuretur. Decuit etiam euangelicam doctrinam mundo nouam, & rigidam, talis ac tanti præmii specie confirmari, vt ab omnibus acceptetur. Raro enim quamuis excelsa virtus, futuris præsentia commutat; neque facilè suadetur quispiam, vt spem periculis emat, vt ait Ambrosius. Quando ergo persuaderetur mundo carnali, vt præsentes sæculi delicias contemnat, si potiores alias certo iudicio nõ nouisset? Semetipsũ abnegare, crucẽ suã tollere, præsentem vitã cõtẽnere, sæculi honores, & delicias negligere, minas hominũ, & tormenta calcare, & relinquere quod iam es, spe sola essendi quod nondum es, quæ euangelica institutione consulun-

1. Petr. 1.

Isai. 6. & 1. *Cor. 2.*

Matth. 16

Luc. 17.

tur,

tur non ita facilia sunt, imò ita difficilia sunt, vt vix ea quispiam amplexaturus sit, nisi potioris multo, & maioris spei notissimo fuerit testimonio, roboratus. Nunquam enim agricola triticum suum seminando dispergeret, nisi illud in messe multiplicatum reddi oculata fide comprobasset. Erat etiam opus hoc ecclesiæ Dei maximè necessarium, ad paganorum, & Gentilium iniurias propellendas. Bone Deus, quibus à principio verbis, & ludibriis improperatum est ei, & improperatur hodie, quòd hominem crucifixum, morti à discipulo traditum, mortuum, & sepultum; & Deum credat, & vt Deum veneretur, & colat. Vnde psalmus. *Quod exprobrauerunt inimici tui domine, quod exprobrauerunt commutationē Christi tui.* Quid istis responderi poterit, quod eorum proteruiam ignorantiamque confundat? Si miracula, si virtutes, si doctrinam, si resurrectionem obiicias, pio quidem animo ad fidem hæc sufficiunt, proteruo autem efficaciori opus est argumento. Quid ergo blasphemis istis respondebimus, quod conuincat, & apertè confundat? Audi Gentilis, audi Pagane: si te Christi passio scandalizat, cōfirmet te gloria. Idem enim ipse, qui in Caluariæ monte patitur, cruci figitur, & moritur in Thabor super solem rutilat, super niuem candet, & super omnem pulchritudinem decoratur. Qui in Caluariæ loco latronum medius in cruce pendet: in Thabor prophetarum medius super astra lucet. Qui à sacerdotibus in Caluariæ loco velut seductor capitis motione subsannatur, in Thabor voce de cœlo allata, filius Dei vnigenitus appellatur. Cuius vestes in Caluariæ loco sorte diuiduntur, eiusdem vestes in Thabor super niuem dealbantur, & candent. Cuius facies turgida in Caluariæ loco pallet, eius eadem facies in Thabor mira pulchritudine pollet. Quid miraris ò stulte, quid irrides? quid subsannas quòd talem ac tantum crucifixum adorem? quin potius tu eum, ò miser resipiscens, mecum adora. Transi mecum à monte in montem, & cognosce quia nulla potest passio obscurare, quem tantæ maiestatis, & gloriæ splendor illustrat. Vnde enim tibi apparet contemptibilis, inde mihi maximè videtur amabilis. An non tibi videtur, quòd meritò amem, & colam talem, ac tantam maiestatem eius, qui pro me ipso tanta, ac talia passus est? Factum est etiam hoc ad firmandos discipulorum animos post resurrectionem in fide: grauiter enim fuerant à passione commoti. Si enim tanta fuit passionis ignominia, vt etiam hi, qui eius gloriam viderant turbarentur, sicut ipse dominus prædixerat illi, *omnes vos scandalum pati eritis in me, in ista nocte*: quid de reliquis putandum est? Vnde, & Petrus in prætorio requisitus, iureiurando respondit. *Mar. 26.* *non noui hominem* Mira obliuio. O Petre *Mar. 14.* non nosti hominem illum, qui te ex pis- *Math. 4.* catore piscium fecit hominum piscatorem? qui à retibus tractum, ecclesiæ Apostolum, & principem constituit? qui regni cœlorum claues tuæ voluntatis arbitrio tradidit. Hunc (inquam) hominem ignoras? O Petre certè lethargum pateris, profundo somno teneris, meritò te excitat gallus, redi ad cor, recordare, quia hic ipse est quem in monte sancto *Mar. 14.* super solem splendidum tuis oculis aspexisti, cui paulò antè commoriturum te promisisti. O quomodo do- *Matt. 26.* luit, quàm acerbè lachrymatus est, quando aspiciente Christo, hæc omnia in memoriam redierunt? Tu quoque ò anima *Ibidem.* mea, obsecro te, transmigra à monte *in montem, sicut passer* in his duobus montibus assidua esto. Considera diligenter *Psal. 10.* qualia sunt quæ patitur in Caluariæ mōte: inspice vulneratum, liuidum, afflictū, multo cruore perfusum, compatere domino sic malè tractato, condole Matiæ, & sanctis mulieribus, multo lachrymarum imbre perfusis, & cum ibi compassionis, & doloris fueris acer tate grauata, transi inde ad verticem Thabor, & tantæ gloriæ contemplatione respira. Ibi dignationis, hic decoris; ibi amoris, hic fulgoris insignia recole: ibi videbis vnde ames, hic vnde desideres. Ibi vnde sequaris, hic vnde læteris: vbique tamen tibi magnificus apparebit Dei filius, hic inter prophetas

Matt. 27. *Mar. 15.* *Luc. 23.* *Ioan. 19.*

Psal. 10.

glori-

gloriam ostentans, & ibi inter latrones eâdem gloriam præstans. Vnde psalm. *Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt. Tuum brachium cum potentia* Hermon (inquam) mons modicus de terra Iordanis, ipse typum gerit Caluariæ: modicus quidem magnitudine, sed mysterii virtute præclarus. Thabor, & Hermon mõtes clari, montes desiderabiles: in horum montium vno brachium domini, id est filius Dei, maiestatis suæ gloriam ostentat: & in altero magna cum potentia de hoste triumphator exultat. Diximus causas, propter quas trãsfiguratus est dominus: quomodo transfiguratus sit nunc dicamus.

Psal. 88. Psal. 14.

Ex discipuli suis tres charissimos, Petrum, Ioannem, & Iacobum secreto cõuocat, eosque secum ad montis Thabor culmina trahit. Mirantur taciti rei nouitatem insoliti. am prius: quid est quod velit, vt quid eos separatim in sublimia ducit? Iam verò supra sacri verticem montis cõstitutus sic eos alloquitur. Mirabimini forsitan filioli mei, quòd vos in hunc locum separatos eduxerim, sed huius rei finem, & causam modo scietis: volo vobis innotescere quis sum: volo mõstrare quid sub huius carnis velamine latet: cui adhæsistis: quem sequimini, cũ quo editis, & bibitis, & verba miscetis. Non omnes hæc visio decet, vobis solis hæc gratia donatur. Attendite quę nunc vobis pandentur, nam mundo quandoque necessaria erunt. His dictis, retentam in superiori mentis portione, grandi miraculo gloriæ, & claritatis abyssum soluit, & exteriora corporis velut rupris meatibus inundare permittit. Scaturit foras subito immensitas illa gloriæ, totumque corpus mira claritate venustat. Rutilat super solem facies eius fulgore mirifico: candet vestis super niuem, nouumque induit forma decorem: adumbratur eius claritate solaris radius, totusque mons vndique claritate refulget. Spectaculum visu dignissimũ, quale vnquã a sæculo nõ est visũ. *Egredimini filiæ Hierusalem*, egredimini deuotę animę, egredimini in mõtẽ foras, & *videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eũ pater suus.* Videte regẽ pacificũ, regẽ sapientissimũ, regẽ potẽtissimũ, cũctis gẽtibus desideratũ, super astra splẽdentẽ, *in quem desiderant angeli prospicere. Benedic tu* quoque, ò *anima mea dominum. Domine Deus meus magnificatus es vehementer, confessionem, & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento extendens cælum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius.* Illam enim interiorem animæ tuæ gloriam ab initio tuæ conceptionis intus latentem, ad corporis tui substantiam, sicut pellem foras extendisti, vt corporeis oculis videri posset. Quid verò intus gloriæ lateat, quis agnouit? *Tegis* quippe *aquis*, id est, immensa abysso deitatis tuę, *superiora eius*: id est animæ tuæ superiorem portionem. Vna quippe gloriæ tuæ gutta Apostoli tui inebriati sunt, quid sit interiora vidisse? Solam corporis gloriam inspexerunt, quid si gloriam animæ, vnde scaturiebat illa? quid si fontem deitatis perennem, & primam eius originem inspexissent? Attendite fratres, videte qualem nobis gloriam parauit pater, considerate qualia nos præmia manent. Si talis erit gloria carnis, qualis erit gloria mentis? si talis est riuus, qualis erit fons, vnde ille riuus emanat? Quis interiorem animæ iubilum, lætitiam quę mentis comprehendere valeat, quæ tales ex se foras splendores emittit? O quàm vere dictum est, quia *oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te.* Splenduit quandoque facies Moysi cum de monte descenderet, *vsque adeo, vt non possent in eum intendere filij Israel propter gloriam vultus eius*: sed non sicut domini, ita & serui gloria. Amplioris enim gloriæ Christus præ Moyse dignus habitus est, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricauit eam. Moyses quidem fidelis erat, in domo Dei tanquam famulus: Christus verò tanquam filius in domo sua. Moysi sola facies rutilabat, Christus totus super solem splendebat. Moyses faciem suam velo tegebat, Christi claritas vestimento non poterat operiri, sed vestes ipsas fulgore suo super niuem dealbabat: maior quippe fuit splendor in veste

Cant. 3.

Psal. 103.

Isai. 64. & 1. Cor. 2. Exod. 34. & 2. Cor. 3

Heb. 3.

Chri-

Christi, quam in facie Moysi. Fulgor ille Moysi inspicientem lædebat obtutus, Christi autem claritas mira suauitate sine nocumento aliquo cernebatur. Ponit ille velum in figuram, quia cœco populo loquebatur: nos autem nõ velamine aliquo *sed reuelata facie gloriam domini speculantes, in eandem imaginem trãsformamur.* Vnde, & ipse Moyses illius gloriæ speculator, & testis affuit cum Helia, Christo domino astantes, & illi testimonium perhibentes, quòd ipse sit verus dominus, & Messias, quem lex præfiguraui, quem vaticinia promiserunt: & sicut Euangelista ait, *loquebantur cum Iesu.* Sed quid obsecto, tali tempore loquebantur? valde hoc audire gestimus. Die nobis euangelista quid loquebantur? loquebantur (inquit) de excessu quem completurus erat in Hierusalem. O verè excessum maximum, ò ecstasim potentissimam: excessisti metas omnis rationis, & intellectus, domine in Hierusalem. Supra modum in me amando excessisti Deus meus, quid reddam tibi pro tanto amore tuo? Omnia in numero, & pondere, & mensura fecisti, sed sine, numero, pondere, & mensura amasti. In hoc redemptionis nostræ opere nullus est numerus, nulla est custodita mensura, sed prorsus excessus nimius, & nimietas excessiua. In omnibus alioquin moderatus, & mensuratus, in solo amore fuisti nimius. An non nimietas grandis, an non excessus nimius, vt Deus moriatur pro homine, pro opere suo conditor? creator pro factura? O ecstasim exuberantis amoris, ò ferentis charitatis excessum *Factus est dominus, tanquam potens crapulatus à vino.* Plantauit vineam, & ex ea bibit, & inebriatus est, & nudatus grãdem ecstasim passus est. Sed quam ecstasim? quid dicam fratres quam ecstasim? Deus in ligno pendet, omnipotens latronum medius crucifigitur, irridetur, blasphematur, spuitur, flagellatur, occiditur; vbi est Deus sapiẽtia tua, vbi est potẽtia tua, vbi est gloria tua; vbi est diuinitas, maiestas, & æternitas tua? Noli quærere, ecstasim passus est Deus: alienatus est à seipso, vt tu redeas ad te ipsum. Sicut scriptum est. *Reminiscentur, & conuertẽtur ad dominum vniuersi fines terræ.* Quid est dicere, *reminiscentur*, nisi redibunt ad se, qui erant alienati à se? An non alienati idolorum cultores, lapidum adoratores? Ecstasi sua nostram destruxit: ecstasim amoris passus est, vt tolleret ecstasim obliuionis. Amor namque, teste Dionysio, facit ecstasim; ponit enim amantem extra se, & sui facit obliuionem. Videas gallinam pro pullis aquilam fieri; & equam mitissimam pro filio fieri leæna: mansuetissima ouis vertitur in feram, & nihil tam mite, quod non amore insaniat. Exponitur mater pro filio oblita sui, vndè hoc, nisi quia sustinet ecstasim præ amore. Hæc est ecstasis, quam pro nobis passus est Deus; hic est excessus quem completurus erat in Hierusalem, de quo vates cum Christo domino loquebantur: Sed quid de hoc excessu loquebantur, euangelista reticuit. Pro illo gratias agebant, aut si fieri posset, nè illum pateretur orabant. Neque abs re in tanta gloria passionis memoratur excessus, vt videlicet eundem esse constaret, qui penderet in cruce, & qui splenderet in monte; nè forsitan alius subrogatus putaretur, vt nequiter Mahoma sulpicatus est. Et vt nobis præberet exemplum, vt in die bonorum memores simus quoque malorum, & lætitiam nimiam obiectis tristibus temperemus. Dum hæc agerentur, Petrus, & alii discipuli grandi nimis admiratione tenentur. Sed non iuuat Petrum præfati excessus audire sermonem, feruet intus gaudio, conceptumque non valet tenere sermonem: accepta igitur copia fandi, quid (inquit) tecum domine, de quodam nescio quo excessu prophetæ loquũtur, mihi si creditur, meo si creditur voto, *faciamus hic tria tabernacula: tibi vnũ, Moysi vnũ, & Heliæ vnum.* Hoc satius est hic stemus, hic cũctos vitæ nostræ dies agamus. Quid vltra quæritur? inferiora cur vltra lustram⁹. Nesciebat enim quid diceret præ amore: sic enim totã ei⁹ mẽtẽ præsentis candoris, & gloriæ amor, & iucunditas occuparat, vt nihil aliud vellet, nihil aliud cuperet, & hoc sibi ad

2 Cor 3. *Moyses & Helias testes transfiguratio nis Domini.* *Psal. 115. Sap 11.* *Amoris diuini descriptio.* *Psal 77. Gene. 9.* *Psal 21.* *Simile.* *Eccles. 11.*

plenam fœlicitatem satis esse cogitaret: Sednon es te digna locutus, ò Petre: falleris, grauiter falleris, ò pastor ecclesiæ: prius condendum est euangelium, prius hominũ genus cruoris effusione redimẽ dum est, prius te *alius cinget, & ducet quò tu non vis*, quàm hoc gaudio potiaris. Ita ne sine certamine victor, sine victoria triumphator euades? Quid rerum ordinem peruertis? quid meritis præmia præponis? Tu ne (inquam) solus mundi salutem, & gloriam possidebis, tibi soli saluator assistit? O insignis latro tibi cælestem margaritam vsurpas. Die nobis, ò Petre, vbi virgo, vbi fratres, vbi Euangelium, vbi fides, vbi gratia, vbi generis humani redemptio, vbi cælestis Hierusalem reparatio? Hæc nè omnia præter te cessabunt, tuis credent omnia lucris? Sed ardenti parcatur amori; extra se enim positus, quid liceret nesciebat. Quæ sua sunt Petrus quærebat, nam esse cũ Christo melius est: sed quia sine merito præmium, sine labore gaudium cupit, hic error, hæc culpa est. Neque tamen solus hoc errore tenetur, volumus, & nos sæpè similia Petro; gaudium cupimus, laborem fugimus; prius volumus gaudere quàm pati, sed fatuè, sed stultè An nescimus, quia scriptum est; quia si compatimur, & conregnabimus: & quoniam per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei Sed Petrum nunc omittamus, satis enim ab omnibus hoc in loco ignorantiæ reprehenditur; quod ad nos attinet fratres, si videtur, *bonum est nos hic esse*. Habeat sibi sua solatia mũdus, concupitis homines voluptatibus perfruantur, *nobis adhærere Deo bonum est, & ponere in domino Deo spem nostram.* Quid nobis, & gaudio, qui futura quærimus gaudia? In hoc monte cum Christo constantes perseueremus; montis huius culmina stabiles teneamus, quæ enim infra sunt, tristia sunt, & amara, pestifera omnia, & lethali tincta veneno; hic pax, hic securitas, hic salus, hic requies, & si quid veri boni, aut gaudii in vita est, in hoc solo monte plenius possidetur. Sed quid in mõte agemus. Nũquid otiosi cũ Christo manebimus? non quidem; sed faciamus, & nos hic intra nos tria domino tabernacula, patri vnum, filio vnum, spiritui sancto vnum; tabernaculum corporis, tabernaculum mentis, tabernaculum spiritus: tabernaculum æternum, perpetuam mansionem quam inhabitet Deus: sicut scriptum est, ad *eum veniemus, & mansionem apud eam faciemus.* Beatus qui huic struendo tabernaculo totam offert vitam omnem impendit operam. Ego quidem fratres (vt de me ipso interim aliquid loquar) si quandoque, & hoc rarissime indigno concessum est, non meo quidem merito, sed Christi optimi maximi gratuito beneficio, in montem altum cum ipso conscẽdere, & ibi gloriam vultus eius, vel ad modicum: & à longè prospicere, ò quibus ardoribus, ò qualibus lachrymis clamito: domine mi, *bonum est nos hic esse*; non me permittas vltra descendere de monte isto; sufficit mihi hoc gaudium, sufficit mihi hæc præsentia tua: ne discedas obsecro, nè abeas à me; in hoc tota vita mea, in hoc omnes dies mei expendantur. Quid vltra quæritur? hoc solum volo: hoc solum cupio, hoc solum desidero, hoc solum peto. Sed heu heu, euanescit subitò gloria illa, pax illa, dulcedo illa, & plenus mœrore relinquor. Deserit illico fluentem animam, & sicut fulgur transiens, ita præterit splendor ille. O si dura sset. Sed ad historiam redeamus. Petro verba ista loquente, *ecce nubes lucida obumbrauit eos, & vox de nube facta est; hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Vox ad patrem, nubes ad spiritum sanctum refertur: vt tota Trinitas Christo homini testimonium perhibuisse noscatur. Sicut scriptum est, *tres sunt qui testimonium dant in cœlo, pater, verbum, & spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.* Si testimonium hominũ accipimus, testimonium Dei maius est; hoc est autem testimonium Dei quod maius est, quia testificatus est de filio suo. Sed quid testificatus est. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Filius (inquã) non adoptatiuꝰ, nõ aduentitius, sed naturalis, sed ex substãtia mea genitꝰ. Sicut scriptum est. *Ex vtero ante luciferum*

Ioan. 21.

Rom. 8.

Psal. 72.

Ioan. 14.

1. Ioan. 5.

Psal. 109.

genui

Cant. 5. genui te. Dilectus non ſicut alia, *ſed in quo mihi bene complacui.* Placent, alia, in illo ipſe mihi complaceo, quia in illo ſubſtantialiter ipſe ſum : & quicquid in me ipſo mihi placet, in illo eſt: eadem enim eſt virtus, eadem magnitudo, eadem pulchritudo, eadem gloria, eadem ſubſtantia. *Dilectus* itaque *ex dilecto*, ſicut in canticis nuncupatur, quia non ſolum ipſe diligitur, ſed in eo omnis ratio diligendi eſt: quicquid enim diligitur, in ipſo, & per ipſum diligitur. Vnde Apoſtolus: *Gratificauit nos* (inquit) *in dilecto filio*

Eph. 2. *ſuo, in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, in remiſſionem peccatorum.* Dilectus igitur, quia diligitur ex dilecto: id eſt, in quo primo dilecto omnia diliguntur: hoc eſt, dilectus in quo complacui. Non fruſtra enim hæc repetitio poſita eſt, ſed vt oſtendatur, quia dilectus, & primo dilectus eſt, & prima ratio diligendi. Siue enim angelus, ſiue archangelus, ſiue throni, ſiue principatus, ſiue cherubim, ſiue ſeraphim, ſiue cœlum, ſiue terra, ſiue homo, ſiue brutum, ſi placet in ipſo placet: quia in ipſo ſunt omnia, ſecundum ideas: non ſicut in ſeipſis finita, ſed ſicut

Iſai. 40. in exemplario ſuo infinita. Quid enim eſt cœlum, quid terra, quid homo, quid angelus, vt coram Deo magnus, & per ſe diligibilis appareat: omnia hæc quaſi nõ ſint, ſic ſunt coram eo: & quaſi nihilum, & inane reputata ſunt ei, teſte propheta: quippe quia ex nihilo facta, in nihilum verterentur, ſi non conſeruarentur ab eo. Quid ergo creatum magnum, aut bonum, aut pulchrum eſt in conſpectu eius,

Genes. 1. vt per ſe ametur ab eo? *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Sed vnde bona? nunquid à ſe? non vtique: nam *nemo bonus, niſi Deus ſolus*: ſed propter artem quæ in ipſis eſt, quia perfectiſſimo

Mar. 10. Ioan. 1. conſonant exemplari. Non materia commendatur, ſed ars; nos enim artem quærimus propter opera, in Deo non ſic, ſed opera propter artem commendantur, quia ars in illo omni opere melior eſt. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Sed quomodo facta per ipſum? vtique ſicut per artem, ſicut per exemplar primum, in quo omnia ab æterno lucent, & ab æterno placent. Non quòd opera non placeant in ſeipſis, ſed non per ſeipſa, ſed propter artem. Diligitur creatura in verbo, diligitur etiam in ſeipſa, quia & ipſa bonum quoddam eſt, ſed participatum, & non eſſentialiter bonum. Sicut ergo participat bonitatem, ita participat dilectionem. Diligitur ergo in ſeipſa, ſed non per ſeipſam, neque propter conformitatem ad artem, quæ in ipſa eſt: id eſt, quia ſuæ conſonat arti: ſicut in vaſis fictilibus ſola artis forma placet, nam materia lutum quoddam eſt. *Hic eſt* (inquit) *filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite.* Fallere enim, aut falli non poteſt, quia veritas eſt, ipſum ergo audientes non fallemini, quia *veritas eſt*: ipſum ſequentes non decipiemini, *quia via eſt*: ipſum amplectentes non moriemini, quia *vita eſt*: ipſum imitãtes non obſcurabimini, quia *lux eſt*. Ipſum ergo audite, ipſum ſequimini, ipſum amplectimini, ipſum imitamini. Hic eſt enim doctor ille iuſtitiæ, qui orbi miſſus eſt in magiſterium omni carni, *illumina-* Luc. 1. *re his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent; ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis*: vt doceret hominem *ſcientiam, & iuſtitiam his, qui recto ſunt corde*. ſicut pro- Pſal. 35. Ioel. 2. pheta prædixerat: *Filia Sion exultate, & lætamini in domino Deo veſtro, quia dedit vobis doctorem iuſtitiæ, & deſcendere facit ad vos imbrem matutinum, & ſerotinum, ſicut à principio.* Omnes igitur, qui vitam, & veritatem diligitis, qui viam ſalutis, & pacis inquiritis, qui æternam fœlicitatem obtinere deſideratis, ipſum audite: hic enim à Deo ſicut *conſtitutus eſt* Pſal. 2 *rex*, ita promotus eſt magiſter, & doctor ſuper *Sion montem ſanctum eius prædicans in gentibus præceptum eius, & in populis gloriam eius: vt notas nobis faciat vias vitæ*, Pſal. 15. ſicut in pſalmo prophetatum eſt. Hac voce audita exterriti Apoſtoli ſuper faciem corruerunt, non enim tantam poterant ſuſtinere maieſtatem. Quos piũs dominus à terra leuatos ſuauiter admonuit, nè cui dicerent hanc viſionẽ, donec à mortuis filius hominis reſurgeret. De-

Creaturæ cur Deo placeant.

Ioan. 14. Ibidem. Ibidem: Ioan. 8:

cuit enim ita fieri, tum nè hac audita gloria, passioni offendiculum poneretur: tum nè fratres adhuc infirmi, quia hæc non viderant, æmulationis aculeo pungerentur: tum etiam ad nostram eruditionem: vt si quandoque nobis cælestis cuiuspiam visionis secreta panduntur, non eam in vita palàm efferamus, sed cum propheta dicamus. *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Sed cur ò bone Iesu, hanc tuam gloriam tuæ genitrici non monstrasti? quis enim illa dignior? quis tibi carior? quis amore tuo flagrantior? quis purior? Sed quia mater erat, testimonio filii minus idonea forsitan visa est: aut filii pietate potius sic dispositum est, nè videlicet, & à rememorata gloria, in passione sua doloris stimulo grauius vrgeretur. Hactenus de historia. Hæc nos gloria expectat fratres, talia nos præmia manent? toto conatu, toto desiderio properemus ad illa; pudeat vinci à carnibus: pigeat à secularibus superari. Quid pro breuissima voluptate non sustinet lubricus? quid pro modico lucro non portat auarus? nobis autem pro æterno, & inenarrabili gaudio quippiam graue, aut difficile reputabitur? Atteratur ad modicum inedia caro, vigilijs, & laboribus ad momentum frangatur, vt perpetuo hoc de corpore venustetur, & tali gloria, & splendore vestiatur. O si eam semper præoculis haberemus? Vnde enim ista maledicta tepiditas: Vnde tanta cordibus nostris segnities, nisi ex obliuione mortifera. O anima mea, quid aliud cogitas, quid aliud cupis, quid aliud agis, quid aliud prætendis? Vt quid terrenis lucris, & negotijs implicaris? Væ mihi hominum stolidissimo, qui à tanta fœlicitate mentis oculos ad terrena deflecto. Quantò aliter faciebat qui dicebat: *Si oblitus fuero tui Hierusalẽ, obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui. Si non proposuero te Hierusalem, in principio lætitiæ meæ.* O ignitum eloquium, ò flagrantissimum desiderium. Et alius propheta: *ingrediatur putredo in ossibus meis, & subtus me ferueat, vt requiescam in die tribulationis. Ascendam ad populum ac-*

Isai. 24.

Beatitudo cælestis affectãda diligẽter.

Psal. 130.

Hab. 3.

cinctum nostrum, populum nobilissimum, populum pulcherrimum, populum glorioſum, populum fœlicem, populum gloria, & honore coronatum. Quam nobis coronam præstet, qui eam nobis hodie in seipso monstrauit Iesus Christus filius Dei, cui cum patre, & spiritu sancto est honor, & gloria in sæcula sæculorum Amen.

DOMINICA XVII. POST Pentecosten. Concio prima de mandato amoris.

THEMA.

Diliges dominum Deum tuum, &c.
Matthæi. 22.

DE re locuturi sumus, qua nulla excelsior, nulla vtilior est in vniuerso: det dominus sensum, & aperiat ostium sermonis; vt sentiamus quod debemus, & dicamus quod sentimus. De amore Dei futurus est sermo, de quo nullus rectè loquitur, nisi amans. Habet enim amor proprium idoma, quod solus nouit amator. Nemo igitur huius materiæ idoneus auditor, nisi amator: nemo idoneus orator, nisi qui præ cæteris amore pollet. Quò enim quisque feruentior amator est, eò facundior, vehementior, atque potentior orator existet amoris. O qualia sunt amantium verba, quàm fortia, quàm ignita, quàm suauia, quam penetrantia, quam potentia. Quasi scintillæ ab igne exeuntes, ita penetrant corda: neque Demosthenes, neque Cicero ita loquitur, sicut amor. Verè enim *ex abundantia cordis os loquitur*; & ex pinguedine cordis pinguia quoque procedũt eloquia. Sicut *adipe* ergo, & *pinguedine repleatur anima mea* domine, & *sic labijs exultationis laudabit os meum*. Mitte domine vnctionem tuam, quæ doceat nos de omnibus; & vt rectè loquamur de amore tuo, eunoem amorem in visceribus nostris veluti magistrum infunde; ille est enim, qui reuelat mysteria. Fac hoc mitissime Deus, almæ tuæ genitricis precibus exoratus, cuius fauorem,

Amoris idioma proprium & peculiare, amãti soli cognitum.

1. Cor. 4.

Matt. 12.

Psal 62.

1. Ioan. 2.

Dan 1.

& auxilium omnes, humiliter implo remus, Angelicã ſalutationem offerentes.

Præcipis domine, atque ſeuero nimis iniungis mandato, vt amem te, & in omnibus, & ſuper omnia diligam te; ita ne domine? tam iniquus ego ſum, & tam ingratus, vt tali indigeam mandato? poſtquam à te factus ſum, & tanto pretio redemptus, poſt tot, & tanta beneficia, quæ mihi quotidie præſtas, opus eſt mandato, vt diligam te? Confundis me vtique domine, & hoc tuo mandato valde me conuincis. Sed ò ſuaue nimis, & dulciſſimum mandatum, ò iucundum, & leue præceptum: gratias tibi domine, pro tam benefico & tam grato mihi mandato tuo ſponte currenti calcaria addidiſti. Et quid mihi gratius quam amare te? quid iucundius quàm te diligere? & quis poteſt non amare te domine mi? Si præciperes, vt nõ diligerem te, hoc mihi impoſſibile, & intolerabile videretur, tolerabilior propè modum infern⁹ eſt, quã nõ diligere te. Cum enim de inferni cruciatibus ſermo incidit, quod animum meum præ ignibus, & tormẽtis omnibus magis terret, hoc eſt, quòd vt fertur, qui illic cruciantur miſerrimi, oderunt te, & maledicunt. O miſeras, & infœlices creaturas, quę talem vicem rependitis autori veſtro, Deo veſtro. Abſit, abſit hoc à me, vt vnquam te diligere ceſſem. *Si oblitus fuero tui Deus meus, obliuioni detur dextra mea, adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui, ſi non propoſuero te domine mi, in principio lætitiæ meæ.* O *quam bonus Iſrael Deus, his qui recto ſunt corde.* Attendite fratres *chariſſimi*, attendite, & videte qualia præcepta nobis iniungit Deus noſter, non aſpera, & difficilia, nõ grauia, & importabilia. Non quidem iugulare filios, vt olim crudeliſſimi dæmones idolorum cultoribus præcipiebant, non lacerare carnes verberibus, nõ pedibus nudis ſuper ferreos tribulos ambulare. Sed quid? *Hoc eſt* (inquit) *præceptũ meum, vt diligatis inuicem. Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem. Diliges dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua* nihil aliud peto, nihil aliud à vobis requiro. Solum amorem flagito, hoc ſolo pro tot beneficijs, & donis contentus ſum. O homo ama, & regna: ama, & omnia quæ habeo tua ſunt. Audiſtis vnquam aliquid clementius? aut benignius? Audiſtis vnquam tã clementiſſimum dominum, qui à ſeruis ſuis hoc ſolum exquirat obſequium, vt ametur? Si quis Rex à domeſticis ſuis pro omnibus donis ſuis ſolum repeteret amorem, neque omnino aliud iniungeret obſequium, quam pius, quàm clementiſſimus haberetur? talis eſt rex noſter fratres, talis eſt dominus noſter. O qualem dominum habemus fratres mei? Quàm benè hoc nouerat, qui dicebat. *Lex domini immaculata, conuertens animas. Teſtimonium domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis. Iuſtitiæ domini rectæ, lætificantes corda. Præcepta* (inquam) *domini deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem prætioſum*, &c. Quid enim iucundius, quid dulcius, quam amare? quid ſuauius? quid leuius? Quid eſt vita ſine amore, niſi atrociſſima mors? Qui non amat, etiam dum viuit mortuus à corde eſt, vita enim cordis amor eſt.

Damnati oderunt Deum. Pſal. 73. Pſal. 136. Pſal. 72. 1. Ioan. 5. Pſal. 105 Ioan. 15 Ioan. 13.

Suauiſſimum amoris præceptũ Simile Pſal. 21. *Amore ſublato vita eſt quadam mors.*

Quis excuſari poterit à tali præcepto? O quam iuſtè damnatur æterno ſupplicio, qui perpetuò maluit ardere, quã amare, ſi enim ex charitate diligeret, in inferno non arderet. Nimis non dico te, ſed ſeipſam odiſſe conuincitur, qui potius elegit ardere, quam diligere. Quid vidiſti in Deo tuo, ò damnate? quid vidiſti? qui ne diligeres ardes? Quam excuſationem afferre poteris in iudicio, qui neque iuſſus quidem infinitam Dei bonitatem amare, paruiſti? Non maria ſulcare præceptum eſt tibi non penetrare nubes, nõ nudis pedibus vlteriorem Indiam adire; de cellario cordis implere poteras præceptum & contẽpſiſti? Quid dicturus es in poſtremo illo examine quid ad tãimmenſam clementiã reſponſurus? Hoc eſt quod Dominus per Iſaiam populo ſuo exprobrat, dicens: *Non me inuocaſti Iacob, neque laboraſti in me Iſrael. Non obtuliſti mihi arietem holocauſti tui, & victimis tuis non glorifi caſti me. Non te*

Deu. 36.

seruire feci in oblatione, neque laborem tibi præbui in thure. Non emisti mihi argento calamum, & adipe victimarum tuarum non inebriasti me. Verumtamen seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ac si diceret. Non tibi aspera præcepta dedi, non tibi grauia onera & importabilia imposui, non omnem tuam substantiam in meis sacrificijs & oblationibus expendere præcepi, facilia sunt quæ imperaui tibi, & tu pro nihilo habuisti præcepta mea, & in peccatis tuis triginta tres annos seruire me fecisti, & ad vltimum pro te abiectissimam & acerbissimam mortem sufferre. Vtique si grauia tibi imperassem & facere debueras: quanto magis, quia non dixi tibi, nisi ama, & regna. Hæc omnia ad populum nouum quem creauit sibi, ideli Christianum, cui quia ipse sacrificium & hostia est, nullum aliud sacrificium imposuit, sicut veteri illi Hebræorum populo, sed suum duntaxat indixit amorem. O quam iustum & æquū est domine, & amet te opus tuum quod fecisti, opus quod plasmauerunt manus tuę. Gratis fecisti illud, nec tibi opus erat vt faceres illud, sed spontanea voluntate illud creasti: ad quē igitur, nisi ad te debuit esse conuersio eius? Si pictor imaginem pulchram depingeret in tabula, & illi visū dare posset, & sensum, vt seipsam, pulchritudinem suam, & pictorem suum agnosceret, & coram se positum videret, quo amore, qua beneuolentia existimas diligeret ipsum, aut quid aliud imago illa toto conatu ageret, quam amare, laudare, colere, & venerari pictorem suum, à quo habuit vt esset, & tam pulchra esset? Nunquid obsecro, non tota in amorem eius incandesceret. Nunquid nō die noctuq; pro tanto beneficio illi gratias ageret. Et tu homo non solū huius tanti, & tā mirifici pictoris imago es, quia ipse te fecit: sed quod maius est, quia in te seipsū depinxit, ad imaginem .n. eius plasmatus es, vt ipsa te similitudo ad amorē eius amplius inciraret. Quanti igitur piaculi reus es, si tantam neglexeris gratiam, & tanti in memor fueris beneficij. Illi namq; debes quicquid es, quicquid potes, quicquid sapis, te totū deniq;. Cui enim debetur fructus, nisi ei qui plantauit arborem? Illi igitur integrum debes amorem, qui tibi amandi præstitit facultatem: illi debes omnes cogitationes, qui vim intelligendi animæ tuæ inseruit: illi debes desideria omnia tua & appetitus, qui appetendi, desiderandique potentiā in te plantauit. Si quam igitur cogitationem, si quam dilectionem in alio expēdis, si quid aliud cupis aut sapis, si quid agis vel meditaris, quod non ipse est, aut propter ipsum est, fur es, & latro & alienum est quod prodigis. Vnde & in iudicio non solum de verbo otioso, sed etiā de cogitatione vaga, & desiderio vano, rationem reddere cogeris: illi enim qui tibi præstitit vt esses, omnis actus & operatio tua iure debetur. Non igitur tibi fit iniuria, si à te exigitur, vt ex toto corde, & ex tota anima, & ex omni mente diligas ipsum, ac ex te toto. Denique quia totus illius es, tres enim potentias, velut tres plantas, in te plantauit altissimus, intellectum scilicet, voluntatem, & sensum, horum trium à te iure suo fructū exposcit, cum præcipitur: *diliges dominū Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omni mente tua.* Satis (vt opinor) innotuit ex dictis bonitas, & clementia præceptoris talia præcepta populo suo largientis, non potest de illis dici, quod de alijs quōdam dictum fuit: *dedi eis præcepta non bona, & iustitias in quibus non viuent.* A bono enim & optimo præceptore, bona & optima præcepta expectāda erant. Nam & illa de quibus ait, quod bona non erant, propter subditorum inertiam bona non erant; quia scilicet perfectiorum præceptorum capaces non erant, tamen pro tempore, & populo illi bona. Vnde & populo nouo, nouū quoque iniungit mandatum, dicens. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem* (Ioan. cap. 13.) Quomodo domine nouū est, quod tamdiu à te datum est? vtique nouum, quia *non accepistis spiritum seruitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamatis, abba pater:* lex enim amo-

Amor Dei facile portabilis.

Iob. 10.

Simile.

Cantic.

Psal. 99.

Genes. 1.

Ioan. 14.

Exec. 20.

Potentiæ velut plāta tres homini datæ.

Mat. 22.

Mat. 12.

Ioan. 14.

Rom. 8.

amoris est nõ timoris, quam vobis præsto. Nouum ergo est, quia nouo modo datum est, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis scriptum. Nouo etiã modo impletum est, Deo enim nos vsque ad mortem crucis diligenter, dum tãin signẽ erga homines ostẽdit amorẽ, didicerunt homines nouo modo amare illum, cuius tam nouam & inauditã experti sunt dilectionẽ. *Vetus ergo & nouum est mandatum dilectionis*, vt ait Ioannes in epistola. Vetus quoad traditionẽ, nouũ quoad vim amoris & intẽsionem. Iam.n. homines & se, & sua pro Dei amore libenter exponere cœperunt, ex quo ipsũ flagrãti amore pro eis in cruce pendere, Apostolis prædicãtibus audierunt. Est quoq; aliud nõ minus in isto præcepto ponderandũ, q̃ Dei magnificentiã largitatemq; demõstrat, videlicet q̃ pro tam leni ac suaui mandato, grande nimis, & in æternũ præmium repromittitur. Testis est Apostolus qui ait. *Neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quod repromisit Deus his qui diligunt illum.* O ineffabilem largitatem, amantibus talia promittit, & quẽnam remunerandi ratiõ in amore? quis labor, quæ molestia, quæ difficultas, quod dispendium est amare? Ipse amor sibi grande præmium est, omnibus enim desiderabilib⁹ amor amabilior est: & tamen illi adiungitur remuneratio. Mira res, das amorem, & pro amore paradisum donas: das quia dedisti: das, vt des gratiam pro gratia, donum pro dono. Cum enim merita nostra præmias, quid aliud quam dona tua præmias? Nã meritum nostrum donum quoque tuum est. Quis non admiretur super tanta dignatione tua, veluti sicut famelico fauus mellis, aut suauissimus cibus apponatur, & vt comedat aureus ei condonetur nummus: aut si cui valde sitienti vt desideratum poculum bibat, pretium promittatur. Sic nobiscum agis domine, quando sitientibus amorem tuum, & ipsum gratis præstas, & pro ipso insuper gloriam repromittis. Quomodo adhærei tibi tedes iniquitatis, O magnificentissime Deus, *qui fingis laborem in præcepto.* In præcepto (inquam), suaui & iucundo amoris tui laborem fingis, vt præmiandi habeas occasionem: & non laboriosum remuneras quasi laboriosũ, tãta est auiditas præmiandi. Quomodo ergo tã bonus & liberalis dominus seruis suis iustã mercedẽ denegabit, qui nõ laborantib⁹ quasi laborantibus præmia repromittit. Talis enim domine est amor tuus & tantus, vt pro illo adipiscendo quantũlibet grauia ac dura tormenta libenter sustinenda essent, & tamen non solum gratis das illum, sed etiam paradiso præmias eum. Iam enim quanti æstimandũ est, quod non solum amari à me non dedignaris: verum etiam strictissimè à me hoc exquiris. Quis ego sum domine, aut quæ est substantia mea vt sic à me cupias amari, quod æternos cruciatus, & ignes atroces mihi, si te non dilexero, miniteris? Tantus ne ego sum coram te domine, vt tanti facias à me amari? *Quid est homo domine, quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia sic reputas eum?* Ecce corã te millia millium angelorum in amore tuo flagrantium, & tibi curæ est de vili vermiculo super terram repente, vt te diligat? Gratias tibi ago domine, quia sic reputas me. Sed non pro te, sed pro me amativis à me: quia enim diligis me, ideo diligi vis à me. Nosti enim quia in amore tuo mihi salus omnis & vita est. Ob hoc igitur exquiris amorem, vt præstes vitam. Hæc enim est vita æterna, vt cognoscam te, & cognoscendo diligam te, & quẽ misisti Iesum Christũ. Vt enim nemo à vita excluderetur, vitam in amore posuisti, quoniam cunctis præsto est amare te. Et quam piè, quã misericorditer hoc feceris domine, quis verbis explicare valebit? Si enim in alio quouis opere nostra consisteret salus, excluderentur nonnulli, excusarentur plurimi, quibus tale opus non esset aut possibile, aut facile. Sicut si in eleemosynarũ largitione saluos nos esse voluisses, excluderetur egenus: si in ieiunio, excluderetur ægrot⁹: si in labore, excluderetur debilis: si in doctrina excluderetur idiota: si in contemplatione, excluderetur agricola: si in virginitate, excluderetur vxor: si in paupertate, excluderetur diues, & ita de alijs. Ac

Amoris lex euangelica, quare vocetur noua.

2. *Ioan.* 4.

1. *Cor.* 2. *Psal.* 64.

Amor Dei quid. Ioan. 1.

Simile.

Psalm. 94.

Psal. 143. *Daniel.*

Ioan. 17.

At verò ab amore quis excluditur? aut quis legitime excusatur? Sapientibus, & insipientibus diuitibus ac pauperibus, pueris & senibus, omni statui, omni sexui, omni ætati communis est amor: nullus senex ad amorem, nemo pauper ad amandum. Quis enim amare nescit, aut nequit? vbique, & omni tempore amor omnibus præsto est, siue comedas, siue bibas, siue ambules, siue sedeas, siue labores, siue quiescas, quomodocunque te habeas, & quocunque te vertas, si libet, amare potes, neque te quidpiam ab amore valet impedire; adeò enim amor tuus est, vt subripi non possit inuito. Testes tibi sunt martyres, & exempla quibus vita surripi potuit, amor autem nũquam. Libentissimè enim vitam dederunt, ne darent amorem, quia amor vita prætiosior est. Pijssimus itaque Deus, mundi huius rectissimus moderator, & rector, sic omnes ad vitam condidit, & ita omnium salutem concupiscit, vt ad eam obtinendam nemini viam præcludat. Et ideo licet in his vilibus, abiectis, & floccipendendis bonis, quæ tempore transeunt, impares nos cõstituit & fecit, pro libido donat cuique quod petit, attamen in veris & legitimis bonis, quæ ad salutem & vitam æternam spectant, neminem fecit egenum, sed parem omnibus indidit facultatem, ac libertatem integram, vt ditescat in eis quicunque voluerit, & pro suo arbitrio tam magnus fiat, quantum se ad gratiam disposuerit. Ea enim bona quæ homines in hoc tristi sæculo & extollunt, & magni faciunt, apud Deum pro nihilo reputantur, ac veluti furfures in domo Dei sunt abiecta nimis, & contemptibilia, quæ autem vera sunt bona, cuiusque arbitrio cum ipsius gratia reseruauit. In vtroque pius, in vtroque iustus, vt omne os obstruatur, & *omnis iniquitas oppilet os suum*, neque vllã habeat rationabilem, & iustam aduersus Deũ querimoniã, & quantũuis proterua malitia. Horũ autẽ omniũ bonorũ culmen tenet amor, nihil enim in tota domo Dei amore suo pretiosius, nihil præstantius. Hoc omnibus donorũ Dei maximum est, donũ super omne donũ, quod nõ præstatur nisi amicis, imò donũ ipsum amicitiæ, ego (inquit) *diligentes me diligo*. O pretiosam margaritam, quam qui inuenit homo, vendit omnia, quæ habet, & emit eam. O præstantissimum thesaurum, quem qui possidet, etiam si omnibus careat, diues est. quo qui caret, etsi cætera omnia habeat, pauper est. Verè si *dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihilum despiciet eam*. Beatus namque ille est, quem tu ditaueris domine, & de amore tuo locupletaueris eum. Hic est enim fons proprius, cuius non est particeps alienus, hæc vestis nuptialis, quam qui in nuptijs non habet, mittitur in tenebras exteriores. Hoc operimentum est, quo omnis peccatorum multitudo operitur; hæc sacra vnctio, quæ docet nos de omnibus, hic est ignis, quem dominus venit mittere in terram, & quid vult nisi vt ardeat? *De excelso* (inquit Propheta) *misit ignem in ossibus meis, & eruditit me*. De cœlo mittitur iste ignis, non de nostro promitur. Et idcò ô maxime & optime Iesu, si amari te iubes, da quod iubes & iube quod vis; quia licet iucundum, & valde iucundum sit mihi amare te, sed tamen supra vires, supra facultatem meam, & naturam est amor quẽ præcipis, dilectio quam requiris; supernaturalis namque est, dono tuo non meo arbitrio solo possidenda. Neque tamen ex hoc excusatio mihi vlla est, si non dilexero te tuam enim volenti dilectionem neque denegas, & petentibus ipsam liberaliter præstas. Videre non possum sine luce, & tamẽ in meridie si non videro, oculos habens clausos; culpa mea est, non defectus in sole, cuius clara lux omnia illustrat. Ita est omnino in amore tuo domine. Quis mihi det, vt omissis omnibus, hanc solam inquiram margaritam; hanc totis viribus & omni conatu mihi procurem. O mortales, ò curuæ in terras animæ, & cœlestium inanes, quid perituris his intenditis bonis? & perpetuam hanc speciosissimamque gemmam inspicere negligitis. Quantũ desudant, quos non libenter labores ferunt miseri homines, in acquirenda scientia quæ destruitur? O si ita Dei per-

Psalm. 91. Mat. 22. 1. Petri 4. 1. Ioan. 2. Luc. 1. Thren. 1. Roman. 3. Psal. 106.

qui-

quirerent dilectionē, quæ quāto melior & vtilior sciētia sit, dies vltimus demōstrabit. Quia hic amor nō solū in seipso pretiosus est, sed etiā omniū aliorū pretiū est. Quid scientia, quid eloquentia, quid oratio, quid eleemosyna, quid ieiunium, siue quodlibet aliud opus sine charitate valeat, Apostolum audi: qui fidem transferentem montes, & angelicam linguam, & martyrij agonem, & omnem facultatum elargitionem, sine charitate pro nihilo reputat. Vetula illa quæ duos obolos misit in gazophylatium, plus omnibus misit, quia plus omnibus dilexit. Et Deus noster non respicit quantum, sed ex quanto: affectum ponderat, non censum. Hic est ille siclus sanctuarii, quo omnia pōderantur; ita enim habes in Leuitico, omnis æstimatio siclo sanctuarij ponderabitur, sicut fiebat in illo mystico; ita fit in hoc vero quod præfigurabatur sanctuario; omnia donaria siclo amoris ponderantur. Tantum habiturus es in illo gloriæ & honoris, quantum hinc deuleris gratiæ & amoris, Mēsura plena reddetur tibi, sed tamen hoc siclo ponderata. Caue ne appensus in statera, inueniaris minus habens, & pereas. Hoc igitur nunc maximè cura, hoc præ omnibus in hac mortali vita satage, vt isto siclo non careas, vt hoc dilectionis thesauro abundes, vt hac margarita locupleteris, id est, vt amorem teneas, amorē augeas, amorem in te confirmes. Vacuū enim & otiosum est omne tempus, quod in hoc non expenditur: vacuum & sine fructu est omne opus, quod adhoc non dirigitur. Nunc autem etsi valde conemur, ex parte diligimus, & ex parte desideramus, neque perfectè à nobis impletur, quod præceptum est: *diliges dominū Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni mente tua. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam*; & sensus hominis suo pondere ad ista inferiora deflectit, neque valet totus intendere quo conatur. Spargitur enim animus per multa, & per quasdam occultas rimulas, quas vix comprehendere valemus, à seipso egrediens per diuersa malè vagatur, lustransque omnia in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur, & dū per singula malè diuiditur, vero illi & summo bono non totus adnectitur. Sed venier ecce tempus ò anima, quando omnis iste tui cordis motus cessabit, & omnis ista cogitationū mundatio sedabitur, & filiebunt omnes fluctus tui, & lætaberis quia filuerunt: *tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum.* Mirabitur (inquam) quia contra morem suum fixum non permutabitur. Tunc veluti carbo tota igneris, & amore succensa in Deum tota transformaberis; & adhærens Deo, sicut scriptum est, *cum eo vnus spiritus efficieris*, dicit Dominus, *cuius ignis est in Sion, & caminus in Hierusalem*: hic in Syon ignis fumans, ibi in Hierusalem caminus flagrans. Verè caminus, verè fornax in quo cælestium vasa spirituum, flagrantissimo illo ac potentissimo igne excoquuntur, conflantur, & transformātur in Deum; & ad perpetuum illum & immarcessibilem gloriæ impetum, & voluptatis torrentem degustandum, firmissimo robore solidantur. Quo nos portare dignetur ipse amoris dator & præceptor, & super omnes ardentissimus amator noster Iesus Christus: cui cum patre & Spiritu sancto est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

1. *Cor.* 13.

Luc. 21.

Leuit. 27.

Luc. 6.

Daniel. 5.

1. *Cor.* 13.

Præceptū dilectionis imperfectè impletur in hac vita.

Sapient. 9.

Eccl. 1. & *Psalm.* 11.

Isai. 60.

1. *Cor.* 6.

Isai 31.

Psalm 35.

CONCIO SECVNDA de eodem themate.

Diliges dominum Deum tuum ex tota corde tuo, & tota anima tua, & ex tota mente tua. Matthæi 22.

DE amore Dei tria dicenda sunt, scilicet quare diligendus est, Deus, & quomodo diligendus est, & quomodo amorem eius obtinere poterimus. Ratio & modus diligendi tanguntur in the mate, cum dicitur: *diliges dominum Deum tuum*, &c. tertium propter eius vtilitatē adiecimus. Satis compertum esse omnibus, non modo fidelibus, sed etiam barbaris & infidelibus, non ambigo, quare diligendus sit Deus, ita vt admonitore nemo indigeat in hac parte. Cōuincunt enim quemlibet etiam durissimum, ad amorem eius, tum numerosa

Amoris Diuini laudes.

&quotidiana multitudo suorũ beneficiorum, quæ suo põdere omnes mortales obruit, & prouocat ad amorẽ: tũ omniũ creaturarũ clamor cõtinuus, qui omni rationali auditui maiestatẽ, pulchritudinẽ magnitudinemq; eius, apertis vocibus ingerit, & ostentat. Siquidẽ *cæli narrant gloriã Dei, & opera manuũ eius annunciat firmamentũ: & non sunt loquelæ, neque sermones, quorũ non audiantur voces eorũ: ita vt sit inexcusabilis omnis homo.* Veruntamẽ quia apud homines, humanus sermo efficacior est & potẽtior ad mouendum (habet enim nescio quid latẽtis energiæ viua vox) ideo hominibus homo, eundẽ amorem quem omnia prædicant, modo quo potero repręsẽtabo: primò breuiter perstringens rationes, propter quas diligẽdus est Deus; quæ tangũtur in prima parte thematis cum dicitur *diliges dominum Deum tuum.* Diliges (inquam) quia Deus; diliges, quia dominꝰ; diliges, quia tuus. Itaq; ipsũ diliges propter se, diliges propter sua, diliges propter te. Vnde iquaq; se nobis diligibilẽ prẽstat Deus, & quia bonꝰ, & quia delectabilis, & quia vtilis; vt dũ ex omni parte diligibilis est, nullꝰ ab eo effugere possit affectꝰ. Si studiosus es, dilige quia bonꝰ; si delicioſus, dilige quia dulcis; si cupidꝰ, dilige quia vtilis. Nõ est ꝙ homo, qua fugere possis ab eiꝰ amore. Primo igitur dilige quia Deus est, id est propter seipsũ. & propterid ꝙ est, quia sũmũ bonũ, in quo omne bonũ, & à quo omne bonum, quare & omni amore dignissimus. Quanta in eo maiestas, quanta bonitas, quãta gloria, quãta potentia, quanta sapiẽtia, quanta plenitudo, quãta suauitas, quãta voluptas, quanta lux, quãta perfectio, quanta denique omniũ bonorũ, & omniũ desiderabiliũ plenitudo? Dilata sinus tuos ò anima, expande affectus tuos, & extende ficut pellẽ desiderium tuũ: & (vt ait propheta) *dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, longè fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida* quia superat omnem capacitatem tuam, & omne desiderium tuũ maiestas illa, bonitas illa, fœlicitas illa. Quia enim ad illud summũ bonum noster omnis affectus, nisi gutta adjocẽanum: Exuperat nãmq; omnem sensum, atq; omne desiderũ vincit, infinitus ille & gloriæ, & decoris oceanus, abyssus illa profundissima luminis & claritatis; quæ neq; desiderio comprehenditur, sed ipsa magis desiderũ ambit, & cõprehendit. Cuius figura fuit corona illa, quæ propiatoriũ ex omni parte ambiebat in sancta sanctorum. Solus itaq; dignus amari propter se Deus; propter quẽ, & ad quem omnis amor impellit se habentẽ. Est n. centrum quoddam amoris Deus, in quo dirigit omnẽ creaturam põdus amoris. Soli igitur Deo per se cõpetit amor, sicut honor. Si quid n. diligitur quod nõ propter ipsũ diligitur, vanè diligitur. Vnde neq; angelus digne propter se, quasi finis debet amari. Tã diligibilis est, vt ab omnibus suo modo etiã insensibilibus diligatur. Quid n. sunt naturalium rerũ inclinationes, nisi amores quidam, quibus feruntur in Deũ, sed propter earũ imperfectionem, non attingunt quò tendunt, id est, bonũ ipsum increatũ, sed in bono creato, ab ipso participato persistunt? Quid n. est grauitas in lapide, nisi amor centri? quid leuitas in igne, nisi amor sphæræ. Bonũ est ꝙ omnia appetunt, & nihil sine amore est. Et ipse naturalis appetitus boni in rebus, aliqualiter amor Dei dicendus est, sed quia ad incõmutabile bonũ natura insensibilis nõ pertingit, in bono participato quiescit. At verò creaturæ intellectuales, & rationales, id est, Angelus & homo, hac dignitate præfulgẽt, vt ad ipsum summũ bonum quod appetunt pertingant, eiusq; sint capaces. Amor igitur pondus est animæ, teste Diuo Augusto. Amor (inquit) meus pondus meum; illo feror quocunque feror. Sicut n pondus defert lapidem in cẽtrum, ita quoq; amor defert animam in centrum suũ, ꝙ Deus est, qui ita proprius est animę locus, quẽadmodum centrum locus est lapidis. Imitare igitur ò anima naturã, imitare vel saltẽ lapidem insensibilem. Nõnevides quãto impetu lapis properat in centrũ, & locum suum? Quantũpotest quidẽ conatur ad descensum, & si quid

Psal. 18.

Rom. 2.

Quare legendus Deus.

Isai. 54.

Exod. 25.

forte

forte interponitur tota sua potẽtia id repellit, neiter suũ impediatur, & tandẽ pertingat quo vadit. decisa rupes à loco suo, & cadens ex alto, horribile visu quo impetu cadit. quo fragore labitur ad ima; qua celeritate properat ad expedientem sibi locum, & aptum; & quicquid illi è regione obicitur, subruit, & cõminuit, vt progrediatur, & demũ perueniat quo tendit. Talem te Deo tuo exhibe ò anima mea: erubesce cum vel ab ipso insensibili lapide superatam te videris, maioríque impetu illum in cẽtrum suum ferri, quam tu properes in tuum. Subrue ergo quicquid obstat, dirũpe & trãsi, sicut *Psalm. 19.* scriptum est *In Deo meo transgrediar murum.* Nam si leui vento elationis, vel leui obstaculo alicuius cupiditatis detineris, agnoscas oportet quam sit exigui ponderis, & quam similis leuib⁹ paleis, quas ventus, quia modicum pondus habent, detinet à descensu, cadentibus autem rupib⁹ quid obstabit? Ita & virtutis animos neq; totus mundus impedire valet à Deo. Vide rupẽ Apostolicam ingẽtem, in Deũ cum impetu properãtẽ, & cui nihil obsistere valet. *Quis nos* (inquit) *separabit à charitate Dei? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Certus sum quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro.* O pondus eximium, & admirabile animæ tam sanctæ, ò potentissimã rupem, mole sua omnia subruentem, & per angustias, & labores plurimos, per famem, per sitim, per gladios, per infamiam & terribilia quæque, celeritate incredibili in centrum suum properãtem: cuius volũtas iam quodammodo versa erat in naturam: siquidem lapis naturali impetu fertur in centrũ, anima autẽ nostra volũtario, & libero impetu fertur in Deũ Hanc ergo tibi præstitã facultatẽ, ò anima mea, renũtia, & libertatem vertito in naturam: vt tota tua potentia, toto conatu tuo properes vt natura quo tẽdis Hoc est enim quod tibi intimatur in themate, cũ dicitur: *diliges dominũ Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni mente tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex tota fortitudine tua,* id est secũdum vltimum potẽtiæ tuæ, vt natura. Quòd enim cẽtrum tuum Deus sit, & ad ipsũ te deferat vis amoris, si aperire oculos velis, conspicuũ est, & in aperto. Nec enim tibi extra Deum quies est, sicut neque lapidi extra cẽtrũ: cum vero ad ipsũ peruenerit, tũnc quiescet sicut scriptum est in Psal 44 *In pace in idipsum dormiã & requiescã. Fecisti enim nos domine ad te, & inquietũ est cor nostrũ donec perueniat ad te.* Et si experiẽtiã cõsulas experimẽto discès, & videbis, & in nullo alio amor tuus quiescere potest: quia omnia à se te expellunt, & mittunt in cẽtrum tuũ. Nõne experiris, & si quid aliud ptopter se diligis, in amore illo inquietudo sit maxima & amaritudo? O quã acerba & amara est omnis creatura, si propter se diligitur? quomodo si de hoc consulãtur stoici amãtes, quot nobis tragœdias ingerẽt, & narrabunt? Omnis creatura, ò anima mea, te pellit à se cum ignominia, & colaphizat, vt ab ea recedẽs, Deo tuo adhærere coneris. Quasi tibi exprobrãdo diceret. Quid mihi adhæres miserrima? nõ sum ego bonum tuum quod requiris, & quod affectare deberes. Vade quo tẽdis, neq; verã desere viam. Tu tamẽ nimium cæca & stulta, reluctantẽ amplexaris, & pellentẽ te, & cum conuitio, demulces: inuitã retines, fugientiq; adhæres, & quæ tibi data est in obsequiũ, etiã nolẽtẽ prouehis ad dominium, tãta est vesania tua. Sed nõ hic diu tibi durat amplex⁹, statim enim in amaritudinẽ vertitur, illico tristitiã, & quã tãto labore quæsieras, tãto amplexabaris ardore, post tẽpus modicum abiicis, dedignaris, contemnis, & ad alia tibi de nouo quærenda festinas. atque ita misera, dum nulla tibi sufficit creatura, in circuitu per singulas cum multo labore vagaris. Sicut scriptum est in Psalm. 139. *Caput* scilicet malorum, *circuitus eorum.* Et iterum in Psalm. 11. *In circuitu impii ambulant.* Vnde liquido constat, quòd sicut bonum hominis Deus est, ita in ipsum omnis vis amoris

S. August. Amor humanus nisi in Deo non quiescit.

naturaliter hominem inclinat, sicut in primum & proprium obiectum: quanquam ad alia (quod indignum est) inordinatè per voluntatem propriam eius inclinatio deflectatur. Sicut enim natura in vnum tendit, ita & voluntas omnis, licet propter arbitrium, plurium sit capax, & quo voluerit pro libito diuertere possit, quia nō est in volūtate necessitas ad bonū suū, vt in natura, quę vtinā esset, vtinam iam necessario tibi vinculo vniremur Deus noster, sicut post aliquā. do miserante te colligabimur. Vide nūc in hominibus miraculum grande, & malum miraculum ego video. An non miraculum putares si rupes ingentes in aere suspensas, nullo detinēte, pendere videres. Quis eas aspiciens non illico stuperet: O Deus meus, & quomodo fieri potest, vt ad te non properet omnis anima propter te creata, sed leui vento suspensa, tanto bono priuetur, & rideat? Quomodo (inquam) possibile est, vt aliqua creatura capax tui sit, & ad te non properet quantum potest. O centrum infinitum, infinite bonum, ac proindè infinitè attractiuum. Quid tanto bono capacem creaturam in illud ipsum ruentem potest retardare? O grande pondus peccati, quod ceruicibus animarum superpositum, residare eas facit in imo, ne properēt ad sphæram suam, ad quam sunt creatæ. Videtur planè miraculum videre suspensas animas, sicut & videre rupes pendentes, tam exiguo vento à suo centro detineri: & quod peius & flebilius est, non sentire. Quis enim tolerare ret si sentiret? Quis (inquam) vitam suam patienter & æquo animo sustineret, si quanto bono priuatur, distinctè cognosceret? O carnis meæ ingratissimum velum, quanta lætitia me priuas? quid me detinet, quod meis temanibus non dirumpo, vt Deum meum videam, & ipso fruar; & in ipso requiescam? O quanto gaudio, & quanta fœlicitate careo propter te: & ista cognoscens, te tolero & rideo, nec diebus ac noctibus super tāto exilio (vt par erat) d fleo & ingemisco, & in lachrymas totus d ssoluor. Vnde hæc tā iniqua patiētia? Nēpe quia velamen interpositum est, & interiecta carnis nubecula, Solis claritas oculis animæ non coruscat. Tolle velamen, & videbis quo impetu feratur anima in cētrū suū. Attende beatorum animas soluto iā velamine liberas, quo impetu ferātur in Deum? quis eas poterit impedire? Quis à loco suo separare valebit? Ibi plena & perfecta quies, ibi omnium motuum animę & desideriorū plena & integra saturitas. Ps. 47. Verè magnus dominus & laudabilis valde, verū etiā & amabilis valde, neq; minus amabilis quàm laudabilis: sed in ciuitate Dei nostri, in mōte sancto eius, ibi flagrat vis amoris, vbi non obstat interpositio velaminis. Sed & nunc quo velamen hoc tenuius est ac transparētius, eo anima celerius mouetur in Deum, & magis in ea impetus viget amoris. Quorundam autem velamē carnis crassissimum, & nimia rerum opulentia impinguatum; quorum motus in Deum, aut nullus, aut lentus: quorundam vero ita vigiliis, abstinentijs, aliisque laboribus velamē carnis attenuatum & attritū est, vt propter eius transparentiam lux illa beata iam oculis animæ aliqualiter trāsfulgeat; quemadmodū Apostolus ait 1. Corin. cap. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate; vnde & ad ipsum in odorem vnguentorum suorum currūt.* Quòd si quandoque contingat per rimulas quasdam, & velaminis rupturas, radios illos diuini luminis oculos animæ vel ad modicum fulgurare, tunc tota liquescit prę amore, & rapido impetu fertur in ipsum non iam odore, sed decore eius attracta. Sed heu, quam parum radiatio ista dura. bilis est; nam sicut fulgur ita anima percurrit & pertransit. *Siquidem in manibus abscondit lucem* (vt ait Iob cap. 36.) *præcipit ei vt rursus adueniat. Annunciat de ea amico suo, & quod possessio eius sit, & ad eam possit ascendere.* sed statim eam velut inter manus abscondit, q̄ per digitorū rimulas ad modicū fulgurabat. Si n. fulgurare voluerit lumine suo desuper ad plenum, cardines etiam cœli i. spiritus cœlestes suo splendore magis operiet quàm illustrabit; nimio enim obruerentur lumine: nā quis integram maiestatem diuinam, susci-p-

Simile.

Anima quæ quiescit extra Deum pènè prodigium est.

Cantic. 1.

Cantic. 5.

2. Cor. 3.

seipsam non attemperauerit, ferre valebit: Patet igitur ex dictis, quàm naturaliter & sponte anima in Deum inclinetur per amorem. Vnde si per peccatum infecta non fuisset natura, & rationis ac fidei lumen obscuratum, nulla vnquam tali homo expressione indigeret præcepti, quod tam impressum habebat in corde: neque enim modo scripto datum est præceptum, vt quisquam seipsum diligat, cum tamen teneamur nos ipsos ex charitate diligere: nam quod in natura insertum est tam tenaciter, non indiget admonitione doctrinæ: naturalius autem & propensius diligit homo Deum, quam seipsum, quare igitur dilectio Dei cum sit naturalior expresse præcipitur, & non sui? Vtique peccatum in causa est, quando oculos animæ à Deo diuertit, & in seipsum fixit: totumque amoris torrentem, qui in Deum impetuose fluebat, in seipso stagnauit. Non ergo tali opus fuisset expressione præcepti, si natura in ea puritate mansisset, in qua condita est, & ea polleret gratia & iustitia qua pollebat in principio. Vnde non legitur homini à prima conditione conditor ipse tale aliquid verbo aut scripto tradidisse, quia videlicet in idipsum præceptiuolatu ferebatur naturæ integritate, & iustitiæ perfectione, quasi duabus alis adiutus: nec aliis calcaribus indigebat, cui lex amoris intime & maxime à conditore esset & inserta & infusa. Nunc autem huius amoris & charitatis ita obliti sumus, ita à naturali nostra proprietate alienati, & à gratia alieni, vt neque præceptis, neque promissionibus, neque cõminationibus, neque quotidianis, & immensis beneficiis, ad amorem Dei inducitrahique possimus: sed veluti talentũ plumbi, quod per violentiam sursum detinetur, si dimittitur statim ad ima descendit, ita anima nostra si ad modicum ad diuina per violentiam rapitur, statim suo pondere ad terrena & transitoria ista prolabitur, & per creaturas tota dispergitur. Dic ergo mihi anima mea, respondemisera, & edissere mihi, quidnã causæ sit, quòd tã libẽter per creaturas fotis vagaris sitibũda, guttulas quasdã, & turbidas ab eis mẽdicãs, quæ sitim magis prouocãt quã sedãt, & limpidissimũ illũ fõtẽ perẽnẽ omniũ bonorum relinquis, in quo solo omnẽ sitin tuã satiare posses ad plenũ? Dic (inquã) ò misera, quid desiderare potes, quod nõ plene reperiatur in Deo? Si te delectat sapiẽtia, sapientissimus est, si pulchritudo, speciosissimus est; si potentia & fortitudo, potentissimus est ac robustissimus, si gloria, si diuitiæ, *gloria & diuitiæ in domo eius*; si voluptas & delectatio *delectationes in dextera eius* vsque in finem: si saturitas & abundantia, inebriantur ab vbertate domus eius qui possident eum. Omnium ergo bonorũ, perennem abyssum misera scienter relinquis, & creaturarum riuulos anxia insectaris? sponte oblatum fontem cõtemnis, & cum ingenti labore turbidos tibi puteos fodis? O admirandam stultitiam, stupendamque nimium cæcitatem; & ideo super hoc indignans Dominus, per prophetam clamat: *Stupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer; duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Vere cisterna dissipata, gloria mundi; cisterna dissipata, voluptas carnis; cisterna dissipata, omnis honor & dignitas secularis; cisterna est dissipata, & perforata, omnis diuitiarum iucunda possessio. *Continere non valent aquas*; & si mihi fidem non adhibes, putasque me tibi illudere, experientiam consule. Quanto ardore quæsisti dignitatem aliquam, quos pertulisti labores pro illa obtinenda? obtinuisti tandem, & obtentam post triduum fastidis, quia cisterna dissipata est, & continere aquas non valet. Ad modicum sitim tuam refrigerabit, cum optata potitus fueris voluptate, sed dissipata cisterna aquas illas voluptatis retinere non valuit: fluxerunt ipsæ, & tu iuxta cisternam sitibundus manes. Discurre per omnia, & ita verum esse in singulis reperies. Et tamen licet sic se res habeat, quo labore istæ cisternæ fodiantur & fabricentur, testes sunt mercatores, testes milites, testes mundanæ curiæ sectatores, qui fabricandis

Amor creaturarum post habito Deo reprehenditur.

Psalm. 111.

Psalm. 15.

Psam. 35.

Hieremias.

Peccatũ retardat animã à diuino amore.

Similes. Anima humana ad terrena delabitur.

cundis fodendisque huiusmodi cisternis die noctuque indefinenter desudant,
Cant. 4. quibus fons ipse limpidissimus aquarũ viuentium gratis effluens in plateis pro nihilo habetur? Ipse est enim qui omnibus in plateis clamitat, *omnes sitientes*
Isa 8. *venite ad aquas, venite emite absque argento,*
Misai. 55. *& absque omni commutatione vinum & lac* Quare appenditis argentum, & non in panibus; & laborem vestrum, & non in saturitate? Gratis se offert, neque tamen ad illum properatur. Hoc est super quo ad angelos, & ad sanctos suos con-
Hie. 3. queritur, dicens. *Stupescite cœli,* id est ò angeli beati, stupescite & admiramini super hoc. Vos qui beati estis & totius mœroris expertes, vos autem portæ eius, id est sancti mei, qui adhuc in carne militatis, per quos multi, vt per ianuas, intrãt cœlum, vos (nequam) *desolamini vehementer,* & vsque ad mortem contristamini, super tam horrenda, & execranda cæcitate populi vestri. Dimitte igitur ò anima mea, dimitte obsecro cisternas has dissipatas, quas tibi tãto labore perfodisti, & ad ipsum fontẽ aquæ viuæ properanter accurre. Ibi tuam sitim penitus extingues: ibi delitijs plenè, & affatim, ac pro voto cumulatissimè satiaberis. Tolle hoc bonũ, & tolle illud bonum; & vide ipsum bonum si potes Noli hoc vel illud bonũ, id est finitum, & limitatũ diligere, sed dilige infinitũ, & illimitatum bonum: non hanc vel illã dulcedinẽ, sed ipsam per se subsistentem dulcedinẽ: non hanc vel illam pulchritudinem; non hoc vel illud bonum, sed ipsam per se subsistentem bonitatem. Si ergo quæris delectationem vel dulcedinem, nõ eam quæras in pomo, non in fano, non in pane, non in carnibus, non in cibo aliquo, vel in aliqua particulari natura: sed quære ipsammet delectationem, ipsam dulcedinem per se subsistentem, quæ nullius est dulcedo, sed tantum est dulcedo, & tota dulcedo Similiter si quæris pulchritudinẽ, non eam quæras in sole, non in stellis, nõ in homine, non in equo, nõ in veste, nõ in auro, sed ipsãmet per se subsistentẽ pulchritudinẽ; quæ non huius vel illi⁹ est pulchritudo, sed pura pulchritudo, nulli admixta naturæ, cuius totũ esse est esse pulchritudinem Et hoc sic de aliis quibuscunq; bonis iudicare debemus. Hanc autem dulcedinem, bonitatem, pulchritudinem meram, & per se subsistẽtem, quia ad nullius esse contrahitur, necesse est esse infinitam & illimitatam; hæc est Deus tuus ò anima mea, quæ nõ est hoc vel illud bonum, sed omne bonũ, & ipsa per se subsistens bonitas. O quomodo saturabit ipsa saturitas? quis verbis dicere poterit, centum sibi licet ora, totidemque linguæ adessent, quam dulcis sit ipsa dulcedo, quam delectabilis sit delectatio ipsa? O quomodo lætificabit nos ipsa lætitia? quomodo denique omni bono replebit ipsa bonitatis plenitudo? Si fauus dulcis est, propter dulcedinem quæ in ipso est, quanto magis dulcis erit ipsa dulcedo? si sapit panis propter saporem sibi immixtum, quanto magis sapiet ipse sapor? si delectat aurum propter pulchritudinem quam in ipso artifex elaborauit, quanto amplius delectabit ipsamet pulchritudo! Tolle igitur ò anima, tolle hoc bonum, & illud bonum; id est ipsa bonitatis substantia subsistens à qua, bonum est quicquid est bonum: Hãc electis & amicis suis repromittit & præstat Deus, non tam aliquo bono quã ipsam & bonitate. Sicuidem amico suo Moysi, dũ sui laboris ostendi sibi præmium postularet, *Exo. 33.* dicens: *domine ostende mihi faciem tuam*, à Deo illi responsum est; *ego ostendam tibi omne bonum*, hoc operis tui stipendium, hoc præmium erit. Non ergo similiter existimes Deũ bonum, sapientem, potentẽ, pulchrum, vt hominem, vel solem, vel angelum: homo enim & angelus, ex accidenti boni sunt: Deus autem essentialiter & substantialiter bonus est: non, ex adiũcto: cui suũ esse est bonũ esse, quia non adiũgitur deitati bonitas, vel pulchritudo, vt bonus vel pulcher sit Deus: neq; contrahitur ad naturam Dei bonitas, sed Deus ipse est ipsamet illimitata, & infinita bonitas, & pulchritudo, & sapientia, & potentia: & ita in alijs, quæ omnia de Deo dicuntur denominatiuè, vt in creaturis, sed essentialiter. Neque tamen

Deus saturitas humana.

Mat. 10.

men idcirco me tibi ideas Platonicas confingere existimes, & quod de bonitate, sapientia, & pulchritudine dictum est, ne ad alias naturas consimiliter extendas caue: vt pari forma velis dicere, Deum celeritatem, vel albedinem, vel caliditatem ipsam, & ita de alijs, sicut dicitur magnitudo, fortitudo, potentia, sapientia. Hæc enim nominant perfectiones simpliciter primas in Deo reperibiles primo, & consequenter in creaturis: alia verò non ita, neque enim Deus albus est, aut coloratus, sicut sapiens, vel potens. Sed quorsum ista? aut quid hæc intendit oratio? Quid ventilamus verba, quorum non populus capax? Amare proposueramus, non disputare: diligere, non intelligere: quare ad prima redeundum est: nec sine lachrymis considerantes, quod Deus ipse maximus & optimus, rerum omnium creator & conditor, plenus delitijs & diuitijs, inter ipsas creaturas quas condidit, ambulet quærens amatorem, & non inueniens: det plurima, promittat plura vt ametur, & nemo illum vel
Psal. 16. aspicere dignetur: siquidem *statuerunt oculos suos declinare in terram*. Attende eum in canticis suam creaturam deprecantem, & ad amicitiam prouocantem.
Cant. 5. *aperi mihi* (inquit) *soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea*, & si non vis propter me, aperi mihi saltem propter te, quia caput meum plenum est rore: diuinitas mea plena est omni suauitate, & dulcedine. Aperi ergo mihi,
Apo 3. & *cœnabo tecum*, absque vllo grauamine tuo: ego namque de meo omnem faciam sumptum & dulcissimũ tibi obsonium ponam. Et illa ex lecto
Cant. 5. nimium indignabunda. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* O ingrata, ò misera & cæca, sic respondes dilecto tuo, Deo tuo? ita ne contemnis creatorem & amatorẽ tuum? Aperi misera, aperi, non
ibid. enim inquinaberis, sed lauaberis; non laborabis, sed quiesces: non inquietaberis, sed lætaberis. Nec permisit eam pijssimus adamator eius in sua duritia permanere: misit namque manum suam per foramen, & quæ vocem prius despexerat, eius venter intremuit ad tactum illius, victaque & superata à fortitudine contactus illius, surrexit anxia vt aperiret dilecto: at ille declinauerat, atque transierat; iustè quidem, cum tam propterue & indigne fuerit ab ipsa despectus. Discurrit igitur, misera per vicos & plateas, clamans & eiulans, adiurans & coniurans filias Hierusalem, vt si inuenerint dilectum, annuncient ei amorẽ suum. Quærit, & non inuenit: pulsat, nemo aperit: vocat, & non est
Cant. 2. qui respondeat ei. Vnde lachrymis perfusa tota liquescit, & amore languet, iustam in se recipiens tenacitatis suæ vindictam, vt quæ despexit quærentem, nunc & ipsa quærens despiciatur: & quæ neglexit, negligetur. Ita domine, ita facis: tãgis, vt agnoscaris; fugis, vt inquiraris: vocas & lates: prouocas, & abis: incitas, & recedis; nonminus pius quando recedis, quam quando audemus. Nonne hoc experientia multoties aduenire videmus, cum aliquem multo tempore inspirationibus, muneribus, punctionibus, tribulationibus, & ægritudinibus insequeris, vt ad amorem tuum excitetur, & mundum despiciens, te solum quærat? Qui tandem à te coniunctus mundum deserit, & totus te sequitur, mandatorum tuorum viam non derelinqueus. Et tunc quando magis quæreris, & audentioribus votis desideraris, abscondis te ab eo, & ardenter amantem te deseris, nec clamantem post te diutius audire dignaris. Sed noli desistere quicunque es, noli cessare, noli deficere: circui ciuitatem, adiura filias Hierusalem, solicita ciues, percontrare custodes: illi tibi placidi occurrent, illi te vulnerabunt, illi te stimulabũt,
Psal. 118. illi te vt celeriter curras, pallio tuo veteri spoliabunt: & paululum cum pertransieris eos, proculdubio reperies quem diligit anima tua. Pertransit i ur eos, nec sistas: non enim tibi adiumento erunt, imò magis impedimento si persistas in eis, donec tibi occurrat dilectus, & ad suos te dulcissimos suscipiat amplexus. Tunc gaudebis, tunc delectaberis, tunc de præterito labore gloriaberis, tunc totam mœstitiam tuam depones, & desiderato dudum bono

Anima quomodo debeat Deũ quærere.

tuo,

tuo, sponso tuo perfruens in gloria. Ad quam nos perducat ipse dilectus, & amicus, & dominus noster Iesus Christus filius Dei: cui cum patre, & spiritu sancto, est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CONCIO TERTIA
de eodem themate.

Diliges dominum Deum tuum.
Matthæi. 22.

SAtis præcedenti concione discussimus, quod nunquam est satis: quomodo scilicet propter seipsum diligendus est Deus, & quanta in eo ratio dilectionis, quantumque ad hoc propensa sit à principio nostra natura. Hic amor castus est, & verus, & omnium amorū maximus: quo nūque enim alio respectu diligatur Deus minus diligitur, siue propter exhibitum beneficium, siue propter præmium exhibendum. Imo cum solum propter præmium diligitur, non aliter diligendus, non tam ipse, quam præmium diligitur: huiusmodi enim amore mercenario cum sine charitate est, non delectatur Deus: sed neque quispiam hominum sic amari dignatur, neque gratus aut amicus habetur qui tantum sic diligit. Nō est amicus talis, sed cupidus, qui sub simulatæ specie amicitiæ habere bona cupit amici. Imperfectus est hic amor, si non ascendit superius: nec verè est amor, sed cupiditas hanc habens vtilitatem, quòd sicut per occasionem Deo seruire nos facit, & bonis operibus assuescere vnde facilior patet ascēsus accedente Dei gratia ad perfectum illum amorem, de quo S. Bernard. ait, *amor affectus est non contractus: præmium habet, sed non quærit.* Imo maximè ille amor dignus est præmio qui præmium non quærit, primam namque amoris, id est quod amatur, & satis ipse sibi amor est præmium. Seipso verus amor contētus est, non quærit aliquid extra se, à seipso incipit, & in seipsū desinit, velut animæ circul⁹ quidā. Amo quia amo, amo vt amē, vt nō aliam quærens causam, nullum alium finem exquirens. Principium & finis amoris amor est: in seipsum namque reflectitur amor: si quid aliud respicit extra se, degenerat à se, & a ratione deficit ingenui amoris. Sed nō ita penitus est hic affectus, vt ad eū statim pertingere possimus, sed gradatim ad ipsum conscendimus. Et quidem vt supra diximus, si læsa non esset nostra natura, ab ipso noster amor sumpsisset initium; sed quia peccato infecta spirituale lumen amisit, aliud amandi sūpsit exordiū. Veluti cū fons limpidissimus in sua origine affluenter scaturiēs, iniectis salebris, & terra obturatus, alium sibi quærit meatum; & qui in sua naturali origine clarus scaturiebat, in fecta origine & corrupta, turbidus defluit; ita omnino est in amoris fōte, aliam sibi fecit originem, sed turbidam, fœtidam, & paluſtrem. A nobis enim incipimus amare, qui à Deo debuimus, & id quidem naturalius erat, sed deprauata natura, amoris origo mutata est, vt qui Deum primo & per se, & omnia propter ipsum, & ad ipsum diligere debebamus, nunc à nobis incipientes, nos ipsos præ aliis, omnia propter nos diligamus. Inde iam in Deum proficimus, diligendo ipsum, non tam propter se, quam propter nos; quoniam sine ipso neque esse, neque feliciter esse, nos posse cognoscimus. Vnde quotidiana necessitas nos vrget illum quærere adiutorē, interpellare fautorem, & ad vitæ necessaria poscere largitorem. Quia ergo hoc quod diligimus, id est nos ipsos, absque eo possidere non possumus, cōsequēter illū propter nos, veluti necessitate coacti diligimus. Sed dū assidui illū propter necessaria frequētam⁹, eius in nos beneuolētiā experimur, & etiā largitatē, beniguitatē, suauitatē, bonitatēq; illi⁹ cognoscim⁹. Quo fit, vt iā in seipso placere incipiat bonitas ei⁹, qui anteavt nobis vtilis solūmodo quærebatur. Hic tertius amoris gradus est: nā prim⁹ est quo nos, secūd⁹ quo Deum diligim⁹ propter nos. Ad quartū verò dilectionis gradū, quo iā & nos & omnia propter ipsū solum amamus, quis pertinget? Felix qui tantam amoris promeruit celsitudinem vt oblitus sui, & omnium, & à seipso penitus alie

Amor mercenarius qualis

Principiū & finis amor est.

Amoris gradus.

alienatus, in Deum totus absorbeatur: non est præsentis vitæ tanta felicitas, sed futuræ. Quòd si quandoque ad hunc gradum raptim attingimus, modicum eo subsistim⁹. *Corpus* namque, *quod corrumpitur aggrauat animam*, voluntatemque per culmina suo pondere ad ima deflectit, & ingerit se etiam nolenti importuna caro, mille clamoribus perstrepens & obtundens eam, quæ ad modicum concessa fuerat cordis tranquillitatem. Ad hunc gratum petigerat qui dicebat. *Quoniam inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt, & ego ad nihilum redactus sum, & nesciui.* Exarsit in amore tuo cor meum domine, & flamma hæc omnem in me concupiscentiæ ignem extinxit: nullam enim aliam secum ardere patitur ista flamma. Vnde & renes mei commutati sunt, videlicet in pudicitiam multam, ex concupiscentia multa, alienum in me ardorē igne de cælo penitus deuorante: & meipsum penitus absorbuit, & ad nihilum redegit potentissima vis amoris. Impletum est in me, quod olim per prophetā salubriter cōminando prædixeras: *Ego conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purū scoriam tuam, & auferam omne stannum tuū.* Quicquid enim meum in me erat, consumptū est, & ego ad nihilum redactus sum, vt viuam *ego iam non ego, viuat vero in me Christus.* Et nesciui, nesciui (inquā) absconditum tanti sacramenti arcanū, nesciebam verè tantæ permutationis mysterium, quoniam absumi me oporteret vt verè sim, totumque in Deum deficere: sicut scriptum est: *defetit cor meum, & caro mea Deus cordis mei.* Et rursus. *Defecit in salutare tuum anima mea.* Bonus defectus cum anima in Deum deficit, & à seipsa in Deum transit, & adhærens Deo vnus spiritus est cum eo. Satis autem procliuè, naturæque consentaneum erat, vt omnia propter ipsum amarentur, propter quem cōdita sunt; rectusque hic amor habendus, qui ita naturæ cōsonus esset: etsi mēs non læua fuisset, hic grad⁹ vltimus amoris fuisset primus, vt dictū est. Sed iam ad cæteras diligendi Deum rationes, quas in principio alterius cōcionis prænotauimus, accedamus. Non solum enim diligendus est Deus à nobis, quia Deus, id est propter se amore absoluto, sed etiā quia dominus: id est propter curam quam habet nostri, in cunctis affluentissimè prouidendo. Est enim hæc secunda ratio diligendi non minima, quia scilicet illi ex beneficio debetur amor. Diligamus Deum quia bonus est, diligamus etiam quia debitum est. Et quantum debium, & quomodo debitum? *Quid retribuam tibi domine, quid retribuam pro omnibus quæ dedisti mihi.* Dedisti mihi, dedisti omnia tua mihi, & insuper ad huc *magnificasti facere nobiscum*, vt dares etiam teipsum mihi, sicut Apostolus inquit. *Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Tam caro pretio redemisti me, de supplicio reuocasti me, de seruitio retraxisti me: pudeat pudeat, non redamare te pro tanto amore tuo, pro tam ingenti beneficio tuo. Horum omnium debitor sum: quid tibi retribuam creatori meo, gubernatori meo, redēptori meo, iudici meo, remuneratori meo? Hos enim quinque habeo ingentissimos, & arctissimos creditores, cui primo persoluam ignoro. Creatori vitam debeo, quam ab illo gratis accepi: redemptori quoq; eamdē debeo vitam, quia ipse pro me suam posuit in patibulo: gubernatori etiam meo, *qui me pascit à iuuentute mea*, & gratis me tot delicijs sustentat, eandem me vitam debere cōfiteor, quam eius beneficio possideo: sed & iudici meo, toto tē pore vitę meę satisfacere nequeo: & totū istud viuere meum, quid est ad futuram gloriam, innumeris licet laboribus cōspersum sit, quā mihi parauit in præmiū magnificus præmiator meus? Nunquid etsi dum vixero obsequentissimum me ei præbeam, & omnia terribilia p amore eius sustineam adæquabitur opus mercedi? His omnibus totum meipsum debeo, & cui me primo præstem ignoro. Decem millium talētorum, iuxta parabolam euāgelicam debitor sum, egenus & pauper, & quotidie in auribus meis personat vox illa terribilis, *redde quod debes.* Quid faciam miser? nam si ad ratio-

Sap. 9.
Psal. 72.
Psal. 115.
Psal. 125.
Isa. 1.
Gal. 2.
Psal. 72.
Psal. 118.
1. Cor. 6.
Gal. 2.
Psal. 70.
Rom. 8.
Mat. 18.
Psal. 87.
Mat. 18.

nem accesserò, etiam cum te mea vēditus, neque vnum pro mille satisfacere valebo. Occurrit huic tam anxiæ solicitudini propheta Michæas dicens. *Quid dignum offeram domino? nunquid offeram ei holocaustomata, & vitulos anniculos: nunquid placari potest dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* Non inquam, non, sed quid? indicabo tibi ò homo quid sit bonum, & quid dominus requirat à te, Vtique *facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo.* In quo solicitum: Vtiq; solicitum ne offendas eum: solicitum, illius perquirere voluntatem: solicitū, vt illi in omnib⁹, & per omnia placeas. Hęc solicitudo amantis est, non timentis diligentis Deum, non formidantis tormentum. Hāc igitur amoris solicitudinem redde, & solutus es à debito: ama & soluisti omnia. Solum hoc amoris tributum pro omnibus à te requirit altissimus: naturaliter nanque omnes ad amandum beneficos inclinamur. Et quid de hominibus loquor ratione præditis, cum & animalia rationis expertia, beneficis suis gratam exhibeant amicitiam? Videas ferocissimum leonem, feritate depositā, caudæ motu & vultus alacritate, nutritori suo amicissimè blandientem, & beneficijs suis maxima benevolentia iunctos fuisse pluries legimus, eosque à magnis incommodis & morte liberasse. Vrsus etiam atrocissima bellua, non solum beneficijs mansuescit, sed & in gratitudinis signum, & vt domino suo placeat, secum familiariter, & ad nutum eius, meliori modo quo potest, & gratulatur & ludit: iussus saltare, saltat: luctatur etiam cum iubetur: nec vllum recusat opus, quod ipse perficere possit, ne hero suo, & benefactori ingrat⁹ queat haberi. In quod vitium similiter ne incidant elephantes, pascentibus se Indis mansuetissimè, & cordatissimè obsequuntur: gaudent illos supra se portare, adeorū dirigi nutus, illa facere quæ iubentur. Et cum tantum sit animal, tantarumq; virtutum,

Micheæ 6.

Animalia bruta benevolūt benefactori suo & grata sūt.

homunculo debili pro beneficijs, quæ recognoscit, seruire non dedignatur. De domesticis verò animalibus, vt sunt canes, & equi, quanta gratitudine polleant, superuacaneum rudico dicere, cū tam in aperto sit & pateat cunctis. Nullum periculum adeo terribile est, quod non pro suis dominis libentissimè subeant, vt beneficia recognoscant. Sola rationalis creatura proh pudor, ò facinus, beneficium ignorat: nescit gratitudinem, gratiam non rependit: sola super omnia bruta, ad beneficium obbrutescit. Qu, àm iustissimè conqueritur de hoc ipse largitor per Prophetam dicēs: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.* O homo, interroga iumenta, & docebunt te: esto iumentorum discipulus, qui eorū creatus es dominus, docebunt te (inquā) gratitudinem, docebunt benevolentiā, docebunt amorem, quem exhibere teneris illi, qui de te ita benemeritus est. Pudeat te ex solā iumētorum addiscere gratitudinem, & virtute à iumentis superas intellectu. Quòd si nec tanta Dei maiestate, neque tanto beneficiorū pōdere allieeris ad amorem, lapides ipsos & silices cordis tui duritia vincis. Si nō diligis quia Deum, neque diligis quia dominum, dilige saltē quia tuum: quis enim propria sua non diligat? O homo, diligis vestem tuam, diligis domum tuam, diligis aruā tua, dilige quoque Deum tuum, dilige vel quia tuum: nihil enim ita tuum est, sicut Deus tuus, quam tu. Quòd si indignum tibi videtur, quòd Deus, cuius sunt omnia, tuus nuncupetur, prophetam audi. *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oues eorū fœtosæ, abundantes in egressibus suis, boues eorum crassæ. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Ita dicit mūdus, cum videt aut hæreditatē opulentam, aut pulchrā domū, aut armētorū numerosam multitudinē. Beatus cuius talis est domus, beat⁹ cuius est tam præclara hæreditas, beatus tanti gregis possessor. Et tu Propheta quid sentis? Dic tuā super hoc sententiam. *Beatus* (inquit) *populus, cuius est Dominus*

Isa. 1.

Psal. 143.

Deus

eorū gratitudo in benefactorem.

Gel. lib. 5. cap. 14.

Deus eius. Beatus vir cuius est Deus. O præclaram hæreditatem, ò pulcherrimum prædium, ipse Deus Beatus, & quam vere beatus est Dei sui possessor. Si ergo tuus est Deus, quia omnia tua diligis, cur Deum quoque tuum ab hoc amore secernis? cur Deum maximè & super omnia tuum, à communi tuorum exceptas dilectione. Solus ne inter tua indignus à te iudicatur amore? vt cum omnia tua diligas, ipsum maximè tuū, minimè diligas? Nonne indignabitur Deus super tam execrando contemptu? Quid dicam tibi ò homo, quid tibi miserrime dicam? Nonne super tanta iniquitate tua confunderis? Nonne de tanta ingratitudine, & malitia erubescis? pallium tuum diligis, caligas tuas diligis, zonam tuam diligis, & Deum tuum non diligis? & perpetuam tuam illam, & præclarissimam hæreditatem, in æternum duraturam, non concupiscis? Perdidisti pallium, & doles; perdidisti drachmam, & tristaris, perdidisti gloriam, & non sentis? Super tam præposterare, quid tibi dicam ignoro. Si amares quidem doleres: si diligeres, vtique sentires: & ideo non sentis, quia non diligis. Nunquid non audisti? nunquid non annũciatum est tibi ab initio, nunquid non quotidie in compitis acclamatur: *Neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quæ repromisit Deus diligentibus se:* & alges, & dissimulas & vilipendis? Si ad amorem non te promouent exhibita beneficia, moueat te saltem vel ipsum exhibendũ præmium. *Si* non vis amare Deum propter Deũ, ama iã ipsum vel propter teipsum. Quid enim amore Dei vtilius? quo & hic, & in futuro feliciter viuit omnis amans? Nam & in præsenti vita, *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum,* etiam (si fas est dicere) ipsa peccata quibus humiliores, & feruentiores, & cautiores redduntur: Dei autẽ contemptoribus, etiam si quas videntur habere virtutes, in malum cooperantur, & in gehennam eos inijciunt. Dum enim de virtutibus superbiunt, altius eleuantur, vt facilius se in præcipitium collidant.

Isa. 64. 1. Cor. 8.

Rom. 2.

Sicut scriptum est. *Deiecisti eos, dum alleuarentur.* Et iterum *Quia eleuans allisisti me.* Diligentibus Deũ totus arridet mũdus, omnis obsequitur creatura; tepidos autem & contemptores omnis insequitur natura, omnis abhorret creatura: vbique labor, quia vbique in vindictam sui creatoris sæuit in impios creatura. Sicut scriptum est. *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.* Et quis magis insensatus, quam qui cum possit amãdo omnia possidere, amittit omnia, ne amaret? Quòd si neque adhuc tanta te vtilitas excitat ad amorem, excitet te saltem amor illius, quo te diligit: nihil enim ad amorem magis prouocat, quã amari. Diligimus diligentes nos, etiam indignos amore, solum quia diligunt nos: neque alio quam amore compensatur amor. Nam si omnia amanti dederis, amorem autem non dederis, non à debito solutus es, auro, & argento, & lapidibus pretiosis non recompensatur amor, tanti pretii est: ab inimico enim aurum proueniens in lutum computatur. Quòd si de hoc amore dubitas, & qua te Deus tuus dilectione prosequatur ignoras, *testimonia eius credibilia facta sunt nimis.* Testis crux, testes claui, testes dolores, testes sanguinis inundantes fluuii, testis amara mors & acerbissima, quã pro te sustinuit: & cum hæc omnia putentur, videtur ei omnia pauca præ amoris magnitudine, adhuc enim maiores & abundantiores, si possibile esset, expetit pro te dolores, grauiores, longioresque pro te sitit angustias Hoc est enim quod in cruce pendens clamat ad patrem, *sitio.* Et in psal. *cucurri in siti,* parat° videlicet ad lõgiores, & acerbiores pœnas pro homine, si pater adhuc iniungeret. Et quamuis de illo scriptũ sit: *saturabitur opprobrijs,* & iterũ, *quia repleta est malis anima mea;* sitit tamẽ adhuc quo ad effectũ, sitiẽs quo ad effectũ, quia *à plãta pedis vsq; ad verticẽ non est in eo sanitas:* sitiens, quia amor adhuc dolorib° plen° nõ est, quãuis corp° vulneribus plenum sit. Iam hic ò homo, & si adhuc in amando frigidus inueniris, duriorem te lapidibus esse ostendis, si

Psal. 72. Psal. 101.

Sap. 5.

Prou. 8.

Amor Dei quantus & qualis.

Psal. 92.

Gen. 23.

Ioan. 19. Psal. 61. Tre. 3. Psal. 87.

Isa. 1.

quidem ad tantæ dignationis conſpectum, duriſſimi lapides cõfracti ſunt, &
Mat. 27. qui ſenſum non habent ſenſum oſtenderunt, vt attendas quid facere teneãtur hominum corda, ſi tantum põdus amoris neque rupes ipſæ ſuſtinere valuerũt. Adiumenta te paulò ante remiſimus, vt amorem addiſceres, nunc ad rupes, & duriſſimos lapides te remittimus. Emollire emollire ò pectus humanum, videns quia & lapides ipſi ad tantum beneficium comminuti ſunt, & quòd cor-
Mat. 27. dium officium pro ipſis hominibus rupes faciunt. Eſto nunc diſcipulus lapidum, qui prius extiteras iumentorum, ad amandum enim Deũ allicit quidem te creatio, ſed redemptio te conuincit. Quòd ſi nec ſic præ duritia tua conuinceris, ad inferni te malleos noueris re-
Iob. 41. ſeruari. Sicut ſcriptum eſt. *Cor eius indurabitur tanquã apis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus* Hucuſque de rationibus propter quas à nobis diligendus eſt Deus, locuti ſumus: nunc de modo quo ipſum diligere debemus, breuiter attingamus: de quo in tituli ſecunda parte dicitur *ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni mente tua.* Id eſt, ex tota poteſtate tua, & ex toto tuo conatu. *Modus*
Pſal. 150. *diligendi* Deum (vt ait Bernardus) *eſt diligere ſine modo.* Dilige ergo ſine modo, dilige omni modo, dilige ſicut ipſe diligibilis eſt, & ſufficit. Quid miraris? nõne propheta iubet laudare eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius? id eſt, ſicut laudabilis eſt? Dices nemo illum ita diligere poteſt, niſi ſeipſe ſolus: ſed neq; laudare. Ipſe ſe adæquat diligendo, cuius amor infinitus eſt, ſicut & magnitudo. Bene vtique loqueris, neque tua mihi diſplicent verba, neque ſenſus. Si ergo non potes ſufficere ad laudem, non ceſſes à laude: ſi non potes amare vt debes, ama quãtum potes: neque enim poteſt exceſſus in amore timeri, vbi vincitur à gloria & excellentia dilecti, facultas & potentia dilectoris: & facundia
laudantis, à virtute & merito laudati ſuperatur. Ardent illi ſeraphim, flagrant virtutes angelicæ in amorem eius, ſicut ſcriptũ eſt: *qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignẽ* vrentẽ: neq; ceſſant ab ardore, quia nunquã ſatis arſiſſe videtur: & quid eſt omnis amor pulicis huius exigui, ad ardorẽ illum beatarum mẽtium? omnis amor noſter tepiditas eſt, ſi ad illorum flagrãtiã cõparetur. Diligamus ergo eum ſine modo, & ſine mẽſura, quia ſic ab eo dilecti ſumus. Qui enim omnia *Sap. 11* in pondere, numero fecit, & menſura, in diligendo modum non habuit neque menſuram. Exceſſit in hoc ſolo Deus, exceſſit ſupra modum, exceſſit ſupra omnem rationem, & intellectum, & qui in omnibus modum ſemper ab initio tenuit, in hoc modum tenere nõ voluit, & ſupra modum nimius fuit. Ignoſce domine obtecro, ignoſce famulo tuo, de te cum gaudio & audacia loquenti: nimius nanque, & valde nimius fuiſti in nos amando Deus noſter. An non nimium eſt, vt pendeat Deus in patibulo pro vili vernaculo? nunquid nõ exceſſus eſt grãdis: quòd morietur Deus vt viuat reus? exponatur creator, pro creatura? & pro opere ſuo patiatur, qui fecit illud? Si modus hic eſt, apud tuam domine ſapientiam modus eſt, nam apud omnem creatum intellectum hic exceſſus, & grandis exceſſus, & nimietas eſt. Non timebo dicere, quod & res oſtendit, & Apoſtolus in ſpiritu dicere non pertimuit. Quoniam nimia caritas fuit, qua nos ita dilexit Deus, vt ſeipſum pro nobis traderet, filius pro vernaculo. O verè nimiam, & verè nimiam & valdè nimiam charitatem, & quæ terminos totius charitatis excedit, & metas Noſtræ redemptionis *Pſal. 129.* opus, copioſam redemptionem prophetа prædixerat, ſed ſignificantius eam Apoſtolus vocat nimiam. Scio hic nõnullos longam texere quæſtionem, quia videatur viatori impoſſibilis tanta perfectio, vt ſc. ex toto corde, & ex tota anima, & ex omni mente diligat Deũ, quod propriè beatorum eſt, quorum omnis vis & facultas in Dei amorẽ abſorpta eſt, ſed abſit, vt Deum quicquam impoſſibile præcepiſſe dicamus. Quid ergo dicemus ad hæc? Facilè ſoluitur iſta quæſtio, ſi *Deus dupliciter diligitur.* præcepti habeatur intentio. Tripliciter enim Deum diligimus toto corde: aut ſcilicet quia ipſi totum cor noſtrum offerimus, neque male diuidimus, ſicut

ille

Gen. 5. ex versione 70. ille Caim, qui licet bene obtulit, tamen quia malè diuisit, reprobatus est, vt ait scriptura. Sunt enim qui diuidunt cor suum, partem Deo, partem mundo & deliciis tribuentes: qui ita Deo placere volunt, vt mundo quoque non displiceant, ita cælestibus anhelant, vt terrena non respuant. Ad quos Iacobus Apostolus Iacob. 4. clamat, dicens *Adulteri, an nescitis quia amicitia huius mundi inimica est Deo.* Hi quia totum nõ offerunt nihil offerunt, neque enim partem cordis acceptat Deus, neque dignatur cohabitare spiritus vanitati. Vnde quia ex toto corde nõ diligunt, huius præcepti transgressores existunt. De his propheta loquitur, dicens: Osee. 10. *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.* Ipsa namq; cordis diuisio interitus quidam animæ est: sicut enim corpus à se ipso diuisum non viuit, ita neque animus. Potest rursus aliter intelligi ista totalitas, ita scilicet vt Deus solus diligatur, & nihil aliud diligatur nisi propter ipsum & ad ipsum, ita scilicet quod ipsi soli tribuatur totum pondus amoris, neque etiam licitis amoribus per creaturas animus distendatur, minus enim te diligit domine, qui aliud diligit, quod propter te non diligit. Et iste modus perfectorum est, quorum omne studium est vacare Deo, & ipsi soli mundam vacantemq; mansionem in animo præparare. Potest tertiò intelligi totalitas ista amoris, sicut supra expositum est præcedenti concione, vt omnis cogitatio, omnis affectio, omnis appetitus, omnisque animæ virtus in Deum penitus absorbeatur, totoque mentis conatu Deus à nobis diligatur, & hæc perfectio beatorum est, non viatorum. Primo igitur modo præceptum est: secundo consilium: tertio, supra præceptum, & supra consilium: quia beatitudo Hugo à S. Victo. sent. nostra est Consonat huic distinctioni quod dici ab aliquibus solet. quod tripliciter potest diligi Deus, sc. cum aliis, præ aljs, sine aliis. Qui cum aliis diligit, & quasi vnum ex aliis: hic cor diuidit, & præceptum non implet. Qui præ aljs diligit, quamuis sc. alia cum ipso licitè diligat, cor nõ diuidit, licet aliquo modo illud ad alia diuertat: hic præceptum implet, sed tamẽ perfectionẽ nõdum obtinuit. Qui vero solum & sine aliis diligit, hic iã culmen perfectionis obtinuit, qui iã dicere potest cum sponsa. *Dilectus meus mihi & ego illi, qui pascitur inter lilia* Cant. 2. Primus ædificat ad gehẽnã. Secuud⁹, *ædificat supra fidei fũdamẽtũ stipulã, linum, & paleas.* Tertius *auruꝫ & argẽtũ, & lapides pretiosos*, iuxta verbum Apostoli. Diligẽdus est præterea à nobis *Deus tripliciter* (vt inquit Bernardus) scilicet *dulciter, prudẽter, & fortiter*. Dulciter, id est, affectuosè & ardẽter, ne animus sẽsibilium voluptate allect⁹, ad illica rapiatur. Prudẽter vero, ne dũ agiliter currit, insipiẽter in aliquo pes ei⁹ impingat. Fortiter, id est, perseue- Psal. 90. ranter, ne victus difficultate resideat. Ne igitur animus alliciatur ad mundana, diligendus est dulciter: ne decipiatur à dæmonio meridiano, diligendus est sapienter; ne vincatur à tentatione, vel persecutione superueniente, diligendus est fortiter. Talis fuit martyrum amor, qui Christo domino forti glutino agglutinati, scindi quidem potuerunt, sed non diuelli: occidi, sed nõ separari. Hoc est illud glutinum, de quo propheta prædixerat. *Confortauit faber ærarius, percutiens eum malleo qui cudebat: tunc temporis dicens glutino, bonum est: & confortauit eum clauis, vt non moueretur.* O bonum fabrũ, spiritum veritatis, qui cudentem formãtemq; tunc temporis in cordibus populorum Christum, apostolum, & prædicatorẽ euangelij, foris malleo persecutionis premebat, & intus clauis timoris figebat: foris agitabatur, & intus confortabatur: vt non moueretur à fide: & ne eum vel ipsa mors atrocissima mille tormentorum inuentionibus exquisita moueret, clauis timoris addidit glutinum fortissimi, & inuictissimi amoris, dic s glutinum bonum est, bonum (inquam) est, ne fortè deficiat clauus, & pereat in examine miles Christi probatus Glutino amoris igitur bonũ est adiuuari clauum timoris, quia ligatura duplex difficile rumpitur Et si fortè clauus malleo persecutoris excussus resilierit, glutino tamen ceu visco colligatus, Christo ani-

mus inhæreat indissolubiliter. Hos igitur Christi milites sicut meritò laudamus, & veneramur, ita etiam amore & zelo fidei imitemur. Hi enim etsi nō dignam, certè homini possibilem Deo gratiam reprehenderūt: hi sine modo, & sine mensura Deum suum dilexerunt: quippe quia pati pro ipso omnia, quantumuis grauia, & acerba, parati erant, nullum amori præfixum terminum statuentes. Sęuiat tyrannus, flagret rogus, armetur equuleus, acuatur gladius, bestia ad deuorādum frēdeat, afferatur vngula crucians, plūbata stridcant, faces accendantur, pix & resina liquētur, & qęquid terribile excogitare potuit iudicis impii dira crudelitas: ad tormentorum cuneum præparetur: superat omnia, potissima vis amoris nulli credit tormento, nulli subijcitur detrimento, nulli obsequitur damno, sed magis ardens pectore beato caminus amoris, veluti aqua tribulationis iniecta, dū extingui putatur fortiꝰ ardet, dū magis cōprimitur, flagrat vberius. O verè beatissimos martyres, ò verè felicissimos milites, quorū deuotō mētis obsequio mūdus iustū Deo repēdit affectum, debitum amoris, & gratitudinis Redemptioni persoluit tributū: sāguinē pro sanguine, morte pro morte, pressurā pro pressura, dolore pro dolore, & si nō æqua mēsura rependens (neque enim æquabitur mori tui hominis quātūuis atrocissima mors, immortalis Dei, & impassibilis cuiuis exiguo detrimento: plus est enim impassibilem quiduis pati, quàm omnes homines mortales mori) gratissima tamen ac digna Deo sacrificia in corporibus vestris oblata sūt, quibus etsi non ad plenum rependitur beneficium, animi tamen gratitudo iustis iudiciis demonstratur. Sed quid proderit hæc omnia de amore Dei fuisse locutum, si eūdem amorem possidere obtinereq; auditori nō detur? Optabilius enim est, vel vnum amoris gradum in se habere, quā grādia, & alta de se ipso sētire. Qua igitur via ad illū pertingere possimus, sicut promisimus, maximè monstrādū est, ante omnia præmonētes, non humano aliquo studio, aut industria, nō hominis labore, aut sola cura Dei amorem posse acquiri, sed à Deo gratis donari: donum enim Dei est, & gratia super omnem gratiam: lachrymis, & precibus obtinetur, non viribus nostris acquiritur: non docetur, sed infunditur: non addiscitur, sed gratis ex alto suscipitur. Siquidem à quærentibus illum inuenitur, sed non quia quæritur, sed quia donatur, non per inuestigationem quærētis, sed per gratiam largientis. Nullꝰ nāque poterit cellam Dei vinariam introire, nisi manu regis fuerit introductus. Sicut scriptum est. *Introduxit me rex in cellam vinariam. ordinauit in me charitatem.* Nemo temerariè irruat in hanc cellam, sed humiliter pulset ad ianuam: non enim patitur violentiam: sed per gratiam quibus Regi placuerit aperitur. Sunt tamen multa, quæ nos ad hunc amorem obtinendum disponere valent, & iuuare possunt. Primum est cordis nostri puritas, quæ nos maximè supercælestis doni & idoneos facit, & capaces reddit: neque enim tam purus ac pretiosus liquor in impuro, & sordido infunditur vasculo. Quapropter iuxta prophetæ sententiam, scopēdus est ab omni terreno puluere spiritus noster, vt tantum valeat liquorem, accipere. *Purificate* igitur *corda vestra duplices animo*, si isto cupitis ditari affectu: purificate (inquam) non solum ab omni fæce sordidantis libidinis, & omni cōtagio culpę coinquinantis, sed etiam ab omni strepitu curæ solicitantis, & omni affectione curæ distrahētis, & omni duplicitate & fraude, omnique solicitudine, & vagatione spiritꝰ discurrētis. Liberum vacuumque cordis vasculum spiritui relinquite, tota ipsum deuotione rogantes, vt placeat illi habitare in eo. Neque enim dignatur spiritus cohabitare serpētibus, viperis, & scorpionibus: immundāque & fœdā lubrici cordis cloacā introire: frustraq; gemitibus, & precibus exoratur, si fœcente ab intus nidore repellitur. Prius igitur cordis habitaculum mundandum est, & virtutum tapetibus exornandum, bonarumque affectionum & cogitationum, vernātibus floribus vndiquaque spargendum, vt cū sponsa dicere possimus, *Ecce pulcher es dilecte*

Exo 21

Eph. 2.

Sap. 6.

Can. 2.

Matth. 7.

Psal. 76.

Iac. 4.

Psal. 69.

Cant. 4.

lecte mi, & decore nimis: lectulus noster floridus. Et tunc sponte aderit non vocatus, non inuitatus aduenier : sufficit nanque ei floridum ostendere lectum, vt odore florum attractus aduenias. Plus enim eum allicit fragantia, quàm verba: munditia, quàm sacrificia: & deuote petentis perseuerans humilitas, quàm verbosè supplicantis proterua loquacitas. Valde tamen delicatus est spiritus veritatis, & qui ad leuem offensam statim abit: solicitè ergo custodiendus est, postquam cõceditur: ne videlicet, velut scintilla parua, superiectis temporalibus cutis, veluti humectantibus lignis, extinguatur. Sicut scriptum est. *Spiritum nolite extinguere: quia sicut nihil eo pretiosius, ita nihil delicatius, nihil tenerius inuenitur.* Valet præterea ad obtinẽdum amorem anxium illius desiderium, & assidua pro illo ad dominum deprecatio. Sicut scriptum est. *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* Os cordis desiderium est, quod tunc ad amorem aperitur, quoniam supra modum ab homine desideratur, cõtemptoribus enim & negligentibus non dat Deus spiritum sui honoris: neque mittit margaritas suas porcis calcantibus eas. Quòd si anxiè desiderantibus, & efflagitantibus illum, vix post longum temporis tractum conceditur exoptatus spiritus, quando tepidis & non curantibus præstabitur tantum bonum? Est etiam aliud non minus animi præparatorium ad amorem, passionũ videlicet carnalium mortificatio, vigentibus enim in anima appetitibus obruitur, sicut dictum est, spiritus Dei: ac veluti atris quibusdã nebulis, & nubibus, & turbinibus, ne serena luce resplendeat, offuscatur, & dũ minus lucet, necesse quoque, vt minus ardeat, sicut & lumen solis obnubilatum minus calefacit, sublatis verò passionum offuscantium nebulis, atra nox in serenum vertitur diem, calefacientque lumine cor affectibus veluti olla aquis tumentibus, feruet. Valet præterea ad amandum Deũ, prius diligere proximum; quoniã amor proximi ad amorem Dei veluti gradus quidam est, ipsumque in animũ sicut leta filum introducit, de amore loquor charitatis, non vanitatis, huiusmodi enim ab amore Dei potius hominem retrahit, quàm iuuet. Diligendus itaque est Deus in proximo, vt post diligatur in seipso, & per proximum in Deum nobis est cõscendendum. Sunt alia pleraque ad amandum Deum disponentia, longum esset enumerare per singula; sacrarum videlicet literarum solertissima lectio, incarnationis & passionis Christi amorisque eius erga nos assidua meditatio, beneficiorum quoque eius in nos continua retractio, familiarisque ad ipsum & deuota coniunctio, spiritualium deuotorumque hominum quorum verba velut salientes scintillæ nostrum accendunt teporem, spiritumq; sopitum excutiunt frequens collatio, & conseruatio; his omnibus & similibus, sacer ille ignis, veluti lignis ẽtylua fouetur, nutriturq; ne deficiat, sed sẽper ardeat in altari coram Deo, sicut in lege præceptũ est.

Beneficiorũ Dei memoria, Amorẽ Dei, inuitat.

Ignis inquit *in altari semper ardebit quem nutriet sacerdos, subijciens ligna mane per singulos dies, & impositio holocausto desuper adolebit adipes pacificorum; ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* Cuilibet ergo nostrum hæc omnium potissima cura erit, ne iuxta verbum domini, sacer iste ignis aliquando deficiat coram Deo in cordis nostri ara; non solum mane, sed nocte & meridie, continue & semper eundem ignem meditationibus sanctis, lectionibus, orationibus, collocutionibus, exercitationibus nutriẽtes, ne forte veniat sponsus qua hora non putamus, & deficiente oleo extincta lampade, ab eius perpetuo excludamur consortio, & terribilem illum audiamus auditum, *nescio vos.* Propter quod si quis lampadem habere se putat; videat ne desit oleum in lecytho, nam & prophetes Zacharias, cum lampadibus, septẽ in sua illa visione septem quoque infuloria lucernarum vidit, quibus videlicet ignis lampadum ne deficeret fouebatur. Vnde & Salomõ alubri consilio vnumquemque nostrum hortatur, dicens. *Omni tempore vestimenta tua candida sint, & oleum de capite tuo non deficiat,*

Perfectio in hac vita semper augenda.

id est

1 *Thes.* 5.

Psal. 118.

Mat. 7.

Leu. 6.

Mat. 25.

Luc. 12.

3 *Reg.* 17.

Zac. 4.

Eccl. 9.

ideſt, nunquam corpori deſit munditia caſtitatis, neque cordi tuo feruor deuotionis; hoc enim oleo, hac vnctione, veluti quodam fomento flamma amoris Dei, & alitur & augetur, donec abyſſo illi conflantis ignis adiuncti, ignis ab igne perpetuis ardoribus foueatur nutriaturque, neque exteriori aliquo creaturæ fomento opus ſit, quia veluti in ſua ſphæra, perpetuus & inuariabilis permanebit. Quem nobis præſtare dignetur, qui ſpiritum ſuum in cordibus apoſtolorum, veluti ardentem ignem, immiſit. Cui cum patre, & eodem Spiritu ſancto, eſt honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Mal.3.

Act.2.

PARENESIS.

Viſum eſt propter argumenti affinitatē, adiungere ſuperioribus de diuino amore concionibus, autoris in cantica canticorum Salomonis commentarios, quibus ſacri amoris epithalamium continetur. Inabſolutum videbitur opus, ſi capita numeres, neque enim vltra tertium protenditur: cæterum ſi eadē ponderes, & ſuis numeris abſolutum, & omni ex parte perfectum cenſebis opus.

PROLOGVS IN CANTICA canticorum Salomonis.

Psal.86. MIro *Dei conſilio factum eſt*, ſicut Auguſt. ait, *quod ſacra ſcriptura, quæ in pſalmo ſcriptura populorum dicitur, ac propterea omnibus facilis eſſe debuerat, tot obſcuritatibus plena ſit, vt niſi ſpiritus Dei adſit, cunctis hominibus impenetrabilis eſſe videatur.* Erat enim ſic expediens multis de cauſis; Primò vt eſſet dulcior, & cum labore acquiſita eſſet pretioſior; quoniā teſte Salomone, *panis abſconditus eſt ſuauior.* Secundo, vt dum propter obſcuritatem variè à diuerſis exponitur, modica litera in fruges ſenſuum ampliſſimas augeatur. Vnde ad Danielem dicitur. *Claude ſermones, ſigna librum, plurimi pertranſibunt & multiplex erit ſcientia.* Tertiò, vt arceantur indigni, quoniā iuxta euangelicum præceptum, ſanctum canibus communicandum nō erat, neque margaritæ porcis. Tanta eſt autem ſcripturæ obſcuritas in pleriſque locis, vt niſi recōditorum in ea ſenſuum fides nos admoneret, iocularis & ridicula eſſe videretur. Cuius abſconditum & ſecretum nucleum, ſi quis rupta litera teſtea deguſtauerit, cum Augu. exclamare compellitur. *Mira profunditas eloquiorum tuorum domine, mira profunditas, horror eſt intueri in eam;* Hic profecto eſt liber ille ſignatus ſigillis ſeptem, qui Ioanni mōſtratus eſt; quē aperire nemo poteſt, niſi referetur ab illo qui habet clauē Dauid, *& aperit & nemo claudit, & claudit & nemo aperit.* Quæ clauis, ſecundum Hilarium, fides eſt mediatoris, quam quia legis periti non habebant, dictum eſt eis *Væ vobis ſcribæ & Phariſæi, qui abſtuliſtis clauem ſcientia, & vos non introiſtis, & intrare volentes prohibuiſtis.* De hoc etiam lib. Eſaias ante prædixerat, quod daretur homini indocto, & reſponderet neſcio literas: & homini doctiſſimo, & ſimiliter reſpōderet, nequeo legere: ſignatus eſt. n. Sed ne tantus theſaurus in viſceribus literæ abſconditus, fruſtra datus fuiſſe videretur, ſpiritus ſanctus venas illius ſanctis doctoribus aperuit, qui mentis puritate pertigerunt, quo nullum penetrat intellectus acumen. Ipſe ergo legislator factus eſt ſuæ legis interpres, donans hominibus donum ſapientię & intellectus, donum quoque interpretationis ſermonum, quo ſcripturæ abdita panderētur, quod donum prophetæ pars iudicandū eſt, quoniam intelligentia opus eſt in viſione. Sed inter omnes ſcripturæ libros mea ſententia, & in obſcuritate ſermonum, & in ſublimitate ſenſuum cantica canticorum primatum habet, quē ſanè librum tum propter obſcuritatem, tum propter amatorium ſtylum apud Iudæos legere nemo permittebatur, niſi iam ætate, & ſenſu prouectus: Ne videlicet ſpirituales delicias, aut propter obſcuritatem contemneret, aut propter ſtylum in carnis verteret cātilenas. Nos autem ſpiritualibus ſpiritualia comparantes, non noſtro ingenio, ſed ſpiritus ſancti adiutorio confidentes, ipſo illuminan-

Prou.9.

Dan.12.

Mat.7.

Apo.5.

Apo.3.

Luca.11.

Iſai.29.

Eſa.11.

1.Cor.5.

minante, post tot doctores nobilissimos, post tot expositiones præclarissimas epilogum quendã facere cum omni humilitate decernimus: Non tamvt noua cuderemus, quam vt antiquavariè per codices dispersa, prout dominus dederit, colligeremus: imitantes scribam illum euangelicum, doctum in regno cęlorum, *qui profert de thesauro suo noua, & vetera.* Sic ergo nostra ibi adiungimus, vt nostris sensibus sanctorum sententias præferamus. Huius autem libelli idoneus auditor ille est, qui experientia poterit comprobare quod dicitur. Neque enim ea quæ in cordis secessu inter Deum, & animam fiunt, capere potest homo delicijs, & vanitatibus deditus. *Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.* Oculos ergo defæcatos: & purissimã aciẽ mẽtis adducat, quis quis vtilitex scholã intrare festinat.

Matt. 13

1. Cor. 2.

Altera præfatio.

Tres libros edidit Salomõ, iuxta quos tria quoque nomina sortitus est: primum de moribus pro paruulis instituendis, in quo prima tradit rudimẽta virtutum, qui prouerbia Salomonis inscribitur: secundum pro adultis & proficientibus, in quo mundi contemptum edocet: quem suo nomine ecclesiastem nuncupauit: tertium pro perfectis, & spiritualibus, in quo *sapientiam* loquitur *absconditam in mysterio*, quam nemo principum huius mundi cognouit: hic cantica canticorum merito nuncupatur, propterea quod omnia scripturæ cantica, & mysteriorum magnitudine, & sensuum sublimitate, & materię dignitate superexcellat. In hoc non iam Salomon, neque ecclesiastes, sed idida, id est, delectus domini nominatur. Vocatur etiam liber hic *epithalamium*, id est carmen nuptiale: quia in eo de nuptijs agni agitur, & columbæ, id est, de occultis quæ in mirabili animæ, & verbi cõiunctione fieri solẽt: quæ nemo nouit, nisi qui accipit. Vnde more comœdiæ, quatuor in eo personarum differentiæ in modũ dramatis canẽtes introducuntur, sponsus, & sponsa, sodales sponsi, adolescentulæ sponsæ, quarum modulatione mira efficitur harmonia Sponsus verbum est, sponsa anima vel ecclesia: sodales sponsi angeli, vel apostoli: adolescentulæ sponsæ animæ fideles, quæ tamẽ perfectionis plenitudinẽ nondũ attigerũt. Qui ergo iã primo libro in moribus cõpositus, in secundo mundum cũ pompis & vanitatibus suis contẽpsit, qui cũ propheta nouit *sedere solitarius, & leuare se super se*, hic accedat, & spirituale canticum, aut tacitus audiat, aut lætus concinat. *Foris canes* venefici immundi lubrici, & omnis in quo Dei spiritus nõ est, & qui carnis est particeps. Sunt aũt duo in hoc cantico maximæ difficultatis, sc. veram eius interpretationem, legitimũque sensum agnoscere, & reconditos in illo spiritus sancti sensus, & sapientiã plenius haurire: Propter hoc duo facere intendimus, primo veram eius, & legitimã interpretationem, quantum Deus donauerit, breuissime secundum literam tradere, vt litera intelligatur: deinde in singulis cantici versibus diutius annotationibus immorari: vt quid intus sapientiæ lateat, agnoscatur. Sed quia (vt diximus) sponsa, vel anima perfecta, vel ecclesia nuncupatur, ideo in eius interpretatione varietas inuenitur. Nã aut loquitur Christus cũ anima, aut loquitur cum ecclesia. Primò itaq; continuã expositionẽ spiritualẽ, siue moralẽ, inter verbũ, & animã persequemur: deinde mysticũ aliũ, & allegoricũ sensum, non ad vnguẽ, sed per partes, prout negotiũ patitur insinuabimus. Vos fratres spiritum obsecrate, vt reconditos nobis sapientiæ thesauros aperiat, & donet inuenire quod cupimus, implere quòd promittimus. Sed hoc vnum ante omnia volumus annotare, quod locutio sponsæ desiderium est; & locutio sponsi inspiratio interior. Vnde de inspiratio-
ibus internis, & affectibus spiritualibus, qui in contẽplationis secessu, inter Deum & animã contingunt totus hic tractatus instituitur. Hos solus nouit expertus, sine hac experientia impossibile est sentire quod dicitur: amoris cãticum amor præcipit, huius epithalamij optimus interpres amor est. Deniq; sicut propheta de fide, ita & nos in præsentiarum dicimus de

Apo. 2.

Tre. 3.

Isa. 7. Ex versione 70.

amore. Nisi amaueritis, non intelligetis. Sed iam canentem sponsam audiamus.

Caput Primum.

Osculetur me osculo oris sui. Quale exordium, quale carminis initium cum quo aut de quo loquitur? ista putat præ amore in fronte scriptum se habere quod gestiat: nullis ambagibus vtitur, totius desiderij summam breui sermone concludit. Nolo diuitias, nolo honores, nolo pompas, nolo delicias, osculetur me osculo oris sui. Hoc solum cupio, hoc solum peto, hoc solum volo. Angelorum oracula experta, ad altiora festino; osculum oris eius exopto. Non quiesco, non satior, donec osculetur me osculo oris sui. O confidentiam, ò audaciam: non pedum aut manuum, sed oris oscula petit. Grandis arrogantia ò sponsa, satis est, sufficit tibi cum Maria osculari pedes: quid diuini oris oscula petis? Ignoras ipsum, ignoras te: quis est ille: quæ es tu? Absolutissimus amor est: ignorat maiestatem, reuerentiam nescit, omnia æquat, omnia audet, omnia sibi licere putat; & quicquid dicat, quicquid audeat, indulgetur amori. Osculum quod ista postulat (vt existimo) increati luminis & creati coniunctio quædam mirabilis, & inexplicabilis quædam vnio diuinitatis & mentis censenda est; quia *qui adhæret Deo, vnus spiritus fit cum eo.* Quid autem ex hac verbi & animæ spirituali vnione sequatur, & propter quid illam efflagitet & exoptet, audiamus: *Quia meliora sunt* (inquit) *vbera tua vino fragantia vnguentis optimis.* Memoriam abundantiæ suauitatis eius eructãs, in oscula prorumpit. Nouerat quid in osculo dulcedinis & suauitatis acciperet. Quatuor modo cõmemorat osculi fructus, lactis dulcedinẽ: vini feruorem; odoris suauitatem; vnctionis lætitiam. Lacte reficitur, vino inflammatur, odore excitatur, vnctione sacratur. Illud enim diuinitatis, & mentis ineffabile osculum, primo sequitur sapientię lac, ab vberibus sponsi expressum, id est eruditio quædam intima, & illustratio mentis superna de qua in euangelio, *Erũt omnes docibiles Dei*: Et in Psal. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Et Iob *porro ad me dictum est verbum absconditum.* De hac Isaias. *Mane erigit, erigit mane mihi aurem, vt audiam quasi magistrum.* Et iterum: *Ros lucis, ros tuus*, vnde & ipsa sponsa infra hoc ipsum repetens, cum dixisset, *Quis mihi det te fratrem meum vt inueniam te solum foris, atque deosculer*, adiungit illico; *Ducam te in cubiculum genitricis meæ, ibi me docebis.* Post lactis pabulum, sequitur vini poculum, id est feruor quidam spiritus inebriantis: de quo psalmus. *Et calix meus inebrians, quam præclarus est.* Et iterũ *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Post hunc feruorẽ sequitur odor quidam cælestis beatitudinis: de quo Esaias. *Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus est*: id est, qui iam odoratur cælestia, *Quoniã excelsus reputatus est ipse*, quem sequitur vnctio salutaris spiritualis pinguedinis, & ineffabilis gaudij. De qua ps. *sicut adipe, & pinguedine replentur anima mea.* Lac mentem reficit, vinum affectum inflãmat, odor excitat appetitum, vnctio sanat morbum. Lac lux est, & pertinet ad intellectum: vinum feruor, & pertinet ad affectum: odor primitiæ gloriæ, & pertinet ad desiderium: vnctio gaudium spiritus, & pertinet ad passionem omnem animæ potentiam perficit ista vnctio. Sed quia non vnica est, sed varia passionum spiritualium influentia, ideo pluraliter dicitur. *Fragrantia vnguentis optimis.* Alia est enim vnctio deuotionis, alia pietatis, & miserationis, alia cõtritionis, alia gaudij, alia spei, alia dulcedinis, alia amoris, quibus vnctionibus ad sponsi osculum anima spiritualiter impinguatur, & in virtute roboratur, & à morbis peccatorum sanatur. Quantis diuitijs putas animam replet vnctio illa vitalis? Quam succinctè perstringit, quæ neque longo sermone explicari possent? O Plato, ò Philosophi, audistis vnquam talia? intellexistis hæc omnia? quam abscõdita sunt hęc ab oculis vestris.

Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. Meritò

Luc. 7.

Ioan 4.

Psal. 84.

Iob. 4.

Isa. 50.

Isa. 26.

Cant. 8.

Psal. 23, Psal 38.

Esa. 2.

Psal. 62.

Sequitur latinorũ expositionem nam Hebræi accipiũt nomen fragrantia.

lac

lac lapientiæ præfertur vin o feruoris: tum quia lac mentis poculum eſt, vinũ ſenſualitatis: tũ quia à lacte vinum profluit: *Nã in meditatione mea exardeſcet ignis.* Tum etiã quia vinũ adoleſcẽtularum eſt, quæ quãdoq; excãdeſcunt, & inebriantur feruore nouitio: lac autem *perfectorum, qui pro conſuetudine exercitatos habet ſenſus.* Vini potus potentior, ſed lactis ſubtilior, dulcior, candidior, pretioſior. Vnde ſequitur. *Oleum* (inquit) *effuſum nomen tuum: ideo adoleſcentulæ dilexerunt te.* adoleſcentulæ dilexerunt te propter oleum, ego autem vt verum fatear, etiam ſine oleo Effuſum eſt oleum, & exarſit ignis: quia nouus erat ignis, oleo indiguit. In me incenſus eſt antiquus ignis, non indiget oleo. Propter ſuauitatem, propter dulcedinẽ, propter vnctionẽ adoleſcentulæ dilexerunt te, ego autem inter cruces, inter labores, inter medias mortes noui diligere te. Quę runt illæ dona tua, ego autem te ipſum: quia delectantur in te, quærunt te, ego autem non tua dona quæro, ſed te, te nudum cupio, te nudum adamo.

TRAHE me poſt te, non ipſa venire per me poſſum, ſed tu trahe, ſequarte, ſitra his me. Auſtera viſa eſt ſponſę cãtilena adoleſcentulis, non attingunt ſponſæ ſapientiam, ſenſumque perfectum, proſiliunt in medium dicentes Neſcimus quid iſta loquitur, ſibi ſapiat, vnctiones tuæ domine amabiles ſunt, & pretioſæ nimis, nos *curremus in odorem vnguentorum tuorum*, nunquã obſecro, hęc nobis vnguenta deficiant. Noui (inquit) ſponſa, noui quid noſtris, experta quoque ego ſum vnguenta iſta quæ ſic optatis. Nam introduxit me quoque rex aliquando in cellaria ſua, (& vncta ſum vt nunc eſtis vos. Si experta es (inquiunt) neſcimus, noſtra tamen ſententia ſtat. *Exultauimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum, ſuper vinum.* Non nego hoc, ait ſponſa, ſed vere ſponſe mi, *recti diligunt te*: nam etſi feruor in amore cõtinendus non eſt, neq; ſpernẽda ſuauitas, tamen rectitudo mentis proculdubio feruori cordis in amore præfertur. Obſecro vos adoleſcentulæ, corã iudice vero & recto, imò corã ipſa veritate cõtẽdimus. Noſtis ne me? noſtis quod ſpõſa ſum? noſtis quanto ſpõſo charior & coniunctior quã vos? A me ipſa exemplum accipite. *Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Hieruſalem. Nigra ſicut tabernacula Cedar, formoſa ſicut pelles Salomonis.* His deliciis & ſolatiis non ita nunc abundo ſicut vos, ſed expoſita laboribus, tempeſtatibus, pluuiis, perſecutionibus, curis, anxietatibus, *omnia ſuſtineo propter electos. Quis infirmatur, & ego non infirmor?* quis *ſcandalizatur, & ego non vror?* ſi exteriora mea conſideratis, in nullo differo à tabernaculis Cedar, à filiabus Babylonis, curis diſcuta, ſolicitudinibus anxia, occupationibus impedita, nigra foris *ſicut tabernacula Cedar*, ſed tamen intus in corde formoſa, *ſicut pellis Salomonis.* Virtutes diuinas quas meus Salomon habet cum patre communes imitari non valeo, ſed virtutum quas ſub veſtimento carnis meæ induit pulchritudinem imitor vt poſſum, & ſicut datum eſt, eas refero. An meus Salomõ in hac vita ſibi complacuit, an quæſiuit quæ ſua ſunt? non laborauit, non ſudauit, non fatigatus eſt. Hoc ſentio in me, quod & in Chriſto Ieſu, Cum ipſi magis aſſimilor, tunc magis mihi complaceo. Pelles tabernaculi, & ſi rudes & viles videbantur, tamen interiorem pulchritudinem protegebant. Pellis ego ſum fateor, foris quidem nigra, ſed intus formoſa, non eſt contemnenda pellis, qua tanta pulchritudo contegitur. *Nolite me conſiderare quòd fuſca ſum*, quòd pulchritudini occupata ſum, quod ſolicita ſum, quòd inquieta ſum, *quia decoloratit me ſol.* Ardor eius nimius, & zelus feruidus decoloratit me: ſolis radius me denigrauit exterius. Pulchra ego eram aliquando facie ſicut vos, irradiauit in me fortiter ſol, & denigrauit me. Expoſui pulchritudinẽ meam propter ipſũ, vt nigra pulchrior fiã coram ipſo. Neque ego quidem hãc mihi curam quæſiui, nõ mihi hunc aſſumpſi honorẽ, ſed vocata à Deo tãquã Aarõ: & fratribus meis cõpulſa. *Filij matris meæ pugnauerũt cõtra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis.* Et heu dum alienis ſuperintendo, *vineã meã non cuſtodiui.* Timeo ne ferus de ſylua depaſtus ſit eam. O cuſtos hominum, propter te hanc curam ſuſcepi, cuſtodi: tu illam:

2. Cor. 2. 2. Cor. 11.

Phil. 2.

Ibid.

Exod 2.

Anima

deſerit.

tu mihi causa laboris, tu huius dispersionis occasio, propter te disturbor tota die, non fit mihi obsecro in ruinam fraternæ charitatis ista promotio. Sed quid moror? quid latentis desiderij cruciatum dissimulo? *Indica mihi quem diligit anima mea,* Psal. 43. *vbi pascas, vbi cubes in meridie:* ne fortè tot curis implicita, tot occupationibus foris dispersa, *vagari incipiam post greges sodalium tuorum;* & inueniatur fuisse mihi ad mortem, quod præfixum erat ad vitam. Quo usque peregrinabor à te? vsque quo absentiam tui portabo? Si diligis me, *si inueni* Exo. 33. *gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam, & sufficit mihi. Cur faciem tuam abscondis,* Iob. 13. *& arbitraris me inimicã tuã?* Ancilla tua ego sum, vultum tuum domine indefinenter requiro: tu nouisti: vsquequo latebis? Psal. 26. vsquequo absconderis? audi obsecro deprecationem meam, imple desiderium meum. *Indica mihi quem diligit anima mea,* quem concupiscunt omnia ossa mea. *Vbi pascas, vbi cubes in meridie?* (Indica mihi, pascua pinguia, meridianam requiem,) *vbi cubas & pascis,* pascis & tranquillus es. Nullus ibi luporum metus, nulla solicitudo ferarum, grex pinguis ludens & liber discurrit ad pastum: nox ibi nulla, nullæ tenebræ, sed meridies plenus, meridies sempiternus, plenitudo feruoris & lucis, elongatio solis quæ nescit occasum: quid mihi vel ad horam negatur quem perpetuo possessura sum? Nosti infirmitatem meam, nosti occupationem meam, vide ne forte obliuiscar tui, & quæ gregi tuo præsidio, victima pecus fiam de grege. Si te videro, secura sum, si te ostenderis, salua sum. Indica mihi signum, quo vitam meam velut sagittam dirigam, ne vaga & cæca populi errabundi vestigia sequar. Vidistis fratres, quò ista properat, audistis quid audeat. Quæ osculum petierat, grãdius quid ausa iam aspirat ad visum, omnes murænulas, omnia vnguenta, omnia vbera & vini feruorem prætergressa, beatificam in carne visionem exoptat. *Indica* (inquit) *mihi quem diligit anima mea.* Quid ait Moyses petierat, quando dicebat: Exod. 33 *Si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.* Sed sicut illi responsum est, *posteriora mea videbis,* similiter respondetur & isti. *Si ignoras te ò pulchra inter mulieres,* &c. Quæ petebat faciem remittitur ad imaginem: & efflagitabat visionem Dei, remittitur ad agnitionem sui. Ac si diceretur ei, quænam est hæc audacia, ò dilecta, vt Dei visionem in exilio poscas? Hos tibi ausus nimia familiaritas tribuit, insolentior ex amore facta es. Multum est tibi hoc tempore videre dilectum, visio quam petis non est huius temporis, suo tempore non ad horam, sed perpetuo dabitur tibi, nunc expedit potius videre teipsam. Hoc est quod ait, *Si ignoras te ò pulchra inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Ideſt, si te ignoras, eueniet tibi quod timebas, continget tibi quod formidabas, vt vaga sis, & gregis tui vltima fias. Poterit tibi præstari quod cupis, si teipsam, dignitatem tuam, & pulchritudinem tuam agnoueris. O pulcherrima mulierum, si vidisses te, si cognosceres excellentiam tuã, qualis & quanta es, quam pulchra, quam nobilis, quam generosa, non vtique formidares, ne in viles & fædas gregis insani voluptates degenerares, & pueriles has populi nænias concupiscere. Quid enim? Nobilissima creatura, ad imaginem Dei formata, angelicis spiritibus quã similima, si seipsam agnosceret, more pecudum carnis turpitudines ambiret, & inter spurca oblectamentorum stercora turpiter obrutescereret? Puderet vtique eam tantæ deiectionis, puderet ignominiæ, puderet iniuriæ, nec tantam sibi pateretur contumeliam irrogari, ignorantia sui tantorum malorum est causa. Tu ergo aut agnosce teipsam, aut si non, egredere ab interioribus ad exteriora, & abi vaga post vestigia carnaliũ gregũ tuorum, & quæ in vernatibus liliis, & florentibus rosis agnos tuos pascere cõsueueras, nunc mutato pecore, in siliquis porcorum, & arentibus ruderibus hœdos tuos pasce, hædos inquã proteruos, petulantes, & inquietos. *Et iuxta* Ezech. 34 *tabernacula pastorum.* Non quidẽ meorum, quorũ pascua bene nosti, sed pastorũ alienorũ qui pascunt semetipsos. Quæ itaque

in

uiridario ſcripturarum mea rum, iuxta meorũ paſtorum taber nacula interiores affect⁹ floſculis candidiſſimis ſentẽtiarũ, & exemplo rum impinguare ſolebas, nũc arẽtibus poetarum, & philoſophorũ frõdibus carnales ſenſus paſce ab interioribus ad exteriora progreſſa O commination
Tre. 4 nẽ terribilem. Egredere, abi poſt greges, paſce hędos, propemodum tolerabilior omnis mors hac deiectione videretur: *vt illa quæ olim nutriebatur in croceis, de cætero amplexetur ſtercora.* Auſteriori reſpõſo audacia reprimitur: non quod dilectus ſponſæ deſiderium reprobet, non enim eſt ſponſa quæ ſponſum videre non cupit
Pſal. 42. quæ cum propheta non clamat, *ſicut cervus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Non poſtulationem excludit, ſed propriæ eam dignitatis admonuit, vt per cognitionẽ ſui, poſſit peruenire aliquando ad viſionem Dei, quam cupit. Neque ſolum admonuit, ſed ſpeculum, & exemplar illi obiicit, in quo
Cant. 1. ſeipſam intueatur dicẽs. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea. Pulchræ ſunt genæ tuæ, ſicut turris: & guttur tuum ſicut monilia.* Oſtendã tibi qualis es natura, oſtendam tibi qualis es gratia. In naturæ quidẽ, equitatui meo aſſimilaui te amica mea. In gratia verò, pulchręſunt genæ tuæ, ſicut turturis, & guttur tuũ, ſicut monilia. Paucis pulchritudinem tuã
Pſal. 67. Aoa 3. depinxi, intende oculos, & videte equitatui (inquã) illi decorõ, cui ſemper inſideo, cuius habenas moderor ſolus, & rego, illi de quo ſcriptũ eſt, *currus Dei decẽ millibus multiplex, millia lætantiũ dominus in eis.* & alibi, *equitatio eius ſalus*: ideſt, angelicæ celſitudini ſimilem te formaui: licet in curribus Pharaonis, i. carne iſta mortali, quam nõ meo inſtituto, ſed tuo peccato inſidet Pharao, vt in carne putrida angelicam vitam duceres: & corpori inſerta angelorũ ſimilitudinẽ exhiberes.
Pſal. 8. Paulo minus ab angelis, minorata es natura, ſed in gratia tui & angeli vna eſt mẽſura. Præclaram, & illuſtrem te in naturalibus condidi, & inſuper faciem tuam
Hier. 2. Eph. 5. pei ſe pulcherrimam, gratiæ, & charitatis meæ purpuriſſo decoraui, abluens genas tuas ſanguinis mei nitro, vt exhiberẽ te mihi ſponſã ſine macula, & ſine ruga, ſicut turturem caſtiſſimam. Collum tuũ monilium ornamento non indiget, quoniam per ſe ornatum, & pulchrum conditum eſt: quid quid enim decoris & venuſtatis, multo labore, multoque ſudore diu quæſitis virtutũ monilibus, aliæ collo ſuo ſuperaddere potuerunt, hoc totũ ego tibi inſerui. Recole amica mea frequenter hæc omnia, & conſidera qualis in eſſentialibus, qualis in genuinis & naturalibus donis, & quam pulchra facta es; hæc tui te cognitio ſeruare poterit, ne abeas poſt greges ſodalium meorum, & more pecudũ obruteſcas: aſpectũ meũ
1. Tim. 6. noli nunc petere, *quoniam lucem habito inacceſſibilem, & non videbit me homo, & viuet* Subtriſtior reddita eſt dilecta reſponſione hac, quoniam non ad votum exaudita eſt: ſuſpirantem enim ad dilecti viſionẽ,
Exod. 33. nulla ratio lenire potuit, nulla excuſatio pacauit. Propter quod ſponſi ſodales miſericordia permoti placita eam promiſſione ſolantur: *Murænulas* (inquiunt) *aureas faciemus tibi: vermiculatas argento*, quibus ſcilicet poſſis dilecti tui abſentiam mitius tolerare. Quid intendis oculum?
Pſal. 44. ornato potius auditum. Audi nunc filia;
Pſal. 47. vt poſtea videas, & dicas cum propheta: *ſicut audiuimus, ita & vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri.* Interim ergo dum præſentia denegatur, dum hæc tua peregrinatio durat, more turalium virginum aures tuas murẽnulis aureis decorabimus, ſed quoniam auri fulgorem, refulgentiamque nimiã portare non valebis argento eas vermiculabimus, vt commodius de more tuæ plebis ruſticæ poſſis ornari. Ita eſt fratres, noſtis quã inſtanter anima ſponſi ſui faciem deſiderat quę die ac nocte ſitit ad fon-
Pſal. 41. tem viuum, clamat indefinenter, *quando veniã & apparebo ante faciẽ Dei*: hanc angeli nimis diligunt, frequenter viſitant, & ſpiritualibus munuſculis lætificant, & ſolãtur. Hi velut docti aurifices, murænulas quaſdam aureas, ideſt, ſpirituales illuſtrationes inſpirationesque ſuauiſſimas & dulciſſimas auditui noſtro interiori, inuiſibiliter fabricant, radium diuinæ lucis nobis in ſua puritate incomprehenſibilẽ,

qui per aurum designatur, argento similitudinum corporearum, miro artificio inuestientes, & immescentes vt comprehendi possit à nobis, quoniam iuxta sententiam Dionysij, *impossibile est nobis aliter ducere diuinum radium, nisi sacrorum velaminum tegmine circumuelatum* His suauissimis inspirationibus, anima perfecta in hoc exilio sustinetur: his munusculis recreatur, donec scisso mortalis corpusculi velo, Sol in sua virtute refulgeat, & radius diuinæ lucis sine temperamento aliquo, reuelata facie videatur. Quæ & quales sint istæ murænulæ; qua suauitate, quo gaudio peregrinam animam afficiant, experientia, non scriptura noscendū est. Ad hæc sponsa, gratias (inquit) vobis ò sodales, gratias vobis pro muneribus vestris; gratissimæ mihi sunt murenulæ quas offertis. Habeo etiam in hoc exilio sponsi mei arrhabonem pretiosum; namque *dum esset rex in accubitu suo cordi meo, nardus mea dedit odorem suum.* Nardus (inquam) illa odorifera paradisi, spirauit odorem sensibus meis: cuius suaui fragrantia vtcumque sustentor. *Mandragoræ* cœlestes *dederunt iam odorem in portis nostris*, & datum est mihi iam odorare, quod non licuit degustare. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Fasciculus myrrhæ, & botrus balsami, hinc inebriat me absinthio, hinc me potat balsamo, & quo maior fuerit amaritudo myrrhæ, eo maiori succedit dulcedo balsami; nam secundum *multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes eius lætificauerūt animam meam.* Prius myrrhæ fasciculus, deinde dulcedinis botrus; nam crucis amaritudinem temperat spiritus subsecuta dulcedo. Nequeuna mihi amaritudo sola, sed myrrhæ fasciculus, quocunq; me verto, myrrha præsto est. Amaritudo exiliū, amaritudo peccatum, amaritudo maxima eo carere quod cupio; omnis vita mea amaritudo est; *& ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Non tamen renuo myrrham salutiferam, sed inter vbera mea commorabitur. Libenter amplector Crucis myrrham, quam botri dulcissimi sapor dulcorat. *Botrus cypri* propter magnitudinem *in vineis Engaddi*, propter dulcedinem, botrus terræ promissionis suauissimus & dulcissimus, cuius suauitatē & dulcedinem *nemo nouit nisi qui accipit.* Tria commemorauit peregrinationis suæ subsidia, nardi odorem, myrrhæ amaritudinem, botri dulcedinem, in his versabitur donec aspiret dies, & inclinētur vmbræ. Non causatur petitionis suæ repulsam, non indignatur quòd ad votū exaudita non est, sed voluntati dilecti per omnia se conformans, myrrham amplectitur, vt botro pascatur. Meritò itaque sponsus in tam humilis & obediētis spōsæ laudes erupit: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum.* Pulchra in natura, pulchra in gratia, pulchra in naturalibus, pulchra in gratuitis. *Oculi tui columbarum.* Oculorum pulchritudine maximè delectatur, vt postea dicetur. Simili quoque illa respondet eulogio. *Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus* pulcher verbum ex patre, decorus ex virgine caro, pulcher, in tua natura, decorus in mea: pulcher, quia *candor es lucis æternæ, & speculum sine macula*: decorus, quia *speciosus forma præ filijs hominum, in quem desiderant angeli prospicere.* Pulchritudinem ad diuinam refert naturam, decorem ad humanam, pulchrum spōsum pulcro decet recumbere lecto, vnde subiunxit. *Lectulus noster floridus.* Non ait tuus, non ait meus, sed noster, in quo pariter recumbamus, pariter quiescamus, pariter oblectemur, sicut scriptum est in Psalm. 4 *In pace in idipsum dormiam, & requiescam* Quę lectulū mōstrat, amplexū desiderat: floridum lectum flori cādidissimo demonstrat de virga Iesse, super quē spiritus domini requieuit. Lilijs candentibus sanctarum cogitationum, rosis rubentibus ardentium affectuum, floribus vernantibus cœlestium desideriorum, conscientiæ suæ lectulum sparsit, si fortè sic dilectum prouocet ad accubitum. Sed domum terream & fumosam non ingreditur sponsus, vt cubet in lectulo florido, ideo sequitur. (*Tigna domorum*

Num. 13.
Apo. 2.
Cantic. 2.
2. Cor. 3.
Can. 7.
Can. 1.
Can. 1.
Sapie. 7.
Psal. 93.
Psal. 44.
Isai. 12.

rum nostrarum cedrina, id est, odorifera, solida, imputribilia, visuque pulcherrima. Non ait domus, sed domorum: quia corpus & anima vtrumque domus Dei est, sicut ipse ait: inhabitabo in eis: & ambulabo in eis: anima tabernaculum interius, & corpus tabernaculum exterius. *An nescitis* (ait Apostolus. 1. Corinth capit 6) *quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, qui habitat in vobis?* De anima nemo dubitat quin domus sit sapientiæ: harum domorum tigna virtutes sunt, quæ partim ad rationem, partim ad appetitum pertinent, & sibi inuicem connexæ domui vtrique stabilitatem & firmitatem præstant, cedrinæ sunt, quæ neque erucam nutriant, neque tinea arrodantur, id est, permanentes & firmæ. His annectuntur *laquearia cypressina*, quæ inter eas colligata, & ab eis pendentia, mira pulchritudine domum venustant. Laquearia à tignis pendentia, passiones sunt quibus moderandis, corrigendisque virtutes deseruiunt. cuiusmodi sunt ira, timor, gaudium, tristitia, dolor, spes, desiderium, amor; quæ à cypressinæ nuncupantur, propter bonum odorem & incorruptionem. Talem lectum, talem domum, talia tigna, talia laquearia paret quæcumq; sponsum cãdidum ad hospitium suum inuitare præsumit, alioquin sciat, eum minimè esse venturum. Quia floridum lectulum spõsa promisserat, aptissimè illi respondet dilectus.

2. Cor. 6.

CAPVT SECVNDVM.

Ego flos campi, & lilium conuallium. Ac si dicat, & si plures, in tuo lectulo habeas flores, ò sponsa, similem mei alium vtique habere nõ poteris. Flos campi, horrnli tui flores non dedignor, sed libenter accepto. Flos cãpi non horti ego sum, id est, non priuatus, non particularis, non absconditus, sed publicus, communis omnibus, cunctis expositus: nulli me nego, cunctis me offero, omni volenti me tribuo: quicumque me voluerit, colligat me sibi, & mea fragrantia perfruatur. (Lilium conuallium ego sum, montium ariditatem refugio, in humẽtibus vallibus nascor. Si quis est paruulus, si quis humilis, in agro sui cordis inueniet me. Ego flos campi, cuius aspectu lætantur Angeli, cuius pulchritudine pascuntur beati, cuius odore reuiuiscunt mortui: & *si ego testimonium perhibeo de me ipso*, testimonium meum verum est, quia veritas ego sum. Ego flos, & sponsa mea lilium: nam *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias hominum.* Quã pulchra collatio: procedat nunc filiorum Babylonis in medio chorus, quid eas dixeris nisi veptes, & spinas: Quot curis pungũtur, quibus solicitudinibus discerpuntur, quantis libidinibus vlcerantur? In harum medio sponsa nascitur, & versatur velut rosa vernans inter spinas, & ab illarum punctionibus aliena. Quod interest inter lilium & spinas, hoc interest inter sponsam Christi & huius seculi filias. Adiuto suo præconio, simili ea quoque carmine recinit. *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios.* Aptissima etiam cõparatio: quid enim sumus omnes nisi ligna syluestria arida, infructuosa, quercubus & roboribus agrestiora: & ad omne bonum inutilia, solũ ignis vsibus apta? quippe qui nullum à nobis quasi ex nobis fructum, neque bonæ quidem cogitationis meritum ferre possumus. Quid inter nos Christus, nisi pomifera malis, foliis fructuque pulcherrima? lignum vitæ in medio paradisi, imò in medio arentis syluæ, cuius mirifico fructu, quod pomo noxiali corruptum est, in ampliorem reducitur sanitatem? vnde malus potius quam alia arbor meritò nuncupatur: malus pulchra & fructifera, cuius vmbra salubris, fructus suauis, & folia eius ad salutem gentium. Hoc est quod ait, *sub vmbra illius quem desiderabam sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Vmbra illius fides, in hac spe quamuis pulchra, quamuis perfecta, viuit inter gentes, in lumine illius quando que victura inter Angelos; *cognoscit enim* nunc per speculum in ænigmate, postmodum autem facie ad faciem, sicut cognita est. Cui non sufficit ista vmbra, cum Virgini sacræ ab Angelo dictum sit, virtus altissimi obumbrabit tibi? Sub vmbra, immobilis & fixa sedet, quia non

Ioan. 8. Ioan. 14.

Babylonis filij spinis onusti.

2 Cor. 3. Gen. 3.

Psal. 35.

1. Cor. 3.

Luc. 6.

non circumfertur omni vento doctrinæ, sed fidei quam suscepit immobiliter adhæret, qua etiam ab omni æstu temporalium cupiditatum & concupiscentiarũ salubriter protegit; sicut scriptum est; *Tren. 4.* *in vmbra eius viuemus inter gentes.* Sub hac vmbra in vultus desiderio sedeat, quæ fructu eius pasci desiderat, decidunt enim aliquando ab eius culmine pomula dulcissima, & sapidissima, quorum gustu & sapore reficitur anima. Non quidem sicut illi, qui maturis iam pomis in lumine claro vescuntur, quoniam quæ nunc sponte decidunt, intempestiua & immatura sunt, miræ tamen pulchritudinis, odoris, & suauitatis, vnde liceat coniectari qualia sunt quæ maturè & tempestiuè ab arbore manu leguntur. Quæ in vmbra *Isai. 7. Secundũ septuagin ta.* non sedet, tali fructu pasci non potest, quia scriptum est, *nisi credideritis non intelligetis.* Vmbra in fide, fructus in contemplatione, ad cuius quidem contemplationis suauitatem, quoniam nemo potest peruenire nisi per fidem, ideo conuenienter dicitur. (*Sub vmbra* *Cant. 1.* *illius sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.*) Sed quæ fructu pascitur, quid restat, nisi vt vino quoque potetur? Ideo sequitur. *Ioan. 14.* *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Supra in cellaria introductam se dixerat, nunc quod maius est, in vinariam cellã. Habet rex cellaria multa hic sicut in cœlovarias mansiones; sed ad nullum illorum aliqua introire præsumit, nisi manu regis fuerit introducta; & vide an de his propheta loquatur, cum ait; *Psal. 70.* *quia non cognoui literaturam, introibo in potentias domini.* Nam sicut nemo nouit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est; ita quæ sunt Dei, nemo nouit nisi spiritus Dei, & cui spiritus voluerit reuelare; ad temporalia eximus, ad spiritualia intramus. Sed cum *1. Cor. 2.* regi placuerit quempiam intromittere, sunt cellaria panis, olei, vini, butyri, mellis, aliorumque liquorum varia, ad vini cellarium ratior est ingressus, neque conceditur nisi illi, quæ ducum in vmbra fidei requieuit, & contemplationis fructibus saturata est. Post fidei firmitatem, post contemplationis assiduitatem, post sacrarum literarum plenum pastum, ingressus conceditur aliquando ad inebriantem charitatis potum, de quo Propheta, *& calix meus inebrians quàm præclarus* *Psal. 22.* *est? Anima qua dormiuit inter medios cleros, posteriora dorsi eius in pallore auri.* Est cellarium sapientiæ: de quo Psalm. *hic labor* *Psal. 67.* *est ante me, donec ingrediar in sanctuarium* *Psal. 82.* *Domini, & intelligam in nouissimis eorum,* quæ foris cum labore discuntur, intus sine labore videntur: est cellarium propheriæ, id quo futura noscuntur: est cellarium consilij, in quo anima fit in agẽdis prudentior: est cellarium charitatis, in quo tota incendio amoris flagrat, & hæc est vinaria cella, est cellarium exultationis, & gaudij, de quo in Euangelio: *Mat. 25.* *intra in gaudium Domini tui*: est cellarium dulcedinis & suauitatis, de quo Psalm. *Psal. 30.* *Quam magna multitudo dulcedinis tua domine, quam abscondisti timentibus te?* Et Augustin. *interdum intromittis me ad nescio quandam dulcedinem & suauitatem, quæ si perficeretur, &c.* Est cellarium securitatis & pacis, de quo Apostolus, *& pax Dei qua* *Philip. 4.* *exuperat omnem sensum.* Est cellarium lumi- *2. Cor. 3.* nis & claritatis, de quo idem Apostolus, *nos reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur.* Est cellarium spei & testimonii, in quo iuxta Apostolum, *spiritus Dei testi-* *Rom. 8.* *monium perhibet spiritui nostro, quod filij Dei sumus.* Hæc cellaria ingressus fuerat, qui dicebat, *quam dilecta tabernacula tua* *Psal. 83.* *domine virtutũ? concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Fœlix anima quæ ad illa sæpius meruit manu Principis introduci. Sed vt cognoscas de quo vino loquitur, adiũgit (*ordinauit in me charitatẽ.*) Charitas si ordinata non est, desinit esse charitas. Amare nihil prodest si præpostere amaueris: à quo donum ab illo & ordo: auriga charitatis prudentia est, hac ducitur quocunque vadit. Charitas quã prudentia non moderatur, suo interdum feruore præcipitat in abyssum. Periculosior nonnunquam spiritus quam caro, nisi ratione & discretione regatur. Non omnis spiritus acceptãdus est, sed primò probandus an ex Deo sit. Verè beatus in

Sequitur cõmunem Latinorũ intelligentiam.

quo

Psal.31. quo non est in spiritu eius dolus. Ordo charitatis rectus est, vt Deum præ omnibus & super omnia, nos post Deum, deinde proximum diligamus ita tamen vt carnalia & temporalia nostra proximi spiritualibus nō præferamus, Attende ordinem. *Diliges dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua: & proximum tuum sicut te ipsum.* Non plusquam te ipsum: *quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo cōmutationem pro anima sua?* Ordo charitatis à Deo deducatur in te ipsum, vt diligas te propter Deum: & à te deducatur ad proximum, vt diligas proximum sicut te ipsum. Hæc est vera & perfecta dilectio, de qua supra dixerat, *recti diligunt te.* Qui præposterè amat rectus non est, quia charitatis regulam & ordinem prætermisit. Ille ordinem charitatis obseruat, qui diligit quod diligendum est, & magis diligit quod magis diligendum est. Duo aūt sunt in charitate præcipua, rectitudo scil. & feruor: si recta est charitas & non feruida, aut feruida & non recta, nō omnino laudatur: si vtrumque amplectitur, vt recta sit & feruida, nescit homo pretium eius. De rectitudine dixit, *ordinauit in charitatem:* de feruore adiūgit, *(fulcite me floribus, stipate me malu, quia amore langueo.)* Discite quo amore ardet, quæ amoris ardore langueſcit. O fœlix nimium anima, ô terque, quaterque beata, quæ dicere ista potest. Quis tam feruidus diuinitatis amator, vt præ amore langueat, præ dilectione deficiat? Talia psalmographus personabat, cum dicebat. *Deficit cor meum, & caro mea Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Vidi ego quandam religiosam, quæ de se ipsa hoc idem asserebat, & exteriori languore monstrabat, an vere nescio, Deus scit. Candentis certe ac Dei amore flagrantis animæ verba sunt, ad sodales fulciri se floribus, id est, cœlestibus theoriis & stipari se malis, id est spiritualibus consolationibus de paradiso postulat, vt charitatis possit sustinere feruorem. Veluti si ægrotus quispiam à medico instanter postulet, vt calorem nimium nutrimento foueat, ne consumat substantiam. Grandis profecto est feruor charitatis, quando sic cogitur exclamare. Quid in his verbis contineatur sermo taceat, affectus intelligat. Si omnia mundi gaudia, si omnes delitias seculi in vnum conflaueris, hoc charitatis incendium temperare non poterunt. Murænulas illi obtulerant propter desiderii sitim: flores ipsa poscit propter charitatis ardorem. Sitit & ardet: sitit desiderio, ardet amore: quo se vertat nescit charitatis aduſta calore. Quali putas musto potata est, quæ sic præ amore langueſcit? Ceciliæ virgini de paradiso vernantes flores angelus tradidit, quia & ipsa sponsi huius amore flagrabat. Quoties virgo illa similiter exclamat, quoties velut Sybilla furens hoc canticum personabat? *fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Hæc dicens, inter sponsi brachia modicum obdormiuit, vnde ait: *læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Secura dormire potest, quæ tale meruit reperire ceruical. Quid minus ista quam Iohannes inuenit, qui super pect° Dn. in cœna recubuit? Post vinum, quid expectari poterat nisi somnus? De hoc Propheta in Psalm. 4. *In pace in id ipsum dormiam & requiescam.* O in pace, ô in id ipsum, ô dulcissimum soporem, de quo infra. *Ego dormio, & cor meum vigilat* Cantic. 5. Duas in sponso manus inuenio, scilicet dexteram præseruantem, & læuam subleuantem. Dextera iustum præseruat ne cadat, sinistra peccatorem subleuat, ne pereat. De manu dextra dicitur, *à dextris est mihi ne commouear*: de sinistra dicitur, *iustus si ceciderit non collidetur*: *dominus enim supponat manum suam.*

Matt. 22. Matt. 16.

Cant. 8.

Cantic. 1.

Ioan. 21.

Manuum Christi explicatio.

Psal. 15. Psal. 36. Psal 144. Ibid.

2.Cor.12. *suam.* Dextera est de qua dicitur, *custodit dominus diligentes se*: de sinistra dicitur, *dominus erigit elisos.* Dextera Paulum præseruauit, cum dictum Luc.22. est ei, *sufficit tibi gratia mea.* Sinistra Petrum subleuauit, cum respexit dominus illum, & fleuit amare. Attende dexteram, *qui natus est ex Deo non* 1.Ioh.5. *peccat; generatio enim cœlestis seruat illum.* Attende sinistram, *beatus vir cui non imputauit dominus peccatum* Psal. 31 Læua capiti supponitur, ne collidatur, dextera totum hominem amplexatur, ne vel læuiter moueatur. Optima dextera, bona sinistra; inter has manus secura dormit, testimonium habens à Spiritu sancto, quia vel amplexata non cadet, vel lapsa non peribit. Non omnium est hoc testimonium, sed eius quæ charitate languerat: charitatem languor, languorem securitas cõsequitur. Quod si læuam sustinentem ad præsentem gratiam, & dexteram amplexantem ad futuram gloriam referre malueris, non inficior. Læua sustinetur, ne peccet: dextera efficitur impeccabilis. Sed ô sponsi inenarrabilem humanitatem, inæstimabilem dilectionem: maiestatis oblitus dilectam obseruat, ne à perstrepentibus suscitetur; vnde inquietas adolescentulas hortatur, dicens *Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas, ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare facietis dilectam, donec ipsa velit.* Nouerat adolescentularum mores, inolitamque consuetudinem; si quam viderint spiritu ebriam modicũ sumpsisse soporis, velut liuore quodam, non sinunt quiescere, dormienti perstrepunt, excitant, promouent, vt animarum pastoralem curam suscipiat, vt doctrinæ populorum insistat, vt fraternis necessitatibus deseruiat. Has sponsus adiurat, vt quiescerere sinant dilectam suam, donec ipsa velit; ipsa enim melius nouit quid expediat, quæ de vini potata cellario, secreta maiestatis hauriuit De quo Iohannes bibens, ructum optimum eructauit, *in principio erat* Ioan.1. *verbum, & verbum erat apud Deum, &c.* Ac si dicat, *quid molesta estis huic* Matt.26. *mulieri?* bonum *opus operatur in me,* sinite eam vt vngatur & vngat; & ad modicum inter vnguenta pinguescat. Cum tempus fuerit ipsa se offeret, & cũm propheta dicet; *ecce ego do-* Isa.6. *mine, mitte me*; si tamen dilecti sui voce senserit se vocari. Vnde sequitur. *Vox dilecti mei, surge propera amica mea, &c.* Sed qualis adiuratio illa, *per capreas, & ceruos*, & non quoslibet, sed *camporum*? Capreas beatorum animas intelligo, sic dictas propter visus perspicacitatem, quia abyssum diuinæ claritatis visione nuda iam penetrant: ceruos angelos nuncupari, propter agilitatem & subtilitatem naturalis cognitionis: propter quam in Psalmo ventis assimilantur cum dicitur: *Ascendit super* Psal.17. *cherubim, & volabit: volabit super pennas ventorum.*

Capreæ beatas animas visu perspicaci significant.

Vnde quia intelligendo non discurrunt, eos non rationales, sed intelligentias nuncupamus. *Camporum* dicuntur propter libertatem: liberi enim ab omni peccato, & à miseria soluti, quocunque volunt discurrunt, *sequentes agnum quocunque ie-* Apoc.14. *rit.* Per hos adolescentulas adiurat, ne dilectam suscitent, testes contra eas inuocans illos si suscitauerint contra monentis edictum, vt Moyses quondam dictorum suorum cœlum & terram testes adducit. Sed ô Deut.32. mira res, qui suscitare prohibet, ipse clamat & suscitat: vnde voce illius expergefacta, & vocis illius acrimonia perculsa, oculis adhuc somno cœcutientibus acclamat. *Vox dilecti mei.* Veluti si sponsa, vel mater sponsi, vel filii diu absentis, quem plurimum diligit insperato vocem audiat, concutiuntur viscera repentino sono, & exultãt in gaudio, vultu turbato, in hanc vocem prorumpit. Vox filii mei, vox sponsi mei. Quid dilectionis,

ctionis, & amoris hac subita exclamatione contineatur, dicere non est opus; quæ non ardenter diligit, non sic cogitur exclamare. Prudentia sæpius mentitur amorem, subita perculsio fingere nihil potest; vnde zelatores vxorum subitos magis motus interrogant. Neque tamen quid sibi dicatur statim capit, sed ordine quodam prius vocem à longe clamantis obaudit, deinde leuatis oculis properantem eminus videt, postmodum iamiam appropinquantem agnoscit, vltimo sibi loquẽtem intelligit, & quid ei dictum sit luculenter explanat. Hunc ordinem in litera videre non est difficile; nam primo ait, *Vox dilecti mei*, deinde: *ecce iste venit saliens in montibus*, tertio, *en ipse stat post parietem nostrum*. Vltimo *en dilectus meus loquitur mihi*. Consonat huic loco supra modum, quod legimus apud Iob capite quarto, *porro ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiue suscepit auris mea venas susurrij eius*. In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pauor tenuit me; & cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ. *Stetit quidam cuius non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis, & vocem quasi auræ lenis audiui*. Quam quidem sententiam, & si non à Iob, sed ab amico eius prolatam, magnũ aliquod contemplationis secretum insinuare, Gregorius testis est: idemque licet aliis verbis in proposito crediderim demonstrari. Vocem primo audit, sed confusam, absconditamque: cuius murmur potius quã sensum percipiat: ipsum venientem videt, sed à longe, ita vt vultum eius non agnoscat, approximantem vero & clarius agnoscit, & distinctius intelligit. & hæc omnia post somnum, quando solet sopor occupare homines. Sufficiat hæc omnia tetigisse, nam exponere longum esset. Gradus quidam cognitionis & intelligentiæ designatur, quo solet anima perfecta post contemplationis somnum, in Dei cognitione, & in diuinorum intelligentia proficere: ita vt quem prius in ænigmate videbat, apertius videat: & quod prius de secretis mysteriis obscurius audiebat, iam distinctius apertiusque percipiat: non enim subito in cognitione & auditu diuinorum, sed gradatim ad culmen perfectionis attingitur. Sed iam singula percurramus. Audit primo, deinde videt à longe venientem, properantem, & capreæ more, hinnuliq; ceruorum salientem in montibus, transilientem colles. Quanta auiditate accelerat vt sanctam visitet mentem? Nisi prius audisset, vtique non vidisset: quia scriptum est, *audi filia, & vide*. Et iterum *auditui auditui meo dabis gaudium & lætitiam*. Auditus acutus viam facit oculo ad intuendum diuina. Si properat, ne mireris: quia scriptum est, *velociter currit sermo eius*. Si salit, nil mirum; *quia viuus est sermo Dei & efficax*. Si *in montibus*, & id notissimum, quia scriptum est, *illuminans tu mirabiliter à montibus æternis*. In montibus salit, colles transilit, quia in sublimioribus mentibus spiritu feruido ebullit, humiliores autem saltu grandi transilit, neque pede tangit. In montibus altis prius Deus videri solet, quam in seipso; veluti si quis orientem Solem in culminibus prius videat. Sed qui prius à longe videbatur, celeri cursu, immensa spatia peruolans, ecce adest *en ipse stat post parietem nostrum*. O macer iam carnis ingratam, ô parietem corporis odiosum, ô quis te dissolueret, vt tantæ pulchritudinis aspectum non impedias. Quam merito exclamat Apostolus ad Roman. capite septimo *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* sciens quia quamdiu est in corpore, peregrinatur à domino. Neque tamen iam omnino post parietem occultatur, sed *respicit per fenestras, prospicit per cancellos*, neque omnino latens, neque omnino patens.

Iob 4.

Psal. 44. Iob 42.

Psal. 147

Hebr. 4.

Psal. 75.

2. Cor. 5.

Cant. 2.

Gradus quidam cognitionis

quibus Deo cognoscitur.

Supra postulauerat *indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie?* & id quidem non obtinuit, quia multum est ad illam: sed tamen precibus & fletibus impetrauit, vt videat illum saltem per cancellos. Quantum consonat huic sententiæ beatus Iob? *In manibus* (inquit) *abscondit lucem, & præcipit ei vt rursus adueniat. Annunciat de ea amico suo, quod possessio eius sit, & ad eam possit ascendere* Manibus Dei conclusa lux, per digitorum rimulas, hiantis animæ obturus subita fulguratione percellit & pertransit, repetitisq; coruscationibus, subito radio suæ claritatis perstringit; & illico adumbratur, quoniam diutius illum sustinere humanus intuitus nequiret. Hæ sunt fenestræ, hi cancelli, per quos prospicit, & prospicitur Deus. Fœlix anima, quæ vel sic in hac vita eum prospicere meruit, quam Dei clara visione nihil iam diuidit, nisi carnis huius paries cito soluendus; quæ interdum cancellata iam visione perfruitur, an sit in corpore vel extra corpus ignorans, sed sicut Elias ad ostium suæ speluncæ posita, Deum pertranseuntem aliqualiter intuens. Hinc Apostolus. 2. Corin. 3. *Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur. Qui habet aures audiendi audiat:* & qui non habet, petat humiliter & dabitur ei. Sed quantæ fœlicitatis est quod sequitur? *& dilectus meus loquitur mihi.* Quantæ iucunditatis dilecti viuas percipere & reddere voces, & non iam per ænigmata submurmurantem, sed palam de patre suo loquentem audire? sicut in Euangelio promiserat dicēs. *Venit hora cum iam non in prouerbiis loquar vobis, sed palam de patre meo annunciabo vobis* Quod etiam in hac vita in sanctis impleri existimo, quando non iam per scripturas, sed per seipsum alloquitur eos; & impletur quod scriptum est, *erunt omnes docibiles Dei.* Cum sic spiritus loquitur, omnis litera fastiditur: sed quid ei locutus fuerit audiamus, gratissimum enim est nosse, quid mundis spiritibus & perfectis in ecstasi sua loquatur Deus, & quid cum eis confabuletur, & quamuis illud inenarrabile sit, ista tamen exprimit prout potest. *Surge* (inquit) *propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni: iam enim hyems transiit, imber abiit, & recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos; vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge propera amica mea, speciosa mea & veni. Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna macteriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Sed dilectam suam sponsus alloquitur, & ad sodales conuersus, *Capite*, inquit, *nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas*: nam vinea nostra floruit. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua domine, super melori meo?* Quis mortalium tam duleiter amicam suam alloquitur? Sed ad hæc intelligenda quis idoneus? Properantem stimulat, & sponte currenti calcaria addit; incitat, prouocat, vrget, vt veniat, quæ nihil aliud quam peruenisse desiderat. O si parietis obstaculum tolleretur, quam cito veniret? neque semel quidem, sed iterum atque iterum replicat, vt surgat, vt acceleret, vt properet, vt veniat. Sed quo aduolabit columba, nisi in foramina petræ, & in cauernam macteriæ? vbi scilicet tuta nidificet, & pullos suos foueat, & gratum sibi germen multiplicet. Quid hoc sit experientia penitus ignoro, sed quendam ex sanctis audio, multiplicibus exaggerantem sermonibus, quid suauitatis, quid consolationis, quid gaudii & iucunditatis hauriatur ex fontibus Saluatoris, si casta columba, domini corporis nouerit penetrare secreta, vulnerum intrare foramina, &

Iob 36.

Psal. 84.

3. Reg. 19.

Luc. 10.

Ioan. 16.

Ioan. 6.

Psal. 118.

Isai. 12.

intra-

intra sacrum crucifixi pectus tutam sibi parare mansionem. Hoc inquam fateor nondum intelligo, neque experiri promerui: sed quicquid illud est, magnificum & præclarum est: & ad hoc omnem hanc sponsi exhortationē tendere, nemo est qui non videat. Pectoris sui columbarium offert, columbam pulcherrimam ad illud inuitat vt festinet. Sed quantis eam titulis honorat? *Amica mea, columba mea formosa mea*: vt decoris eius gloriam & amoris eius in eā vim pandat. Nisi enim esset amica, nisi formosa, nisi columba, petræ cauernas penetrare non posset, neque ardua maceriæ foramina aduolare. Nō est hoc adolescentularum; non quarūmlibet animarum, sed columbæ, quæ volatu celeri, temporalia cuncta perranſit, & pennarum multiplici varietate plumescit: neq; quolibet etiam tempore, sed vere nouo, cum serenitas lucida placidas auras temperat ad volatum. Imbribus enim & tempestatibus ingruentibus, quamuis acer, quamuis præpes, nequit aduolare columba: sed post cō stringentium peccatorum frigidam hyemem, post inundantium tentationum tempestuosam illuuiē, post dissolutam hærentis tepiditatis glaciem, & nocturni timoris fugatum algorem, postquam coruisco Solis ardore bonorum desideriorum flores in frugifero mentis solo prodire cœperunt, postquam vernare cœpit hispidus ante & aridus cordis hortus, post resecatas omnium vitiorum passiones, & temporaliū solicitudinum amputatas curas atque dissectas, postquā clari luminis fulgore turtur inuitata, synderesis pro commissis reatibus gemebunda vocem emisit, & flante austro lachrymarum inundantes imbres fœdas criminum maculas diluerunt, postquam grossos suos, ideſt, pinguissimos charitatis affectus, arens prius voluntatis siculnea spiritu fœcundante protulit, & viribus animæ calentes vineæ flores cum odore dederunt, post serenatam mentem, & ab omni labe mundatam, post vernantem animam, & ab omni perturbatione tranquillam, post hæc (inquā) omnia, *Surge, propera amica mea, speciosa mea, & veni columba mea, in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ.* Tunc quid intra dominici pectoris alueum mellis & faui lateat degustare, tunc Spiritus sancti secreta timari, tunc cœlestium sacramentorum abscondita penetrare, & de fontibus Saluatoris aquas in gaudio haurire, tempus est. Ex tunc fidei nebula penetrata, in culmine montis arduo, super omnem caliginem constituta mens, & sicut Moyses intra foramina petræ conclusa, transeunte domino, etsi non vultus splendorem, certe posteriora eius, vtcunque videre poterit, non quidem clara, sed sicut diximus, cancellata visione. Tunc digna inuenietur anima, reuelata facie gloriam dilecti sui speculari, vt in eandem imaginem transformetur, vnde tunc merito dicitur ei: *Ostende mihi faciem tuam, Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Prius quidem velato vultu propter maculas, gloriam dilecti sui contemplabatur, neque enim poterat intendere nude in gloriam vultus eius, propter excellentiam fulgoris, iam digna est, vt reuelata facie videatur, & videatur, & videat vt audiatur & audiat: & ex consortio diuini sermonis fulgida quoque de monte ipsa descendat. Tunc sonare poterit vox eius coram domino, cum orationis dulcedine faciei decor commendat: non enim est *vox dulcis, nisi facies sit decora.* Decora sit oportet aspectu, quæ tanti Regis optat delectari colloquio. Fœlix cui datum est, hæc omnia quæ supra diximus prægustare. Hæc forsitan ille optauerat, qui dicebat: Psalm. 54. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?*

Isai. 12.

Exod. 33.

2. Cor. 2.

2. Cor. 3.

ſcam ? Huiuſmodi columbæ nihil eſt iam quod timeamus à beſtiis: *in arduis poſuit nidum ſuum, in petris manet, & in præruptis ſilicibus, & inaccessis rupibus commoratur* : vbi neque ſerpens igniuomus, neque venenata vipera, neque faſcinans oculo baſilicus irrepat. Inde iam ſecura contemplatur eſcam, & oculi eius terram deſiderabilem de longe proſpiciunt. *Pulli eius in nido tuti lambunt ſanguinem, & vbicunque fuerit præda, ſtatim adeſt.* Non eſt (inquam) quod iam aſpidem, & baſiliſcum, leonem atque draconem pertimeat, ſed & beſtiæ terræ pacificæ ſunt ei: reliquum eſt ſolum, vt caueat florentibus vineis à vulpeculis, quæ demoliuntur vineam. Caueat vulpecularum dolos, ne ſub ſpecie ſanctitatis deludant: ne transfigurato Satana in Angelum lucis, ſpiritu puro, & ſimplici dolum iniiciat. Huiuſmodi enim ſpiritibus mundis Satanas non ſe audet iam monſtrare ſicuti eſt, quoniam ſtatim ſpuitur: non audet aperte ingerere mala, ſed ſub ſpecie boni decipere tentat. Caueat inquam illuſiones, caueat immiſſiones, caueat reuelationes falſas decora columba: non facile credat omni ſpiritui, *ſed probet*, & examinet prius, *an ex Deo ſit*. Caueat ſibi à vulpeculis iſtis callidis, capiat eas, & ſtatim moriuntur. Sufficit enim ad omnem ſecuritatem ſi capiantur : nam deprehenſæ penitus nocere non poſſunt. Sed quis eas, aut vitare, aut capere poſſet, niſi ſodalium, id eſt angelorum ſubſidio fulciretur ? Illi eas faciliter capiunt, qui eas aperte norunt, & fraudes earum intelligunt: illi eas, & pandunt, & capiunt, vnde ad eos magis quam ad columbam ſermo dirigitur. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas : nam vinea noſtra floruit.* In flore quam in fructu maius eſt periculum, nam affectuum flores teneriores ſunt, & halitu vulpecularum fœtido facilius marceſcunt: fructibus bonorum operum dentem infigere non ita poſſunt. Hi ſunt ſodales, quibus mandauit dominus, vt cuſtodiant vineam ſuam in omnibus viis ſuis, ne dirupta ſepe vulpeculis aditus vſquam pateat. Hi ſunt fideles cuſtodes Hieruſalem, *qui die ac nocte non tacent*, vt vulpeculas callidas ſuo clamore deterreant, & illæſos domino vinearum noſtrarum flores cuſtodiant. Hæc deſponſi cantico dicta ſint, nunc quid ipſa columba reſpondeat audiamus. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia.* Et nihil amplius, ô dilecta, ille tibi, & tu illi, & nihil vltra ? Vtique nihil amplius : nam quod amplius eſt, ex ſuperfluo eſt. Solus mihi ſufficit, ſolus abundat, ſolum cupio : quicquid ille non eſt, egeſtas mihi eſt : ille ſolus mihi, & ego quidem non ſola, ſed ſolum illi. *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terra Deus cordis mei* ? vtique *pars mea*, & ſors mea, tu *Deus in æternum*. Beata mens cuius iſta ſunt verba, quæ in veritate dicere poteſt, *dilectus meus mihi, & ego illi.* Nihil his verbis ſuperaddendum puto, ſic dicta fortius ſonant : quicquid ſuperaddatur, huius eloquii minuit grauitatem. *Qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ.* Non paſcitur dilectus carnibus, peponibus, cæpis, & cucumeribus de Aegypto, ſed roſis & floribus. Vernantes flores apponat, qui illum ad cœnam inuitare deſiderat, ſicut in Apocalypſi ait. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo : ſi quis mihi aperuerit, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Quid ſtulta ſynagoga ſacrificiorum illi millia propinas ? quid tauros pingues, hircos, arietesque perquiris? *Nunquid manducabit carnes taurorum aut ſanguinem hircorum potabit? Immola Deo ſacrificium laudis* : rubentes roſas perquiro, lilia candentia ex hortulo cordis appone : his enim

Iob.39. *Anima cõtemplatiua quatenus ſecura, & quatenus in metu eſſe debeat.* *Ibidem.* *Cadauer.* *Can.2.* *2.Cor.12.* *1.Ioan.4.* *Pſal.90.* *Matt.5.* *Pſal.72.* *Apoc.3.* *Pſal 40.* *Prou.5.*

enim gratissimus hinnulus, virgo virginis filius libenter vescitur. Si quid crassum, si quid esculentum in mensa viderit, offenditur, & abscedit: quoniam tenerrimus, & delicatissimus est. *Hic pascitur inter lilia* ibi pascit in meridie: pasce illum ad modicum, vt pascaris in sempiternum: neque enim semper pascetur ille, *sed donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Nunc tempus est de quo ait, *Esurijui, & dedisti mihi manducare: sitiui, & dedisti mihi bibere. Tunc autem præcinget se, & faciet suos discumbere, & transiens ministrabit illis* pro liliis, suauissimum nectar, & pro floribus, & rosis, *manna absconditum, quod nemo nouit, nisi qui accipit.* O dies iucunda quando aspirabis, ô vmbræ ingratæ quando declinabitis, vt sedere possim cum dilecto meo, ad mensam eius, in regno eius? Quando illucebit dies illa serena, quæ ignorat tenebras, & nescit occasum? quando phantasmatum vmbræ declinabunt, vt non videam *iam per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem, & sic cognoscam, sicut & cognita sum*? quando intelligibilia pulchra, non in phantasmatis, sed in seipsis, prout sunt, nude & aperte videbo? quando fidei vmbra cessabit, & sublatis sacramentorum velaminibus, iam non exemplaria virorum, sed veritatem ipsam limpidissimis oculis contemplabor? Dixit, & amplexari volenti, velut fulgur transiens, subito dilectus euanuit. Abiit ille citus, vacuosque conantis reliquit amplexus. Clamat post illum furens, aurasque totas clamoribus replet. *Reuertere: similis esto dilecte mi capreæ, hinnuloque ceruorum super montes Bethel.* Sic ne amantem deseris? sic tui ardentem dilectione relinquis? Longius ne abeas obsecro, saltem redire memento. Redi cito sponse, æstuantisque pectoris incendia rora: non quidem, vt sicut bos lassus fortius vestigia premas: scio enim consuetudinem tuam, mores que tuos optime noui, non diu mente hæres, non longo tempore hospitio esides: oro saltem, vt redeas velociter *similis caprea, hinnuloque ceruorum super montes Bethel.* Non modo ista in similitudinem hinnuli super montes aromatum se obsecrat, visitari, quia hoc multum est ad illam, sed in similitudinem hinnuli super montes Bethel, id est sicut sanctorum vertices in mortali specie visitare consueuit. Bethel domus Dei interpretatur, & iuxta Apostolum; hæc est ecclesia cuius montes sunt sublimes sanctorum mentes: in quibus, sicut supra diximus, hinnulus gratissimus feruore spiritus frequentius salit, & subsultat. Communis, & vsitata apud deuotas animas hæ spiritus vicissitudo est: *spiritus* enim *pertransijt in illa, & non subsistit*: peruolat eas, quasi damula, & sicut ceruorum hinnulus, & sicut fulgur in oriente apparens, euanescit statim: sic est aduentus filii Dei ad animam. Quia ergo non est stabilis, vt in beatis, petit saltem repetitis vicibus visitari, & ea velocitate percurri, qua soleat sublimes sanctorum mentes, sicut hinnulus peruolare. Hic primi cantici finis est, quo subtili dulcique modulatione mutui amoris insignia dilectus, & dilecta versibus alternantibus cecinerunt, in quo mirabilem ordinem attende. Post fidei vmbram sequitur deuotionis fructus post fructum, ebrietas, post ebrietatem languor, post languorem somnus, post somnum ecstasis, in qua audit ab ore dilecti arcana verba, quæ non licet homini loqui: cuius suauitate repleta, euigilans se totam illi offert, & abeuntem, vt iterum redeat humiliter deprecatur.

Can. 1.

Matt. 25.

Luc. 17.

Apo. 2.

Anima Deum quærens anxia sitis.

1. Cor 13.

Heb. 9.

1. Tit. 3.

Prou. 5.

Psal. 102.

Matt. 24.

1. Cor. 12.

CAP.

Cap. III.

ABiit ille, remansit illa iucunditate, & lætitia repleta, exultans spiritu ex gratissimo sponsi sui colloquio, intra se pertractans quæ audierat ab illo, & eadem sedulo mente reuoluens Sed nõ diu quieſcit amor, longas non sustinet dilectio moras; iterum dilectum sitit, placidos iterũ quærit amplexus, dulcia rursus expoſcit oſcula. Per vicos, & plateas sitibunda discurrit, bacchatur furens, si forte possit inuenire quem amat: eo vtique furiosior desiderio, quo fuerat ante plenior gaudio: ardentius enim sitit, postquam gustauit. Hoc est quod ait. *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea.* Non in circo, sed in lectulo; non in negotio, sed in otio; non inter æstuantes sæculi procellas, & negotiorum strepitus, sed inter quietæ contemplationis blanditias, placidoſque receſſus, *in lectulo meo* per noctes quieta *quæsiui*, sed non inueni, quia nocte quærebam; non erat in lectulo, sed in patibulo. Anima mea desiderauit te in nocte, sed spiritus meus in præcordiis meis, & vbi inueniam te? Per noctes quæsiui. Omnes creaturas corporeas animo perlustraui, omnes meos sensus requisiui. *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* Et respondit mihi visus, si non est color, aut lux, nescio eum. Respondit auditus, si nõ est sonus, aut melodia, nescio eum. Respondit gustus, si non est sapor, aut dulcedo, nescio eum. Respondit tactus, si non est mollities, aut læuor nescio eum. O sensus hebetes dilectꝰ meus lux est, pulchritudo est, fragrantia est, melodia est, dulcedo est, suauitas, & mollities est, sed vos non pertingitis ad illam. Dicite cœli, sol, astra, mundus, num quem *diligit anima mea vidiſtis?* Respondent mihi non sumus nos dilectus quem quæris, opera eius sumus ipse fecit nos, & non ipsi nos; transi, & forsitan inuenies eum. Percontata sum intellectum meum, si forsan vidisset eũ; & ait ego quidem sine phantasma te non intelligo: vide an dilectus tuus aliquod phantasma sit. Non est, inquam phantasma, sed veritas, quid faciam misera, vbi quæram eum in nocte obscurissima? Dego densissimis tenebris inuoluta, lucem illam placidissimam non attingo quocunque me vertam inuenio nisi atram noctem: & lux quidem in tenebris aliquo modo lucet, sed tenebræ eam non comprehenderunt: intra omnia, & non inclusus: extra omnia, & non exclusus. Quid ergo? desperabo, quia non inuenio? Non vtique; nam ingenuæ mentis rei difficultate non vinci, negotii arduitate non superari. *Surgam, & circumibo ciuitatem,* per vicos, & plateas, si forte appareat in sanctis; qui non illuxit in creaturis: scio enim quia templum Dei sunt, & dilectus inhabitat eos; sicut scriptum est, *inhabitabo in eis, & inambulabo in eis* Circumibo itaq; non solum religionum arctissimos vicos, sed & platearum secularium amplissimas, latissimasque plateas. nam in illis solet quandoq; deambulare dilectus. *Spiritus vbi vult spirat*, & nũquam inuenitur in theatro, quod non inuenitur in clausstro. Omnes ergo vitæ præsentis vias arctas, & latas diligenter perlustrabo, si forte in aliquo montium mihi resplendeat sol iustitiæ, quem requiro *Quæsiui illum, & non inueni:* & heu misera, iam quo ibo? Quæsiui in creaturis, quæsiui in sanctis, nusquam apparet: neque tamen à quærendo desistam, donec inueniam. Ipse enim dixit *quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Veritas est, mentiri non potest verbi eius pignus habeo, & promissionis illius certissimum arrhabonẽ. Sed vbi quæram illum: vbi inuestigabo eum? Cum hæc itaque mecum anxia mente reuoluerem, ecce adsunt. *Vigiles, qui custodiunt ciuitatem;* non ego quærebam eos, sed ipsi inuenerunt

Psal. 99. *Ioan. 14.* *Ioan. 1.* *1. Cor. 3.* *2. Cor. 6.* *Ioan. 3.* *Matt. 7.* *Ioan. 16.* *Gen. 43.*

uenerunt me; commota enim sunt viscera eorũ super anxietate mea, & miserti sunt æstuantis amoris mei. Vigiles (inquam) illi qui positi sunt custodes super Hierusalem, *& die, ac nocte non tacebunt laudare nomen domini*: vigiles de quibus Propheta prædixerat olim in sententia vigilum decretum est: hi vtique *inuenerunt me*, & qui lenire debuerant amoris flammam, amplius succenderunt eã. Plagis suauibus, non doloris, sed amoris percusserunt me; placido vulnere vulnerauerunt me sponte currenti calcaria, & nimis ardenti ignitos carbones addiderunt. *Tulerunt pallium meum*, & veteri me tunica spoliauerunt, vt libero cursu prosequerer fugientem. Non vos requiro Angeli, vestro non satiatur sitis mea decore: *num quem diligit anima mea vidistis?* Scio quia vidistis, vbi eum inueniam dicite mihi? Non verbis, sed plagis: non sermonibus, sed vulneribus mihi responsum est. *Et paululum eum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea.* Circumiui omnia, pertransiui omnia, lustraui omnia, lustraui sensus, lustraui cœlos, lustraui sanctos, lustraui angelos, *& paululum cum pertransissem eos* quem desiderabam inueni. O sedulam inuestigatricem, ô fœlicem repertricem; grandia hæc loquitur fratres, nescimus quid dicat, interrogemus quempiam ex sanctis, si forte hunc nobis locum exponat: neque enim facile est corporalia omnia perlustrasse, sanctos omnes percurrisse, ad angelos peruenisse, & vltra transisse. Quæramus expertum, qui huius labyrinthi explicet vias: quid enim hoc sit, fateor penitus ignoro. Sed aquilam grandem, magnarum alarum plenam, plumis, & varietate per medium cœli volantem intueor, corporalia omnia, temporalia omnia, cœlestia omnia pertranseuntem, & ad dilecti solium volatu celere penetrantem, huius aquilæ verba ponamus: de se, & matre sua, quæ & ipsa sponsa erat, talia proloquitur. *Colloquebamur soli valde dulciter, & præterita obliuiscentes, in ea quæ ante sunt extenti, quærebamus inter nos apud præsentem veritatem, quod tu es, qualis futura esset vita æterna sanctorum, quam neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascendit: sed inhiabamus ore cordis in superna fluenta fontis vitæ, qui est apud te, vt inde proportionem nostro aspersi, quomodo rem tantam cogitaremus. Cumque ad eum finem sermo perduceretur, vt carnalium sensuum delectatio quantalibet, in quantalibet luce corporea, præ illius vitæ iucunditate, non comparatione, sed ne commemoratione digna videretur, erigentes nos ardentiore affectu in idipsum, perambulauimus gradatim cuncta corporalia, & ipsum cœlum, vnde sol, & luna, & stella lucent super terram, & adhuc ascendebamus interius, cogitando, & loquendo te, & mirando opera tua, & venimus in mentes nostras, & transcendimus eas, vt attingeremus regionem vbertatis indeficientis vbi pascis Israel in æternum veritatis pabulo, & vbi vita sapientia est, per quam fiunt omnia ista, & quæ fuerunt, & quæ futura sunt, & ipsa non fit, sed sic est, vt fuit, & sic erit semper, &c. Et dum loquimur, & inhiamus illi, attigimus eam modice toto ictu cordis, & suspirauimus, & reliquimus ibi religatas primitias spiritus, & remeauimus ad strepitum oris nostri, vbi verbum, & incipitur, & finitur.* Et infra. *Vt talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ cui suspirauimus, nonne hoc est intra in gaudium domini tui?* Hæc Augustinus. Quid obsecro huic loco consonantius, quid aptius inueniri potuit, quod sic eum nobis interpretaretur, sicut hæc Monicæ, & Augustini ecstasis? Certe vidistis sponsam toto cordis nixu dilectum perquirentem, omnia transcendentem, & ad ipsum licet modice pertingen-

Dan. 4.

Exech. 17.

August. lib. confess 9. c. 10. Ioh. 14. August. & mater Monica quærentes Deũ inueniunt. 1 Cor. 2. & Isa. 64.

Rom 8.

Matt. 25.

singentem: iam vero quod sequitur, *tenui eum, neq; dimittam donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ*, apertiorem habet intelligentiam. Nullus enim dubitat quin tenaciter adhæserit inuento, quæ tam anxie prius quæsierat eum: & qui adhæret Deo vnus spiritus est: quomodo ergo deseret eum, cui sic ex gratia vnita est? *1. Cor. 6.* *Rom. 8.* O charitatis glutinum quam fortiter ligas? *Certus sum* (inquit Apostolus) *quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro.* Id ipsum ista nunc loquitur. *Tenui eum, neque dimittam.* Nulla ratione, nulla causa, nulla persecutione, nulla tribulatione, sed neque ipsa morte, ab eius amore potero separari? Sæuiat tyrannus, fremat Gentilis suspendat equuleus, vngula fodiat, ignis adurat, gladius scindat, grassetur persecutio, instet occisio, præsentem intentent omnia mortem, *tenui eum, neque dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ* illius, *Gal. 4.* *Iacob 2.* inquam, supernæ Hierusalem, quæ est mater mea, & verbo veritatis genuit me. Mirabile hoc: ita ne? tu sponsa, tu in hoc cubiculum introduces illum? An non potius è contrario ipse introducet te? Obsecro te, quid ais? Nisi ille venisset, nisi duxisset, nisi sanguine suo huius cubiculi ianuã aperuisset, quis vnquam hominum in illud introire potuisset? & tu ais, *donec introducam illum in cubiculum genitricis meæ.* *Can. 1.* Cellam vinariam, nisi potentia eius manu ducta intrare non potuisti, quomodo per te cęlestis gloriæ cubiculum penetrabis? Non potuisti quod minus est, quomodo poteris quod maius est? Attendite fratres; quia hic sapientia est quæ introducta fuerat à rege in cellam vinariam, nunc vicissim ipsa introducere eum gloriatur in cubiculum genitricis suæ, quasi vicem illi reddens pro vini mercede, cubiculum genitricis suæ. Sed quomodo ipsa introducat eum, & non e conuerso difficultas est. Vnde nobis hic locus panderur? Verique ex psalmo. *Quoniam* (inquit) *misericordiam & veritatem diligit Deus, gratiam, & gloriam dabit dominus.* *Psal. 83.* Singula singulis, suo ordine referãtur. Quoniam misericordia diligit Deus, dabit gratiam: & quoniam veritatem diligit, dabit gloriam. Gratia ergo ex pura misericordia, gloria vero etiam ex veritate, id est ex operibus bonis. Quodammodo in cellarium spiritus inebriantis gratis rex introducit quos vult: in cælestis Hierusalem cubiculum, oportet vt quisque bonis operibus introducat eum. Gratia ex puro dono, alioquin si ex operibus, iam non est gratia: gloriæ autem retributio non ex mero dono sed etiam ex merito. *Rom. 11.* Quia igitur, & ipsa sponsa gratiæ cooperatur ad ingressum gloriæ, merito iactari potest dicendo, *donec introducam eum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ*: domum propter amplitudinem cubiculum propter quietem. Sic enim psalmus variis nominibus beatitudinem illam nominare solet: nunc *tabernaculum*, nunc *atrium*, nunc *domum*, nũc *sanctuarium*, nunc *templum*, vt pro varietate vocabulorum, eiusdẽ gloriæ functionum varietas denoteur. *Psal. 83.* *Psal. 14.* *Psal. 22.* *Psal. 72.* *Psal. 10.* Et vere si eum sicut promittit tenuerit, si illi firmiter adhæserit, introducet eum, & introducetur ab eo in abditissimum cubiculum beatorum, *& transibit cum eo in locum tabernaculi admirabilis, vsq; ad domum Dei.* Potest cubiculum hoc genitricis aliter interpretari, sicut inferius exponemus. Sed hæc postquam sponsum *Psal. 41.* inuenit, in brachiis eius iterum obdormiuit: vnde rursus ille filias Hierusalem, per capreas ceruosq; cãporum

rum adiurat, ne eā ſuſcitent, aut euigilare faciant, donec ipſa velit: & hoc toties faciet, quoties eam ſenſerit obdormiſſe. Vnde ſi diligentius aduertas, nunquā adiurationem hāc adiunctam reperies, niſi vbi profundus contemplationis ſomnus præceſſerit: & quod ita nunc ſit ſequentia manifeſtant. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarii?* Sodalium verba ſunt admirantium ſponſæ *aſcenſiones, quas diſpoſuit in corde ſuo in valle lachrymarum, in loco quem poſuit.* An non ſupra modum aſcenderat, & volauerat, quæ cuncta pertranſiens ad angelos peruenerat, & vltra tranſierat donec pertingeret ad dilectum? Bene autem per deſertum aſcendere dicitur, de quo dominus per prophetam. *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius, ex eodem loco, & vallem Achor ad aperiendum ſpem.* O gratiſſimam ſolitudinem, vbi ſola cum ſolo Deo quieſcit anima: ô ſilentium iucundum, vbi omnia ſilent, & leni auditur murmure perſonans dilecti vox. Hæc ſolitudo eſt, in qua poſt occiſos Aegypti primogenitos, poſt ſubmerſos Pharaonis currus, poſt relictam Aegyptum, & tranſitum maris rubri, in pace, in tranquilitate ſpiritus cæleſte manna guſtatur, & aquæ Marath crucis ligno in dulciſſimas permutātur. Hæc eſt illa ſolitudo: de qua propheta. *Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine.* Anima quæ adhuc ſæculi ponderibus aggrauatur, non poteſt volatu celerice cleſtia penetrare: quo modo enim volabit, quomodo eleuabitur ad ſublimia, negotiorum, & cupiditatum pedicis irretita? O ſolitudo amœna, deuotioni, & contēplationi aptiſſima, vbi nunquam eſt anima minus ſola quam cum ſola. Per hanc aſcendit feruens, & deuota mens, *ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarii.* Varia nāq; virtutum pigmenta, igne charitatis in thuribulo cordis aduſta, ſuauiſſimū Deo, & angelis odorē ſpirant, perq; rectum veritatis tramitē, velut virgula fumi anima erigitur ad ſublimia. Via hæc purgatiua eſt, cum mēs quæ clarā nequit adhuc emittere flammā, fumat quidē, ſed ſuauiſſimum odorem: quæ poſtquam in clarā lucem ex fumo profecerit, audiet iterum à ſodalibus. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut aurora conſurgens?* Cant. 6. Gen. 15. Abraham enim in illo ecſtatico ſopore, in quo repromiſſionem accepit, prius chibanum fumantem, & deinde lampadem ardentem intuitus eſt. Sed ab hoc gradu mediæ viæ illuminatiuæ, rurſus ad ſupremum gradum perfectionis conſcendens, quando iam non ſolum olfacere, non ſolum videre, ſed & guſtare diuina meruerit, audi poſtremo. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum.* Cant. 8. His itaque gradibus anima proficit aſcendendo: primo ſuauiter fumat, deinde lucide ſplendet, tandem affluenter deliciatur, cum ad culmen perfectionis peruenerit: Quamuis hanc triplicem animæ aſcenſum, poſſimus aliter interpretari: tripliciter enim Deus adſe rapit animam, aut per viam fetuoris, & deuotionis, & de hac dicitur: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi, &c.* Cant. 8. aut per viam luminis, & intelligentiæ, & de hac dicitur: *quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut aurora conſurgens*, &c. aut per viam delectationis, & gaudii, & de hac dicitur: *quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens*, &c. Triplici itaq; hāc quæſtione triplex raptus cōtemplationis deſignatur, quo ſoler ſuper ſe leuari mens. Et bene ponitur, in deſerto, aut per deſertū: quia ſcriptū eſt *ſedebit ſolitarius, & tacebit quia leuauit ſe ſuper ſe.* Thre. 3. Quam apte, q̄ concinne anima ſpiritu deuotionis feruida

Pſal. 83.

Oſee. 2.

Exod. 11.
Exod. 14.
Exod. 16.
Exod. 15.
Pſal. 54.

virgulæ fumi ex aromatibus comparatur? Ignis enim ille, qui super Apostolos in die sancto Pentecostes
Act. 2. de cælo descendit, aromata sanctarum meditationum, bonorũ desideriorum, compunctionum, deprecationum, spiritualium virtutum, & affectionum, in cordis thuribulo dispositа, & præparata, sua virtute accendit, & adurit: quo calore excitata mens, velut spiramentum fumantis odoris rapitur ad cælestia. Hæc sunt aromata myrrhæ, id est compunctionis: & thuris, id est deuotionis: & *unguenti pulueris pigmentarii* id est spiritualium omnium affectionum: quibus offertur domino sacrificium matutinum in ara cordis in odorem suauitatis: hoc est sacrum illud thymiama odoris suauissimi, quo suffitu Deus colitur in sacris, confectum opere pigmentario, id est spiritus sancti virtute, quo nemo vtitur in prophanis. De aliis animæ ascensionibus suis in locis latius differemus, nunc quo zelo, qua vigilantia sodales huiusmodi animam custodiant, audiamus. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios & ad bella doctissimi vnusquisque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* O quomodo eam zelant virginem eam castam exhibeant sponso suo? Lectulum Salomonis floridum, id est quietam, & deuotam animam, in qua rex cœlorum in contemplatione quiescit, à spiritualibus nequitiis solicite angeli custodiunt ne eam infestent atque perturbent, regemque in ea quiescentem strepentes excitent à sopore. Valde enim eam dæmones à contemplationis pace perturbare conantur, inuidias, æmulationes, detractiones malorum, contra eam sæpius excitantes, & interdum subhorribilium phantasmatum formis, vt eam perterreant, visibiliter apparentes. Vnde recte dicitur, *propter timores nocturnos*: id est occultas dæmonum insidias, & latentes illusionum fallacias à quibus maxime illi timendum est: quoniam huiusmodi contemplatiuis angelus satanæ sæpius in angelũ lucis se transfigurat. Hi sunt custodes Hierusalem: quibus mandauit dominus de anima sancta, vt *custodiant illam in omnibus viis suis, ne forte offendat ad lapidem pedem suum*, & in aliquo peccato cadat; maxime superbiæ, cum se viderit sublimiter ascendentem. Sed quales isti sunt attendamus fortes ex fortissimis, tales enim satellites ad sui corporis custodiam reges eligere consueuerunt. *Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.* Quibus verbis eorum potentia, & sapientia ad arcendos dæmones designatur: & quia semper in procinctu sunt, adiungitur. *Vnusquisque ensis super femur suum, & hoc propter timores nocturnos* sicut diximus, Sexagenarium numerum; dum aliud non apparet; ad perfectionem numeri referendum puto: hæc autem anima contemplatiua; & perfecta, quæ propter contemplationis quietem Salomonis lectulus dicta est, propter vitæ præsentis peregrinationem ferculum nuncupatur: vnde qualis sit; & quibus moribus adornetur, consequenter exprimitur. *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani. Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: media charitate constrauit propter filias Hierusalem.*
2. Cor 11. *Eph. 6.* *Psal. 90.* *2. Cor. 11.*

Habet noster Salomon iumentum; habet equum, & currum, habet vehiculum siue ferculum, quibus per viam huius sæculi ambulat in Hierusalem. Anima simplex, & iusta asina est, aut pullus, quo mitis, & mansuetus defertur in ciuitatem. Vir perfectus, & potens honoris Dei zelator, equus Salomonis fortissimus quo potenter inimicos sternit. Vir apostolicus, & sanctus, currus Christi, quo mundum fidei suæ subiugat. Talis erat Paulus, anima-

Anima hominis, nunc iumẽti, nũc equi, nunc vehiculi nomen accipit ob diuersas rationes.

quie-

quieta, & contemplatiua, Salomonis ferculum siue vehiculum, quo quiete, & pacifice per viam huius seculi defertur in Hierusalem: hæc eadem lectulus, in quo quieſcit. Qualis vero ista sit, aut esse debeat, audiamus. *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani.* Fortibus, candidis, sublimibus, imputribilibus per quæ virtutes morales designantur, quibus maxime à vitiorum corruptione liberamur. *Columnas eius fecit argenteas.* Hæ sunt virtutes Theologiæ, totius spiritualis ædificii potissimum firmamentum: quas ideo argenteas nominat, quia per doctrinam & verbi Dei auditum; in nobis maxime generantur: *fides enim ex auditu, & auditus per verbum Dei.* Habeat etiam necesse est huiusmodi ferculum reclinatorium contemplationis stratum, in quo ad tempus, ad soporem rex quieſcat, aureum torum, & cælestis gloriæ splendore coruscum: sed & ascensum purpureum, id est pœnitentiæ rigorem, & vitæ austeritatem, qua ascensus est ad spiritum: neque enim sine gradibus ad dictum reclinatorium peruenitur. Media vero, id est exteriorem conuersationem *charitate constrata*: id est, planam, humilem, modestam, & piam: *propter filias Hierusalem*, quas suo exemplo, & modesta, & humili conuersatione in regis obsequium deducere oportet: quæ quoniam delicatissimæ, & tenerimæ sunt, molliter, & suauiter cum amore deducendæ sunt. Tale sibi ferculum Salomon parauit in viam: nam in palatio, non iam ferculo, sed throno vtitur, non ligneo, sed eburneo: qualis in libro regum euidenter describitur. Hæc omnia sodales de sponsa pulcherrima id est anima perfecta, carmine dulcissimo disertissime personant, & ad adolescentulas conuersi, quid ad eas pertineat simili acrimonia modulantur. *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Vos (inquam) ô adolescentulæ quæ cum sponsa cuncta corporalia, & etiam angelos transcendere nondum nostis, quæ *sicut virgulæ fumi ex aromatibus* in cælestia aduolare nondum potestis, quæ *regem Salomonem* in decore suo, patris gloria coronatum, omnibus præsidentem, necdum inspicere meruistis, vos (inquam) nolite otiose per temporalia discurrere: est etiam aliquid quod vobis expediat contemplari. *Egredimini* à carne ad spiritum: *egredimini* à temporalibus curis, & negotiis sæcularibus: *egredimini* etiam si opus est, à corporeis sensibus: & *videte regem Salomonem in diademate* carnis, quo coronauit eum mater sua: mater sacra, mater pura, mater intacta, virgo regia, ex Dauid stirpe generata. Ita dico vobis, hanc coronam contemplamini, hanc amplectimini, hanc pensate, hanc diebus, & noctibus coram oculis vestris animo versate: erit vobis tum vtilissima, tum dulcissima, hæc carnis, & vitæ eius mortalis speculatio, quandiu ipsum Salomonem verbum in principio apud Deum, Deum de Deo, cum patre regnantem, inspicere non valetis. Sponsa enim etsi cognouit Christum secundum carnem, sed iam non agnoscit: vos autem in hac eius vmbra requiescite, donec lumen eius eluceat, & in eandem imaginem transformemur. (*Videte ergo regem Salomonem*) sapientissimum, & pacificum, pacem ipsam; qua omnia in cælo, & in terra pacificata sunt, in corona illa purissima, & decora, in quam *desiderant angeli prospicere, qua eum mater coronauit in die desponsationis illius* cum nostra natura, & in die lætitiæ matris eius, quando & ipse nostræ naturæ sociatus apparuit, & cor matris eius, supra quam dici, aut intelligi potest, immenso gaudio repletum est: & cum eum sic videritis

Anima contemplans, lectulus vocatur Salomonis.

Rom. 8.

3. Reg. 10.

Ioan. 1.

2. Cor. 3.

2. Cor. 3.

Cant. 1.

1. Pet. 1.

ritis si placet transire, & videte eundem *regem in diademate*, quo eum coram Pontio Pilato *coronauit mater sua*, synogoga: mater ingrata, mater impia, mater crudelis, & fœdifraga, in die passionis eius, & reparationis humanæ salutis. *Ioan.19.*

Hic secundi cantici finis, in quo de contemplatione, sicut in superiore de amore, disseritur: in quo si diligenter aduertas cõtemplationis scalam, modum, ordinem, varietatem, animæ contemplatiuæ ingenium, sponsi zelum, angelorum custodiam, methodo breuissima spiritu Dei descripta reperies: sed iam ad sequentia transeamus.

PARÆNESIS.

Nolui carere pius lector egregio huius concionis, de partu virginis, fructu: quã nos dum editionem paramus, sacraſque has conciones in aliqualem ordinem, pro ratione temporis, annuorumq; festorum redigimus latuerat, eademq; tunc non inuenta, modo reperta est. Igitur in postremam priorũ huius tomi partem, cum nonnullis alijs concionibus extra ordinem vagantibus, reiecimus.

De partu Virginis, Concio.

THEMA.

Antequam parturiret, peperit: & antequam veniret partus eius, peperit masculum. Quis audiuit vnquam tale? quis vidit huic simile? Isa. vlt. cap.

PRopheta Dauid sic ait. *Quis loquetur potentias domini, auditas faciet omnes laudes eius?* O Propheta, non vtique Angeli, non Archangeli, nec cherubim, neq; seraphim, solus potest dicere omnes laudes, qui nouit omnes excellentias, & virtutes, solus se potest perfecte laudare, qui potest se comprehendere. Omnis laus creaturæ ad id quod Deus est, quasi nihil est: vtinam vel illas laudes exhibereremus, quas sub pœna ingratorum, & perfidorum tenemur ei exhibere. *Confiteantur domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum: ipsa eum sua beneficia laudent*, nam homines non sufficimus. Verumtamen pius, ac misericors dominus, qui dignatus est nobis exhibere ingentia beneficia, ipse dignatus est ea quoque manifestare. Duplicatum beneficium: & quia dedit, & quia reuelauit. Psalm. *virtutem operum suorum annunciabit populo suo, vt det illis hæreditatem gentium.* Nam in naturalibus creator, qui herbis, & lapidibus pretiosis dedit virtutes ad sanitatem hominum, pro se manifestauit eas, alias frustra eas dedisset. Neque enim putandum est. *Auicennam, Hippocratem, & Galenum*, propriis viribus tanta de natura herbarum attigisse, sed quodam supernaturali instinctu, propter bonum hominum forte hanc peritiam consequuti sunt. Quod si quis contendat, ad hæc sequenda satis illi fuisse lumẽ rationis, & suam ac maiorum experiẽtiam, proculdubio in fidei mysteriis aliter dicendum est. Quis enim non dicam hominum, sed neque angelorum, cogitare potuit quod Deus homo fieri dignaretur? quod de puella nasci vellet, ipsa manente virgine? quod in præsepio reclinari, & pannis inuolui se permitteret? Hæc nisi Deus reuelasset, homo non cognouisset. Vnde Psalm. *Nunquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fecit eam altissimus?* Id est, est ne aliquis inter homines, qui præsumat dicere vel cogitare, quod creator de puella quam ipse creauerat nasci dignaretur, & habere in matrem creaturam suam vellet? Non vtique quispiam hoc auderet. *Psal.105.* *Psal.110.* *Psal.86.* *Ibidem.*

Sed dominus ipse narrauit in scripturis populorum, & ipso narrante cognouimus ipso reuelante credidimus. Rogemus ergo dominum,

vt qui tanta, & tam grandia nobis dignatus est facere beneficia, ipse ea nobis reuelet, ipse clarificet intellectum ad intelligendum, purificet cor ad sentiendum, inflammet affectum, ad laudandum, doceat linguam ad dicendum. Sed quem ponemus mediatorem, nisi virginem gloriosam? ipsa sit medium ad intelligēdum hæc mysteria, quæ fuit medium ad præstandum. Et vt velit hoc facere, offeramus ei consuetam salutationem. *Ave Maria.*

Triplex partus.

De triplici partu locuturi sumus, scilicet de partu virginali, de partu spirituali, de partu mystico: hoc est de triplici natiuitate, prima qua Christus nascitur ex Virgine, secunda qua verbum nascitur in anima, tertia qua Stephanus nascitur ab ecclesia.

Isaias Propheta, viso in spiritu per donum prophetiæ hoc tam alto, & tam mirifico dominicæ natiuitatis mysterio, admirans, ac stupens ait. *Isa. 66.* *Antequam parturiret peperit, & antequam veniret partus eius peperit masculum. Quis audiuit vnquam tale? quis vidit huic simile?* Nunquam profecto auditus, neque visus est talis partus ab initio, neque vnquam videbitur in æternum. Partus sine dolore, partus sine corruptione, partus sine anxietate, partus (vt ita dicam) sine partu, partus denique omni gaudio & iucunditate plenissimus. Et quidem in statu innocentiæ fuisset partus omnino sine dolore, & si patri *Augustino* creditur, sine corruptione: parerent namque, secundum eum mulieres integræ, & incorruptæ, sed nullus partus fuisset ita mundus, ita purus, ita sacer, & miraculosus. Quam pulchre scribit hunc partum idem prophera in alio loco dicens. *Isa. 35.* *Germinans germinabit sicut lilium, & exultabit latabunda, & laudans.* Germinans germinabit, quia sola germinabit, quia sine viro germinabit, *Simile.* sicut lilium. Optima similitudo: quam pulchre editus saluatoris ex virgine spiramini odoris ex flore comparatur? Nam sicut flos propter odorem suum non perdit decorem, cum odor emittitur; sic tu propter saluatorem virginitatis candorem non perdis cum nascitur. Et exultabit lætabunda, & laudans, id est, cum iubilo, & cantico inenarrabili. O virgo sacra, quis explicare sufficiat tuorum gaudiorum exuberantiam in hac hora? quis vel mente recolere fluctus illos inundantes cœlestium deliciarum, & suauitatum quibus cor tuum fluctuat in hoc partu? O quibus æstibus, & feruoribus inflammaris, quibus radiis, & fulgoribus ab illo sole iustitiæ ex tuo vtero prodeunte illustraris? quibus vndis, & torrentibus diuinorum charismatum ab illo fonte perenni, & deitatis abysso, in tuo sacro sinu inhabitante concuteris? O pectus virgineum *Ibidem.* plusquam æneum, & adamantinum, quales spiritus sustines impetus, quibus deliciarum fluctibus agitaris? Dic nobis ô beata, quid sensisti quando paruulum illum speciosissimum, coram te pauimento iacentem, tam mirabiliter natum vidisti? Quando te matrem, & virginem, virginem, & matrem Dei sensisti? Quando te super omnem creaturam sublimatam, & exaltatam, vtpote creatoris genitricem, liquido cognouisti? Dic obsecro quibus eum verbis salutasti, quibus laudib. sublimasti, quo iubilo, quo tripudio, quo cantico, in hac hora exultasti? Et quod magis stupeo cum ardores illos plusquam seraphicos pectore sustineres, & cor tuum sicut spiritus sancti caminus mirificis æstibus vndique deflagraret, non tamen in extasim rapta, aut sensibus alienata es. Magnum profecto stupendumque miraculum, & supra modum memoriæ commendandum.

Quid enim? Vna gutta dulcedinis, vna scintilla spiritus, viros fortissimos, ac grauissimos rapit penitus, & absorbet: & virgo tenerrima,

nerrima, & delicatissima, tali spiritus impetu non raperetur? Non fuit certe hæc virtus humanæ fortitudinis, sed diuinæ: ipse namque filius, qui talibus eam motibus impetebat interius, ipse eam roborabat exterius, vt matris officium exhiberet, & ex se genito deseruiret Quid enim esset, si tanto noui partus miraculo attonita virgo, in ecstasim raperetur, & filius Dei nudus solo stratus, interim frigore moreretur? Existimo enim non solum modo, sed & omni alio tempore, postquam filium Dei vtero cõcepit, totam eius vitam ecstasim continuam futuram fuisse, nisi grandi miraculo, ad similitudinem filii spiritualium charismatum redundantia superiore mentis portione clauderetur: ne si redundaret in corpus, exteriori eam officio, ac vitæ munere defraudaret. Sed quid in sacrosancto isto partu mirabile non fuit? mirabilis mater, mirabilis filius, mirabilis partus, mirabile tempus, mirabilis locus, mirabile obsequium Mater virgo est: Virgo & mater Dei: habens filium, & nesciens virum. Filius puer tenerrimus, & Deus æternus: infans vnius diei, & verbum Dei. Partus (vt diximus) sine dolore, sine corruptione, sine anxietate. Hora natiuitatis cum esset prius atra nox, in meridiẽ versa est sicut propheta prædixerat. *Et nox sicut dies illuminabitur.* Locus natiuitatis ex stabulo in Paradisum versus est: ex hospitio iumentorum factus est palatium angelorũ. O locus sacerrimus, locus deuotissimus, locus à Deo ad tantum mysterium à principio sæculi destinatus Quanto sacratior es templo illo magnifico Salomonis cum omnibus diuitiis suis, quanto pretiosior es illo sancta sanctorum, tot sæculis à prophetis, & patribus venerato? Bernardus. *Lætare Bethleem, & per omnes vicos tuos festiuum hodie alleluia cantetur. Quæ tibi ciuitas audiat, non inuideat pretiosum illud stabulum, & illius præsepij gloriam? In vniuersa siquidem terra iam celebre est nomen tuum, & beatam te dicunt omnes generationes, scilicet propter stabulum illud toto terrarum orbe exaltata, & vsque ad cœlos laudibus sublimata.* Obsequium vero quãta admiratione dignissimum? Procidunt coram domino suo iumenta muta, & cum ratione careant, officium exhibent intellectus: notitiam, & venerationem creatoris sui, quam natura negauit, diuinitas præstitit: & quem Iudæorum sacerdotes, & Pontifices ignorabant, humili prout possunt venerantur obsequio Quid de angelorum officio dicam. Astant cœlorum principes, velut examina apum super fauum, ita super puerum agglomerati, & conglobati, mirificas alternatim personãt laudes Nullus siquidem (vt creditur) in cœlo remansit angelus, nec ex illis quidem qui ad nos descendere non consueuerunt, qui ad tantum spectaculum videndum, & adorandum, non descenderit, & sicut par erat, principi suo nouiter nato, propter quem cõditi fuerant, obedientiam, & reuerentiam debitam non exhibuerit. Sicut propheta prius prædixerat. *Et adorẽt eum omnes angeli eius.* Ibi principatus, & potestates, cherubim, ac seraphim, ibi reges, pastores, & iumenta communem creatorem adorant. Nullus contemnit alium, nullus ibi dicit, quis es tu? & quis sum ego: sed mirabili concordia, angelici principatus suæ celsitudinis, & dignitatis obliti, iumentis associati, non dedignantur dominum suum inter rusticos adorare. Quis enim tunc suę dignitatis meminisse deberet, cum diuinam maiestatem, coram oculis suis videret præsepio reclinatam, pãnis inuolutam, in puero tenero præ frigore vagientem? Nunquid non mirabilia sunt omnia hæc? nunquid non merito his omnibus in spiritu perspectis, propheta exclamat? *Quis audiuit vnquam tale, aut quis audiuit huic simile?* Siquidem mulier illa sapiens, id est, diuina sapientia, vt drach-

Psal. 138.

Luc. 2.

Hebr. 1. & Psal. 96.

Luc 15.

drachmam decimam quam perdiderat inueniret, totam vniuersam domum euertit, diuina humanis, cælestia terrenis, æterna tranſitoriis aſſocians & immiſcens. Deſcendens ſecum traxit cœlos, ſicut ſcriptum eſt: *inclinauit cœlos, & deſcendit.* Aſcendens ſecum euexit abyſſos: ſicut ſcriptum eſt, *aſcendens in altũ captiuam duxit captiuitatẽ.* Sic namq; ſe facturum olim promiſerat per propheram dicens. *Adhuc modicum ego mouebo cœlum, & terram, mare, & aridam: & mouebo oẽs gentes: & veniet deſideratꝰ cunctis gentib.* Mouit cœlos: quia oẽs angelorum ordines, & choros ſecum traxit ad terram, niſi forte motio hęc admirationis, & ſtuporis in angelicis ſpiritib. potius intelligenda ſit. Mouit terras, & commouit oẽs gentes in aduentu ſuo, quia veniens ad terras grandis perturbatio per vniuersũ mundum vbiq; terrarum facta eſt, & quis eam valeat explicare? O puer tenerrime, & delicate, ô infans tecte & diſſimulate, quanta latet virtus ſub infirmitate? quanta potentia, & maieſtas his pannis inuoluitur? quam humilis, & abiectus naſceris, & quã potens, & glorioſus poſtmodum apparebis? Hic puer ſceptra regum, & coronas imperatorum ad terram deiiciet: hic regna potentiſſima, & ciuitates opulentiſſimas, populos ferociſſimos, & vniuerſas terrarũ nationes ſuo ſubiugabit imperio: hic mũdi ſapientes, & ſæculi philoſophos, turgidos, ſtultiſſimos comprobabit: eorum ſcientiam deſtruet, & nouam ſapientiã dabit mundo: hic leges antiquas, ritus nationum inolitos, mores vetuſtos, & oẽm mundi ordinem & ſtatũ permutabit: ſacrificia, & ſacerdotia tollet idolorum cultũ toto orbe, tot ſæculis ante receptum, deſtruet, nouaſq; mundo leges ſtatuet, & nouũ viuendi modum, & ordinẽ introducet: hic totũ vniuerſum veluti pellem quandã euoluet, renouabit, & reformabit. O noua ſæcula, noua tempora, nouum populum, nouum mundum. Nec ſola exteriora, ſed & ſenſus, affectus, cogitationes, deſideria, & corda hominũ penitus permutabit: vt amẽt ꝙ priꝰ oderant, & oderint ꝙ prius amabãt, nouos hoĩes faciens ex veteribus, è terrenis cœleſtes, ex carnalib. ſpirituales, ex humanis angelicos, in nouam quandã formã eos recreans, & regenerans. Quanta putas cõmotio, quũ diſſidiũ, & altercatio erit in toto orbe, ſuper iſto puero? Quot bella, quot contradictiones, quot perturbationes, quot impugnationes, quot millia hoĩum, mulierum, virginum, iuuenum diſſecabuntur, & trucidabũtur vbiq; terrarum ſponte ſe offerentium morti ꝓ fide, & honore huius pueri? Deniq; hic puer paruulus ꝓſepio reclinatus, cum toto orbe ſolus luctabitur, & ad pedes ſuos victor eum ꝓſternet: & ab omnib. gentibus adorabitur. Quam bene, q̃ apte hoc de ipſo, & præuidit, & vaticinatus eſt ſenex Simeon, qui eũ in vlnis tenens, ad puriſſimam matrem ait. *Ecce hic poſitus eſt in ruinã, & in reſurrectionẽ multorum, & in ſignum cui contradicetur.* Extat de hoc figura ſolennis, & notiſſima apud Danielẽ, illius ſtatuæ horribilis, q̃ vidit Nabuchodonoſor rex Babylonis, cuius caput erat aureũ pectus, & brachia argentea, venter & femora ærea, tibiæ, & pedes ferrei: q̃ lapillis quidã de monte, ſine manib' abſciſſus, ſponte cadens ex alto, attritis pedib. comminuit, ac in fauillã penitus redegit: qui deinceps creſcẽs in mõtem magnum, vniuerſam terram repleuit. Cuius tam admirabilis ac ſtupendæ viſionis interpretationem, nullus inuentus eſt ex ſapientibus Babylonis, qui regi exponere valeret niſi ſolus ille magnus propheta Daniel: qui ſpiritu Dei plenus, & ſomnium, & interpretationẽ eius inſinuauit regi: eſt autẽ talis expoſitio, ſtatua illa grandis, & ſublimis, monſtrum illud variũ, & horribile, ſæculi huius pompã, & gloriam, terrenũq; principatum deſignat, quem hoĩes

Pſal. 17. *Pſal. 97.* & *Eph. 4* *Agg. 2.* *Luc. 2.* *Dan. 2.*

tam perdite affectãt, & quærunt. Caput aureũ, imperium designat Chaldæorum primum, & magnum, quod plusquã mille centum annis durauit. Pectus argenteũ, imperium sequens Medorum significat, quod & minus fuit priore, & multo minore tẽpore durauit. Venter æreus, Græcorũ imperium designat sub Alexand. Quod sicut æs per totum orbẽ subito insonuit, & post modicum velut æreum cõfractum est: solum nãq; annis duodecim Alexander imperauit. Tibiæ, & pedes ferrei, imperium Romanor. longe lateq; diffusum significãt: quia sicut ferrum omnia domat, & cõminuit, ita hęc vltima monarchia priores sua potestate cõminuit, & contriuit: quo florente *suscitauit* (inquit) *Deus cœli regnum, quod in æternum nõ dissipabitur, & alteri populo non tradetur, & comminuet, & consumet vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum.* De lapillo autem illo omnia confringente quis futurus esset, nõ ex posuit regi; quia indignus erat idolatra tantũ cognoscere sacramentum, neq; margarita porco tradenda erat, sed solũm in genere exposuit de regno perpetuo quinto loco successuro. Sed nobis fidelibus viam dedit, vt quibus datũ est nosse mysteria regni Dei, palam, & absq; omni dubitatione intelligamus, quis sit iste lapillus. Quis enim alius fuit iste lapis, nisi de quo scriptum est per prophetam: *lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Et per alium prophetam. *Dabo in Sion lapidem angularem probatũ*, &c. Lapillus excissus de monte illo altissimo, & fastigio Deitatis, sine vi, sine manibus: id est non cogentibus meritis, neq; ex operibus iustitię quæ fecimus nos, sed sponte sua descendens in hanc miseriæ vallem, vt saluaret nos: neq; enim tantæ dignationis donum ab aliquo potuit promereri: superat omne meritum tam sublime, & ineffabile beneficiũ. Descendit aũt florente quarto imperio Romanorum, quãdo Imperator August. totius orbis monarcha, Euangelio teste, *præcepit vt describeretur vniuersus orbis*, vt videlicet ab omnibus gentibus, vel isto modo dominus, & imperator orbis recognosceretur: ad hoc n. maxime conducebat ista professio. Hic autem lapillus pretiosissimus, qui pannis inuoluitur, & præsepio reclinatur, vt diximus, nõ solum Romanum imperium, sed & omnia regna mundi, tam Chaldęorum, quam Medorum, quã Græcorum sibi subiecit: omnemq; mundi fastum, & pompã mõstro illo designatum, sua doctrina penitus euertit, & in nihilum redegit, docens homines nõ amare temporalia, quæ videntur sed æterna, & spiritualia, quæ nõ videntur. Sic nãq; de illo sæpius fuerat prophetatum, dicẽte psalmographo. *Omnis terra adoret te, & psallat tibi.* Et iterum, *Omnes gentes quascunq; fecisti, venient, & adorabũt coram te domine.* Et iterum, *& adorabunt eũ omnes reges, omnes gentes seruient ei.* Nulla nãq; fuit natio, neq; regnũ, neque prouincia, quę aliquãdo nõ seruierit Christo domino, teste eius discipulo qui ait, *ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione fecisti nos Deo nostro regnũ.* Hæc potentia, hæc virtus, & magnitudo huius pueri, qui in tugurio nascitur, & velut fœnum iumentis in præsepio reponitur. Sed quibus armis hæc tã potentia regna, & vniuersum orbem expugnauerit, audiamus. Propheta illum sic alloquitur in psal. *Speciosus forma præ filiis hominũ, diffusa est gratia in labijs tuis. Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime: specie tua, & pulchritudine tua, intende prospere, procede, & regna. Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in corda.* Optimus casus cordis, casus spontaneus, & voluntarius, quãdo nõ corpora solum, sed corda potius posternuntur. Alii reges cum vincunt, victores sunt corporum: hic nouus rex victor est animorũ. Totus mundus corã eo victus procidit, nõ tam.

Ibidem. *Matt. 7.* *Matt. 23.* *Psal 117.* *Isai. 28.* *Tit. 3.* *Isai. 18. v. 16.* *Luc. 2.* *2. Cor. 4.* *Psal. 65.* *Psal. 85.* *Psal. 71.* *Apoc. 5.* *Psal 44.*

tã corpore, quam corde. Sed propter quid? Vtiq; propter ſagittas eius acutas, ſagittas ardẽtes, ſagittas penetrãtes, ſagittas dico amoris, & affectionis, ſagittas ſpiritus, & deuotionis, ſagittas fulgoris, & fulminis: his corda hominum ſagittauit, & vulnerauit vulnere lętiſſimo, & iucũdiſſimo vulnere dulciſſimo, vulnere gratiſſimo, quali ſe ſponſa in canticis vulnerată iactabat dicẽs. *Vulnerata charitate ego ſum.* Gladio itaq; & arcu ſuo, rhomphęa, & ſagitta, mundum ſibi ſubiecit Dn. Vnde Bernar. *Pars tua ſumus domine, quã tuliſti de manu Amorrhai in gladio, & arcu tuo. Gladius tuus ſermo tuus viuus, & efficax: arcus tuus incarnatio tua.* His duob. mundum ſuperaſti verbo, & beneficio, verbo prędicationis, & beneficio Incarnationis, non n. potuit mundus portare tantum pondus, tã eximiæ pietatis: ceſſit victus tã immẽſo munere, tã indebitæ dignationis. Quis enim, vel ferreus, vel lapideus, non molleſceret tã ingenti calore flagrãtiſſimæ charitatis? ceſſit dono, qui reſtiterat flagello: ceſſit amori, qui non ceſſerat prius timori. Vnde Ambroſ. exponens illud Apoſtoli, *humiliauit ſemetipſum, &c. Propter quod & Deus, &c Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, &c Multa* (inquit) *domine feciſti ab initio, & non genu flexi: feciſti cœlos, & terram propter me, & non genu flexi: feciſti mirabilia in Ægypto, diuiſiſti mare, ſiccaſti Iordanem, apparuiſti in Sina mirabilis, & terribilis, in flamma, & tuba, & tonitruo, & corruſcatione, & non genu flexi, at poſtquam te vidi pro me humiliatum, naſcentem, vagientem, & morientem, non potui amplius ſtare, ſed ſtatim procidens adorani.* Viciſti me domine, & victus ſum: fortior me fuiſti, & inualuiſti. Quæ nãq; potẽtia; quæ altitudo, quæ ſublimitas nõ caderet corã diuina maieſtate? Dominus in mundo, quis ſtabit contra eum? diuinæ poteſtati quis reſiſteret? Vnde pſal. *montes ſicut cera fluxerunt a facie Dei.* Quid ni molleſcerent, & fluerent rupes à tam potẽtis ignis camino liquefactæ? *Viderunt te aqua Deus, viderunt te aqua, & timuerunt. Turbatę ſunt abyſſi.* Illæ vtique aquæ de quibus Ioan. in Apocalyp. *aqua multa populi multi.* Et iterum idem propheta, admirans, & ſtupens ait. *Quid eſt tibi mare, quod fugiſti? & tu Iordanis, quia conuerſus eſt retrorſum?* Ac ſi diceret. O inſtabile ſæculũ, O fluida mortalis naturæ cõditio, quę poſt delicias, & vanitates rapidiſſimo quondã impetu ferebaris, quomodo ſtetiſti quis te cohibuit? quis te frænauit? Cui quæſtioni reſpondens, ait. *A facie domini mota eſt terra, a facie Dei Iacob.* Quaſi dicat. Ad eius præſentiã, cordis noſtri mare ſiccatũ eſt: & per eius aduentũ, noſtræ ſenſualitatis fluxus ſtetit: nõ enim incaſſum cedere debuit tantæ maieſtatis aduentu, neq; ſine giãdi hominum cõmodo Deus inter hoſtes cõuerſatus eſt, ab illo igitur domini. ęę incarnationis arcu ſagittę flãmantes prodierunt, quę hominũ corda vulnerarunt, & ſubiecerunt: *etenim ſagittã tua pertranſeũt.* Vnde merito (vt inquit Bernard.) incarnatio domini arcui cõparatur, ibi enim, velut curuato ſapientiæ ligno, & pio quodã modo flexa diuinitate neruus carnis vehementer extenſus, & humanitas ineffabiliter aucta cognoſcitur. Curuatus eſt Deus vſq; ad hominẽ, extenſus eſt hõ vſq; ad Deum: proprietates carnis Deus aſſumpſit, vt caro Dei functionibus potiretur. Quã apte hæc Dei exinanitio in libro regum pręfigurata eſt in illa Eliſei prophetę ſuper puerũ curatione? Eſt autẽ hæc figura. Mulier quædã Sunamitis hoſpita Eliſei, precibus eius à domino filium impetrauit, quo præ dolore capitis extincto, ſapiens mulier ad prophetã vadit in montẽ, deprecatura pro filio: mittitur à propheta famulus Giezi cum baculo quẽ poneret ſuper puerum, ſed non ſurrexit puer, neq; erat ei ſenſus ne-

Cant. 2.

Ex verſione. 70. vbi nos legimus amore langueo.

Gen 48.

Heb. 4.

Phil. 2.

Gen. 1.
Pſal 77.
Exod. 14.
Ioſ. 3.
Exod.

Rom. 13.

Pſal. 96.
Pſal. 76.

Apoc. 17.

Pſal. 113.

Ibidem.

Bar. 3.

Pſal. 44.
Pſal. 76.

Phil. 2.
4. Reg. 4.

que vitæ. Mulier autem prudens in-
stabat dicens, *viuit dominus, quia non derelinquam te.* Precibus itaq; illius propheta inclinatus descendit, cum ea in domum suam, & accubãs super puerum; *posuit os super os, & oculos super oculos & manus super manus*, & cũ puero dimensus est, atque hoc modo concaluit caro pueri, *& obstitauit septies*, & vixit, viuumque tradit matri suæ. O magnum, & euidens mysterium. Ad quid propheta mensus est cum puero? quid ad vitam ista demẽsio? nunquid vt caro pueri calefieret? poterat ad hoc ignis commodius applicari, cuius calore, & fortius, & citius incalesceret, si non ibi aliud lateret sacramentum. Cuius namq; typũ habuit puer ille, nisi humani generis præ capitis dolore, i.e. superbiæ elatione præmortui? Mittitur famulus Dei Moyses cum baculo, id est, lege veteri, qui eum suscitet, & viuificet, sed virga viuũ perimere potest, non mortuum suscitare: baculus ad occidẽdum, q̃ ad viuificãdum aptius instrumentum. Demiq; vt ait Apost. *lex iram operatur*, neq; data est lex, quæ posset hominem iustificare. Instat igitur precibus, lachrymis, & clamoribus, ad prophetam mulier illa, magna, [illegible]aviens Sunamitis, id est ecclesia, [illegible]ius sacra Virgo Maria, vt descendat, [illegible] sua præsentia, & flatu suo viuificet quem baculus suscitare nequiuit: non n. lege scripturæ, sed spiritu Dei viuificandus erat mũdus. Hæc virgo suis eum precib. traxit è cœlo, hæc suis meritis, & virtutibus (vt inquit Bernard.) cœlum inuasit, & in sui amorem prophetæ cœlestis animum inclinauit, quẽ in sui vteri domicilium nouem mensibus hospitauit. Sicut ipse fatetur in cantieis clamans ad eam: *Auerte oculos tuos à me, ipsi me auolare fecerunt.* Vnde, aut quo auolare, nisi à sinu patris in vterum matris? Quam sapienter, q̃ eleganter ille propheta regius hoc totum vno verbo in Psalmo designauit, dicens: *& dilectus quemadmodum filius vnicornium.* Mira & propriissima comparatio dilecto, & vnicornis filio, dicitur namq; à Philosophis, vt refert Isidorus, in Etymologiarum libro, q̃ vnicornis à venatoribus ob feritatem nimiam nulla vi, nulla arte capi possit: capiatur autem hoc modo: Ille naturali quodam instinctu mulieres diligit, & admiratur. Opponunt ergo ei venatores puellam decoram, belle ornatam, in deserto in quo degit, solitariam. Quam ille videns hæret statim; ac stupet admiratus eius decorem, passimque ad eam illius attractus amore accedit, atque deposita feritate super eius gremium caput reclinat: quem illa leniens ligat, & ligatum venatoribus ibidem latitantibus tradit. Quid dilecto, quid filio Dei similius in toto orbe reperiri potuit? Feroxille atq; terribilis, qui antiquitus Deus vltionũ merito vocabatur omni hac feritate deposita vni⁹ virginis amore, & pulchritudine tractus, mitis, mansuetus in eius vterum reclinatur, quem illa carneis nexibus ligatum, pro salute mundi sacrificandum quærentibus eum venatoribus, i.e. Iudæis tradidit. *Non enim teneretur nisi homo: aut traderetur, nisi homo; aut crucifigeretur, & moreretur, nisi homo.* Descendit ergo magnus propheta de monte, id est, filius Dei de cœlo, magnæ illius Sunamitis precibus inclinatus, de qua in canticis: *Quid videtis in Sunamite, nisi choros castrorum*, id est, virtutum, & gratiarũ ordines iniunctissimos? Descẽdit autem, mortuum quem lex non poterat, viuificaturus: sed viuificari non poterat, nisi dimensus. O propheta gloriose, quam magnus, q̃ amplus, quam longus, & latus es humiliare, incuruare, exinanire: ecce vt suscites hominem peccato mortificatum, cum eo dimetiendus es. O mirabile, ô stupendã Dei cum puero dimensionem: quomodo dicã, quomodo explicabo eam? lingua deficit, intellectus hæret, sensus stupet, nõ valet animus explicare quod sentit.

Rom 4. Rom. 3.

Cant. 6.

Psal. 28.

S. Aug. in Psa. 63. v 7

Cant. 7.

Psal. 94.

Quid

Quid dicam fratres? Deus ille omnipotens, infinitus, æternus, summe bonus, summe beatus, cum omni sua sapientia, potentia, fortitudine, maiestate, cum tenerrimo puero vnius diei in animalium præsepio, mensuratus apparuit. Quis satis mirari queat, intra teneritudinem illã infantilem tantam potentiam, virtutem, & maiestatem inclusam? & Dei attributa, perfectiones, affectus cogitationes, intellectum, sapietiam infantilibus sensibus, affectibus, cogitationibus permisceri? Cum ipse per propheram dicat. *Sicut exaltantur cæli à terra, ita exaltata sunt cogitationes meæ super cogitationes vestras.* Infans ille, qui in præsepio vagit, sapit, vt Deus, & sapit, vt infans: cogitat, vt Deus, & cogitat, vt infans, vult vt Deus, vult vt infans: amat vt Deus, amat vt infans, quem non terreat ista connexio? Videnr angeli, considerant cælestes principatus, inspiciunt cherubim, atq; seraphim astant cœli cives, & tanto prodigio supra quam dici potest stupefacti, mutuo se aspicientes, prius attoniti tacent, deinde mirabiles laudes, & dulcissimas cantiones prorumpunt. Hoc non nostrum est commentum, euangelistam audiamus. *Facta est* (inquit) *cum angelo multitudo cælestis exercitus, canentium, & dicentium: gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis.* O quis audisset, ô vel saltem quis nosceret qualia cantica, & quibus ea modulis, & vocibus personarunt. O Euangelistæ sacri, cur nos tanto gaudio, & consolatione fraudastis? cur non ad longum angelicos istos cantus, & cælestia tripudia recensuistis? Vna tantum à B. Luca cantilena expressa est, quam diximus: hanc si placet exponamus: neque enim exigua, aut contemnenda est, quæ à talibus cantoribus, in tanto mysterio, cum tanto gaudio decantatur. Vnde merito eam Ecclesia inter sacra quotidie pro sua excellentia, alta voce cantari iubet, gloria Deo, pax hominibus. Optima & nimis acceptanda diuisio. Quid miseri mortales, tam anxie quæritis, & tam impie vobis arrogatis quod Dei est? *Soli Deo honor, & gloria:* quippe à quo, & in quo, & per quem omne bonum est. Ad quid tibi gloria? Tu potius, si vis vitam, si cupis dies videre bonos, *inquire pacem, & persequere eã.* Hæc tua pars, seda turgidos cordis tui fluctus, mitiga feruidos appetituum tuorum motus, & inuenies tibi vitam bonam, & fœlicem. Sed nõ poteris habere pacem, nisi prius adsit bona voluntas. *Non est pax impijs,* dicit dominus: *cor enim impij quasi mare feruens.* Quomodo enim habebit pacem, in cuius corde contraria acies cogitationum, inuicem accusantium, & defendentium, & desideriorum in cõtraria dissidentium, incessanter dimicant contra se? quibus miserabiliter distractus animus totus intra se diripitur, & dilaniatur. Sed non in turbine dominus non in cõmotione dominus: non dignatur Deus huiusmodi inquietas, & perturbatas animas inhabitare: *quoniam factus est in pace locus eius. Super quem enim requiescit spiritus domini, nisi super humilem, & quietum, & timentem sermones eius?* Anima quæ Christum spiritualiter concipere cupit, similis esse debet Mariæ Virgini quæ ipsum carne concepit: quieta, pacifica, deuota, solitaria, tranquilla ab angelis spiritibus, sæpius visitata. Angeli enim animas sanctas verbo Dei, sua visitatione fœcũdant: propter quod in psalmo, arietes nominantur. Quare vero commercium desiderat angelorum, oportet vt quantum valet, declinet, & fugiat colloquia hominum. O partus desiderabilis, & dulcis, virgineo quam similis partus sine dolore, & anxietate, omni gaudio, & exultatione plenissimus. Nulla anima vere læta, & iucunda est, nisi quæ Christo grauida, ipsam iucunditatem gestat in ventre. Sed tamen varius est partus huiusmodi animarum, quædam n. animæ Chri-

Isai. 5.

Luc. 2.

Luc. 2. 1. Ti. 1. Rom. 11. Psal. 33.

Isai. 48. Isai. 57. Rom. 2.

3. Reg. 9.

Psal. 75.

Isai. 66.

Psal. 28.

Anima Christum concipiunt, & aliquãdo pariunt, aliquando abortiũtur.

istum cõcipiunt, quem nũquam pariunt; hæ sunt, quæ bonum desideriũ quod animo gestant, præ ignauia, & desidia operenon complent, de quibus propheta. *Venerunt filii vsque ad partum, & non erat virtus in partiente*, væ autem prægnantibus in illa die. Aliæ autem Christum abortiuntur: hæ sunt quæ bonum desiderium vteroanimæ conceptum, curarum negotiorum pondere oppressæ, informe, & intempestiuum, abortientium more fœminarum, in opus educunt, in quibus Christus propter frequentes cordis anxietates, perfecte formari, ac effigiari non potest.

Isai.37.

Matt.24.

Gal.4. De his Apostolus ait. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus.*

Aliæ autem male pariũt, & in partu ipso periclitantur, & moriuntur, hæ sunt quæ bona desideria viriliter opere exequuntur, sed tamen propter inanem gloriam, vel peruersam intentionem, vel propter peccatum aliquod, quod opus ipsum bonum, vel comitatur, vel continuo sequitur, & fœtus boni operis perit, & anima pariens peccato moritur. Aliæ vero bene quidem pariunt, sed steriles sunt, neque habent lac ad fœtum nutriendum. De quibus in canticis. *Soror nostra parvula est, & vbera non habet.* Hæ sunt, quę opus bene incœptum, ex nimia tepiditate, & deuotionis defectu prosequi non possunt, quæ licet fortiter inchoant, sed in bono opere minime perseuerant, atque ita paulatim exiccato deuotionis fonte, & primo illo spiritus feruore consumpto, Christus in eorum corde veluti infans, lactis defectu moritur. Sunt etiam nonnullæ, quæ Christum nutrire, aut præ desidia, aut præ inopia nolũt, sed cum ipsum studiose peperierint ad portas alienas nutriendum exponunt. Tales sunt nõnulli prædicatores, qui Christum quem verbo veritatis, & doctrinæ, fœliciter pariunt, exemplo, & vita nutrire despiciunt, sed cum populo bonis operibus fouendum, ac alendum relinquunt. Quæ autem vera Christi mater est, ipsum cum gaudio concipit, cum fortitudine parit, cum spiritu, & deuotione nutrit, & ad perfectam ætatem cum perseuerãtia ducit, cui per charitatem, & amorem ecstaticum adhærens, fit sponsa ex matre. Talis erat quæ dicebat, *tenui eum, neque dimittam, donec introducam eum in cubiculum genitricis meæ*, id est, supernæ Hierusalem, quæ est mater nostra. Itane, ô sponsa, tu eum introduces in gloriam? an potius ipse te? Quanto modestius prius dixeras, *introduxit me rex in cellaria sua.* Arroganter loqui visa est, amor fecit: sed vtrumque verum est, introducta introducam, & ego illum, & ille me, ille me gratia, ego ipsum merito: ille me fide, ego ipsum opere: ille me dono, ego ipsum obsequio: ille me inspirationibus, ego ipsum laboribus: ille me assiduis beneficiis, & ego ipsum ardentissimis desideriis: quibus veluti brachiis tenaciter ipsum ligabo, & fortiter tenebo, atque cum ipso pariter in illud secretum cubiculum genitricis meæ, in illud tabernaculum admirabile, in illum thalamum ditissimum, & pulcherrimum, deliciis affluentissimum perpetuæ fœlicitatis introibo.

Cant.8.

Cant.3.

Gal.4.

Deo gratias.

IN ROGATIONIBVS pro expeditione aduersus Turcas suscepta.

THEMA.

Exurge domine, iudica causam tuam: memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente tota die Psal. 73.

Simile.

NAturalis infantium mos est, quoties ab aliquo aut læduntur, aut deterrentur, statim fugere ad suas matres, & sub earum pallio se abscondere, ab eisque fautorem, & præsi-

præsidium implorare. Infantes sumus, & paruuli in hac vita, omnia perturbant nos, omnia nos consternunt, & deterrent, & sæpius puerorum more formidamus timore, vbi
Psal.13. non est timor: si qua ergo tribulatio, si qua pressura, si qua perturbatio, aut pauor occurrit, statim ad virginem sacram omnes refugimus: illa vnicum præsidium nostrum, vnicũ refugium, & solatium nostrum, quia *ad te* virgo *clamamus, ad te suspiramus exules filii Euæ, gementes, & flentes; eia ergo aduocata nostra, illos tuos*
Isa.49. *misericordes oculos ad nos conuerte. Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt venerunt tibi omnes tuum* fauorem requirimus, oẽs tuum auxilium imploramus, *tu es re-*
Psal 31. *fugium nostrum à tribulatione, qua circumdedit nos, exultatio nostra erue nos à circumdantibus nos.* Filii paruuli, & timidi ad te confugimus, *monstra te esse matrem, sumat per te preces, qui pro nobis natus tulit esse tuus.* O virgo si tu nos despicis, quis nos respiciet? si tu nos proiicis, quis nos defendet? si tu abiicis ad quem ibimus? & ad quem nos recipiemus? ad quem confugiemus? Aliis concionibus à te lucem postulare consueuimus, hac concione lucem, & fauorem petimus, offerentes gratum tibi munus. *Aue Maria, &c.*

Psal. 121. *Sæpe expugnauerunt, me à iuuentute mea, dicat nunc Israel, sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi.*

Ab initio nascentis Ecclesiæ non ei vnquam defuerunt persecutiones, neque deerunt vsque ad finem mundi, sed præcipue quatuor, quæ designantur per quatuor illas bestias,
Dan.7. quas vidit Daniel: quarum prima erat similis leænæ, & habebat alas, vt aquila secunda similis vrso ferocissimo, & habebat tres ordines dentium quibus comedebat carnes, & gentes plurimas: tertia similis erat pardo, & habebat quatuor alas, & quatuor capita, & potestas data est ei: quarta, terribilior cæteris, nulli bestiæ ex his quas nouimus comparabilis, sed monstrosa bestia: & habebat dentes ferreos, & omnia pedibus conculcabat: habebat, & decem cornua. Apte in hac visione vniuersus status Ecclesiæ monstratus est Danieli, sicut & Ioanni in Apocalypsi. Quamuis a- *Apoc. Ioan.*
liqui hanc visionem Danielis ad statum synagogæ referant, & ad quatuor regna, vel imperia eam per sequentia: & visionem Ioannis, ad statum ecclesiæ: ita vt antiquus vates sui temporis describat persecutiones & euangelicus vates nostri temporis describat anxietates. Sed qm̃ illa visio aperte ad finẽ iudicii terminatur, videtur ex hoc magis de nostri temporis ecclesia loqui. Prima igitur fuit persecutio tyrãnorum, qui per leænã alatam designantur, leo, enim & aquila reges sunt animalium, & auiũ, & hæc per reges facta est. Secunda fuit hæreticorum, qui per vrsum omnia comedentem designantur, vrsus enim solo ore lædit, & hæretici solo ore occidunt & comminuunt omnia falsa sua doctrina. Tres ordines dentium significant tria q̃ sunt in omni hæresi, sc. fraus, hypocrisis, & ornatus sermonis vel dissolutio. Et tria persecutio maxima fuit paganorum quæ per Mahometũ facta est, & quotidie fit, hæc omni alia acerbior est. habet quatuor capita, id est, quatuor regna principalia, scilicet Turcarum, Soldani, & Africanorum. Habet alas quatuor, quia certissime volauit, mira enim celeritate maiorem partem mundi infecit. Cum n. largam hominibus voluptatum licentiam concedat, & quicquid erat in fide ad credẽdum difficile & agendum asperum tollat homines ad talium promissionem securi sunt hanc pestilentem sectam. Totam igitur Africam occupauit, & fere totam Asiam, excepta parte Indiæ, & ipsa Europa. Hæc nostris temporibus occupari cœpta est, anno enim Dñi. 1453. vltima Decem. aut prima Ianuar. Constantinopolis ciui-

Ecclesia quatuor persecutiones per Danielem prædictæ describuntur.

ciuitas illa imperialis capta est, & tota deinde Græcia possessa, nunc quoque Rhodus, & postea Vngaria capta est. Quotidie velut mare terram ecclesiæ comedit, & arctat vehemẽter. Nunc quoq; imminet Italiæ & Austriæ, nisi ei dominus resistat breui omnia deuoraturus. O quã in angusto nunc ecclesia posita est, ô quãtum ecclesiæ imminet periculum cũ exercitu valido 400000. hominum venit, & siquidem (quod absit) exercitum nostrum deuicerit: multo minorem illo, vsq; ad Romam illi patet via. Vnde ecclesia in tã arcto posita, eleuãs oculos in cœlum, ad sponsum & dominum suum, protectorẽ suum quasi conquerens & admirans, quod ita tribulari & affligi permittat, pia querimonia clamat. *Exurge domine, exurge, quare obdormis*, quis somnus est? quis sopor vsquequo dormis, vsquequo dissimulabis, vsquequo silebis? quamdiu fatigabor? quamdiu vexabor? *Exurge iudica causam tuam*, tuam (inquam) tuam, plusquam meam, quia tua ego sum sponsa, & famula. An non sponsi ignominia est iniuria quæ fit sponsæ? An non pertinet ad dominũ iniuria famulæ suę? & domesticorum suorum? Tua est domine causa, tua est, defende eam, & si non mouent te labores mei, sudores, pressuræ, afflictiones meæ quia forte indignatus es mihi propter peccata, saltẽ moueant te iniuriæ tuę, & irrisiones tuæ: memor esto improperiorum tuorũ, eorum quæ ab isto insipiente sunt, non vna hora sed tota die, tota vita. Memor esto (inquã) blasphemiarũ tuarum, irrisionum, improperiorum, sacrilegiorum, in castuum: ecce n. sacra profanantur, conculcantur altaria, tẽpla fœdantur, reliquię sanctorum cõminuuntur, monasteria subruuntur, violãtur tibi dicatæ virgines, sacerdotes occiduntur, monachi laniantur: & tu domine dormis, & siles, ad te nõ pertinent ista? nõ attinet ad te quod perimus? Quid dicam domine mi, quid dicam? *Heu confundor quotidie & clamo, & non est qui eruat*: in illa n. vexatione Constantinopolis, quanta fecit iste? vt ait Siluius postea Papa pius. *Capta ciuitate Imperator iugulatus est, sacerdotes & monachi non simplici morte, sed diris supplicijs laniati, templũ illud Sophiæ amplissimum nonæ gentis sacerdotibus decoratum, est profanatũ, populus virorum & mulierum à septimo anno & suprà cæsus & iugulatus, riuis sanguinis defluentibus per plateas: tota deinde Græcia occupata & destructa, obsides dat filios primogenitos in tributa.* Proh dolor, proh facinus, proh miseria, & *tu domine vsquequo?* Quid tantum peccare potuimus tibi, vt nostri sic obliuiscereris? Nã etsi mali sumus, verum tamẽ filii sumus non negantes saltẽ teipsum, & Deũ confitemur & colimus, tuã fidem tenemus, tua sacra veneramur, tuo signaculo signati sumus. *Ne tradas domine bestijs animas confitentes tibi*: bestiis (inquam) atrocibus, & crudelibus, laniantibus, & deuorantibus omnia. Si offensus es, si iratus es nobis tu domine interfice, tu iugulatu castiga nos manu tua. Flagella libenter suscipiemus: scimus n. *quia cum iratus fueris misericordiæ recordaberis*. Famem ergo, pestilentiã, ægritudines varias, dolores libenter de manu tua suscipiemus: ecce in flagella parati sumus, tãtum domine bestiis his ne tradas nos. *Exurge* ergo *domine, libera nos propter nomen tuum*: propter te, propter te fiat, non propter nos. Memento dolorum tuorum, & passionis acerrimę, memẽto sanguinis quẽ effudisti pro nobis: memento laborum & dolorum tuorum, memẽto etiã sanguinis sanctorum tuorum, qui effusus est, & labenti ecclesiæ tuæ succurre: ne obliuiscaris vocis aduersariorum tuorum insultantium tibi. Superbia & fastus & imperium eorum qui te oderunt, ascendit semper, quotidie augetur, in dies te silẽte prosperatur & crescit. Sed nunquid obliuio apud Deum? nunquid dormitas

Pſal. 12. & Pſalm. 43.

Clades Cõſtantinopolitana.

Pſal. 6.

Pſal. 73.

Abac. 3.

Pſal. 37.

Pſal. 78.

Pſal. 78.

Pſal. 73.

Pſal. 110.

Dei sollicitudo erga genus humanum describitur.

mitas Deus? aut dissimulas adiuuare? O si sciremus quãta est illi solicitudo pro nobis. Non potest obliuisci Ecclesiæ suæ, quam de latere suo in cruce formauit pro qua tam diram mortem sustinuit. Vnde per Prophetam ait. *Zach 2.* *Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei.* Et per alium prophetam, quasi respondens huic querimoniæ ecclesiæ suæ, inquit. *Isa. 49.* *Et dixit Sion dereliquit me dominus, & dominus oblitus est mei. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non miseratur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui: ecce in manibus meis descripsi te,* signatam te habeo in manibus, & in latere meo, in illis vulneribus quæ pro te suscepi, quomodo obliuiscar tui? Tu oblita es mei diebus innumeris, tu dormis, tu dissimulas, quid me dormire conquereris? nõ ego dormio, sed tu. Surgamus ergo fratres à somno, & properemus ad dominum, clamemus ad eum, & ipse liberabit nos de manib. inimicorum nostrorum: Nostrum est clamare, suum est liberare. Agamus q̃ nostrum est, & ipse aget quod suum est In illo omnium nostrorum *Psal. 29.* spem & fiduciam collocemus, non in equis, & curribus, non in exercitu *Psal. 90.* & armis, non in virorũ multitudine *Psal. 16.* & robore? Qui n. sperat in adiutorio altissimi, in eius protectione cõmorabitur: ipse n. saluat sperantes in se: & præsumentes de propria virtute, & gloriantes humiliat. Attendite fratres charissimi, & pẽsiculatius rumi nate quod dico: si bellum hoc humanis viribus & industria gerendũ esset, rationabiliter timeremus, & trepidaremus: quis n. illi bestiæ ferocissimæ, tãtorum militum & armorum multitudine frementi posset occurrere? Potentissimus est & audacissim⁹ & super oẽs homines crudelissimus, & dominãdi libidine inebriatus Nõ inficior Occidentale imperium semper Orientali præualuisse, quoties ad arma ventum est. Sic Iulius Cæsar Pompeium, sic Augustus Cęsar Marcum Antonium, sic Constantin⁹ Maxentium superauit, & ab Europa nostra semper victus euasit. Sed heu, nõ consonant reges: nõ vnus à tota Europa congregat exercitus: solus Imperator relictus est, vt ecclesiæ partes tueatur: proh dolor, quod tempus reminiscendarum iniuriarũ Quamuis autem Imp potentia multa sit, tamẽ ad illam bestiam truculentam, armis & militibus impar est, & valde impar. Sed non hoc humana industria & labore agendum est: quid timem⁹? *Si Deus pro nobis quis contra nos? Liberame domine, & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet cõtra me.* Quid est totus orbis ad Deum? *Quasi momentum* (inquit) *statera, & gutta roris ante lucani, sic est omnis orbis ante te.* Omnes n. gentes non quasi formicæ, aut quasi muscæ, sed quasi non sint sic sunt coram eo Cur ergo armati diuino præsidio, timebimus gentes illas sine Deo venientes contra nos? Quare non quasi vmbra reputabim⁹ eos? An rursus experimentum quæritis protegentis suos virturis Dei? *Tanto* (inquit) *tempore vobiscum sum, & nõ cognouistis me? Interroga* (inquit) *patres tuos, & annunciabunt tibi: maiores tuos & dicent tibi.* Audi vnum ex patribus, expertum in bellis regnum, narrantem propheã, & quæ audierat ipse à patribus, & quæ experimento multo didicerat. *Deus* (inquit) *auribus nostris audiuimus, patres nostri annunciauerunt nobis, &c.* Quod si adhuc sigillatim opera Dei requiris, dies non sufficeret ad narrandum ea. Ecce inuito toto orbe, in eius medio populum debilem & modicum, regnis eradicatis plantauit: & per mille annos inuitis omnib. illum defendit. Quanta operatus est in plantatione *Iosue 6. &* illius? quando non armis, sed tubis *Hebr. 11.* Hierico cadit: & vespis populos disperdidit Recole postea, quoniam *Iudic. 7.* tempore Gedeonis, cum trecentis armatis profligauit multitudinem copiosam, non armis, sed lanternis & buccinis. Recordare quomodo solus *Iudic. 15.*

Constant. victoria de Maxentio.

Rom. 8.

Iob. 17.

Sap. 11.

Ioan. 14.

Deut. 32.

Psal. 43.

Samſon virtute Dei, cũ mandibula a-
ſini, inimicos proſternit, & fugat.
Quid iucundius? Pastorẽ, Dauid ex
fœtib. & grege patris assumit & ſuper-
1. Reg. 17. & infra. rat Philiſt. Ita & vna mulier Iudith
Iudic. 13. cũ Dei præſidio, Holoferne potentiſ-
ſimum occidit, & exercitũ diſſoluit.
4. Reg. 6. Quid dicã de Eliſæo, cui currus cæle-
ſtes in auxilium miſſi ſunt? Neq; qui-
2. Paral. 32. dẽ opus fuit iuuari, nã cæcitate per-
culſi milites ad ciuitatẽ Samariæ in-
troducti ſunt ſponte, ſine viribus &
armis. Ad liberandum etiã Ezechiam
ab exercitu Senacherib, vnus angelus
miſſus, nocte vna centum octoginta
quinq; millia occidit. Sed quid mo-
ror in ſingulis enarrãdis? legite ſcri-
pturas, & innumera exempla ſimilia
reperietis: vnum vellem latius narra-
re, valde mirum & memoria digniſ-
2. Reg. 14. ſimũ de Ionata & armigero eius, qui
ſoli exercitum inuadunt, ſed lege hi-
ſtoriam. O virum ſtrenuum, ô virum
fidelem, qui optime nouerat ſperare
in Deo; ô ſi vel nunc vnus Ionatas eſ-
Pſal. 43. ſet in exercitu noſtro. Dices hęc om-
nia facta ſunt olim, iam huiuſmodi
ſigna nõ videmus. Sed audi prophe-
tam iſtam obiectionem excludentẽ.
Iſai. 59. *Tu es ipſe rex meus, & Deus meus qui*
mandas ſalutes Iacob. Idem ipſe es qui
tunc eras; nunquid abbreuiata eſt
manus tua, vt nõ poſſis modo ſalua-
re ſicut tunc? aut nunquid poſtquam
veniſti, & mortuus es, & ſanguinem
pro tuo populo fudiſti, rigidior fa-
ctus es, vt nolis populo ſic redẽpto
Exod. 5. ſubuenire? Nunquid poſtquam pro
nobis mortuus es, oblitus es miſere-
ri? Imo magis ex his quę paſſus es mi-
ſericordiã didiciſti. Fateor in populo
Chriſtiano tam aſſiduas & potentes
victorias non vidimus; cuius cauſa,
vt opinor, hęc eſt; nõ quia aut minus
potẽs, aut minus beneuolus ſit Deus
in populum Chriſtianum quam He-
breum, cum pro iſto, vt perfectior &
Armis fun- charior, ille ſubrogatus ſit, ſed quia
data ſynago- nõ ita indiguit. Nã Synogogã armis
ga ſed non plantauit Deus, eccleſiam vero non
Eccleſia. armis, ſed miraculis. Vnde in princi-
pio fundationis eccleſię, nõ illa por-
tẽta victoriarum facta ſunt, ne vi vi-
deretur fides in mũdum introducta;
poſt modũ vero populus Chriſtianus
ita adauctus eſt, vt ſemper multitu-
dine & robore inimicos ſuperauerit
vſq; nunc; vnde nõ opus fuit miracu-
lo, vbi robur ſufficiebat exercitus.
Nec tamen omnino quãdo opus fuit
in periculo populo ſuo defuit Deus.
Nã vt extra omittam, in noſtra Hi-
ſpania in principio, quando reſtitui
cœpit à Saracenis, ſæpius Apoſtolus
Iacobus Hiſpanię patronus, viſus eſt
in exercitu impios Saracenos exter-
minans. Et etiam in illo bello Nauа-
rum Toloſæ, quid mirabilius? quid
prodigioſius contingere potuit, quã
vt tanta multitudo occideretur, ſine
exercitus læſione? & crux per medios
hoſtes illæſa tranſiret? Hucuſq; ergo
eccleſia talibus miraculis non indi-
guit, & quando indiguit, habuit; at
nunc quia potentiores nobis facti
ſunt hoſtes, domine mi muta ſigna,
innoua mirabilia, quoniã fortitudo
Pſal. 70. noſtra, & refugiũ es tu. Non eſt er-
go fratres, cur Turcarum ferocitatẽ
Peccatum timeamus nos, quibus Deus præſidio
magis timẽ- eſt, qui illis eſt contrarius. Aliũ Tur-
dum in bel- cam ego magis timeo, qui intra nos
lo quam hoſ- latet, peccatum ſcilicet, ingratitudi-
tis. nem, auerſionẽ, ita dico fratres, hũc
Turcã timete. Si n. te infenſum non
habemus bone Deus, quis nocere
nobis poterit? Tuam indignationem
domine, non Turcam ego timeo.
Pſalm. 80. Si populus meus audiſſet me
Pſal. 80. *Iſrael, ſi in viis meis ambulaſſet, pro ni-*
hilo forſitan inimicos eorum humiliaſ-
ſem, & ſuper tribulantes eos miſiſſem
manum meam. Quid mirum ſi hoc a-
gnoſcat Chriſtianus, cum etiã hoc o-
lim agnouerit Achior gentilis? Vnde
Iudic. 5. ait ad Holofernem. *Nunc ergo mi do-*
mine perquire ſi eſt aliqua iniquitas eo-
rum in conſpectu Dei eorum, aſcenda-
mus ad illos, quoniam tradens tradet
illos Deus eorum tibi, & ſubiugaberis
ſubiugo potentiæ tuæ; ſi vero non eſt of-
fenſio populi huius coram Deo ſuo, non

Poterimus resistere illis: quoniam Deus eorũ defendet illos, & erimus in opprobrium vniuersæ terræ. Numer. 25. Simile etiã propheta ille iniquus Balaam dixit Balach regi suadẽti vt malediceret populo, cui dedit cõsilium pessimũ sed vtile ad victoriam, vt peccare faceret Israelem, obiectis mulieribus; quia alias non posset populũ Domini superare: quod & fecit. O pessimũ suasorẽ, sed prophetã verum: ita enim erat vt dixit, sine peccato populus Dei toti mundo inuincibilis est, etiam si modicus numero sit. Sed quãuis hęc omnia vera sint, & certissima, tamen non est nobis propterea dormiendũ: Deus supplicandus est, nõ tentãdus: vult n. ipse vt & nos sperantes in eius auxilio faciamus quod nostrum est, non tamẽ in nostra virtute, sed in illius auxilio sperantes. Diligẽtissime ergo quæ necessaria sunt ad bellum præparentur, & nos oẽs ad fidem & vitam defendendã læti accingamur: eamus ouantes contra blasphemum illum, ecclesiæ Dei minitantẽ, & irritantem, nam proculdubio superabimus spurcissimũ illum paganum, & profligabimus à finib. nostris: imo & si Deo placuerit, imperium perditũ recuperabimus. Quia n. nos timide agimus, habentes Deum adiutorem, & non istos paganos bello eradicamus, ideo permittit Deus propter nostrã ignauiam & desidiã, vt econtrario ipse prouocet nos, & cogat ad conflictum, sed in malum suũ. Tria admonitos vos esse volo, si vultis victoriã obtinere primũ, vt in solo Deo tota vestra spes & fiduciа sit. Cauete ne in hominem ponatis fidúciã, *quoniam maledictus homo qui confidit in homine. Bonũ est sperare in domino, quã sperare in principibus.* Et iterum. *Qui confidit in domino, sicut mons Syon non commouebitur in æternum.* Secundum est, vt vitam nostram corrigamus, & Deo appropinquemus: peccata publica per magistratus rigidius corrigantur, & vindicentur, alearores, blasphematores, vsurarios, adulteros & cõcubinarios tollant: cõfiteamur etiã peccata occulta, & mundemus conscientias nostras. Vnde consulerẽ, vt modo Papa & Imper. Deo cœli vouerent, post victoriam de inimicis facere cõcilium, & reformare ecclesiã Dei: meo iudicio esset nũc hoc vtile & opportunum, vt sponte reformemus nos, ne Turcã habeamus violentum reformatorem. In reformationem n. ecclesiæ forte à Deo mittitur, vt erudiat Deus per illum ecclesiam: sicut olim per Iebusæum Israelem. Tertium vt cum deuotione, fiducia, & lachrymis vehementer clamemus ad dominum, & ipsum in nostrum adiutorium inuocemus. Licet enim ille volẽs paratus sit subuenire, attamen supplicari vult à nobis vt fiat quod scriptũ est. *Clamabis ad me & eruam te, & honorificabis me.* Vnde vt ostenderet propheta regius, quantum profit iste clamor ad liberationem, in vno psalmo quater repetit. *Et clamauerunt ad dominum & exaudiuit eos, & ex omnibus necessitatibus eorum liberauit eos*: vt cognoscas quia nec difficilis est ad audiẽdum, neq; impotẽs ad saluandũ. Vnde & alibi. *Clamauit ad me & ego exaudiam eũ, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, neq; solum eripiam, sed glorificabo eum.* Omnes ergo & publice & secrete in cubiculis cordis clamemus, omnes quæramus dominum, inuemus fratres nostros nõ solũ armis & pecunia, sed orationibus & precibus: sic n. plures sumus in exercitu, quam cum rege Turcarum. Fortiores & penetrabiliores sunt sagittæ orationum, quã arcuum: potentiora sunt tela linguarum, quam manuum, hinc emin? possimus cum Turcis præliari & confligere, si volumus. An non recolitis ducẽ illum populi Iudaici, Moysem dico, quãta fecit in Amalechitis stragem non à prope præliãdo, sed eminus ex mõte orando? O mirabilem ducem, exercitum mittit ad prælium, & ipse è regione confugit ad montẽ. Quid

Bellatori quot & quæ potissimum seruanda.

Hierem. 17.

Psal. 11.

Psal. 124.

Iud. 1. & 3.

Hominũ est clamare ad Deum.

Psal. 49.

Psal. 148.

Psal. 90.

Exod. 17.

hoc Moyses? quis modus iste ducendi? Ita te exhibes Ducem? ita hortaris exercitū? ita quæ sunt necessaria prouides? Cum Amalech tibi bellum est, & tu ab eo recedis? Tēpus nunc præliandi, non orandi. *Omnia tempus habent.* O vere virum secūdum cor Dei, non cum Amalech sed cum Deo negotium agēdum erat: quia quicquid Deus voluerit: fiet de præsto. Ad rem summam pergit Dux: alia populo cōmittit. O Amalech quid tibi cum populo. Ex monte tibi damnum infertur, ex monte maior tibi conflictus. Moysen ab oratione conturbato, ipsum inuadito & victi sti. Mira res, in manib. non prēliantis pondus victoriæ, & propterea manus eius graues erant, vtpote in quib. erat totum belli pondus, sed sustentabant eas Aarō & Hur. Nos itaq; fratres hunc Ducē imitantes enim⁹ cum Turca orationibus confligamus. Propter hoc nr exēplum istud scriptum est, vt nosca omnis posteritas, quanta est orationis virtus: quantum erga Deum pondus in iustorum clamore. Quid scimus si in tanta populi multitudine, erit alius Moyses, quem exaudiat pro sua Ecclesia Dn. & eius precibus & meritis eliminet eos, aut certe disperdat? Quod si in terra forte non est in cœlo tamen multos habemus Moyses, populi Dei zelatores, & Deo proximiores. Inuocemus Apostolos, inuocemus Martyres, inuocemus Doctores & sanctos omnes. Quanto enim zelo ecclesiam Dei & fidem zelār, test s est sanguis quem fuderunt: testis est mors acerbissima, quam p fide & ecclesia passi sunt: test s labores & sudores continui: testis omnis eorum vita & exitus. Pro illa plantāda tot dolores sustinentes mortui sunt, & nunc in ea tuenda trepidi erunt, aut contemptores? Absit, absit. Leuemus ergo, etsi non continue, assidue tamē manus nostras cū Moyse in cœlum, quoadusq; obtineam⁹ victoriam: nec deflectamus eas donec vincamus, & superemus aduersarios nostros. Quod si graues fiunt extēdo sustineant eas Aaron & Hur, i e. timor, & amor: timor nostri, amor proximorum. Moueat (inquam) nos & detineat in oratione zelus fratrum nostrorum, qui in tāto periculo sunt, ne tradantur genti crudeli, & dilanientur, vt solet agnus à Leone dilaniari. Moueat & labor, & discrimē Imp. & Regis nostri clemētissimi, qui personam suam vt optimus princeps, p fide & populo Dei exponit. Quod si minus feruentes sumus charitate, saltem detineat sursum manus Aarō, id est timor nostri periculi: Scitote enim quia si modō vicerit Turca, statim nos in eodem periculo erimus, nam ab Italia ad nos facilis est ingressus, maxime quum propinquiores habeamus Africanos hostes, & eiusdem factionis & sectæ cum Turcis.

Eccles. 3.

Exod. 17.

Deesse aliquid videtur.

CONCIO DE FOEDERE Burgis inito, inter Romanum Pontificem, Imperatorem, & Venetorum Rempublicam.

THEMA.

Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum.

Psalm. 132.

NOn omne bonum est iucundū neque omne iucundum est bonum; sed aliquid est bonum, quod non est iucundum; & aliquid est iucundum, quod non est bonum; & aliquid est iucundum & bonum; & aliquid neque est bonum, neque iucundum Pœnitentia, crux, asperitas, bona est quia ducit ad vitam, sed non est iucunda, sed laboriosa & grauis. Gaudium sæculi, solatium, voluptas, iucunda sunt, sed non bona, quia ducunt ad mortem. Peccatum neque bonum, neq; iucundū, sed malum, & molestum. Testes sunt qui dicebant; *Lassati sumus in via iniqui-*

Bonorum alia iucunda, alia nē.

Matt. 7.

Sap. 5.

iniquitatis, ambulauimus vias difficiles. O magna cæcitas filiorum Adam, qui malunt seruire peccato cũ labore, quam Deo cum iucunditate. Psalm. 30. *Odisti omnes obseruantes vanitates supervacue.* An non supervacue? qui potuit Deo seruire, & regnare, & maluit peccato seruire cum labore, & ardere? *Omne peccatum amarum est & molestum,* sicut ait Hierony. Scito & vide, quia malum & amarum est reliquisse te dominum Deum tuum, non esse timorem eius apud te. Bonum autem & iucundum est sola charitas, hoc priuilegium quippe soli charitati reseruatum est, vt cum sit non solum bonum sed maximum omnium bonorum, sit quoque iucundissimum: omnis quippe alia virtus pœnam habet annexam. Nostra humilitas, patientia, abstinentia, castitas, pauperras, fortitudo, &c. laborem habent: neque enim sine labore homo submittitur, patitur iniurias, abstinet à cibis, & voluptatibus carnis, caret bonis temporalibus, & resistit timoribus. In amore autem quæ nam difficultas, quis labor est amare? Aug. Potest mihi aliquis dicere, non possum ieiunare, non possum vigilare, non possum orare: nunquid dicere potest, non possum amare? non solum nulla est difficultas in amando, imo magna & grandis iucunditas. Nam vita sine amore non est vita & homo qui non amat, aut bestia est, aut truncus. Aduertite fratres, & considerate quam leue tributum dominus à nobis exigat: pro tantis beneficiis nihil aliud petit, nisi amorẽ. O quam merito, quam iuste damnabitur, qui maluit ardere quã amare. O peccator, talis tibi visus est Deus, tam onerosus amor Dei tui, vt malis sempiternis incendiis deputari, quã amare? O pertinacia, ô duritia, ô nequitia cordis nostri. Quid dicere poterimus in iudicio, nisi *iustus es domine, & rectum iudicium tuum.* Hoc n. pro certo est, quod nullus habens in morte charitatem damnabitur: & si hanc habuerit vestem nuptialem, nõ mitteturin tenebras exteriores. Ecce igitur bonum iucundum, de quo loquitur thema. *Ecce quam bonum & quam iucundum,* &c. In toto sacro euangelio non inuenio quid nobis Christus dominus noster amplius cõmendauerit, quam charitatẽ: hãc commendauit nõ solum opere *quia cum esset filius Dei semetipsum exinanuit* pro salute nostra sed etiam verbo in illo dulcissimo sermone post cœnam cum iret ad passionem, vltimo hanc sæpius, iterum, iterumq; commendans, atq; præcipiens, vt firmius imprimeretur cordibus suorum discipulorum: verba n. quæ recedẽtes dicimus, amplius cõmendamus. Vnde ait. *Hoc est præceptũ meum vt diligatis inuicem.* Et iterum: *Hoc mando vobis vt diligatis inuicem.* Et iterum: *In hoc agnoscent omnes quod mei discipuli eritis, si charitatem habueritis ad inuicem.* Non in miraculis, non in sapientia scripturarum, sed in sola dilectione, discipulus Christi, & bonus Christianus agnoscitur. Neq; contẽtus commendare & præcipere hoc Apostolis, sed leuatis oculis in cælũ orauit ad patrem, dicẽs: *Pater sancte, serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos.* Et hoc iterum, atq; iterum postulat à patre pro discipulis suis, & illis qui creditur sunt in eum. Post resurrectionẽ quoq; iterum atq; iterum ait. *Pacẽ meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Dicite fratres, quibus verbis potuit amplius charitas nobis à Christo domino commendari? Sed & Apostolus Paulus sæpissime hoc ipsum in suis epistolis cõmendat, dicens. *Imitatores Dei estote, sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos.* Iterum, *charitatẽ fraternitatis inuicẽ diligentes.* Et iterum, *soliciti seruare vnitatẽ spiritus in vinculo pacis.* Et iterum, *habete pacẽ, & Deus pacis erit vobiscum.* Et in omni epistola, *gratia vobis, & pax,* &c.

Matt. 22.

Philip. 2.

Ioan. 15.

Ioan. 13.

Ioan. 17.

Ioan. 14.

Ephes. 5.

Rom. 12.

Ephes. 4.

Psal. 118.

2. Corin. 13.

Rom. 1.

&c. Quid loquor? hora nō ſufficeret, ſi omnia vobis Apoſtoli adducerem teſtimonia de pace, & charitate. Tres rationes potiſſimas tangit Apoſtol⁹, propter quas debem⁹ diligere ad inuicem: prima, quia ſumus vnius corporis membra, quia ſumus vnius patris filii, quia ad vnam menſam ſedemus, & vnum panem manducamus: membra quippe eiuſdē corporis mutuo cōpatiuntur & fouent. Cum patitur vnum membrū, compatiuntur & alia membra: & cum gaudet vnum membrum, congaudent omnia mēbra. Corona in capite ponitur, ſed omnia membra venuſtat. Item mēbra ad inuicem ſeruiunt: nā oculus non videt pro ſe ſolo, ſed omni corpori: & auris nō ſibi ſoli audit, ſed toti corpori; & manus nō ſoli ſibi palpat, nec pes ſit ſoli ambulat, ſed toti corpori. Ita & nos ſtudeamus gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, & omnibus ſeruire, omnibus prodeſſe. Secunda cauſa, quia ſumus vnius patris filii; ſic ipſe ait. *Vnus dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & pater omnium.* Si ergo fratres ſumus, cur non inuicem diligimus? Tertia, quia vnum panem comedimus, ad vnum ſacramentū altaris accedimus. Vnde ait. *Multi vnū corpus ſumus, qui de vno pane, & vno calice participamus.* Ideo n. ſacramentum hoc cōuiuium dicitur, quia ſacramentum eſt vnitatis & pacis, in concordia edentiū inſtitutum. Vnde ſicut ait Aug. *propterea dn. noſter Ieſus Chriſtus corpus & ſanguinē ſuum in eis rebus conſecrauit, quæ ad vnum aliquid redeuntur, ex multis nāq; granis panis vnus efficitur, & ex multis racemis vinū confluit, vt ſcil. meminerimus aſſumentes vnitatis & pacis, &c.* Vides certe q̄ multa ſunt quæ nos ad hanc inuitant charitatis fraternitatē. Quis contemnat dominum cōmendantem, præcipientem, & pro ea orantem? Apoſtolum commendantē, rationem ſuadentē? Sed ſi hæc omnia non te mouent, moueat te ſaltē ipſa q̄ diximus iucunditas charitatis. quis n. non vult iucunde viuere, & cum lętitia vitā agere? hoc ſine fraternitatē habere non poteris. Quid namque iucundius, q̄ concordia? quid moleſtius, q̄ diſcordia? experimentum facite in matrimonio: ſi vxor, & maritus, & filii, & domeſtici in pace ſunt, quid eſt domus illa niſi paradiſus? ſi aūt è contra diſcordia eſt inter eos, quid eſt aliud niſi infernus? Vnde Apoſtolus pro bono iſto concordiæ, ſuadet viris vt diligant vxores ſuas, alioquīn quid op⁹ eſſet hoc ſuadere, cū ſæpius ſic excedant in amando, vt pro eis Deū deſerant? & freno potius q̄ calcaribus egeant? Et Aug. in tantū exaltat coniugatorum concordiam, vt ſuadeat vxoribus, omnia damna, moleſtias, & venditionem dotis ſuſtinere, ne rumpatur concordia. Facite periculū in bellis, & videte quot mala, quot infortunia ſūt in eis quot mortes, rapinæ, adulteria, tormenta, amaritudines, miſeriæ fiunt in pliis: quot terrores, timores, dolores, anguſtiæ, afflictiones, iniuſtitiæ intolerabiles, cum vna ciuitas ab inimicis ſuccenditur, & hoſtib. traditur diripienda, diripitur & deuaſtatur. E contrario in pace omnium rerum abundantia eſt: abundat iuſtitia, religio, virtus, ſapientia, officia, ingenia; abundat panis, vinum, fructus, & omnia temporalia; ſicut propheta ait *fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.* Deniq; ſicut ait Hieron. ex Saluſtio citans, *concordia parua res creſcunt, & diſcordia maxima dilabuntur.* In particularibus quoque diſcordiis, quātum pondus moleſtiæ eſt? Qui n. habent inimicitias non dormiunt, non quieſcunt, quotidie pauidi, ſuſpicioſi, anxii, inquieti; ſi oſtium ſonat, ſi canis lattat, ſi ſtrepit⁹ fit, ſuſpicantur inimicū, timent mortem. Quot curæ, quot ſolicitudines, quot timores, quibus anxietatib miſeri diſtenduntur? quibus doloribus vexantur? O vitam miſeram & laborioſam, nonne recte vobis videbitur & merito illa omnia pati qui placitā

Rom. 12. & 1. Cor. 12. Rom. 4. 1. Cor. 10. — *Tres rationes cur diligere nos debeamus.*

Eph. 4.

1. Cor. 10.

Eph. 5.

Pſal 121.

concor-

concordiam recusabit? Vnde ait Iob, *stultum interficit iracundia*. Vere stultissimus, qui hæc omnia in odio & inimicitia potius pati elegit, q̃ in pace & securitate, iucunde & lætanter viuere. Deniq; q̃ bona sit pax ista & concordia, vel ex hoc maxime appareret, q̃ hæc Deum de cœlis in terram traxit. Ad quid n. venit filius Dei in mundũ, nisi vt dissolueret opera diaboli? i. e. vt omnia quæ diabolus per peccatum primorum parentũ dissociauerat, reduceret in concordia? & sicut Apost. ait, *pacificaret siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt?* Vt Deum & hoiem, Angelum & hominem, & hominem, carnem, & spiritũ peccato diuisos, concordaret. Sicut idem Apost. ait: *ipse est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum, & interficiens inimicitias in semetipso.* Optimus mediator, qui vt conciliaret inimicos, de proprio soluit iniuriã, & satisfecit offenso, nõ auro, non argento, sed tormẽto, sanguine, cruce, morte. O immensum pondus amoris, ô ineffabilem charitatem. Ac si ad patrem diceret. Quid pater piissime aduersus hoies meditaris? quid indignaris? Ecce ego homo sum, homines perire fratres meos pati non possum in me excute vindictam, in me expende omnem furorẽ tuum, vindica in me & quiesce; ego feci, ego luam, ego curabo & sanabo. Hunc fratres imitemur, hunc sequamur, si cum illo in æternum regnare cupimus. Sed non oĩs concordia bona est & iucunda: cõuenerunt fratres Ioseph vt occiderent fratrem suum, aut venderent: cõuenerunt principes sacerdotum in vnum *aduersus dominum, & aduersus Christum eius*: conueniunt latrones vt faciant furta: cõueniunt hæretici vt perdant ecclesiã: non est bona pax ista fratres, non est iucunda sed detestãda & abominabilis. Ita Dn. ait: *pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis*: innuens q̃ erat alia pax mũdi, quam ipse non dat, sed reprobat, & odit eã. De hac pace propheta. *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* In pace nãque hæreticorum, tyrannorũ amaritudo ecclesiæ amarissima est. Illa ergo amabilis & iucunda cõcordia est, q̃ à Dei amore & charitate procedit, non q̃ ab iniquitate vel cupiditate est sicut Hiero. ait. Vera necessitudo est, & Christi glutino copulata, q̃ non vtilitas rei familiaris, non præsentia tm̃ corporis, non subdola & palpans adulatio; sed Dei timor & sacrarum scripturarum studia conciliant. vnde aperte propheta cum dixisset in themate: *ecce quam bonũ & quam iucundum habitare fratres in vnum*; statim subiungit; *sicut vnguentum in capite, &c.* Quasi dicat; fraternitas optima est, & iucunda, illa tamen quæ ab vnguento charitatis procedit. h. e. vnguentum de quo in Canticis, *in odorẽ vnguentorum tuorum currimus.* Et de quo Psal. 62. *Sicut adipe & pinguedine replebitur anima mea.* Et de quo Ioan. *vnctio docebit vos de omnib.* Et de quo Isa. *computrescet iugum à facie olei.* hęc vnctio quatuor situs habet; primum in capite, secũdum in barba, tertium in veste, quartum in ora vestimenti: & ita quatuor facit maximas & singulares conformitates, siue concordias.

Huius ergo vnctionis abundantia maxima in capite est, caput Christus Deus, i. e. inter diuinas personas; diligunt n. se mutuo ex charitate, & inter eas infinita est dilectio. Nulla charitas huic comparari põt, sicut ẽt nulla cõformitas. Qualem putas esse concordiam in illa super benedicta Trinitate? vbi tres, vnus Deus, vna substantia, vna bonitas, vna volũtas, vnus amor sunt. Neq; n. ibi cõcordia amorum est, sed vnus amor: non cõcordia voluntatum, sed vna volũtas in omnibus, imo oẽs vna voluntas. Non potest imaginari maior cõcordia in mundo; nam sicut vnio infinita, ita & concordia infinita est. Vnde & Bernard. *lex est ergo, & lex Domini charitas, qua Trinitatem in vnitatem quodammodo cohibet, & colligat in vinculo;*

1. Ioan. 3. Christus quare venerit. Col. 2. Psal. 132. Isa. 42. Cant. 1. 1. Ioan. 2. Psal. 10. Isa. 10. 1. Cor. 11. Isa. 46. Gen. 37. Psal. 2. Ioan. 14. Isa. 38.

vinculo pacis: nam vbi infinitus est amor, necesse est quoque infinitam esse concordiã, infinita autem concordia identitas est: nã infinitus ille
Ephes 4. amor quo pater diligit filium nõ sanctiaretur omnino, nisi cum ipso quem diligit vnum esset. Hæc est n. amoris proprietas secundum Dionysium transformare diligentem in dilectum: vbi ergo infinitus amor, infinita est transformatio, infinita trãsformatio identitas est: hoc igitur quod amor in omnibus desiderat fieri vnum cum dilecto illum qui diligit, in diuinis solummodo obtinuit. ibi solum inuenit quod in omnibus perficere cupit. Sed nunquid in solo capite seruabitur vnguentum istud, & balsamum odoriferum, & pretiosissimum. Non, sed à capite vtiq; descendit: & primo in primum, & altissimum fastigium totius creaturæ, scilicet in barbam, barbam autẽ non cuiuslibet, sed Aaron summi illius pontificis, qui se obtulit Deo hostiã pro mundo in odorẽ suauitatis, ideſt in humanitatem Christi. Post illam enim ineffabilem charitatem, qua tres personæ diuinæ se mutuo diligunt, secunda hæc est, qua humanitas hæc sacratissima à Deo diligitur. ipsum enim hominẽ Christũm sicut
Ephes. 1. super omnem potestatem & principatum constituit ita & super omnes diligit. Nullus angelus, nullus archangelus, nullus cherubin, aut se-
Matt.. raphin ita dilectus est. Vnde ait, *hic*
Cant 5. *est filius meus dilectus, in quo mihi cõ-*
Ephes.1 *placui.* Vnde in canticis, merito repetito vocabulo, dilectus ex dilecto nuncupatur; id est primum dilectũ & prima ratio diligendi, quoniam in ipso electi & gratificati sumus omnes *ante mundi constitutionẽ*, sicut ait Apostolus. Et sicut hæc secunda caritas est, ita etiam secunda concordia; nam in prima sunt tres amantes, & vnus amor, hic autem econtrario sunt duo amores, & vnus amans; in prima tres volentes & vna voluntas in secunda duæ voluntates & vnus volens; in prima est concordia amãtium in amore, in secunda cõcordia amorum in volente. Sed neq; hic stetit vnctio salutaris, sed adhuc amplius descendit à barba in vestimentum, id est super nos illos spiritus & beatas mentes ciuitatis supernæ. De his enim dixerat Isaias, *vnus dominus quia omnibus his velut vestimento vestieris.* In hac beata conformitate & amores & amantes distincti sunt, sed indissolubili nexu beatitudinis glutinati, vt disiungi nõ possint, aut inuicem discordare. O pax, ô vnitas admirabilis illius sanctissimæ ciuitatis, ô prodigium, ô miraculũ grande, vt in tanta multitudine & tã varia differentium personarum, angelorum, & hominum, nulla sit omnino discrepantia voluntatum, neque tantillum vnus discordet ab altero, sed quod vnus vult velint omnes. O beatam rempublicã tam vnanimem tam concordẽ; vnde hoc nisi quia ibi non est proprietas voluntatum, sed quod Deus vult hoc omnes volunt? Diuina voluntas omnium voluntatum vna, & sola regula est, & ideo impossibile est discordare. Hæc enim sanguisuga illa cum suis filiis de qua Salomon, id est, propria voluntas, pacẽ tollit, discordiam parit. Tolle propriam voluntatẽ, & non erit dissensio; non erit scandalum in *Prou.30.*
mundo. Non est & ibi cupiditas mater diuisionis, quoniam hæreditas illa indiuisa ab omnibus possidetur hæredibus, sicut ait Psal. *Hierusalem*
Psal.47. *quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum*; id est cuius bonum ab omnibus simul possidetur, totum ab omnibus, & totum, ideo non est dissensio. Caritas quoq; immensa, cuius est facere propria cõmunia, & communia propria, omnem illam parit concordiam. O quãdo hac pace perfruemur fratres, sed adhuc salutaris vnctio descendit à vestimento ad oram vestimenti, id est Ecclesiam militantem: descendit autem sicut ros Hermon, qui descẽ-
Mons Hermon &
dit

Sion quales, & quid significent.

dit in montem Sion Auguſt. Hoc iuxta literam intelligi non poteſt, nam Hermon mons eſt valde diſtans à monte Sion, quomodo ros eius poteſt deſcendere in Sion? De monte illo ſuperno loquitur, de quo in alio Pſalm. *Mons Dei mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis, mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo, etenim habitauit in eo in finem*, id eſt in fine ab illo monte, qui & veſtimentum eius dictus eſt, mons Hermon qui interpretatur anathema mœroris, quia ibi non habet locum omnis mœror. Ab illo deſcendit hæc vocatio, ſicut ros in montē Sion, quoniam in die Pentecoſtes diſtillauerunt cœlia facie Dei Sinai, ſuper Apoſtolos in Sion congregatos pluuiā illam voluntariam quæ inebriauit terram, & locupletauit eam, & in ſtillicidiis eius lætata eſt germinans. Hic eſt ros de quo Iſaias. *Ros lucis, ros tuus.* Hæc autem ſic diſtillata caritas, bone Deus, quantam fecit in toto orbe concordiam, quantam peperit vnitatem? Græci, Latini, Barbari, Hebræi, Æthiopes, Indi, Hiſpani, & omnes aliæ o bis nationes, tam diuerſis moribus, conditionibus, ritibus, in vnam fidem mirifico glutino, ac vnctione copulatæ, & agglutinatæ ſunt: ſicut in Apocalypſi dicitur, *ex omni gente, & populo, & natione feciſti nos Deo ſalutari noſtro regnum.* Illic ergo in iſto monte diſtillauit dominus benedictionem, & vitam, ſed inde per totum orbem diſperſa eſt in omnes gentes, & ab ortu vſque ad occaſum peruenit. Denique quantam tunc temporis concordiam fecerit in fidelibus Lucam audiamus. *Erat cor vnum, & anima vna in domino, neq; quiſquam dicebat aliquid proprium*, &c. O principium eccleſiæ, quam longe fuiſti ab eo quod nunc es? quanta tunc pax & concordia, quot nūc rixæ diſſenſiones, controuerſiæ, litigia? quam longe ſumus ab illa vnitate & pace, quā nobis moriens dominus ſic commendauit? Tunc autem non [illegible] ſed erat illis anima vna, & cor vnum in domino. Nulla quippe hodie religio tam ſancta, tam vna, tam reformata eſt, ſicut erat tunc omnis religio chriſtiana. Sed hoſtis generis humani non dormit, ſed more ſuo ſicut à principio ſeminauit zizaniam in cœlo & in mundo, ita & nūc in eccleſia Dei ſuper bonum triticum doctrinæ, ſeminauit zizaniam multarum hæreſium. Nam illico Cherintus, & Hebion, & Nicolaitę, deinde Arrius, & Sabellius, Heluidius, Donatus, & alij hæretici magnā in Dei eccleſia diſcordiam & diuiſionem fecerunt, præcipue tempore Arrij: quoniam ex vna parte concilia catholicorum, ex alia concilia bula hæreticorum, ex vna parte principes, ex alia & principes, ex vna epiſcopi & plebes, ex alia & epiſcopi & plebes contra ſe inuicē diſſidebant, atque certabant. Denique tunc eccleſia orientalis ab occidentali ſæpius diſſidebat, atque Alexandrinus, & Antiochenus patriarchæ ab Apoſtolica ſede ſæpius diſſidebant. Vnde quia omne regnum diuiſum deſolabitur, hæc diſcordia fecit vt Mahometica ſecta, ab eccleſia Orientali facile reciperetur: nec deſtitit multiplicari ſeminatum lolium inter eccleſiam Græcam & Latinā, quæ multo tēpore durauit. Nam in multis Græci à ſede Apoſtolica diſſidebant, vt in proceſſione ſpiritus ſancti, & in fermētato ſacramenti, & in cælibatu clericorum, & aliis: nec omnino Patriarcha Conſtantinopolitanus Romano Pontifici obediebat, donec ex hac diſcordia eccleſia Græca omnino perdita eſt, & per octoginta tres annos à Turcis Conſtantinopolis occupata. Manſit ergo ſola eccleſia Latina in fide, perdita Orientali eccleſia Græca, neque in hac ceſſat à zizaniæ ſeminatione, ſed vt videris, in Germania hæreſes ſeminauit, & inter Hiſpaniam & Galliam bellum atrociſſimum & longiſſimū: quæ diſcordia quantum detrimentum attulerit eccleſiæ, omnibus notum eſt, perdito Belgrado, & Buda, & magna parte Vngariæ, & Rhodo inſula, quæ erat Chriſtianitatis porta. Vnde enim amplius eſt Turcarū potentia, vnde eius imperium ſic ſublimatum eſt, niſi ex diſcordia Chriſtiano

Pſal. 67.

Ibid. Pſal 67. Act 2. Pſal. 67. Pſal 64. Iſa 26. Apoſt in Pentecoſt. quodam modo inebriati.

Act. 2.

Apoc. 5.

Pſal. 132.

Act. 4.

Ioan. 14.

Vigilan. dum ne irre pant vul pecula.

Mat. 3.

Diſcordia eladiū de ſcribuntur.

Mat. 12.

tum? Videns itaque Christianissimus Imperator damnum maximum Christianæ religioni ex hac discordia prouenire, zelo fidei motus, cum summo Pontifice & Venetis pacem, & concordiam procurauit, per quam Turcicæ potentiæ & exercitui posset obuiare: quam pacem speramus in maximam ecclesiæ vtilitatem profuturam: *Funiculus* enim *triplex difficile rumpitur*: triplex potestas tam magna non facile superabitur, & *frater qui iuuatur à fratre quasi ciuitas munita*. Et quia hanc concordiam à Deo esse non dubitamus. *potestas* enim *& terror apud ipsum est qui facit concordiam in sublimibus suis*, ideo præcepit vt in omnibus sui regni ecclesiis cathedralibus huius tantæ concordiæ commemoratio & solennitas fiat, ad duo: addandas scilicet gratias omnipotenti Deo pro tanto beneficio, & ad deuote supplicandum, vt confirmet hoc beneficium quod operatus est à templo sancto suo, & fixa & durabilis sit ista concordia. O si placeret Deo, vt reliqui principes Christiani in hoc fœdus coniungerentur, quam bonum, & quam iucundum est habitare fratres. Principes vnius ecclesiæ filios, in vnum? Quis tunc ecclesiæ nocere posset? Non solum Turca, & reliqua Barbaries non esset sufficiens contra eam, sed ipsa maximam partem dominii perditi recuperaret. Faciat hoc Deus pius & misericors, respiciat hæreditatem suam, pro qua sanguinem suum fudit, & det pacem ecclesiæ suæ in virtute sua; vt sit abundantia omnium bonorum in turribus suis, vt per hanc temporalem abundantiam ad æternam gloriam transeamus: ad quam nos perducat ipse Iesus Christus dominus noster.

Amen.

Eccl. 4.

Prou. 18.

Iob. 25.

DOMINICA XIX. POST Pentecosten.

THEMA.

Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio. Matth. 22.

Ad Imperatorem Carolum Quintum.

TRiplex est desponsatio, prima cum carne, secunda cum ecclesia, tertia cum anima: de qua Paulus, *despondi enim vos*: de hoc sermo, vt ait Bet. 32 sermone super cantica, Deus multifarie tractat animas nostras, & varie se ostendit ad illas: quibusdam vt medicus, aliis vt Dominus, aliis vt magister, aliis vt pater, aliis vt sponsus, secundum statum & dispositionem illarum. Erit in domo eius quædam sunt quasi agrotæ; quædam quasi ancillæ, quædam vt discipulæ, quædam vt filiæ, quædam vt sponsæ. Hatum statum exponamus. Quædam animæ vadunt ad Dominum per viam contritionis, non sunt omnino sanæ, agnoscunt vlcera suorum peccatorum, dolent, anxiantur, plorant quotidie coram domino dicentes cum prophera: *miserere mei Domine quoniam infirmus sum, sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea: sana me Domine & sanabor.* Hoc totum desiderium earum, hæc continua postulatio; quibus Dominus aliquando post fletum & nimiam amaritudinem magnam præstat fiduciam & consolationem, vngens vlcera earum vnctione misericordiæ suæ. Psal. *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Bernardus, *à quanta me amaritudine liberasti, &c. quoties post fletum, & tet. quoties oratio, &c.* Anima quæ vlceribus plena est, non sponsum, sed medicum debet quærere, non delicias, sed lachrymas. Aliæ animæ vadunt ad Deum per viam timoris: cogitant enim frequenter Dei ma-

varia conditiones animarum.

Psal. 6. Hier. 17.

Psal. 146.

manifestatę, & *quã horrendum sit incidere in manus Dei viuentis*: & ita cũ magno timore & tremore vigilãt super se, vt eu-
Heb. 10. stodiant præcepta Dei, secundu n illud
Iob: *verebar omnia opera mea, sciens*
Iob 9. *quod non parceres delinquenti.* Et iterum. *Semper quasi tumentes super me*
Iob 31. *fluctus, timui Deum.* Istæ sunt ancillæ & bonus status, *beatus est homo qui sem-*
Prou. 28. *per est pauidus*, nam per timorem domini declinat omnis à malo. Aliæ autem vadunt ad Deum per viam contem-
Isai. 26. plationis & sapientiæ, quærentes fa-
Psal. 118. ciem eius semper, sicut scriptum est: *vultum tuum domine requiram*: tenentur enim magno desiderio sapientiæ, scrutantes legem Dei die ac nocte, &
Psal. 118. profunda mysteria meditantes: sicut propheta ait, *quomodo dilexi legem tuã domine, tota die meditatio mea est*, sedentes ad pedes domini semper cum
Luc. 10. Maria, vt audiant verbum eius: quibus propter maximum sapientiæ desiderium, dominus magnam concedit lucem, & magna secreta reuelat: sicut
Psal. 50. scriptum est, *incerta & occulta sapientiæ tuæ*, &c. Hæ sunt discipulæ in schola eius stantes, & habet se ad eas dominus, vt magister. Aliæ sunt animæ quæ vadunt ad Deum per viam orationis & laudis: hæ enim cognitis maximis beneficiis à domino præstitis, & magnam habentes spem de futura hæreditate sibi præstanda, *testimonium illis*
Rom. 8. *perhibente spiritu Dei, quod filij Dei sunt*, ideo reiectis omnibus, tam pro præstitis quam pro præstandis, cum summa reuerentia filiali, diuinis laudibus, & gratiarum actionibus intendunt. Istæ sunt filiæ, & dominus se eis vt benenolus pater ostendit. Aliæ sunt animæ quæ vadunt ad Deum per viam charitatis & amoris, quibus dominus tantam concessit vim charitatis, & incendium amoris sui, vt nihil magis
Phil. 10. optent quam *dissolui & esse cum Christo*, quibus absentia Dei intolerabilis
Psal. 4. est: quarum est illa vox, *spera anima mea in domino, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei. Fuerunt mihi lachryma mea*, &c. Et illa *fulcite me floribus, stipate me malis*, &c. Vnde sicut sponsa die ac nocte non potest obliuisci sponsi sui, semper habet eum præsentem, semper desiderat esse cum illo, & omnia quæ sunt sponsi, siue equum, siue famulum, siue vestem, siue ensem diligit propter sponsum: sic istæ semper Deum in præsentia, semper in desiderio quicquid agant, quicquid intendant, & omnes homines, & omnes creaturas diligunt propter sponsum, & sponsum in eis, omnino absorptæ in eius amore. O quam felices & beatæ, & sunt aliquæ tales? Sunt profecto vel rarissimæ. Mirates, illa anima quæ alium sponsum ante nouerat, sic ei agglutinatur, & non potest ab se abiicere idolum sponsi sui die ac nocte. & ego creatus à te redemptus, à quo spero tanta, non similitet faciam? Istæ sunt sponsæ, hæc animarum differentia, quamuis sub aliis verbis tangitur in canticis, vbi dicitur. *Sexaginta sunt reginæ*, &c. Cant. 6.
Vna est perfecta mea, &c. Quia ratissima est quæ potest dici sponsa, & non Ioan. 14.
nisi valde perfecta anima. Sicut ergo multæ sunt mansiones in illa cælesti domo patris, sic & in hac domo militantes varius & multiplex est animarum status. Et sicut in illa domo qui libet est contentus suo statu, sic in ista domo non est nostrum eligere statum in domo domini: Dei est suum præstare vnicuique, prout vult. Beatus qui manducat panem in domo Dei, siue sit filia, siue ancilla, siue sponsa. Vnde sicut ibi angelus nõ inuidet archangelo, neque confessor apostolo, sic, & hic non debet esse inuidia, sed gratiarum actio de statu perfectiorum gaudentes de bono aliarum. Beatus domine qui tales habes ancillas, gratias tibi quia sunt aliqui in mundo qui diligunt te: hæc enim charitas, & humilitas gratissima est apud Deum. Non quod non conemur proficere, scriptum 1. Cor. 12.
est: æmulamini, optate, procurate, zelate meliora charismata, & mutate statum si domino placuerit de ancilla in filiam. Sed sicut idem Apostolus ait, Gal. 4.
æmulamini bonum semper in bono: est

enim quædam æmulatio quæ nascitur ex odio, quædã ex superbia, quædã vero ex charitate. Qui videt excellentiam proximi, & tristatur quia ille habet, ex odio nascitur hæc æmulatio. Qui autem videns proximũ qui sibi non erat infensus prosperari tristatur, eo quod quantum illi honoris tribuitur tantum sibi videatur detractum, inuidiæ peccatum committit, quod proprie ex superbia nascitur, quæ est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ. Qui autem videns proximi excellentiam lætatur, & gaudet de bono proximi, & cum humilitate imitatur, desiderans & ipse sic placere Deo, ex charitate nascitur hæc sancta æmulatio, & multo citius perueniet ad illam optatam gratiam per viam humilitatis, & conformitatis cum diuina voluntate quam si vane se cruciet, & affliga Qualis debeat esse anima quæ meretur dici sponsa, & quales conditiones debeat habere, & qualem habeat cum sponso familiaritatem, quos fauores & blandimenta ab illo suscipiat, & quales suauitates spirituales intercedant inter eos & amoris deliciæ, qualia desideria, quales amplexus, qualia oscula, & quales consolationes, & gaudia, mirifice Spiritus sanctus descripsit in illo libro quem de isto connubio descripsit, per os Salomonis, qui dicitur Cantica canticorum, siue Epithalamium, & merito quia vere spiritualis est, & super omnia cantica. Singula verba faces sunt incensæ & flamma ignis, sed non potest bene intelligi nisi ab expertis. Omnia Dei iudicia? quis non timebit te ô rex gentium? Fistula illa cœlestis per quam spiritus sanctus talia diuini amoris incendia personuit, ex alto illo contemplationis fastigio, vsque adeo lapsus est, vt idolum adoraret Moloch, & illi templum construeret, & sacrificium offerret, deceptus amore mulierum, quæ illum ad tantum malum perduxerunt. Hierony. *Nihil periculosius viro quam fœmina: hæc decepit Adam, hæc sanctissimum Dauid præcipitauit, hæc sapientissimum Salomonem, hæc fortissimum Samsonem*, &c. Sed quoniam liber ille nimium spiritualis est, & obscurus, placuit nunc altitudini vestræ aliud Epithalamium clarius, & compendiosius exponere, quod Spiritus sanctus ore patris eius Dauid personanauit in Psalm. qui incipit, *Eructauit*, &c. In quo pater cœlestis, secundum Augustinum aut Spiritus sanctus qui paranymphus est secundum Hieronym. mirifice alloquitur & spõsum, & sponsam, & instituit de agendis. Ait ergo propheta, *eructauit cor meum verbum bonum*. Magnum est canticum quod loquor ego, altissima doctrina. Facio vos attentos. *Dico ego opera mea regi*, in cuius gloriã hoc Epithalamiũ cano, nec putetis quod à me ipso *Lingua mea calamus est scribæ* spiritus sancti *velociter scribentis*: quæ ego scribo & loquor ipse dictat: & incipit materia *speciosus forma præ filiis hominum*, imo præ millibus angelorum. *Diffusa est gratia in labiis tuis*, &c. *Fauus distillans labia tua mel, & lac sub lingua tua, eloquia tua super mel & fauum. Accingere ergo gladio tuo acutissimo potentissime*, vtere gladio tuo isto ancipiti, verbo tuo, *specie tua, & pulchritudine tua*, &c. Ostende faciem tuam, sonet vox tua, & sufficit ad mundi conuersionẽ ostende mundo pulchritudinẽ tuam, reuela maiestatẽ & diuinitatem tuam, & sufficit. Intende humiliter, procede prospere, regna feliciter, intende fortiter in passione, procede prospere in resurrectione, & regna feliciter in gentium conuersione propter veritatem doctrinæ, & mutationem vitæ, & iustitiam tui iudicij. Nec timeas aggredi tantum opus, nam *deducet te mirabiliter dextera tua*, diuinitas tua. Sagittæ enim tuæ acutæ, verborum ignitorum, & acutissimarum inspirationum. Flecte arcum, & transfige corda inimicorum, populi sub te cadent, sedes tua Deus, quam aperte ostendit splendorẽ illustrem huius sponsi. Ex quo loco maxime in veteri testamento concludi potest diuinitas Messiæ: sicut Apostolus mirifice hunc locum citat ad probandum Deitatem Christi ad Hebræos.

Sponsa Christi & anima sancta epithalamium.

Cant. Salo.

3. Reg. 11.

Psal. 44.

Psal. 44.

Cant. 4.

Psal. 118.

Cant. 2.

Heb. 1.

Pro-

Propterea unxit te ô Deus Deus tuus, Quid apertius de Christi deitate, & Trinitate personarum? Deus unctor, Esa. 61. Deus unctus Deus unctio: *spiritus domini super me, eo quod unxerit me,* & Ioan. 3. cæt. *Præ consortibus tuis.* Quia non est illi datus spiritus ad mensuram aut quia in aliis hæc unctio est per gratiam, in illo inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter & hypostatice. Col 2. Audistis sponsi pulchritudinem, potentiam, pulchritudinem, fortitudinem, nobilitatem: audite magnificentiam: *myrrha, gutta, & casia, à vestimentis tuis, à domibus eburneis.* Cum domos illas eburneas, & mansiones cœlestes purissimas conscenderis, mille dona, mille gratias per illas odoriferas species designatas à tuis vestimentis, Psal. 67. ab illa sacra humanitate in mundum stillabis, sicut scriptum est: *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem,* & cæt. Ex quibus delectabuntur filiæ regum ornatæ à te gratiis, congregatæ ab Apostolis in honore tuo, id est ecclesiæ hucusque ad sponsum. Placet nunc aliqualem facere parenthesim, & verba hæc dirigere ad sublimem vestram altitudinẽ, hæc enim lectio moraliter intellecta vtilissima est, pro vestra altitudine. In hoc Epithalamio cœlestis ille paranymphus ore prophetico principem gloriæ Iesum nouiter in mundo in carne regnantem instruit, & instituit, & formam illi regnandi tradidit, quam omnes principes imitentur Non est talis instructio in tota Aristotelis politica, neque in Platonis republica, neque in omni libro compositio de regimine principũ. *Speciosus forma præ filiis hominum:* debet enim cunctos præcellere excellentia, virtute, & claritate morum, qui omnes excellit dignitate: & quanto eminentior dignitate, tanto debet esse sublimior virtute super homines, & quodammodo plus quam homo esse debet qui præest hominibus, qui positus est in regno quasi speculum, in quod omnes aspiciãt quasi in exemplar quod omnes imitentur, & quasi forma quam omnes sequantur. Vnus nævus vitii in principe plus videtur, & plus nocet quam magnum vitiũ in alio quocunque. *Diffusa est gratia in labiis tuis,* oportet principem esse affabilem, & comem, humanum, hilarem, suauem, dulcem in verbo, & placidum in conuersatione. Habeat hilaritatem seueram; & seueritatem hilarem sic mistam, vt & magnus timeat & reuereatur, & infimus audeat; attramen cum hoc debet esse animosus fortissimus, magnanimus, ad casus occurrentes. Vnde sequitur. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime,* vt imitetur illum qui quasi agnus erat in conuersatione, & quasi leo in resurrectione. Vnde de illo Baptista ait, *Ecce agnus Dei:* & de illo alter Ioannes ait: *vicit leo de tribu Iuda.* Sequitur *specie tua,* &c. nihil est quod magis alliciat regnum, & subiciat populos quã virtus regis. Hæc facit illum amabilem, & gratũ omnibus: plus virtus potest, quam omnis terror mundi, vnde potius amari appetat quam timeri. *Intende prospere, procede & regna.* Faciat & implea hoc Deus in vestra altitudine, vt semper proficiat, semper augeatur, & quale ostendit initium, talis sit & melior processus & finis. Sed quo modo fiet illud? *propter veritatem* (inquit) *& mansuetudinem, & iustitiam.* Psal. 44. Istæ sunt virtutes regiæ, virtutes honorabiles, quæ regem maxime decent. Omitto nũc religionem, & deuotionem, fidem, quæ regibus maxime necessaria est, tanto magis, quanto magis indigent Deo quam alij: vnde tanto timidiores, tanto deuotiores, tanto humiliores, tãto Deo coniunctiores quam alii, sunt n. in maximo fastigio, & magnum possunt habere præcipitium: ille enim *deponit potentes de sede, & exaltat humiles.* Et sicut Iob ait, *dissoluit balteum regum, & præcingit fune renes eorum.* O quanta exempla audiuimus. Omissa itaq; hac religione & obedientia & deuotione, & christianismo, inter virtutes morales quæ maxime decent regem sunt istę tres: veritas, mansuetudo, iustitia. Debet diligere veritatem, odis-

I. Principum, Regum, & Imperatorum, qualem mores & vita.

odisse fraudes, technas, mendacia, & omnes seditiosos & hypocritas: secundo iustitiam, quæ proxima est, & soror veritatis: debet esse amicus iustitiæ & zelator eius rectus, vt pro toto mundo nō flectat eam. Vnde dicitur *virga æquitatis virga regni tui.* Et alibi, *reges eos in virga ferrea inflexibili.* De hoc Salomon rex sedens in solio iudicij: dissipat omne malum intuitu suo. Debet esse mansuetus vt eam conseruet, nam ira viri iustitiam Dei non operatur. *Turbatus est* (inquit) *à furore oculus meus*, non debet exacerbescere facile aut indignari, sed sicut de Deo dicitur, tu autem cum tranquillitate iudicas omnia, oportet regem esse magni animi ad graues casus, qui se offerunt sereniter perferendos. Vnde debet habere vultum serenū semper. Talis erat Moyses, quem Deus præfecit illi populo: talis Salomon de quo scriptum est, *dedit ei Deus latitudinem cordis sicut arenā, quæ est in littore maris.* Sequitur *dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit &c.* non ait propter temperātiam, modestiam, fortitudinē, non propter magnanimitatē, non propter liberalitatem: non propter castitatem, patientiam, benignitatem, clementiam: non propter hoc, licet hæc omnia deceant regem te præposuit Deus: sed quia *dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem.* Hoc in rege primum, maximum, & potissimum, amicus bonorum, iniquorum inimicus, magna nota inuritur regi, si quis eius amicus aut consiliarius malus est. Hoc est quod omnes malos fugat, & omnes subditos bonos faciat. Omnes student placere regi: si amicus est bonorum, omnes studēt esse boni, aut saltē apparere, & quod nō faciunt timore Dei, faciunt timore regis. O si sciuerit rex hoc, non me vltra aspiciet, non apparebo corā illo vltra. O magnus prædicator rex, plus proficit verbo & exemplo, quam omnes mundi prædicatores. Quid autē de bello? oportet esse animosum & bellicosum: sed in quo? Attendite. *Sagitta tua acuta in corda inimicorum regu*, in infideles, in inimicos fidei, semper zelans ampliare nō regnū, non statum, sed fidem, & nomen domini sui: & sic prosperabitur, si hoc zelo faciat. Ergo fideles autem oportet illud apostolicū seruare: *quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Quantum in vobis est (inquit) nā interdum non potest hoc fieri, si inimici cuadunt statum suum iniqui, nunquā tamē ipse moueat temere bellum, quod si mouerit, timere debet ne incurrat cōminationē regis Dauid. *Dissipa gentes quæ bella volū.* Debet esse quoq; liberalis, magnificus. Vnde sequitur *myrrha, & gutta, & casia à vestimento tuo.* Duciboni qui posuit vitam pro illo debet largiri, & equiti bono, qui in eius obsequio patrimonū cōsumpsit, & bono consiliatio qui sine cupiditate illum in regimine adiuuat, & iudici recto qui terram pacificauit, & iustitiā seruauit, si aliud non habeat, vestē, torquē, annulum phialā auream, de suo præstet, non scurris, non histrionibus, non aliis superfluis: nam si nō det superflue, habebit pro necessariis. Vnde hic dicitur, *à vestimentis tuis, à domibus ebureis*, id est regis. Non spolier istū vt donet alteri, sed de suis reditibus quantum reditus sufficiunt. Domus regis vnam portam debet habere, per quā intret pecunia, & aliam per quam exeat: sed illa per quam exit, debet esse minor, vt in stagnis aquarum ampliori canali, & orificio debet influere aqua, quā effluere alioqui stagnum exsiccabitur. Dixi, diffusius forte quā oportuit quoniā pluris æstimo soli vestræ altitudini prædicere, quam toti regno: vt quoties hunc Psal. recitauerit, toties meminerit huius institutionis, & eā sequatur. Quod si hęc tu, ô potentissime feceris, *concupiscet rex decorem tuum*, erisq; ei amabilis & gratus. Quinque sunt quæ petuntur, vt *audiat*, vt *videat*, vt *inclinet aurem*, vt *obliuiscatur populi, vt obliuiscatur parentis, domus.* Hæc omnia debet obseruare anima, quæ tanti sponsi sponsa est. Primo ergo audiat sermones, audiat inspirationes Dei, audiat voces cataractarum eam vocantium, Deum. Ne obsurdescat, ne sit sicut

Psal. 1. *Prou.* 20. *Iac.* 1.

Psal. 60. *Sap.* 12.

3. *Reg.* 4.

Rom. 12. *Bellum temere cur non sit gerendum.*

Psal. 44. 10.

Psal. 71.

5. *Petuntur in Psal.*

Psal. 44. *Psal.* 57.

sicut aspis surda, & obturans aures suas, quæ non audit vocem incantantis sapienter. Spiritus sanctus incantator sapiens animarum: serpens incantatus non mordet, non habet virus, stat attonitus, videns & non videns, audiens & non audiens. Hoc facit spiritus sanctus in sanctis: non habent virus invidiæ & rancoris: non mordent detrahendo proximis: sic vident omnia huius mundi, quasi non videant, absorpti & rapti in cælum. Audi magnum incantatorem animarum Paulum, *qui habent uxores quasi non habentes, qui emunt tanquam non possidentes.* Magnum bonum animæ habere apertum auditum: nam ille est prima ianua omnium bonorum spiritualium: fides ex auditu: per auditum conuersus est totus mundus ad Christum: vnde in nuptiis baptismi sacerdos ponit digitis in auribus, ait *ephetha*, quod est aperire. O anima aperire ad cœlestia, nec claudas aurem Christo. Sicut conchylia, quæ aperta calore recipiunt cœlestem rorem, & gelantur in visceribus, & replentur margaritis: sic tu quoque cœlestem recipe rorem lucis, quo omnibus diuitiis spiritualibus repleatis. Ad hoc nos inuitat dominus per Isaiam, *Audite audientes me, & comedite bonum, & lætabitur sicut in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram & venite ad me, & feriam vobiscum pactum sempiternum.* Scilicet vt sim ego dominus, & vos populus: ego pater, & vos filij: ego sponsus, & vos sponsa in sempiternum ex parte mea. Et vide: bonus ordo, audi vt videas, noli videre vt audias: crede vt intelligas, noli velle intelligere, vt credas: nam per fidem venitur ad intelligentiam, teste propheta. *Nisi credideritis, non intelligetis.* Vnde sancti per fidem perueniunt ad notitiam Dei. Sed quid videre debes? Primo ipsam: hoc enim præ omnibus expedit tibi, vt semper te habeas in prospectu Psalm. *Anima mea in manibus meis semper.* Vnde animalia Ezechielis coram facie sua ambulabant. Primo te, deinde Deum. Aug. *videam me: & videam te:* vide & vitæ brevitatem, & gloriæ æternitatem: vide mundi vanitatem, fraudem, deceptionem: vide errores hominum & stultitias: vide æternorum bonorum soliditatem: vide prauorum laborem & angorem, iustorum quietem & suauitatem: vide denique iustorum omnium, & malorum supplicium perpetuum. O si ista claris oculis videremus hæc nostri summa est, habere lippientes oculos: Non videmus nisi quæ prope sunt temporalia: æterna longe posita non prospicimus, vitiis & peccatis, quasi nubibus, obscurantibus oculos nostros. Sicut ait propheta. *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus, & non potui vt viderem.* Vnde Apostolus hunc visum desiderans pro populo, ait. *Non cessamus gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, vt Deus domini nostri Iesu Christi pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ, & reuelationis in agnitione eius, illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius: & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis: & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus.* Vt scilicet ex visione præsentium certa fiat expectatio futurorum. Sed ad visionem Ezechielis reuertamur. Animalib. illis sanctis à propheta sanctus vir describitur. In quibus Deus habitat, habet quatuor facies: est homo, id est rationalis in conuersatione: est aquila in contemplatione: est leo in tolerando, & vincendis aduersis: est vitulus in sacrificio carnis, id est, voluptatibus mortificandis. Vnum quodq; plenum oculis, quia circunspectus & prouidus, ad omnia mandata implenda, & omnia peccata vitanda, intus & foris oculatus. Intus ad moderandos affectus, foris ad diiudicandos defectus. *Vnumquodq; coram facie sua ambulabat:* seipsum semper habet ante se, ne postea dicatur ei, *arguam te & statuam te contra faciem tuam*, vel quia consilio præuidet viam suam, vel quia in suo sensu abundat, & pro se solicitus non scrutatur vias aliorum. *Vbi erat impetus spiritus illuc gradiebantur, quia qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei:*

Rom. 10. 1. Cor. 7.

Isa. 55.

Isa. 7. ex versione 70.

Quid videndum sit nobis.

Psal. 118.

Ezech. 1. & seq.

Psal. 38.

Eph. 1.

Psal. 40.

Rom. 14.

sanctus

sanctus est equus cui insidet spiritus regens eum loco iustitiæ, *Non reuertebantur cum ambularent*, quia semper proficiunt, quæ retro sunt obliti: non sicut
Phil.3. vxor Loth. *Similitudo eorum sicut carbonum ignis ardentium* per charitatem,
Gen.19. ardorem & zelum Dei, & animarum, *& sicut aspectus lampadarum* per doctrinam ardent amore, lucent verbo, & opere. *Ibant & reuertebantur*: vadunt per cognitionem Dei, reuertuntur per considerationem sui: vadunt ascendentes per contemplationem supernorum, reuertuntur descendentes vtilitatibus proximorũ: vtrunq; in similitudinẽ fulguris coruscantis: qui siue contemplentur cum Deo, siue negotientur cum proximo, ex se scintillas emittunt, quæ videntes inflammant: *sicut scintillæ in arundineto discurrunt. Gloria hæc est omnibus sanctis eius*, alas habent, & sub alis manus contemplatione suspensi, & actione præcipui. Iunctæ sunt alæ alis, non discordant in sensu, non discrepant in intellectu diuino, &c. Vel ideo iũctas habent alas, quia se mutuo adiuuant ad volandum. Cum fit vox supra firmamẽtum submittunt alas suas quia verbo
2.Cor.10. Dei submittunt sensus suos, *captiuantes intellectum in obsequium fidei*: vel voce audita submittũt alas, quia superatur intellectus eorum à luce secretorum quæ desuper reuelantur, scilicet verbo Dei. Submittunt alas propter summam reuerentiam, quam exhibent verbis diuinis. Super ipsos quasi similitudo ho-
Christus homo & super homines. minis Christus regnans sedet in omnibus, & homo Christus est. Sed quasi homo dicitur, quia sic est, homo, quod est supra hominem. Vnde de illo Ioseph, si tamen homo dicendus est. Nascitur vt homo, sed ex virgine concipitur in vtero: est homo, sed ex Spiritu sancto veram carnẽ habet vt homo, mortalem, passibilẽ, famescentem, infirmam, sed mundam à concupiscentia & cõditione carnis. Caro miraculosa, caro sed nõ sicut caro: caro natura, sed argẽtum purissimum conditione. Est igitur homo supra hominem: ecce homo, si ad naturam respicias, homo est, sed Deus est, scientia eius quasi hominis, sed super hominem voluntas eius: similiter vita eius exterius humana, sed diuina: quasi hominis loquela eius, operatio eius quasi humana, sed potens & diuina. Prosequitur Dauid suum epithalamiũ, *& inclina aurem tuam*: per obediẽtiam scilicet. Patũ nanque prodest auditus & visus bonus sine opere: non enim auditores legis, sed factores iustificabuntur: vn
de Habacuch, *super custodiã meam stabo*, &c. *Rom 2.* *Hab 2.* Dupliciter potest intelligi hæc inclinatio aurisvno modo referendo ad intellectum, & sic est, captiuare intelli-*2.Cor.10.* ectum in obsequium fidei: quæ renunciatio sensus proprij, & subiectio intellectus, magnum est coram Deo sacrificium & maxime meritorium. Non multum est renunciare quæ possides, renunciare etiam sensualitatem carnis, sed mentem Deo subiicere, quæ est culmen in homine, illud magnum est: quæ renunciatio fit per fidem. Similis est renunciatio propriæ voluntatis, quæ fit per obedientiam charitatis: per quam velle nostrum omnino Deo subiicimus, vim facientes voluntati, vt obediamus præceptis Dei. Primæ obedientiæ debetur visio, secundæ fruitio. Sed quia non sufficit hæc renunciatio, additur alia quæ est renunciatio mundi pomparum, honorum, & vanitatum. Hæc designatur, cum dicitur. *Obliuiscere populum tuum* filia Babylonis. Non potest despõderi cœlesti sponso, nisi egrediatur de Babylone, & à seculari sua cõuersatione. Quæ enim coniunctio lucis ad tenebras? quis consensus templo Dei cum idolis auaritiæ? Abrahæ præceptum est, *egredere de terra tua, & de cognatione*. *Gene.12.* Iacob. *Adulteri, an nescitis quia amicitia huius mundi inimica est Deo?* *Iacob.4.* *Ioan.15.* Vnde Apostolus dicebat Christus, *ego vos elegi de mundo, sed vos non estis de mundo*. *Phil.3.* Apostolus, *Nostra conuersatio in cœlis est*. Oportet etiam renunciare domui patris nostri, id est, carni quam de patre terreno habemus, quæ est animæ domus: id est delitiis, voluptatibus, gaudiis, concupiscentiis, & cæteris

vitiis

vitiis carnis: puriſſimæ debent eſſe animæ, quæ puriſſimo ſponſo copulantur. Apoſtolus, *deſpondi enim vos vni viro, &c.* Vnde dicebat. *Vos non eſtis in carne.* Hæ ſunt ſponſæ conditiones, ſcilicet fides, contemplatio obedientia, mundi renunciatio, & carnis mortificatio: quas ſi habet, *tunc cõcupiſcet* inquit *rex decorem tuum.* Non ait, amabit, ſed cõcupiſcet. Magnus decor animæ, quam rex cæleſtis vſque adeo amat, vt concupiſcat illã. O anima ſi videres teipſam: ô ſi agnoſceres tuam excellentiam & pulchritudinem: non ita te deiiceres ad amorem vilium terrenorũ. Quã pudendum eſt; generoſam creaturam luto voluptatum fœdari? & ſpõſam cœleſtis regis viliſſimo Aethyopi copulari? Decorem tuum, ideſt qui in te eſt, non qui à te eſt. Non n. concupiſcit decorem, niſi quem ipſe præſtat. Sicut ait Pſal. *Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem.* Eſt autem pulchritudo, debita proportio membrorum cum ſuauitate coloris. Vnde duo requiruntur ad pulchritudinem, ſcilicet & congruentia membra & bonus color. Ambo hæc habuit Adam in ſua creatione, creatus ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Imago in potentiis, ſimilitudo in bonis: primum eſt debita proportio potentiarum, ſecũdum ornatus gratiarum & virtutum. Sed heu *deturpata eſt facies eius ſuper carbones*, & ſimilitudo Dei in ſimilitudinem pecoris mutata eſt, manente primo, ſcilicet imagine & proportione: facies eius fædata, leproſa, vlceroſa, abominabilis. O quãtũ ſudaſti domine vt eã decorares, & ad priſtinum decorem reduceres? Ad curãdas maculas balſamum pretioſiſſimũ tui ſanguinis dediſti: non enim aliter curari poterant. Vnde domino, ſi *laueris te* nitro pœnitentiæ, *& multiplicaueris tibi herbam borith*, ſaponis mollitiem, ideſt orationis & lachrimarum abundantiã, abundantiã tamẽ *maculata es tu coram me.* Ideſt, ſine meo ſanguine, nõ tibi ſufficiunt ad munditiã. Dedit ergo balſamum ſui ſanguinis, ad vnguenda vlcera peſſima peccatorum. *Mundauit eam aqua lauacro* de ſuo latere in baptiſmo, *vt exhiberet ſibi eam ſine macula & ſine ruga. Vnxit oleo lætitiæ ſuæ*, & perfudit eam ſpiritu ſuo, vt genas eius purpuraret. Ornauit de cœlo, donis & monilibus gratiarum, ſicut nuptam quæ ducitur ad thalamum. O qualis ornatus ex illo ditiſſimo Dei theſauro? Audi ornatum in Ezechiele pulcherrimum, *& facta es mihi, & lauite aqua, & vnxi te oleo, & veſtiui te diſcoloribus.* Vnde admirans pulchritudinem eius, ait. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra.* Pulchra in naturalibus, pulchra in gratuitis, pulchra facies, pulcher ornatus. Sed licet pulchra facies, pulchrior eſt ornatus. Vnde ait. *Quã pulchri ſunt greſſus tui filia principis*, ſcilicet in calceamentis. Pedes animæ potentiæ, greſſus actus earum quibus Deo appropinquamus, affectus deſideria, calceamẽta dona ſpiritus ſancti, quæ ſingulas potentias ornant, ſapientia intellectum, pietas voluntatem, fortitudo irascibilem, &c. *Pulchri ſunt greſſus animæ*, ideſt actus, cogitationes, affectus, ſed propter calceos gratiarum, nõ de ſe. Sequitur, *omnis decor filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis*: inflammatis deſideriis, & puriſſimis cogitationibus, nõ in auro & purpura, & gẽmis: non in exterioribus ornamentis, ſed in virtutibus. Quam bene hoc expreſſit Petrus Apoſt. dicens. *Quarum non ſit extrinſecus capillatura &c.* in incorruptibilitate, quieti & modeſti ſpiritus. Hæc eſt animę pulchritudo, integritas à peccato mortali, modeſtia. Aug. *ſumma perfectio, nulla cupiditas, quies, id eſt pax quæ naſcitur ex integritate, & modeſtia.* Hũc animæ decorem ſponſus concupiſcit, quoniam eam non ſuſtinet diu priuari ſua præſentia, ſed eam iuuat, in hoc exilio & ſibi eam

Anima noſtra nobilitas.

Sponſæ conditiones.

2. Cor. 11. Rom. 8.

Epheſ. 5.

Pſal. 44.

Ezech. 16.

Cant. 1.

Pſal. 29.

Cant. 7.

Geneſ. 1. 2.

Pſal. 44.

Thre. 4.

1. Pet. 3.

Hiere. 2.

copulat in æterno thalamo multo intimus, quam ipsa sibi: sicut ignis in ferro, sicut sol in nube: ita vtiam non sint duo, sed vnus spiritus Quæ suauitas, quod gaudium referat ex illa cõiunctione ineffabili, *nec oculus vidit, neque auris audiuit.* Vnde sequitur. *Adducentur*, scilicet ab Angelis, *in lætitia & exultatione.* Si in desponsatione fit gaudium super vno peccatore, quid in connubio perpetuo?

1 Cor. 6.
1. Cor. 2. & Isai. 64.
* Luc. 15.

Deo gratias.

Finis primi Tomi.

INDEX

INDEX
RERVM ET SENTENTIARVM memorabilium quæ in hoc primo tomo continentur, quo obiter, nonnulla loca ceu commentatio explicantur

PRIOR NVMERVS PAGINAM, alter columnam denotat.

A.

Abraham producitur in exemplum fidei, obedientiæ & religionis pag.152.col.1
Actio debet contemplationem præcedere, 149.2 *sine contemplatione non est vtilis* 63.1
Adam atque Euæ peccati confessionem omittentes sunt puniti 139.2
Aduentus Domini ad iudicium sic vt fur inopinus, si repentinus, quomodo dicetur quod præ timore arescentur homines expectantes illum, 10.2 *soluitur illa dubitatio distinctis temporibus, superueniet enim repentina calamitas, perturbatioque rerum: sed postea expectata veniet Domini dies. redditur, & altera solutio proposita quæst.* ibid & 11
Aduentus Domini in carne causa potissima redemptio hominis 15.2
Adulator coram, & in os laudes exaggerans taxatur 34.1
Adulatoria Ammonitis apte comparãtur ibid.
Adulatio abiecti & vilis animi vitium ibid 2.
Adulatio confessariorum reprehenditur 158.1
Adulatores reprehenduntur 32
Affectus sensuales abiiciendi cum ad mysteria meditanda accedimus, 53.2
Ambitio vide superbia.
Amici debent esse omnes Christiani, quia eundem sacrum panem in mensa Domini comedunt 314.2
Amici Dei mors somnus est 151.2
Amicitia cum bonis texenda, præsertim Principi & prælato 322.1
Amor ex amore nascitur 27.2
Amor potissima causa Incarnationis, 20
Amor de Deo triumphat ibid.
Amor eo magis inardescit quo teneribus annis innascitur 80.1
Amor sororum Marthæ, & Mariæ erga Dominum admirabilis 151.2
Amore nihil fortius, nihil fidelius, 152.2
Amoris vis magna 173.2
Amor rapit amantem extra se, 258 2. *& transformat in amatum,* 316.2. *& vnitatem efficit infra.*
Amoris idioma proprium & peculiare, amanti soli cognitum 260.2
Amoris præceptum est suauissimum, 261.2
Amore sublato, vita est quædam mors ibid.
Amor Dei facile portabilis 262.1
Amoris lex Euangelica, & quare vocatur noua, infra 263.1
Amor Dei, donum Dei est ibid.
Amor Dei est, in quo nostrum bonum agitur 261 2
Amare quilibet potest: nemo habet vn-

de excusationem prætexat ibid.
Amor quam vita pretiosior ibid.
Amoris diuini laudes 265.2.
Amore Deum superat natura vires, 262
Amoris diuini impetus, & vis contra obices impedientes 267.1
Amor noster nisi in Deo non quiescit.
Amor creaturarum posthabito Deo reprehenditur 269.1
Amor debet esse amoris principium & finis 272.2
Amor mercenarius imperfectus, 272.1
Amor sui factus est per peccatum origo nostrarum affectionum 271.2
Amoris quatuor gradus ibid.
Amor sensualis consumitur ab amore diuino, ibid & infra.
Amor est pretium quo Deo as alienum soluimus 274.1
Amor Dei vtilissimus homini 273.1
Amanti Deum, omnia cooperantur in bonum ibid.
Amor Dei quantus & qualis 275.2
Amare Deum tripliciter, dulciter, prudenter, & fortiter 276.1.2
Amor proximi amorem Dei introducit 279.1.2
Amor motu subito & repentino explorat, nam prudentia sæpe fallit experimentum 278.1
Amor potius quam timor optandus in subditis 322.1
Amoris extasin quandam passus est Deus 257.1
Angeli separabunt electos à reprobis, 11.2
Angeli mirantur nascente Domino, 60.1
Angeli aliqui à sanctis Prophetis didicerunt mysterium incarnationis, 61. & infra.
Angeli ministri & officiarij in domo Christi ibid.
Cecinere morientibus Stephano & Bernardo 68.1
Exultant ob Christi de dæmone victoriam 105. & infr.
Angeli semel, hoc est, deuicto dæmone ministrasse redemptori leguntur, ministeriumq; describitur ibid.
Nuntiant resurrectionem, 175.1. & seqq. *testimonium perhibent fidei nostræ* 188.1
Angelorum cantus & latitia nascente Domino redemptore 60.1
Angelorum chori assistunt Dominò ascendenti in cœlos 199.1
Angelorum colloquia vt concedantur vitanda sunt hominum 306.2
Angelus terruerat custodes sepulchri Dominici sed Marias adeuntes solatur 174.1.2
Angelus naturaliter non assequitur modum existendi corpus Christi in Sacramento 243.1
Anima & ignorantia sua dignitatis demittit se ad vilia 38. & 39
Anima ignara requiem & satietatem quærit vbi non est 143.2
Anima sine gratia sterilis 222.1
Anima qua quiescit extra Deum pene prodigium est 268.1
Anima nostra ad terrena delabitur, 269.1
Anima solicite debet Deum quærere, 271.2
Anima in hoc exilio spiritualibus illustrationibus recreatur 281.2
Anima post contemplationem gradibus quibusdam Deum cognoscit 291.1
Anima contemplatiua quatenus secura, & quatenus in metu esse debet, 295
Anima nostra introducit sponsum in beatitudinem, quia vere meremur gloriam, & introducitur ab sponso in cellam vinariam, quia gratiam, qua est merendi principium à sponso Christo accipit 297.1
Anima sacrificat Deo in ara cordis, affectiones omnes suas 298.2
Anima contemplans, lectulus vocatur Salomonis 298. & 299.1
Anima nostra nunc iumenti, nunc equi, nunc vehiculi nomen accipit ob diuersas rationes ibid.
Anima morbos negligentius curantes quam corporis redarguuntur 155.1
Anima Deum quærentis anxia sitis, 294.1

Anima humana nobilitas, illiusq; cognitio vtilis 38. & 39
Anima duplex ascensus in Deum 291.
Anima Christum concipiunt, & aliquando pariunt aliquando abortiuntur, 307 2. *quadam periclitantur in partu, alia lactis nutrimento carent*, ibid.
Anima nostra nobilitas, 325 1. *qua indigne peccando degenerat* ibid.
Animalia bruta bene volunt benefactori suo 274 2
Apostoli & discipuli tremunt, & dissipantur ante resurrectionem, 172 2. *mirabundi & lætabundi resurrectione Domini explorata eius Diuinitatem agnoscunt* 176 1
Apostoli valde cõtristati audito discessu Dom. 188 2. *exercentur à Domino circa patientiam vt discant alienis culpis compati*, 197 2. *ascendentem in cœlos Dominum interrogant de libertate Israelis à seruitute Romanorum*, 198. 1. *gloriam Christi non suam quærentes Christianos vocabant, non Petrinos, aut Paulinos fideles qui conuertebantur*, 211 2. *accepto Spiritu S. in Pentecoste subito mutati*, 214. 1. *videntes transfigurationem Domini, summum testimonium accepere Deitatis Christi*, 254 1. *in Pentecoste quodammodo inebriati*, 317 2.
Apostolorum ad Christum resurgentem & eius matrem oratio, 176 1. *dubitatio circa resurrectionem Domini Deo prouidente fuit, vt certioribus firmaretur testimoniis* 185. & 186
Aquila in edito locat nidum, quo serpentes vitet, 113 1. *quomodo iuueneſcat ex Augustino*, 122 1. *Apocal. Ioann continet statum Ecclesiæ* 55 1
Arca fœderis olim summa veneratione culta & grauissimis multati pœnis qui in ea quicquam deliquissent 247 1 2
Aristotelis sententia de intellectu agente & possibili explicatur, 73
Arrius ex Platonica Philosophia hausit errorem circa Trinitatem, diuidendo essentiam 76
Ars ad scientiam comparandam est necessaria 197 1
Ars artium seruire Deo 129 1 2
Artis opera admiranda ibid.
Ascendens Dominus reprehendit suos de incredulitate, vt fixius hæreret memoriæ increpatio 197 2
Ascendentis in cœlos Redemptoris oratio ad suos ibid.
Ascendentis Domini triumphus per hypotipoſin exponitur, & velut depingitur 199 1
Ascendit nemo in cœlum virtute propria præter Christum 202 2
Ascensio Domini nostri in cœlos, nostræ ascensioni fecit fidem 196 2
Ascensio Domini in cœlos, de monte Oliuarum facta, 197 2. *per Prophetas cantata*, 103 1. *nobis vtilissima* 204 2. *quot & quibus gradibus cõstet* 206 1
Ascensio animæ nostræ qualis 202 1
Astrologia iudiciaria vana est, 198. 2.
Auaritia damnabile vitium 105 1
Audire monita salutare est 41
Auditoris verbi diuini tres conditiones 92.
Auditoris vitium impedit prædicationis fructum 91 2
Auditus non oculus circa diuina ornatur in hac vita. 285 2
Augustini animæ frames 102 1
Augustinus & mater Monica quærentes Deum inuenerunt 296 1
Auster ventus excitat ab imo arenas maris & pœnitentia est typus 122 2
Authoritas dicẽtis fidem facit rebus alioqui non credendis 243 1 2
Azyma puritatem designat 251 1

B.

Babylonis filii spinis onusti, 187 2 *de generes & in inferiora proclines* 91
Baptismi cæremonia explicatur 39.
Baptizatus promittit Deo sãctitatẽ ib.
Beati admirantur iudicii Dei consilia in distribuendis præmiis, 87. *omnes erunt sapientes & eloquentes*, 94 2. *quomodo diligunt Deum ex toto corde.* 277 2

Beatitudinis præmium exponitur 241.1
Beatitudinis spe subeunda libenter quecunq; acerbitates rerum 95.1
Beatitudinis odorem percipiunt Sancti in hac vita 286.1
Beatitudo cælestis affectanda diligenter vbi & segnities nostra increpatur, 260.1. *promissa excitare debet ad amandum Deum*, 275. 2. *mansiones habet varias* 320 1.
Bella & tumultus populorum, iudicij vniuersalis signa pronuncia 9.2
Bellatori tria potissimum seruãda 312.2
Bellum tunc gerendum quando vitari non potest 322 2
Beneficiorum Dei memoria, amorem diuinum excitat 279.2
Bernardus vidit hora Natiuitatis Redemptoris, Redemptorem nascentem 57. 2. *eo moriente cecinisse Angelos audijt Monachus* 68.1
Bestia tangens montem lapidatur, & bestialis homo cõtrectans sacra 289.1
Bethleem oppidum commendatur 47.1
Bethleem, interpretatur domus panis 52.1
Bethleem vsque transire debemus ib.2
Bethsamita curiosius arcam Domini videntes, & ideo grauiter puniti, curiositatis hæreticorum nimia sunt figura 247 1
Bona temporalia vilia 264.1
Bonitas naturalis in conformitate ad suum prototypum primumq; exemplar sita est 2.1
Bonitas moralis in conformitate ad legem est ibid.
Bonorum alia iucunda, alia non 313.2
Bruta animalia iudicii, & reddendæ rationis legibus exempta 2.1
Brutorum opera non dicuntur libro diuino consignata quia cum sine libertate sint facta illorum ratio non exigitur à Deo ibid.

C

Cananæa mulier magnæ fidei, 125.2 *commendatur à varietate virtutum*, 131.1. *nobis proponitur in exemplum pœnitentiæ* ibid.2
Cain noluit confiteri fratricidium & tremore pœnas dedit, 139. & 140. 1.
Caiphas prophetauit ignarus mysterij mortem Christi necessariam, 166.2. *membrorum mutatus à Deo* 140.1
Calciamenta deponenda, hoc est affectiones cordis exuendæ sunt 53.2
Cantica Salomonis insigniter obscura, & difficilia intellectu, 281. 1. *sed amore inflammata* 222.
Capra beatas animas visu perspicaci significant 290.1
Captiuitas summa est seruire peccato 128.
Carne quid infirmius est in rebus 77.1
Carnis maceratio sine dolore voluntatis non delet peccatum 163.2
Caro omnis importabilis erat ante incarnationem verbi, 77.1. *post incarnationem verbi exiccata Spiritu Dei afflante, & ideo sanctitas inest hominibus quam antea frequentior ibid.*
Caro Christi ceu nubecula leuis à peccato immunis: fatigabilis tamen erat ibid 2
Caro electorum carni Christi assimilanda. ibid.
Castrimargia Græce, gastrimargia graue vitium, gulositas Latine 103.2
Calum multipliciter dicitur 103.1
Charitas in merito attenditur, 86 2. *munit viam & facilem facit ad patriam*, 95.1. *via regia est*, ibid. *vnctio est* 264
Charitas quomodo ex spe ortũ habeat, 272. *glutinum est valde tenax* 317. 2. *tres ob causas commendatur* 314.2
Christiana professio his qui nequiter viuunt, iudicium affert, non salutem 40.1
Christiana professio altissima, 382. *generatio spiritualis* 58.2
Christianam perfectionem sectanti etiam extra obligationis euentum diligendus & promouendus est inimicus 98.1
Christiani nomen obligationis ad vitam Christo conformem, 382. *hominis vita si secundum Euangelium sit, Crux est, ex Augustino*, 39.1. *horum temporum si conferantur cum sanctis*

Eiu antiquis formica videbuntur ad elephantos comparate, 39. 2. & 40. 1. *multi saluarentur in humili loco positi, qui in altiori gradu pereunt*, ibid. *Christum debent referre sicut & nomine, ita & moribus*, 56. 2. *peccantes grauiori pœna digni quam ignari infideles* 201. 1. 2

Christi Anima Deo charissima & sanctissima & Deus mediante anima sumpsit in vnitatem suppositi carnẽ, 30. 2. *diuinitas*, 46. 1. & 77. 2. *secundum carnem natiuitas hypotiposi explicatur*, 48. 1. *nascentis paupertas & præsepium*, 47. 2 *præsepium magna eruditionis nobis est*, 49. 2 *caro corona est nostra*, 54. 2. *per quam ianua cælestis homini patet, & ante illam nemo sanctorum Patrum cælũ ingressus est* ibid.

Christi dies desponsationis fuit, quo in vtero virginis est conceptus, 55. 1. *natalis dies omnes debet exhilarare Christianos* 63. 2

Christi Principis & cacodæmonis singulare certamen, 101. 2. *iudiciaria potestas figuratur*, 106. 2. *humanitas regitur à verbo*, 106. 1. *per equum album designata, immaculata fuit*, 106. 2. *pœna luitur à Iudæis*, 135. 2. *humilitas & modestia aliena ab omni ambitione*, 166. 1. *vita singularis & perfecta odiosum Pharisæis illum faciebat*, 167. 1. *descensus ad inferos explicatur, & sanctarum animarum liberatio*, 172. 1. *iacentis in sepulchro habitus*, 173. 1. 2. *resurgentis alloquium ad Magdalenam* 175. 1

Christi Diuinitatem alij magis gaudent contemplari, 182. 2. *cura ne pereat ouis aliqua*, 183. 1 *pectus thesauri sapientiæ*, 183. 2. *humanitas figurata per arcam fœderis Synagogæ*, 199. 1. *supra cherubin locata, & per arcam fœderis fuit figurata*, 203. 2. *descensio profundissima, & ascensio summa*, ibid. *gloria quærenda nõ propria*, 212. 1. *ea magis hominem confirmat, quam eiusdem passio scandalizat & terret*, 225. *ad tres Apostolos in monte antequam transfiguraretur oratio*, 256. 1. *transfigurati splendor & habitus corporis*. ib. *Sponsi pulchritudo magna* 285. 1. *duæ manus exponuntur*, 289. 2. *pueri magnitudo excelsa*, 302. & 303. *maxima charitas*, 315. 2. & *ipsius humanitas summa charitate perfusa per barbam Aaron designata*. 316. 1 *dignitas ex veteri testamento probata*, 295. & 296. *sponsi laudes ex Dauide collecta*, 321. 1. *eadem rursus explicat*, 322. *paupertas patrimonium est nostrum* 49 1

Christo gratulari debemus felicitatem resurrectionis, 770. & 171. *debentur maximi gratiæ, & quod patrem suum fecit nobis communem, & quod Deum, sese deijciens, fecit suum* 176. 2. & *infra. non adhiberent homines fidem nisi resurrexisset*, 187. 1 *tota Trinitas diuinarum personarum singulatim perhibent testimonium*, 232. 1. *pauperi plus debemus, quam mirabilia operanti*, 49. 1. *filio pater æternus domum fundat, instruit & locupletat*, 71. 2.

Christum nascentem adire omnis homo cuiusuis status vel conditionis existat condecenter potest, 65. 1. *tanquam suum Dominum omnes adorant*, 71. 2. *præsentem ignorat Synagoga & de absente vaticinatur similis Isaac Patriarchæ, qui præsentem filium non videt, & tamen futura prouidet*, 80 2. *tantum abest vt imitentur multi ex Christianis, vt oppositam illi vitam instituant*, 37. 2. *nascentem Dominum agnoscunt bruta animalia* 49. 1

Christum anima concipit si virtutes virginis sacra imitetur, 307. 2. *multi sunt quibus si oblata olim fuisset occasio occidissent, & modo occidunt corde & crucifigunt iterum*, 169. 2. *esse verum Messiam ex scriptura cõstat* 22. 2.

Christus agnus, 61. *caro & frater noster*, ibid. *iudex viuorum & mortuorum constitutus à Patre*. ibid. 2. *super cacumen montis oliueti apparebit iudicaturus orbem, Angelorum agmi-*

agminibus comitatus, precedente vexillo Crucis 11.2

Christus per miracula & scripturas ostendit se Messiam 31.2. laudans Ioannem Bapt. illius de se testimonium simul roborat, 34.2. laudauit Baptistam, Nathanaelem, Petrum, Magdalenam, Centurionem Cananeam, 32.2.

Habet maxima & valde credibilia testimonia, 36.1. Nazarethoretus putabatur vulgo, & ideo multi scandalizabantur, 46.2. nocte editus à virgine, 48.1. totus in nostros vsus expensus, 64.2.

Christus inter animalia bruta nascitur 49.1. in præsepio positus, trãsfert gloriam suam in similitudinẽ fœni, quia homo mutarat gloriam suam in similitudinẽ vituli comedentis fœnũ, 49.2.

Vna persona cum duab. naturis, 50.2 In mundo nascens, pastores primum vocat quasi futuro gregi pastoris curam præludens, 51.1. rex Salomon merito dicitur, 54.2. author pacis ibid. suo sanguine rependit Deo debitam satisfactionem, ibid. diademate carneo à matre virgine coronatus fabricante Spiritu sancto, ibid nascens ex vtero virginis, egreditur de thalamo Ecclesiæ, 55.1. hominibus & angelis speciosior, ibid. alter Samson amoris vinculis ligatus, 55.2. angelorum reperator, hominum redemptor, creatura corporalis innouator, 63.2.

Nascens, grano synapis comparatur, 64.1. hominibus natus ex matre, sed Angelis natus ex patre, ibid. nobis natus ex matre, & nobis donatus à patre, ib. similis vnicorni, quẽ sacra virgo cœpit, 65.1. sanandis peccatoribus venit, ib. pastor ouẽ humeris portat, ib. mox natus sponsalia celebrat, 79.2. sponsus generosus & pulcher sponsæ ignobili & inuetustæ copulatur, ib. deamat sponsã Eccl. 80.1 prior indicit bellum, & prouocat ad certamen diabolũ, quia partes agebat eius qui iniuriam acceperat, 102.1

Christus leges duelli aliqua ex parte seruat, dum cum damone init certamen ibid

Christus spirituali exercitio se ad certamen cum damone munit, ibid. 2. prius hominem lachrymis quam sanguine lauat, ib. pugnator descendit eruditurus suos militarem artem, ib. repulit scriptura testimonijs tentationes damonis, 104.2. tentari se à damone voluit, vt nos doceret vincere ob meritum ex illa deiectione & humilitate sui, sed potissimum vt exaltaret victricem humanitatem nostrã, 106.1. instaurat mala qua damon intulerat nobis: per passionẽ quidem damna, & per victoriam in tentatione in honorationem, ibid.

Christus pastor, 130.1. iudex propitius & beneuolus, 140. & 141.1. delegat iudicandi vices sacerdoti homini, scilicet puro, atq; ideo leni, 141.1. intuitat ad potum quo sitis restinguitur, 144. & 145.1. voluntarie & vltro se turbat, non autem anticipante turbante que passione, 152.2. lachrymatur ex pietate, ibid. suscitaturus Lazarum, fremit, aut exhorrens Iudæorum pertinaciam, aut sua passionis acerbitatem, ibid. habuit authoritatem remittendi peccata, 159.1. & 2. sine peccato, ibid. voce præconis quæritur ad necem, 167.1. cogitationes nouerat hominum, & ideo à pontificibus odio habitus, ibid. ob reprehensiones crebras odio habitus à senioribus populi, ibid. verbo solo prostrat omnes milites, vt cõstet sponte sua se capi, 168.1. morte factus est illustrior ibid. in resurrectione accepit retributionem passionis, 170.171. radix nostra, ibid. nouus Adam, & primogenitus mortuorum 171.1 animas sanctorum Patriarcharum vsque ad suam Ascensionem in Paradiso terrestri deponit, 172.2

re ve-

re vera sustulerat de sepulchro corpus quod Magdalena quærebat, ibid.
Christus à Magdalena se tãgi noluit, sed illam ire viam ad Apostolos iussit, ib.
2. resurgens quadraginta dies solatur suos vsque ad Ascensionem 176 2. triplici ratione consolatur suos, assimilaturque patrifamilias, qui peregre proficiscens mœstam familiam consolatur 189.1
Ascendens in cœlum triumphauit inter angelos 196.1
Dominus in cœlos ascendens matrem Virginem, & familiam amplectitur 199. & 280.1
Solus, sed totus cum suis membris viuis fide, scilicet, & charitate vnitis in cœlum ascendit 202.1
Indutus & ornatus ascendit in cœlũ ibid.
Vnctus insigniter 202.2
Ascendens aquilæ comparatur, quæ imbecillos adhuc pullos alis impositos defert in alium ibid.
Primus aperuit hominibus cœli fores ibid.
Passer solitarius, cuius nidus sinus est Dei patris 203.1
Ascendit super omnes cœles ib.
Tribus gradibus descendit, & totidẽ ascendit 204.1
Sedere dicitur ad dexteram patris propter summam præsidẽtiam quam sua ratione omnes est adeptus, ibid. & nu. seq.
Frater noster optat nos suæ gloriæ participes facere, 204.2. qui & ascendens in cœlum dona Ecclesiæ distribuit, 104. & 205.1
Viator fuit in terra 207.2
Christus aduocatus noster 208.2
Quare potissimum vocat fratres suos post resurrectionem 212.1
Prouidens futuras hæreses sui corporis sacramentum expresse asseruit, 250. 1.2
Diuinitatem suam sufficienter probauit 253.2
A tota Trinitate testimonium accipit 258.2
Dilectus vocatur, & inf. ibid.
Nobis formatur persecutionis malleo 277.2
Lauit & pulchram reddidit Ecclesiã 285.1
Quare flos campi, id est non priuatus sed communis, & quare lilium conuallium 284.2
Fructifer est, nos ceu arbores steriles 387.2
Christus venit vt dissolueret opera diaboli 215.2
Sponsus est tribus de causis, 319.1. & medicus, & Dominus ibid.
Homo, & super homines 324.2
Laborat vt animam reddat pulchrã 325.2
Ciues inardescunt patriæ amore, 94 1. regni cœlorum desiderant illud ibid.
Ciuis vtriusque Hierusalem triumphãtis & militantis in vnam rempublicam coalescent perpetua pace fruentes 94.1.2
Ciuium cœlestis Hierusalem generosi animi 95.2
Claues sacerdotales gemina, discernendi & iudicandi 157.2
Clauium sacerdotalium virtus & efficientia 159 1
Cognitio sui perneccssaria homini, 30.2. Dei necessaria ad charitatem, ib. sui magnam habet vtilitatem 285.1
Cognitionis quidam gradus in hac vita 291.1
Concilium Pontificium Iudæorũ de Christi nece, 166. 1. Sacerdotum de nece Christi fuerat per Salomonem prædictum 167.1
Concordia & pax componenda ad recipiendum Spiritum S. 210.2
Confessio adeo integra esse debet vt peccato temere occultato irritaredditur aliorum explicatio, 4 & 51 frequentanda, etiam si peccata mortalia non sint ob augmentum illud confertur, 148. 1. peccatorum nuda & aperta esse debet, 149. 1. accusatoria esse debet, ibidem, debet esse integra lachrymosa secreta. 150. 1 vbi occultatur consulto peccatum aliquod, est nulla & nouum committitur in ea peccatum, 150. 2. peccati vilis apud

Deum iudicem, secus apud humanũ tribunal 156.1
Confessione peccatorum non debet prodi persona alterius, nisi vbi id fieri oporteret, 150.1. *remittuntur quantũuis grauissima peccata* 150.2
Confessionem in annum totum differentes increpantur, 141.2. *praecedere debet meditatio peccatorum, & dolor etiam excitandus, & determinatio propositum, que cauendi in futurum*, 149.2
Confessionis sacramentalis praeceptum nõ est graue, sed misericordiae magna est beneficium, 141. & *infra, vsus & frequentatio, rarior modo quam olim in Ecclesia*, 141.2. *eius fructus septem* 147. & *seq. plurima vtilitates*, ib. & 148. *eas multi non percipiunt, quia sine dolore confitentur, sed velut historia narrantes*, 149.1. *figura multa*, 150. & 151.1
Confitendi propositum debet esse cum cõtritione 161.2
Conscientia propria homini obscura, 38.2
Constantinopolitanorum clades 309.2
Constantinus victor Maxentii 310.2
Consilia mundi disputantur à Deo, 82.2
Contemplatio quid, quo anima in sublime rapitur 162
Conuersio nostra tepida & lenta reprehenditur 127.2
Contritio similis dolori esse debet, quem mater ob vnigeniti mortẽ solet suscipere, 164.1. *quomodo paranda practice ostenditur*, 164.1. & *seq. petenda à Deo* 165
Contritio & attritio differunt ex obiecto & fine non solum intensione 161.1
Contritione certo & infallibiliter deleuntur peccata 163.1
Contritionem debet homo studiose quaerere 164.1
Contritionis perfectae quinq; conditiones 161. & *seq.*
Cor suum diuidentes reprehenduntur, 277.1
Cordis duritia impedit fructum seminati verbi Dei, 90.2. *tepiditas sterilẽ reddit animam*, 91.1. & 2. *vnde ea proueniat* ibid.
Cordis os quid 279.1
Corporis dominici celebritas in admirationem raperet infideles si adessent, 237.1. *manna figura sacramenti Eucharistiae* ibid. & *seq.*
Corpus Christi in sacramento modum habet spiritus, 239. & *seq. est totum in qualibet particula quantitatis, & eius partes in ordine ad locum ordinẽ non habent* ibid.
Corpus simul cum anima habitatur à Deo 187.1
Correctio vtilis semper opportuna 198.2
Creatio vide mundus.
Creatura omnis testata fuit creatorem suum venisse in mundum, 36.1. *pendet à verbo Dei, sicut imago speculo reluens pendet ab obiecto*, 75.2. *corporalu tenebra dicitur* 76.1
Creaturae omnes sunt voces Dei, nos monentis, 43.1. *diliguntur à Deo per Christum & propter Christum*, 259.2. *saeuiunt contra inimicos Dei*, 275. *placent Deo non propter materiam, sed propter artem & manum artificis* 259.1
Creaturarum cognitio non satis ad vitã aeternam comparandam 76.1
Crux praecedit aduentantem ad iudicandum Dominum, 11.2. *Christi non solũ fide, sed dilectione vera, & peccatorũ displicentia apprehensa, satisfactio est pro peccatis* 22.1
Crux humilitasque redemptoris euertit mundi potentiam, sicut muri Hierico urbis coram arca Domini, 217.2
Curae & negotia saecularia spinae sunt & quare 91.2
Custodes ac satellites sepulchrum Domini obseruantes describuntur 174.2

D

Dalida figura virginis sacrae 66.1
Damnati astringuntur, vt considerent propriam miseriam 41.2
Damnati grauissime dolent ob non actã paenitentiam 113.1
Damnati dolent de peccatis propter paenam tantum 161.2
Damnati oderunt Deum 264

Dauid

Dauid ciuis cœlestis Hierusalem ad illam summo studio contendit 96.1
Dauid quare videatur imprecari mala inimicis suis 98.1
Dauid confessione peccati est absolutus 140.1
Deus, non Angelus iudicaturus homines 5.2
Deus simul iudex & testis omnium 7.2
Deus à se peccatis separatum hominem timore, amore multisq; modis ad se reducere tentauit 20.1
Deus assimilatur patri, qui filium neq; quam curat emendare 20.2
Deus insolentiam hominum est ultus excitando charitatem in homine, quam mortem obiret pro Deo ipso 21.1
Deus odit peccatum quod late ostenditur 24.2. & *infra.*
Deus amore curat sanare hominem quẽ timore non sanauerat 27.1
Deus amat sine mensura & modo ibid.
Deus illabitur spiritibus Angelicis uniturq; illis intimius quam ignis ferro ignito 30.2
Deus impassibilis in se, alienaq; est illi passio 30.1
Deus ratione suæ infinitatis magis unibilis est suæ creaturæ quam angelus 30.2
Deus eminenter omnem perfectionem creaturæ continet ibid.
Deus ideo admirabilis, quia incomprehensibilis ibid.
Deus beneficiis nos vocat ibid.
Deus per Prædicatores nos vocat 43.1
Deus plagis infligitis hominem vocat, 43.2
Deus inspiratione vehementi quasi tonitrui peccatorem excitat, qui ad alias voces obsurduerat 44.1
Deus quos amat castigat 45.1
Dei est corda nostra diuitiis spiritualib. augere ibid.
Dei donum est, & quod beneficia accipiamus, & quod eadem agnoscamus ne simus ingrati 45.2 & 46.1
Dei omnipotentia emicuit splendidius in Natali Christi, quam in creatione orbis 60.2
Dei multitudo virtutũ lucet in Christi Natiuitate ibid.
Deus creato homine quieuit, non autem creato Angelo, quia in homine materia beneficentiæ parabatur Deo, 61. & 62.1
Deus misertus miseriæ humanæ, factus est homo 64.1
Dei laudibus operam dare debent assiduam qui vitam monachalem agũt 62. & 63.1
Deo huius nominis, verbum, reuelatori summæ debentur gratiæ 72. & *seq.*
Deus sua essentia verbum producit 73.2
Deo dicere, facere est 74.2
Deo offerimus quod ab illo accepimus, 85.2
Deo & mundo simul seruire impossibile, 92.1
Deum laudare est munus perpetuũ suæ patriæ Hierusalem 94.2
Deus non præcipit impossibile. 97.2
Dei præcepta facilia ibid.
Dei præcepta vitiosis videntur grauia, ibid.
Deum decet non deserere ad illum fugientes ibid.
Deo inseruire maxime est delectabile, ibid.
Deus inuocandus, vt dæmonis vitemus insultus & oppugnationes 113.1
Deus pro peccatis flagellat ibid.
Deus quomodo nos à dæmonum incursibus seruet ibid.
Deus multis modis faust his qui sperant in eo 113. & 114.1
Dei iudicia consolationi sunt homini, 114 & 115
Dei iudicia terribilia & horrenda 115.2
Deus neminem ad se venientem repellit 115.1
Deum decet placari pœnitentia peccatoris ibid.
Deus terribilis aduersus rebelles, & pius in pœnitentes 115.2
Deo nemo potest resistere 116.1
Deus mutat sententiam condemnatoriam, mutato peccatore 117.1
Deus propensus ad miserendum late ostenditur ibid. & *seq.*
Dei serui magna apud illum authoritatis sunt 118.2

Deus benedicendus multas ob rationes à Dauide insinuatas, quia scilicet bonus est, & quia erga nos beneficentissimus 121.1
Dei erga nos sex beneficia insignia recensentur quia remittit culpam, abluit maculã, liberat ab inferno, dat gratiam, dat virtutes & inclinationes ad bonum, & tandem instaurat pristinam pulchritudinem ibid.2
Dei prouidentia persecutiones passa est Ecclesia, vt se toto orbe diffunderet 116 2
Deo inseruire summa artis est opus 119. 1 2
Deus à peccatore facilem satisfactionem petit 138.139
Deus dum primi hominis peccatum punit iudicibus humanis, iudicandi rationem, ordinemque cognitionis praescribit. 139 2
Deus per Christum placatus, iam facile remittit iniurias 140.2
Deus conqueritur se à suis derelinqui temere 143.2
Deus possessus, magis delectat, quam nondum habitus ibid.
Dei auxilio facile superantur difficultates 155.2
Dei auxilio omnis conuersio peccatoris facilis 160.1
Deus, pluris aestimat doloris cautam & fidem quam intensionem 161.2
Dei maxima pietas erga peccatorem 163.1. & 164.1
Deum nemo fallere aut vincere potest 164.1
Deus quia nos amat non potest non placari nostro dolore ibid.2
Deus cognoscens figmentum nostrum nõ petit vt doleamus ob peccatum, sicut ob damna temporalia solemus ibid.
Dei benignitas considerauda, vt doleas de peccato ibid. & seq.
Deus orandus vt det donum contritionis 165 2
Deus astutiam hominum comprehendit 170 1
Deus est pater noster 176.2
Dei praecepta sunt regula vitae 194.1
Dei praecepta seruanda ibid.2
Deorum multitudo ridicule à gentibus culta 226.1
Dei vnitas reuelata vulgo ante Euangelium, sed Trinitas solis amicis Dei 226. & 227.
Deum nouisse summa est sapientia ib.
Deo dicenti arduas quantumuis, credere non est difficile. 231 1
Deus magnopere coli, & suscipi Mosayca sacramenta iussit 299
Deus praparationem, ac dispositiones conferre debet 249.2
Deus munditiae amator 251.1
Dei erga nos summa clementia in Eucharistiam 251.2
Deus in corpore gloriosa videtur, sicut anima videtur in corpore viuo 254.1
Dei amor nimius erga nos 257.1.263.1 276.2
Deus neque fallere, neque falli potest 279.2
Deo debitus amor 269
Deus amari vult. ibidem. & postulat. ibid. & 271
Deus diligi debet ob plurimas (quae referuntur) causas 266.1. & seq.
Deus diligendus ratione sui in se ibid
Dei infinitas ibid.
Deo ratione sui honor debitus 581
Deus, satietas nostra 270.2
Deus non est quicquid imperfectionem vllam habet 271.1
Deus aliquando recedit vt desiderium sui acuat. ibid.
Deus si ametur propter aliud, minus perfecte ametur 272.1
Deum amemus ob nostrum bonum post naturam lapsam ibid.
Dei in nos maxima beneficia 272
Deus diligendus est saltem quia noster est 274.275
Deum possessum amittere summa est iactura ibid.
Deus quemodo amandus 278. & seq.
Deus triplicitter ex toto corde intelligitur amari ibid.
Deus amatores suos docet 281. & seq.
Deus temperat dulcibus amara, 286. & *in hac vita confert suauitates* ibid.

Deo deducente homo ingreditur ad spirituales suauitates, & egreditur ad corporales solicitudines 288.1
Deus cognoscitur per gradus quosdam 291 1
Deus cupide vocat sponsam animam 292 1
Deus solus sufficit, & ille solus quaritur ab anima sancta 293.2
Deus spirituales esus amat ibid.
Deus quarendus trascendendo creaturas etiam beatas 296.1
Dei laudes solus Deus plene potest efferre 300. & 301
Dei geminum erga nos beneficium, & quia dedit, & quia reuelauit 300.2
Deus infinitus se puero dimittitur in Christo 306.2.
Deo soli gloria debita & honor ibid.
Dei solicitudo nostri 310 1
Deus non minus auxiliator est modo, quam olim cum prodigiosas victorias suis concedebat. 311.1
Deus orandus non tentandus expectato miraculo 312. 1.
Deus multis modis se ostendit nobis, vt medicus vt magister, &c. 319.1
Deus regum potestates mutat 322.1
Deus per solem maxime representatur 73 1.
Delectatio spiritualis suauior & pretiosior corporali ex Bernardo 144.1
Dæmon alienor ũsurpator, 220.1. *& spoliator à Deo ib. illusus, nam dum sternere hominem per peccatum studet eleuat, & vt Deus fiat homo occasionem prabet, & dum hominem Deum in mortẽ agit per Christi mortẽ capti homines liberantur*, 22. *non hominẽ ad peccatum incitasset, si inde tanta dignitatis sumendam occasionem putasset, ib. attente obseruabat Redemptorem in eremo agentem* 103 1. *iniuriam attulit humana natura ibid. in habitu eremitico Redẽptorem aggreditur, tentatione explorat vt decipiat, ib. nullum ius habet in mundum* 104. 1 *contemnit Redẽptorem*, 105 1. *duo mala naturæ nostræ intulerat laedendo, & inhonorãdo*, 106.1. *transfigurat se in Angelum lucis, & occulte insidiatur*, 112.2. *meridianus quis sit*, 113. 1. *aperto marte quando & tentat*, 112.1. *à suo cultore sanguinem postulare solet*, 138.2
Dæmonis ad Redemptorẽ insidiosa oratio, 103.1. *argumẽtum refellitur, quo aiebat, si filius Dei es, dic vt lapides isti &c. ib. Redemptorem tentantis obscura mens & intentio*, 103.2. *eius imbecillitas* 104 1
Dignitas onerosa est 38.2
Diogenes Philosophus, cur hominem in medio hominum turba, accensa lucerna quarebat ibid.
Discordia summas attulit Christiano homini clades 318.1
Disputatio de fide hoc tempore periculosa. 21.1
Diuites quare damnandi 15.1
Diuina inspiratio duplex, altera inflãmans suauiter, altera terribiliter increpans 44 1
Diuina humanis, ima summis copulantur, nascente Christo ex virg. Maria 50.2
Diuinorum operum ideo rationem plene nescimus reddere, quia est Deus ineffabilis 19
Diuinitas Christi non quidem sensibus fuit visa in transfiguratione, sed ex sensibus fuit cognita 256
Dolor duplex, alter voluntatis, alter sensus, 161.1. *sensualitatis non est cõtritio, sed signum cõtritionis, ex Augustino, ib. timore mali exortus imperfectus est, ib. ex Dei offensi amore procedens, est perfectus, ib. de peccatis debet esse humilis non furentis*, 162 1. *contritionis maximus appretiatiue, nõ tenentur habere intensione certa, ib. sensitiuus de peccato aliquando moderandus ne desperationẽ inducat*, 162 2 *de peccatis peruius tota vita debet durare, ib debet esse generalis peccatorum in particulari, ibid. contritionis ita magnus esse potest, vt omnis pœna purgatorij remittatur* 165.2
Donum intellectus est magnum 190.2

E

Ecclesia diuersis temporibus Redemptorem

rem vt veniat orat, & vt abeat monet, 207.208. omni tempore persecutiones passa est, sed quatuor præsertim recensentur persecutionum formæ per Danielem prædictæ, 308. 2. plantata miraculis, non amorū vi, 311.2. Deo pro filiis supplicans, per Cananæam designatur, 125.2. persecutiones quatuor modis est passa, 126.2. ad angustias redacta per Turcas, ibid. æternū duratura, 137.1. curat depellere dæmonem ab homine, potissimum tempore Quadragesimæ 138.1

Ecclesiæ propagatio admirabilis in Pentecoste 214 2. primitiua sanctitas & religio eximia, 215. 1. quarimonia persecutionibus afflicta, 309. reformatio quantū Deo grata, 312.2. militantis charitas qualis, præsertim primitiua, 317. & seq. Orientalis ab occidētali secessus, ibid. status varii, 319.1. reformatio, est pacis & quietis causa, 45.1. clamantis pro filiis, sæpe Deus non respondet verbum, sed illa instat semper, 125. 2. oratio pro defensione ab hostibus, 126.1. initia persecutionibus obnoxia, ibid. vexatio à falsis doctoribus fuit magna in ipso exortu Euangelii, 126.2. imperiū & amplitudo magna ex parte immiuuitur vastatis & direptis prouinciis Christianorum, ibid clades lamentatur author pie, ibid. & infra summa persecutio est insensibilitas, 128.1. fidem ad aliam gentem transferendam meritò timere debemus, 137.1. citra omnem proportionē fuerē maiora beneficia collata, quam synagoga. 159.2

Ecclesiasticorum aliquorum ambitio & superbia reprehenditur 205.206

Electi iudices sunt, 12.1. per familias dispositi ad dexteram iudicis consistēt, vt Abraam cum uxoratis, Augustinus & Franciscus cum suis monachis eademq; ratione alij ibid. superiores seu iudices inferioribus manifestabunt quæ in libris vitæ continentur 13.1

Eliæ Prophetæ historia exponitur dum pugnat cum seueritate Prophetæ misericordia Dei 119.1

Eliseus incuruatus puerum suscitans figura verbi diuini 305.2. & infr.

Epithalamiū quod cecinit Dauid Psal. 44. exponitur 313. & infra.

Equitatui Pharaonis comparatur anima secundum naturam 285.2

Euangelica præcepta visa sunt infidelibus vincula quædam molesta 216.

Euangelij sacri puritas, & sanctitas, testimonium perhibet fidei nostræ, 235. & infr.

Euangelium Ioannis altius aliis 69.2

Eucharistia sacra panis de cœlo datus, panis viuus, panis angelorum, 237. & infra. in ligno vitæ Paradisi figurata, & aduersus Iudæos defenditur & per manna figurabatur, 238. vitam immortalem confert, 239. & gratiam pro ratione & proportione sumētis, & plura de eius effectu mirabili, ibid. & infra. veri corporis Domini est sacramentum, vbi totū verum corpus Christi est, non sub signo aut figura, idq; ex ipsius Christi testimonio aperto constat, 250.1. 2. summum est beneficium, ibid. obses futuræ beatitudinis 252.2

Eucharistia sacramentum mirabile est opus incarnationis cæteris magis stupendum, 242. 1. & singulatim plurima quæ ibi supra naturæ ordinem contingunt, referuntur

Eucharistia sacramentum sæpe edidit miracula, quorum nonnulla authori fuere explorata quæ refert, 244.1. & inter alia languentes corpore reficere, & confirmare mirabiliter asseritur, & digne sumentibus sæpe miram affert Spiritus dulcedinem, ib. superat omnia Mosaica sacramenta, & ipsa sancta sanctorum & cum illis confertur, 246.1. religio & cultus in suis figuris commendari debuit, quia in se ipsa nō poterat præ magnitudine, 247. 2. & quali sumendæ præparatione, 248.2. & qui indigne sumebat in Ecclesia primitiua, miraculo corporali dabat pœnas, 249 1. eius effectus spirituales recensentur ibid.

Eucharistiã sumere admonemur & præcipimur à Christo 251.
Europa victrix Orientalium 310.2
Exemplum valde mouet 129.2

F

FAmilia cura solicite gerenda 32.2
Farinula Ægypti quæ mundanam solicitudinẽ significat, nunquam deesse potest nobis in hac vita, qui de nostro & frumentum & molas habemus 241.1
Fœdus ictum inter Papam, & Imper. Carolum. V. & Venetorum Rempub. aduersus Turcarum tyrannũ 318.2
Fides quam intelligentia utilior viatori, 136. *est prima præparatio ad Eucharistiæ sumptionem*, ibid. 2, *accedentis ad Eucharistiæ sacramentum qualis & quam plena* 148.
Fides ratione explicanda ne infideles calumnientur 24.2
Fides assensum superat vires naturales intellectus 31.1
Fidem negare factis non dictis est contemnere quæ fides præcipit seruare 32.1
Fides nostra ab ipsis Christi incunabulis roborata 51.1
Fides ratione non probatur 76.2.
Fides sapientia constat, neque cum ratione pugnat, & in multis cum philosophia congruit ibid.
Fidis Martha magna, sed adhuc imperfecta, donec colloquio Christi fuit perfecta, nam antea ignara erat Diuinitatis Christi 151.2
Figura victoriæ Christi de dæmone in Apocalypsi describitur 106.2. *virgarum quas Iacob variegatas ouibus concipientibus obiecit aperte ad Redemptorem & ad sanctorum hominum exempla applicatur*, 130.1 *Allophilorum obturantium puteos quos effoderat Isaac Patriarcha applicatur ad eos qui Deo vacant vt perseuerent* 146.1
Figura multa confessionis Sacramentalis 150. 151. & 1
Figura Iacob Patriarchæ de Simeone, & Leui vbi Pharisæi, & Sacerdotes consultantes de morte Iesu repræsentatisfuere, 168. 2. *Resurrectionis præcessit in Ioseph somniante stare manipulum suum, adorarique à fratrum manipulis* 177.1
Figura Resurrectionis recensentur 180. & 185.
Figura quatuor Rotarum Ezechielis naturæ hominis & vitæ studiosæ applicatur, 191.2. *humanitatis Domini fuit arca fœderis synagoga*, 199.1 *suscitandæ sobolis fratris sine liberis defuncti Ecclesiæ accõmodata*, 212.1 *manna late applicatur corporis Dominici sacramento* 237 1. & 2.
Figuram verbi incarnati gessit Heliseus Propheta puerum exuscitans, 305.2.
Figura omnis status Ecclesiæ Danieli ostensa, 208.2. *Dauidis pulsata cythara dæmones pellentis applicatur Christo & Baptistæ* 246.2.
Figuram Christi Redemptoris nostri gessit Iosue 217.1
Fiducia in Deo locanda 310.2.312.2
Fratres eiusdem patris filii sumus Christiani 314 2.
Fructus contemplationis 288.1
Fructus & folia viri iusti 145.2

G

GAllorum Hispanorumq; discordia 318.1
Gentilitas festinat adire Christum, ne præoccupetur sponsus ab altera coniuge 80.2
Gentilitatis & Paganismi vocatio & electio 136.2.
Gentiles & Pagani nonnulli prouidentiam rerum & delictorum vltrices pœnas agnouerunt 3.1
Generatio spiritualis quomodo per Christum inchoata, & per Spiritũ sanctum perfecta est 211.2
Germania erroribus contaminata 318.
Germanorum perdito notatur 221.2.
Gerualsi & Protasij apparitio facta D. Ambrosio 234. & 235.1
Gloria inanis & vana tentatio quomodo vincenda 121.
Gratia summa & Deo sit facto homo 71.1

Græcorum à Romana sede dissidium, 318 & *infra*.

H.

HEbræi populi mores & pertinacia ingenia referuntur 135
Hebræus populus regnorum spiritualium ignarus, 58.2 *mercenarius fuit*, 86.2
Hedus petulantiam significat 284.2
Hæreses Arriana circa verbum Dei ex Platonica schola fluxit 226.2
Hæretici curiositate volētes intueri mysteria per Bethsamitas punitos, diuinitus significantur, 247.1. *negantes veritatem corporis Christi in Sacramento refutantur*, 255.1. *persecutores Ecclesiæ*, 127.1. *multi periere in mysterio sacræ Trinitatis dum comprehendere tentant*, 225.1. *circa Trinitatem errantes perniciosiores fuerunt aliis hæreticis* 228.1
Hæreticis & qui sunt extra Ecclesiæ Vnitatem non datus Spiritus sanctus 216 217
Hæreticorum & infidelium cæcitas ortum habet, ex hoc quod non considerant Deum esse qui illa dicit quæ illis videntur non credenda 243
Hermes Trismegistus priscus philosophus de verbo Dei librum edidit, 210. 2 226 2
Herodes Idumæus & Iudæorum rex violentus & tyrannus, 81.2. *redarguitur per apostrophen* 81 1
Herodis dolus & vafricies, ibid. consiliū de occidendo Domino ibid.
Hierosolyma temere turbatur, audito regis Iudæorum nomine, 81.2. & *infra*.
Hierusalem superna respublica est ornatissima, 94 2. *eius figura describitur*, 95 2. *habet idioma proprium* 96 1
Homo inter animantia solus libertate donatur, principium liberum sui motus habens in se, 1. *iudicio sisti solus inter animantia potest, quia solus liber est arbitrii* 2
Homo per hominem iudicandus, 3 *templum Dei*, 251.1. *dicitur liberari à peccato & morte per Christum, non ut peccatum & mors non sunt in homine, sed ne regnent in homine*, 181. *libertate donatus per Christum ibid. stulte facit dum ratione sua intentat Dei reconditæ arcana comprehendere*, 30 & 31. *secundum naturā corruptibilis & mortalis*, 37.1. *ad vitæ rationē consentaneā degendā tenetur quia suapte natura rationalis est*, 38. 1. *ob bestiales mores in vulpem, canem, porcum, equum, mulum, & iumentum degenerare dicitur in scriptura*, 38.2. *professione est Christianus non natura, ibid. debet natura, ut bonus sit homo, debet professioni ut sit bonus Christianus, debet officio suo satisfacere* ibid.
Homo non carnalis sed spiritualis esse debet, ut possit intelligere ea, quæ inter sponsum animæ Deum & ipsam animam geruntur, 44. *quid secundū naturam, & quid secundum gratiam* 285. 1.
Merito damnatur si à dæmone licet potentiori hoste vincatur, quia præsto erat illi auxilium Dei, si invocasset, 101. *considerat in se, & ad proximum, & ad Deum*, 190.1. *ante aduentum saluatoris omni flagitio erat contaminatus, ibid. quo ad se reformatur secundum intellectum, voluntatem, & sensualitatem, ibidem, intellectu præstans est velut Angelus ibidem, suapte natura in virtutem propensus sensualitate etiam bene morata*, 191.1. *temperatus comparatur horologio figuratus in Ezechiele oculatis rotis*, 191.2. *reformatur in ordine ad Deum fide, obedientia, & latria* 194.1
Homines non permitteret Deus multiplicari, nisi illis salutis remedium prouidisset, 23 2. *in hac vita Galilæi & transmigrantes sumus*, 200. & 201.1. *indigent reformari, intentione, affectione, & operatione* 222.2
Homini plus quam aliis creaturis aduentus Christi necessarius, quia sine Christo non fuisset beatus, 61. & 62

Hominis

Hominis in belluã degeneratio, 291. *sine Christo satisfactio pro peccatis, nõ est cõdigna*, 22.1. *exaltatio per Incarnationem verbi fuit Demoni summa confusio*, 24.2. *vita breuis*, 37.1. & *seq. est clamare ad Deũ*, 312.2. *varius status & studium*, 325. *generalis appetitus iucũde & quiete viuẽdi* 142.1
Hominum ardor patiendi pro Deo, 21.1 *piorum familiaria colloquia, diuinũ amorem excitant*, 44. *præsentium mores taxantur* 193.1
Honor & amor debitus 266.
Honor non affectandus, sed ferendus 283 2
Humilitas à Christo discenda, 55. & 56. *prodest apud Deum ad veniam* 154

I

IAcobus Apostolus pro Hispania bellator apparuit 321.2
Ieiunium vt gratum sit Deo, quale esse debeat 103.1
Ignis diuini amoris in altari cordis perpetuus esse debet 279.2
Imitatio necessaria ad scientiam 129.1
Incarnationis Dominicæ potior causa, curatio quã exultatio humanæ naturæ, 15. 2. *causas nostrum non est perscrutari*, 16. 2. *quatuor causæ explicantur congruentes, ex parte culpæ, ex parte peccatorũ, ex parte Dei, ex parte ipsius remedii*, 17.1. *congruentia ex parte hominis vt reformetur per idem exemplar quo fuerat formatus* ibid.2
Incarnationis congruentia sumitur ex parte Dei, vt misericordiæ & charitatis diuitias ostenderet, sicut iustitiæ seueritatem ostenderat in primi Angeli peccato 19. & *seq.*
Incarnationis congruentia sumitur ex parte culpæ, quia hoc fuit aptissimũ cauendæ futuræ culpæ, & purgandæ præteritæ 21.1
Incarnationis congruentia multæ, sed prima ducitur ab exaltatione hominis 15.2
Incarnatio verbi mũdi victoria est 26.2
Incarnatio verbi hominem humiliorem Deo & subiectorem fecit quam creatio mundi 27.2.
Incarnationis amor causa 28.2
Incarnationis mysterium creditu difficile 30.2
Incarnationi verbi, triæ argumenta ratio humana ignorãter obijciebat 29 2
Incarnatio verbi summa sapientia est, sed excedit metas rationis, & ideo stultitia videtur apud ignaros 30.2
Incarnationis beneficium superat vires hominis, atq; ideo homo mundanus in eo hæsitat 28.2
Incarnatio verbi humanitatem, ac eiusdem sacram passionem cõtemplari debent illi qui altioribus Diuinitatis mysterijs non sunt assuefacti 299.
Incarnatio verbi arcui comparatur, ex D. Bernardo, cuius figuram gerebat Heliseus incuruans se, vt mortuum exsuscitet 305.2
Incarnationis mysterium absconditum 71.1
Incarnatio verbi philosophis prorsus ignorata 76.2
Incarnatio verbi explicatur per parabolam de tribus satis farinæ 79.1
Indi noui orbis timori nobis sunt, ne forte Deus repulsis nobis ad illos trãsferre velit fidem, & Ecclesiam suam 157.1
Inferni supplicia necessaria, & flammæ scelerum vltrices 32
Ingratitudo hominis redarguitur ex brutorum comparatione 49.1
Ingratitudo hominis erga Deum 31.2
Ingratitudo magnum hominis vitium 275.1
Inimicus vtilior nobis sæpe quam amicus 98.1
Inimici nostri dæmones, & peccata ibid.
Inimici quomodo vincendi 99 1
Inimicus amandus, quia Deus id iubet & ob alias rationes ib
Inimicorũ dilectioni promissa remissio peccatorum 101.1
Inimicorum dilectio ostensa in Stephano martyre 68.1
Inimicorum dilectio vtilitates multas habet 101.1
Intellectus vi natiua producit imagines

rerum intellectibilium & imaginari dicimur cum intelligimus 73.1
Inuidia detestabile vitium, & inuidi basiliſco comparantur 169.1
Ioannes Baptiſta promiſſus, vt teſtimonium grauiſſimum de Chriſto diceret 31.2
Ioannes Baptiſta pietate erga homines affectus diſcipulos mittit ad Chriſtum ibid.
Ioannes Baptiſta laudatur à Chriſto 34.1
Ioannis Baptiſtæ teſtimonium omni exceptione ſuperius explicatur expoſitis illis exceptionibus quæ contra teſtes ſolent aſſerri ibid
Ioannes Baptiſta maximè authoritatis homo 34.2
Ioannes Baptiſta Angelus dictus 35.1
Ioannis Baptiſtæ magna laus Chriſti prædicatione non taliter, vt alios ſolitus erat Dominus laudare, ſed dedita ſpacioſius opera commendati ibid.2
Ioannis Baptiſtæ conſtantia ſeueritas, prophetia, puritas angelica, præcurſorium officiũ à Chriſto laudatur ib.
Ioannes Baptiſta Chriſti indigebat cõmendatione, non Chriſtus Ioannis ibid.
Ioannes Baptiſta teſtimonium perhibet de Chriſto, non propter Chriſtum, qui per ſe ſatis clarus erat, ſed propter tenebras lucem illam nõ comprehendentes ibid.
Ioannes cur lucerna dictus 36.1
Ioannes Euangeliſta aquila comparatur 70.1
Ioannes Euangeliſta Diuinitatem Chriſti aduerſus Ebionitas hæreticos expoſuit ibid.
Ioannes Euangeliſta & Paulus conſentaneo & concordi ſermone loquuntur de diuinitate, ſicut duæ fiſtulæ eodem ſacro ſpiritu afflatæ 72.1
Ioannis à S. Facundo, ex Eremitarum D. Auguſtini Patris noſtri ordine, apud Salmanticam circa Dominici corporis ſacramentũ miraculũ 244.2
Ionas Propheta ſtulte Deum fugere conabatur 116.1
Ionas vtero piſcis receptus & eiectus iterum redditur ibid.
Ionæ prædicatio rudis videtur, ſed efficacissima ibid
Ionas typus Redemptoris ibid.
Ionas fugiebat prædicare Niniuitis veritus, ne illi pœnitentia correpti diuinam iram auerterent, & ipſe videretur falſo fuiſſe comminatus excidium 115. & 116.
Ioſeph lætitia naſcente Domino 56.2
Iſrael ſpiritualis non eſt repulſus à Deo 135.2
Iudæa abutebatur beneficiis Diuinis 50
Iudaici populi lamentabilis cæcitas 31.2
Iudaicus populus apte cum Iſaac cæcutiente ad rem præſentem, & futura prouidentem comparatur ibid.
Iudæi conuincuntur magno argumento Moſaycam legem vmbram eſſe noſtrorum ſacramentorum 31.1
Iudæorum commentitiæ expoſitiones de pane Angelorum Iſraelitis dato refelluntur cum de ſacramento Dominici corporis intelligi debeat 238.1
Iudicij poſtremi an diffinitiua ſententia corporaliter pronuncianda an ſpiritualiter tantũ proponenda dictamine 13.
Iudicii Diuini examen exactum cognitio & cauſarum plene habetur ibid.
Iudicij vniuerſalis ſine cunctatione diffinitio 10. & 11.1
Iudicij vniuerſalis æquabilitas ibi reges & bubulci ſociabuntur 12.2
Iudicio poſtremo commutabuntur vices, multi qui in hac vita tenuere dexterã, illic ad ſiniſtram erunt ib.
Iudicij finalis ratio ex dignitate hominis ſumitur 1.
Iudicium vniuerſale neceſſarium præter particulare & priuatum, quod fit moriente homine 4.1
Iudicio vniuerſali omnes Angeli & homines aderunt, & omnium opera & cogitationes patefient ibid.2
Iudicio vniuerſali ſint nec ne publicanda etiam peccata remiſſa probabile eſt problema 5
Iudicium Dei præuenit & præoccupat homo per pœnitentiam 6. & 8
Iudicii futuri arcanum omnibus Prophetis manifeſtum 8.2

Iudicij futuri seueritas etiam Paganis gentibus nota, ne quis causari possit ignorationem reddendæ rationis, 8.1. *vniuersalis forma & historia series ex sacris authoribus collecta* 9.1
Iudicium vniuersale præcedit rerum perturbatio ib. & 10.1
Iudex qualis esse debet 5. & seq.
Iudicis cum Christianis reprobis expostulatio in postremo iudicio, 13.2. *item cum synagoga* ibid.
Iudicari quare oporteat hominem 2
Iudicandi vices, vt filio homini & redemptori pater æternus delegaret, orabat Dauid pro filijs, ne videlicet coram tantæ dignitatis maiestate citati deficerent 3
Iumenta nascentem Dominum reuerentur 302. & infr.
Iusti homines sunt vestimenta Christi, 102
Iustitia diuina ordinat quæ inordinata sunt, 2. *in negotio seruanda*, 193. & 194
Iustitia bonum opus etiam peccatores qui rei sunt in iudicio exhilarat quia est bonum vniuersi, 3. *est tueri & propulsare iniuriam proximi* 193.2
Iustorum hominum fidelium authoritas testimonium magnum fidei nostræ ib. & infra. *corpora modico cibo sæpe virsuntur nitida & vegetata* 104.1

L.

Lac doctrinam significat 282.1
Latria soli Deo debetur 194.1
Laus Christianorum primitiua Ecclesiæ 241.2
Lazari suscitatio spiritualiter conuenit omni peccatori, 153.1. *eius sorores dū viuit orant redemptorem pro illo, sed pro mortuo non leguntur orare, sed plorare ex D. Bernardo* 154.1
Lectus quo sponso suo anima vnitur cōscientia est 286.2
Leges Imperatoriæ quibus publica animaduersione sontes puniuntur iustæ, 3.
Legis Mosaicæ collatio & Spirit. S. missio in Pentecoste, multis modis quadrant 212.2
Legis sacramenta nostra sunt 247
Lex Euangelica cordibus & animis pro tabulis inscripta, 212. & 213. *Mosaica præfiguratio fuit Christi*, 311. *Mosaica non introducebat in beatitudinem æternam quemquam, sed gratia redemptoris* 217.1
Liber conscientiæ qui & rationum 13
Libri vitæ ratio 13.1
Libro æterno continentur opera, cogitationes & affectus hominum, subducendæ rationis gratia 4.2
Librorum quorundam nugantium lectio noxia 104.2
Loquutio sponsæ in cantica Salomonis desiderium est, & loquutio sponsi interior est inspiratio 304
Ludorum licentia infestorum dierum solennitate taxatur 102.2
Lutherana hæresis Europam vastat, 117 2. *propagata* 137.2
Lutherus hæreticus, vide hæreticus & hæresis
Luxuria vitium grauiter à Deo punitur 117. & seqq.

M.

Magdalena conuersa interna vocatione Dei, 44 2. *nequit diuelli à sepulchro Domini* 175.1
Magdalenæ fletus non inuento corpore Domini in sepulchro 175.1
Magi Pharaonis tertiam personam sacræ Trinitatis ignorantes in tertio signo defecisse dicuntur 76.2
Magi Reges ab Oriente venere ad sponsalia Christi & Ecclesiæ, 80. *admonentur nati redemptoris per stellam, modus autem admonitionis varie à doctoribus sanctis traditur*, ibid. & infra. *interna inspiratione tacti*, 81.1. *adorãtes infantem redemptorem describuntur*, 83. & 84. *terrena auxilia quærẽtes destituũtur lumine cœlestis stellæ*, 83.1. *cum Thoma Apostolo radicatores Christi effecti* 85.1
Magorum Regum magnanimitas & fortitudo 81.1. *fides spectata & laus*, 83. & infra. *munera mystica tractatione exponuntur* 85.2

Mahumetani Turcæ eiusdem perfidiæ sectatores Ecclesiam sunt persecuti, 127.1
Maledictus qui peccat spe veniæ 5
Maleficium optimum excitandi amoris est amor, ex Seneca 27.2
Martyres in mortem traxit desiderium cœlestis patriæ 95 1. *testimonium perhibent fidei nostræ* 233 1
Martyrum ob fidei confessionem tolerantia, 214.1. *erga Deum qualis amor*, 278 1
Matthæus & Publicanus interna pulsatione conuersi 44.2
Membra Christi viui fideles habentes charitatem, 202.1. *sumus omnes Christiani vnius corporis* 314.2
Memoria auditæ prædicationis necessaria 92.
Mercedis respectus non malus, sed neque perfectione omnino constat 86
Merita nostra debent antecedere præmium, 230 & *infra sunt dona Dei, quia illo adiuuante fiunt à nobis*, 26
Mertti ratio ac demeriti in libertate arbitrij fundatur, ac ideo in brutis esse non potest 1
Meritum potius laboris qualitate quã quantitate esse dicitur 86 87
Messia diuinitas olim solis Dei amicis reuelata Christi sanguis pro peccatis nostris fundendus 23 2
Messias legis tempore notus, & publicatus 22 2
Micholirridens regem colentem arcam sterilitate multatur, significatq; eos qui subsannant eos qui religiosius sacramentum frequentant 247.2
Miracula sunt Ecclesiæ concessa, quando illis indiguit, 211. *edita per sacramentum Eucharistiæ, & authori compertanonnulla quæ refert*, 244 & *infra. Christi aduersus Iudæos exponuntur*, 137. 238. *ostendebant illum esse Deum ob aliquas causas* 30.2
Miracula redemptoris mysterium habebant, 121.1. *præter veritatem historiæ sunt etiam fœcunda mysteriis*, 153 1. *faciebãt illum esse timori Pontificibus & Pharisæis* 168.1
Miraculis in morte Christi perterrefacti & confusi Pontifices & Pharisæi, ibid.
Misericordia dignatioq; Dei carnem sumere constituentis stupori fuit sanctis Patribus 23.2
Misericordiæ opera iudicio vltimo nobis patrocinatura 303
Mysteria diuina curiosius non perscrutanda, 22 2. *diuinitatis Christi ab eo qui sanctus est & purus à sorde tractari debent*, 44. *fidei caute & circumspecte tractanda* 224.2
Monachus vide religiosus.
Monachum è monasterio dæmon sæpe deducit pietatis prætextu, 146 & *infra.*
Mons Hermon & Sion quales & quid significent 317.2
Montes significant sublimes sanctorum mentes 294.2
Mors Christi peccatorem subleuat & spem confirmat 22.1
Mors amara his qui radices egerunt in terra 200.2
Mortis meditatio magna sapientia secundum Platonem 37.2
Moyses oratione vincit hostes, 118. 2. *Iudaici populi mores describit diligẽter*, 135.1
Moyses & Helias testes transfigurationis Domini 257 2
Mosaica legis sacra colebant valde Iudæi 246
Mundi contemptores dicuntur sine vestigio fluctus Iordanis mediasq; vndas pertransire, 212. 1. *finis cum hominis moribundi interitu cõparatur*, 9. *sapientia stultitia apud Deum*, 28. 2. *breuitas & impostura*, 120 2. *potentia prædicatione verbi per Christum euertitur*, 217. & *infr. amatores qui cum sequi videãtur Christũ, aliquid sibi seruant clanculum, taxantur*, 215. 1. *curæ ceu spinæ sunt*, 277. 2.
Mundum triplicem posuere Platonici, idealem, intelligibilem, & sensibilem 76.2
Mundus domus Dei ordinatissima, 3.1. *bonus est, quia bonus est Deus illius conditor, ibid. illectus amore diuino concidit victus*, 28. *vacuus & veluti otiosus*

etiosus suo fine carẽs ante Christi aduentum 71.2
Mulierum studium ornandi se, & intuentium oculos pelliciendi improbatur 37.2
Musica Spirituum beatorum laudantiũ Deum suauissima 94.2

N.

NAtale solum redemptoris describitur & commendatur 45. & 46
Natalitius redemptoris dies felix & vniuersalis latitiæ causa ibid.
Natiuitatis Christi tempus & locus celebratur 302.
Natura humana pulchra, creata à Deo 102.1.
Natura opera mirabilia 18
Niniue interpretatur pulchritudo, 120.2
Nominis tetragrammaton religio 246.2

O.

OBedientia necessaria ad credendũ, 29. *reddenda prælatis*, 40. & *seq. voluntatis & intellectus* 324
Obededon benedicitur ob culiũ exhibitũ arcæ fœderis 247.2
Occidentale imperium sæpe fregit Orientis vires 310.2.
Oculis debet esse plenus homo 324.1
Operarij sunt omnes homines daturi pœnas cessationis 87. & 92
Operum hominum vix inuenietur aliquod perfectum omni ex parte nisi misericorditer & pie lucidentur 11.
Oratione, ieiunio, & eleemosyna præparatur habitaculum Deo 85. & *seq.*
Orationem iustam sæpe videtur non exaudire Deus aut quia nos sumus in culpa, aut quia nobis vtilior est dilatio 133.2. & *infra.*
Oratio commendatur, 86. 2. *ad Deum vtilissima* 319.2
Otium & negligentia taxantur 88.1
Otiosum est quod non ad Deum aliquomodo refertur 284
OZa temere arcam Domini tangens, figura est eorũ qui sacram Eucharistiã sine purificatione conscientiæ sumunt 247.2

P.

PAnis propositionis, teste Nicolao Lyrano, auro pinsebant Hebræi, & in auro coquebant 246.2
Parabola Euang. Matt. 13. de trib satis farinæ incarnationi verbi aptantur, 97.1 *filij prodigi statum continet peccatoris, & illius miseriam*, 132.1. *Euangelica patrisfamilias vineam colonis locantis exponitur summatim*, 134. 135 *triumpanum, qui ab amico petuntur exponitur* 223.2
Partus sine dolore, nisi in partu virginis sacræ nunquam visus, 301 1.2 *exponitur exemplis, ibid. & in eo multa mirabilia contigere.* 302. & *infra.*
Passiones corporis temperandæ, vt Deus inhabitet, 188. *carnales valde impediunt diuinum amorem*, 279. 1. *corporis animam à spiritualium rerum contemplatione auocant.* 54.11
Passio Domini commemorata in monte transfigurato redemptore 257.2
Paula deuotissima nascẽtem Dominum in spiritu vidit 57.2
Pauli conuersio per Stephanum orantem à Deo facta, 68.2. *anima framea Dei fuit qua totum mundum Deus prostrauit* 102.1
Pati & mori extraneum est à Deo, sed voluit hæc omnia subire, vt seruare quod Dei est opus proprium faceret 29.11
Patres quomodo honorandi, 29.1. *etiam spirituales.* ibid.
Patroni seu susceptores adstantes in baptismo sunt velut fideiussores 382
Pauperes euangelizantur actiue, & passiue capi potest, & vtraq; modo fuit signum aduentantis Messiæ 33.1.2 *amati & honorati* ibid
Paupertas frequens ob crebram aliquorum auaritiam, 193.1. *per Christum inducta* ibid. & *infra.*
Pax per Christum data, 307.1. *neq; inter scelerates est*
Peccandi consuetudine homo degenerat in brutum 113.2

Peccata diuturniora grauiora sunt, 147 2. *quodammodo cooperantur in bonum amanti Dominum*, 275. *purgãda ad sacram Eucharistiam sumendam* 250 2

Peccati prateriti remedium ac veniam petebant Prophetæ à Deo 138. 1. & *infr. cognitio exigitur à peccatore ib. damna*, 137. & *seq. confessio apud Deũ plurimum valet semper, sed nõ apud humanos iudices* 138. 2 *excusatio reprehenditur* 148 150 1. *occasiones amittendæ, vt confessio sit fructuosa*, 157. & *infr. atrocitas arguitur ex hoc quo filii Dei morte fuit expiandum*, 19. & 20. *acerba vindicta*, 12. & 13 *cognitio remedium est contra flagellum* 128 2

Peccatum magis timẽdum in bello, quã Turca hostis, 311. 2. *pondere suo in aliud peccatũ trahit*, 148. 1. *retardat animam à diuino amore* 269. 1.

Peccator somno lethargico pressus, 44. 1 *procrastinator, ib. aliquãdo acceptis plagis magis desipit, ib. in magno periculo versatur*, 115. 1. *obstinatus rarissime conuertitur, ibid. non sanatur inuitus*, 123. 2 *factis non vult sanari sed verbo tenus, ib. aliquando vult resipiscere, sed frigide, nam simul haret in peccato*, 124 1. *imponere debet humeris peccatũ resipiscendo*, 124. 1. *facere debet iudicium sui ipsius*, 139. 1. *obduratus difficulter sanatur, sicut ægrotus putridis humoribus abundans* 153. 2 *professione Christianus, sed paganus moribus*, 39. 1. *promissionẽ factã in bapti. mo violat ib.*

Peccator induratus per ægrotũ triginta octo annos agentem in lecto designatur, 123. 1. *obstinatus, per Lazarum quatriduanum & fœtentem significatur*, 153 1 *obduratus non tã oratione eget, quam lachrymis & contritione, ib. recidens in eadem peccata reprehenditur*, 155 1. *debet manifestare seipsũ tolerato in præsentia pudore, ne pudefiat in iudicio vniuersali* 156. 1. *similis esse debet mẽdico sedẽti in biuio* 165. 2. *debite pœnitens præuenit diuinum iudiciũ, & diuinam quodammodo mutat sententiã ibid.*

Peccator ad lachrymas, sicut paruuli solent debet fugere 164 & *infr.*

Peccatorem Deus exaudit sæpe, quia cũ non haberet vnde deberet sperare salutem spẽ tamen fixit in Deo, 138. *cõuertere sola Dei est virtus* 153

Peccatores nondũ obdurati minori difficultate curantur 153. 2

Peccatori & nomen & proprietates deserti & inculti agri conueniunt, 42. 2. *efficaciter volenti resipiscere mox datur venia*, 119 1. *etiam obdurato sex remedia referuntur per epilogum* 156. 2

Peccatoris fremitus geminatus esse debet, & pro peccato quia contra Deũ & pro damno 162. 1

Peccatorum occasiones fugiendæ, 119. 1 *tria genera Deus sæpe conuertit, & saluat per pœnitentiã, quartũ vero rarissime, & per miraculum* 123. 2

Pœna cogitãda vt peccatũ detesteris 158

Pœnitentia vana in nobis, cum multa sint quæ nos ad illam vocent, 120. 1 *est salutaris piscina, qua lauãtur sordidi omnes*, 122. 2. *spiritu diuino & supernaturali mouenda vt sit salutaris, ib. ea damnõ pellitur* 138. 1. 199. 1

Pœnitentia est qua peccator præoccupato iudicio diuinam euadit damnationem, 5. & 6. *necessaria ad salutem qua sine cognitione sui non habetur*, 38. & *seq.*

Pœnitentiæ tres partes, contritio, confessio, & satisfactio 138. 1

Pœnitentiam discere à Niniuitis debemus, 120. 1. *eam non agentes merito damnantur* 123. 1

Perfectio in hac vita semper augenda 279. 2

Perdicis auis ingenium & furacitas ex Hiere. exponitur ac dæmoni apte cõparatur filios Dei pellicienti 120. 1

Perseuerantia magna virtus 129. 1

Perseuerantia charitatis 296

Personarum diuinarum distinctio 123.

Petrus Apostolus perfectam habuit cõtritionem 161. 1

Petrus & Ioan. Apost. currunt ad sepulchrum 174. 2

Philo-

Philosophi Athenienses, & nomen & mores ad suæ sectæ opinionem accommodabant 56
Philosophi mysterium Trinitatis sacra ignorarunt, 210. *& infra. nonnulli forsan instinctu diuino vnitatem Dei agnouere, vt Socrates, Plato, Aristot.* 226
Philosophorum studium summum & labor vt Deum recognoscerent, 226. *sed valde hallucinati sunt* ibid.
Piscina Euangelica quinq; porticus, &c. 122. 2
Plato mysterium Trinitatis aliquomodo attigit, errabunde tamen 226. 2
Pontificum Iudæorum cæcitas 168. 1. *stupor, & maligna consilia resurgente Domino* 174
Potentia velut planta tres homini data 262. 2
Porphyrij argumenta impia contra incarnationem 29. 2
Præcepta veteris legis dicuntur esse non bona, licet pro tempore, & pro illo populo bona fuerint, quia nõ erant perfecta omnino, sicut sunt noua legis, 262
Præcepti de diligendo Deum explicatio, & quomodo est possibile viatori, 276. 277
Præcepti diuini contemptus graue scelus 309
Præceptũ dilectionis diuinæ in statu innocentiæ non fuisset exprimi necessarium, sicut neq; modo est necessarium vt præceptum proprij amoris nobis expresse ponatur, 269. 1. *dilectionis imperfecte impletur in hac vita* 265. 1
Præceptorum obseruatio magis necessaria ad salutem quam curiositas scientiæ 217. 2
Prædestinationis signũ est afflictio, 44. 1
Prædicatio est tuba Dei 42. 1
Prædicatores sæpe in ipso actu prædicationis magis illuminantur, quam cũ literis vacabant, 182. *negligentes taxantur* 222
Prædicatori & doctori Ecclesiæ incumbit fidei rationem reddere 21
Prædicatoris ardor conuersionis fidelium est causa 214. 2
Prædicationis vis in Hiericuntis euersione solo turbarum clangore designata, 217
Prædicatio verbi diuini vtilissima Ecclesiæ, 90. *non cultus sermonis sed efficacia constat* 116. 2
Prædestinatio semper impletur, quia absoluta est sententia, 119. *& infra.*
Prælati magna obligatione tenentur, 40. 1. *debent auferre onera exactionum & inutilium legem à ceruicibus subditorum* 115
Præmium beatitudinis exponitur, 265. 268. *& infr.*
Præsepe redemptoris schola est, 49 *& 56*
Præsepij redemptoris humilitas, Angelicis canticis celebrata 49. 1
Principes & Proceres debent esse Deo valdè dediti, quia Deo magis egent, 170. 1
Principi omnes student placere, & ideo ad mores emendandos subditorum plurimum habet momenti quid illi placeat 322. 1
Principum, Regum, & Imp. quales mores & vita, 322. 1. *humanorum natalitia celebrari solent* 63. 2
Proceres & magnates Reip. quales esse debeant 39
Prodigalitas aliquorum, aliorum indigentia est causa 192. 2
Prophetæ debuerũt præcedere ante Christum, vt illi viam munirent, & ad fidem præpararent homines 31. 1
Prophetia commune est per præteritum tempus futura prædicere 71
Publicanus confessione peccati adeptus est iustitiam 140. 1
Pudicitia prælia, dura & difficilia, 112. 1
Pusillanimitas taxatur 110

R

RAtio est regula humanorum actuũ 190. 2
Ratio naturalis non sufficit vt in Deum tendamus 194. 1
Reciduum peccati peius peccato priore, tres ob causas 124. 2
Redemptio quam creatio laboriosior, 16. *& 23.*

Reges, principesq; homines ſpeluncis abditi quærent latibula montium, ne horrendam calamitatem rerum, præcedentem iudicium vniuerſale, conſpiciant 10.1
Religioſi felices, quia ſecuri, & procul ſunt à negotiis ſeculi 91
Reprobi dæmonibus vndiq; circumfuſis per familias ordine quodam prodibũt in iudicium, vt Lutherus & Arrius, cum hæreticorum familia, Cain cum patricidarum, Nero cum tyrannorũ turba 12.1
Reprobis pereuntibus ſancti non erunt propitij 11
Reproborum planctus conſpectu electorũ gloria 11.2
Reſurgent in corporibus. ſexu reprobi, electi vero in lucidis & nitentib. proratione meritorum 11
Reſurgent omnes homines ſed non omnes immutabimur 171.1 188.2
Reſurgens Dominus apparet diebus diſcipulis euntibus in Emaus villam, & tota ea hiſtoria ex Euangelio colligitur, 179.2. *debuit videri oculis discipulorum, vt fides plena reſurrectionis haberetur, alioquin non habeda*, 186.1. *edit & bibit, ab teſtimonium reſurrectionis, ibid. non neceſſitate naturæ* 187. *non apparet conſpectum toti populo, ſed quibuſdam tantum teſtibus ne fides per euidentiam tollatur*, 187.1 *oſtenſus eſt in forma communi, & nõ in gloriosa ne putaretur alter, ibidem voluit conuerſari cum diſcipulis permanendo totis diebus cum illis, ne putaretur habere eundem ſtatum vitæ quem ante* 187.2
Reſurgens homo poteſt libere ſe oſtendere aut ſecundum colorem, aut ſecundum ſplendorem, aut qualem maluerit 188.2
Reſurgente Chriſto puri homines plures reſurrexerunt, vt nobis noſtræ reſurrectionis certius eſſet teſtimonium, 178.1
Reſurgentis Chriſti diuerſa forma, ſed vt hortulanus, & vt peregrinus moraliter tractantur, 18.1. *eius imitatores eſſe debemus, ne iterum moriamur per recidiuum peccati* 188.2
Reſurrectio Chriſti cum eiuſdem natiuitate de virgine comparatur, 171.2. *figurata in manipulo Ioſephi ſomniantis*, 177.1. *non debuit differri vſq; ad generalem reſurrectionem propter eius gloriam & ſynagogæ confuſionem ibid.* 2. *adeo neceſſaria, vt ſine illa nõ profuiſſet incarnatio, aut paſſio*, 178.1. *figurata multis modis*, 180.1. *viſa eſt plurimis & pluries*, 185.2. *tactu explorata* 186.1 *probata fuit morte & martyrio Apoſtolorum & diſcipulorum Chriſti ibid.*
Reſurrectionis dies lætitia plena, 170.1. *circumſtantiæ artificioſe tractantur*, 173. *articulus creditu difficilis*, 186. 1972. *teſtimonia magna* 186.1.2
Retributionis certa ſpes valde excitat ad operandum 255
Romani triumphi conſuetudo & cauſa 295.2
Romanorum tolerantia magna 201.1
Ruperto abbati miraculũ contigit circa ſacramentum Euchariſtiæ 245.1

S.

SAcerdotali ſumptu ſemel in anno & ornamentis pretioſiſſimis induebatur ſancta ſanctorũ ingredi, & illi arcam nudam oculis aſſpicere ſolebat 246.2
Sacerdos abſoluere debet peccatorem exeuntem de ſepulchro non vbi manentem 157.2
Samaritana mulier, inundanam peccatricem q; animam repræſentat 142.2
Salomonis cantica amorem ſpirant in ſingulis verbis, 206. *& eiuſdem lapſus in idololatriam.*
Sancti glorioſius coronantur pro meritis coronis, quam ſi per Chriſtum gratis illis donati eſſent, 191. *conſueuere eſſe aduocati illis qui patiuntur ſimilia his, quæ ipſi paſſi ſunt* 68
Sancti viri codices ſunt & libri, qui exemplo ſuo & opere melius docent quam ſolo verbo 218
Sanctorum hominum mores deſcribuntur 375

antiquorum ardentior charitas, quã fidelium præsentium 62
Sanctorum præcedentia & comparatio inutiliter quæritur 323
Samsonis prodigiosa vita 61. & 66
Sapientia antefertur serueri spiritu, 283. 1. perfecta, est notitia Dei, & notitia sui 58
Scala quæ ad cœlum ascenditur qualis 206
Scientia quibus modis paretur, 129. 2 curiosa cum ignorantia iustè taxatur 198. 1
Scriptura sacra modum docet seruiendi Deo 129. 2
Scriptura sacra concentus commendatur, 203. obscuritas magnam confert vtilitatem, 280. 2. lectio vtilis multipliciter 104. 2
Scripturam sacram Christus valde nobis commendat, dum illius testimoniis dæmonem superat 104. 2
Sæculares matrimonij dæmon sæpe ad orationis vacandum adducit, quo negligant sua domus curam, 112. & infr.
Sensuales appetitus primogeniti sunt peccatorum, hos Deus interficit, vt educat suos ex Ægypto 132 133
Sensualitas est velut venenata vipera 191. 2
Sensus corporeo non est perceptibilis per se sponsus anima nostra Spiritus sanctus 293. 1
Sanius omnes hominis ieiunio debent vacare 103. 1
Sanssum curiositas infatuat hominem secundum Platonem 143. 1
Sententia vltima iudicij finalis bonorum ac malorum dispar 21. & infr.
Seraphin velabant caput & pedes Domini & corpus detectum relinquebant in visione Esaiæ Prophetæ 69 1
Sibylla femina prophetantes inter gentes 226. 2
Sibyllis virginibus barbaris mysteria quædam diuinitus reuelata, præsertim vniuersalis iudicij arcanum 8. 2
Signa quæ consequutura dicuntur in Euangelio eos qui crediderint, & baptizati fuerint moraliter exponuntur 199. & ibi fr.
Signum reprobationis est nolle audire verbum Dei 91. 1
Synagoga vetus armis plantata 311. 2
Synagoga deseritur à Deo 89. 2
Sol in sublimium suum fontem rapit vapores terrenos, sic diuinus spiritus eleuat desideria, & in altum proueh. bit 145. 146. 2
Spes & fiducia in Deo locanda 128. 2
Sponsi Christi epithalamium & anima sancta 320. 2
Spiritus sancti missio gemina, visibilis & inuisibilis 209. 2
Spiritus sancti inuocatio ad vniuersalis iudicij rationem historiamq; exponendam, 1. in nobis habitatio deprehenditur quibusdam signis & coniecturis 210 2
Spiritus sancti persona, magis quam alia diuina ignota Philosophis, 211 eius cognitio necessaria ad salutem ib. operationes mirabiles in nobis recensentur 223.
Spiritu sancto edocta est Ecclesia 211.
Spiritus S qui primis Apostolis datus à Christo fuerat in flatu, cur in Pentecoste postea datus est in igne, cuius tres causæ feruntur, 210 2 munerum distributor, 211. quomodo in Pentecoste missus historice tractatur, 213. inuocandus, sine quo frustra labor impenditur 215. 2
Spiritus tergemini Dei, nempe, mundi, & carnis, duo posteriores abiiciendi, vbi de præparatione ad spiritũ sanctum recipiendum agitur 216. 2
Spiritus à Deo petẽdus triplex, sanctus, rectus, & principalis 222. 2. & infr.
Spiritus vicissitudo enunc adest, nunc abest deuotio animabus 195.
Stella euanuit intrantibus Magis Hierosolymam, quia coram luce Prophetica ceu sole obscurantur inferiora lumina 85. 2
Stella index deficiebat offendere redemptorem ibid.
Stella Magorum ductrix magnitudo noua, situs & lux 81. 2
Stephani precibus Deus Paulum conuertit, 68. 1. eius miraculum circa

sthmici hominis conuersionē, referēte Augustino ibid. 2. charitas eximia, qua magis de proximis, quam de suis vulneribus est solicita, ibid. lapidati functio propria lapideam cordis nostri duritiam intercedendo mollire ibid.
Superbia aliquorū reprehēditur 205. 2.

T

TEmporis penuriam sancti deplorāt 137 1.
Tentatione carere non est perfectio, sed vincere illam 107. 1
Tentationes nullus omnino euasit 107. 1.
Tentatio ferenda sed non optanda est, 109. tertia aduersus Redemptorem à damone proposita, 104. 2. Christi est consolatio nostra, 107. 1. si bene vtaris ea vtilis est, quia nos humiliat vnit Deo, odisse mundi huius gaudia faci, virtutū exercitia alit, & mendi segetem subministrat, 109. & infr. attemperatur viribus nostris à Deo. 110. timoris nocturni pusillanimitas 111. 1.
Tentatio qua vocatur sagitta per diem volans, vana gloria esse declaratur, ibid. carnis difficilis & quomodo vincenda ibid. & infr.
Tentationes impatienter deprecantes reprehenduntur 109. 1
Tentationi succumbit vt plurimū qui sine Deo vincere meditatur 110.
Tentationis remedia 111.
Tentati debemus ad Deū refugere 110.
Testimonia quatuor ob causas eleuari & reiici possunt velut suspecta. 34. 2 multiplicia fidei nostra, externa & interna, 230 & infr. & in cœlo & in terra, 234. 1. quorum contemplatio habet suauitatem ibid.
Thoma Apostoli credendi duritia 283 1
Thomas Apostolus ex thesauro pectoris Christi, in missa manu mire locupletatus, 183. 2. aliud in Christo tetigit & aliud credidit, ibid. diuinitatem Christi confitetur ibid.
Timor deponendus Deo auxiliante 311
Timore sine causa corripimur, 308. 2. tendimus in Deum 317
Timores nocturni, quos tentator obiicit homini, explicantur 111. 1
Tyranni gentiles persecutionem Ecclesiæ immaniter suscitarunt 127. 1
Transfigurati Domini historia tractatur 256
Transubstantiatio panis in corpus Christi in sacramento exponitur 243
Tribulatio omnis leuis, & ferenda si præmium cæleste prospicias 108.
Trinitas sacra personarum diuinarum ex veteri testamento probata 321 1
Tuba Archangeli personans in iudicio vniuersali 11 2.

V

VErbi mentalis generatio in intellectu est. 77. 78. diuini & humani differentia, 77. integra diffinitio 75. & seq.
Verbum vocatur filius Dei in scriptura sacra. 77. & 78. nostrum geminum oris, & cordis ibid.
Verbum magis quam sermo de mentali dicitur, ibid. imago expressa rei intellectæ, ibid. Dei quomodo creari intelligatur, 79. Dei æternum, lux vita. Deus est, diuinaq; natura 75.
Verbum Dei vita omnium ibid.
Verecundia propria hominis pœna, 4. 2. acerbum supplicium hominis ibid.
Veritas contra adulationem commendatur, 34. & infr. in verbis commendatur, 106. 2. in P[illegible]cij e esse debet 321. 1
Viatoris conditiones quatuor 95. & 96
Victoria qua vincit mundum incarnatio, 28. 1. miraculo parta ad Tolosam Nauarum 311 2.
Victoribus datur manna, id est, sacra Eucharistia nō victis à peccato 241. 1
Vigilare debet homo in hac vita 88
Virgilium Poetam Incarnationem verbi insinuasse credebat, S. P. Augustinus 226 2
Virgines Deo sacra monentur 144. 2
Virginitatem matris Dei rubus Mosaicus ardens, & incombustus portendebat 53. 2
Virginis sacra in partu paupertas, 47. 2 afflictio, dum alieno loco posita parit 47. 1. parientis habitus, imago, decoctio, & requies, 48. & 66.

Virgini sacra quare transfigurati Christi gloria non fuit monstrata 260.1
Virgo sacra sponsum monet æquo animo ferre incommoditates loci, ac rerum dum parit redemptorem, 47.1. *simplicitate aduentantiũ Pastorum in partu lætatur*, 51.2. *nobis Deum de cœlis deduxit*, 61.1. *altera Dali à Sãsone adamata* 66.1. *in partu speciali indiguit vigore roborari diuinitus, vt diuini Numinis impressionem & mentis extasim ferens animo, non deficeret corpore* 69
Virgo sacra describitur cum Magos excipit, 83.2. *probabiliter creditur vidisse essentiam diuinam Christo resurgente, & fuit hæc pia opinio doctorum hominum*, 173.2. *solatur in cœnaculo familiam Christi*, 173.1. *exultat prodito iam incarnationis mysterio, cum mater Dei ab omnibus salutatur*, 175.2. *in fide & gratia permansit Apostolis obtenebratis persecutionis tempore*, 225.1. *duplici dicto angeli credens summa laude digna*, 231.2. *ineffabili lætitia afficitur dum redemptorem edit* 301.2
Vincere tentationem perfectio est 107
Virtus interna est pulchritudo animæ, 325.1
Virtute debes præcedere eos quos dignitate excellis 40.1
Virtutum multitudo Dei lucet in Christi natiuitate 61
Visus princeps est sensuum exteriorum, 185.2
Vitæ emendatio necessaria accedenti ad Deum 324
Vitiosi homines sæpe corporib. sunt morbidis & inualidis, quantumuis ciborum copia affluant 184.1
Vltio mira de homine sumpta à Deo, 10.25
Vmbra fidem significat 287.2
Vnicornis ingenium ex Isidoro, quod nisi virgine pulchra illectus non capitur 65.1
Vnio stupenda tam distantium naturarum in Christo 77.1
Voluptas profana iucunda est, sed non est bona 313.2
Voluptatis vtilitas, & breuitas metitanda, vt peccatum abomineris 165
Voluntas propria causa discordiæ est, 317.1
Vsurarij increpantur 169.2
Vsus ne necessarius ad scientiam habendam 130.1
Vulpeculæ demolientes vineas fuere illi falsi doctores, qui vera dogmata contaminabant initio nascentis Ecclesiæ 127

Z.

Zacharias Angelo Dei non credens mutatus 131.2.

Finis Indicis Tomi primi.

ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

D. D.

THOMÆ A VILLA-NOVA EX ORD. EREMI-TARVM D. AVG. ARCHIEPISCOPI VA-lentini, SS. Theologiæ Magiſtri,

CONCIONVM SACRARVM

Tomus Alter:

QVO DIVORVM CELEBRITATES continentur.

OPVS QVIDEM OMNI STVDIOSORVM HOMINVM GE-neri vtile ac commodum; Concionatoribus vero ſacris vtiliſſimum, vtpote ſu-pellectilem variam & multiplicem ſubminiſtrans, vnde ſuas conciones condi-re, feliciterq; locupletare queant.

PERMISSV SVPERIORVM.

COLONIAE AGRIPPINAE.

Apud Antonium Boëtzerum, ſub ſigno Rubri Leonis.

ANNO M. DC. XIX.

DE NATIVITATE VIRGINIS MARIÆ,

CONCIO PRIMA.

THEMA.

Liber Generationis Iesu Christi, &c. Matthæi 1.

Librorum differentiæ quinque.

QVinque librorum differentias legimus in sacra scriptura, sc licet librum vitæ, librum naturæ: librum scripturæ, librum exempli & Ideæ, librũ conscientiæ: quos qui habuerit in sua bibliotheca, & frequẽter eos legerit, beatus proculdubio erit. Primus liber est liber vitæ, qui secundum Augustin. est præscientia siue prędestinatio electorum, qua eliguntur ad vitam, quorum nomina scripta sunt indelebiliter in Dei notitia. Secundum illud Apostoli. *Nouit Dominus qui sunt eius.* Vnde Cassiodorus ait, *liber vitæ est notitia eorum, qui eliguntur ad vitam.* Et hæc conscriptio, hæc electio dicitur liber vitæ. Liber quia sunt in Dei memoria: vitæ quia solum est eorum, qui ordinantur ad vitam, & sic accipiendo soli electi sunt scripti, in hoc libro. Et sic accipit Apostolus, cum de quibusdam sanctis ait, *quorum nomina scripta sunt in libro vitæ.* Alio modo accipitur generalius, & sic liber Dei, siue liber vitæ, est diuina sapientia, siue verbum Dei, in quo sunt eminenter rationes Ideales, siue Ideæ omnium creaturarum: & in quo, sicut in speculo mundo relucent omnium creaturarum formæ. Et sic dicitur liber vitæ: liber, quia in eo omnia videntur: vitæ, quia omnia viuunt in ipso, etiam quæ secundum se non habent vitam, vt lapis, argentum, & aurum. Secundum illud, *quod factum est in ipso vita erat.* Et ideo licet lapis non viuat in se, tamen idea lapidis in verbo non solum viua, sed & vita est in Deo: atque sicut res in verbo perfectiores sunt quam in seipsis, sic & perfectius viuunt in verbo, q̃ in seipsis. Propter quod Aug. super Gene. ad literã, cognitionem Angelorum in verbo vocat matutinam, & cognitionem Angelorum in proprio genere vocat vespertinã: quia prima notitia multo clarior, & perfectior & lucidior est quam secunda. Et sic accipitur liber vitæ in Psalmo. *In libro tuo omnes scribentur, non solum boni, sed & mali.* Et in Apocalypsi quando dicitur, *quod aperietur liber qui est vitæ & iudicabuntur mortui,* & non solum boni, sed & mali, secundum ea quæ in illo scripta sunt. In hoc libro soli Angeli & beati legunt, quisque pro suo ingenio & facultate, vnde superiores illuminant inferiores. Fœlix scholaster & tantorum, scholarium, sub vno magistro, & in vno libro. O quam innumeri, & quam subtiles & potentes intellectus, & omnes legunt ab initio in hoc libro, & legunt in æternum, & nunquam finietur liber, semper inuenient quod discant in illo. In hoc libro leguntur secreta consilia diuinæ sapientiæ, & profunda & altissima Dei iudicia. Legitur abyssus illa profunda diuinæ prouidentiæ, & mirabilis ars, qua Deus mundum gubernat,

Luc. 10. *2 Tim.* 2. *Phil.* 4. *Ioan.* 1. *Psal* 138. *Apoc.* 20.

&subtilissimæ rationes omnium quæ geruntur in mundo quæ nobis sunt impenetrabiles & inscrutabiles. Secundum illud Apostoli. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei*, &c. Et Dominus ad Iob. *Nunquid nosti ordinem cœli? vt ponas rationem eius in terra?* Id est nosti modum & artem diuinæ prouidentiæ, vt possis ex ea dare rationem eorum, quæ fiunt in terra? In hoc quoque leguntur nomina prædestinatorum, & imperscrutabilis illa abyssus diuinæ prædestinationis. Fœlices illi qui in hoc libro scribi, non dico, meruerunt, sed acceperunt: non enim ex meritis est illa prædestinationis conscriptio, sed ex pura gratia, & dono Dei, quæ prima & maxima est omnium gratiarum: non enim quia Deus præuidit sanctitatem & meritum, ideo elegit, vt ipsa præuisio meritorum ratio sit prædestinationis & electionis, sed è contrario quia Deus prædestinauit & elegit, ideo sancti erunt & boni. Teste Apostolo ad Ephes. *qui elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati coram eo.* Augustinus, *non quia futuri eramus sancti, ideo elegit, sed quia elegit vt essemus sancti.* Electio causa est sanctitatis, non sanctitas electionis. Non in nobis, sed in Deo, non in merito, sed in gratia, primum fundamentum & origo est nostræ salutis. *Quia quos prædestinauit hos vocauit, hos iustificauit, hos magnificauit.* Bernard. *catena ista indissolubilis est, non valet eam infringere totus mundus, neque totus infernus, quia qui ab æterno scriptus est in libro vitæ, proculdubio nõ delebitur in æternum.* Et quamuis Psalm. dicat, *deleantur de libro viuentium*, deletio ista intelligenda est secundum præsentem Dei iustitiam aut priuatiue: sicut Deus dicitur odisse quos non amat, excæcare quos non illuminat, indurare quos non emollit, sic quoque dicitur radere quos non scripsit. Vnde quod sequitur expositio est, scilicet, *& cum iustis non scribantur*, id est deleantur priuatiue non positiue; id est non scribantur. Hæc prædestinatio rarissime reuelatur, nescit homo an odio vel amore dignus sit, sed Apostolis fuit aperta. In hoc lib. sicut diximus nullus mortalium leget, aut tarsimus, sed soli Angeli. Legit ad modicum in eo Paulus in raptu, & descendit expauescens. *Audiui* (inquit) *arcana verba*, &c. Non sufficit intellectus, nec lingua ad explicandum ea. Legebat & in eo ad modicum in cœna ille discipulus dilectus domini, & ex illa lectione in illud mirabile principium erupit. *In principio erat verbum*, &c. Liber iste primæ classis discipulorum est, sed diuina prouidentia paruulis suis prouidit de alio libro, rudimenta continenti & elementa prima, in quo legeret, mundo scilicet isto sensibili, qui dicitur liber naturæ, in quo discerent literas vt eunque coniungere & efferre, & ratiocinando, & syllogizando, vt paruuli ex istorum sensibilium cognitione ad sapientiam intelligibilium peruenirent. Sicut Apostolus ait. *Inuisibilia Dei*, &c. non sic à creatura cœli quæ legit in libro vitæ. Vnde Bernard. optime comparat mundum istum visibilem libro cõmuni catenæ appenso, qui solet esse in claustris ecclesiarum, ad hoc, vt omnes qui voluerint legant in eo: sic iste mundus omnibus gentibus, & nationibus & populis obiectus est ad legendum, vt legant in eo sapientiam, potentiam, bonitatem, magnitudinem, pulchritudinem, æternitatem, perfectionem artificis, & vt dominum agnoscant, & adorent, & hoc quamdu durauerit hæc schola puerorum, de qua Paulus. *Cum eram paruulus, sapiebam vt paruulus. Nam veniet tempus, quando cœlum plicabitur sicut liber, & nullus iam in eo leget.* Non quod plicandi sunt cœli sicut liber, sed quia tunc nullus leget in eo, idco plicari dicitur: nam damnatis non dabitur locus, beati vero assumentur ad librum maiorem, scilicet vitæ & erunt omnes dociles Dei. Vnde August. *Non erunt tunc volubiles cogitationes nostræ, & quasi ex vno in aliud redeuntes, sed vnico intuitu omnia videbimus, non iam Deum, in creaturis, sed omnes creaturas in verbo.* Interim fœlix, qui istum libellum elementarium legere nouit: non despiciamus eum quia pulcher est, & magnus, sapientia lucet in eo: O quam mirus & quam pulcher: quos characteres habet tam pulchros: solem, lunam, stellas, cœlum,

Rom. 11. Iob 28. Ephe. 1. Rom. 8. Psal. 68. Ibidem. Eccles. 9. 2. Cor. 12. Ioan. 21. Ioan. 1. Rom. 1. 2. Cor. 13. Apoc. 6. Ioan. 6.

sunt, terram, maria, & differentias animalium, & auium, & arborum, & florum. Sed nos quasi paruuli, attoniti admiramur pulchritudinẽ characterum, & nescimus legere neque intelligere: sicut paruuli, & sicut rustici, videntes descriptiones pulchras in ecclesia. O si intelligeremus, ò si legeremus, ò si creaturas penetraremus, sicut iusti & sancti: quem gustum, quam sapientiã intra corticem inueniremus: quam magna Theologia & Philosophia latet in his rebus, si eas intelligeremus? Vnde Psal. *cœli enarrant*, &c. Vnde sicut ait Bern. & Chrysost. Mundus iste non solum in vsum & in ministerium, sed & in doctrinam, & in magisterium datus est: nos autem vsum quærimus, de magisterio nõ curamus. Quæso quid nobis seruiunt serpentes, dracones, aspides, crocodili, elephantes, leones, vrsi, lupi, vulpes, ciconiæ, grues, vespæ, culices, formicæ, pulices, & similia, quæ tamen omnia propter hominem facta sunt? Non seruiunt ad vsum, sed proficiunt ad magisterium. Vnde dominus. *Estote prudentes, sicut serpentes.* Et alibi, *respicite volatilia cœli.* Et Salomon, *piger vade ad formicam.* Et Iob, *interroga iumenta & docebunt te* Non est minor fructus in illis, quam in aliis, quæ seruiunt ad vsum, si ea intelligeremus. Quid namque formica vilius? sed si attendas agmẽ formicarum, & videas illam rempublicam ordinatissimam formicarum & apũ quam diligenter colligant, quo zelo in communi, quomodo se iuuant: magna philosophia reipubliæ & religionum in illis. Quid culice vilius, qui nos inquietat? sed si consideres illam mirabilem structuram, iunctura-mque pedum, totamque corpusculi compositionem, proboscidemque illam ceu elephantis hiantem & perforatam, & qui vix videtur habere oculos, & nouit ambulare, volare, & custodire se: & quã auiditate deglutit sanguinem humanum, & quod in illo operationes & sensus quos cœlum non habet, & prudentiam, & totum super debile fundamentum: si posueris digitum totus euanescit, quis non mirabitur sapientiam, & potentiam artificis, qui super tam debili fundamento talem fabricam composuit? Magna itaque sapientia, & philosophia in his rebus latet, sed nescimus eam, neque intelligimus, quia non rerum visibilium significationes, & voces, vt rationales, sed solum vsum, vt iumenta quærimus & attendimus. Vnde miror, cur cum tot libros philosophiæ Aristoteles, Plato, Theophrastus, Plinius, Dioscorides, Auicenna, Galenus de rerum proprietatibus, & virtutibus herbarum, lapidum, & plantarum scripserit, de hac vero philosophia tam modicum scriptum sit. Vix inuenimus, qui hoc munus obierit in scribendo, vt doceret nos legere hunc libellum. In Iob vltimis capitulis ad Iob de hac mystica philosophia Deus mirabiliter loquitur de rhinocerote, de equo, de gallo, de accipitre, de aquila, de behemoth, quasi nobis aperiens modum ad philosophãdum de rebus: sed hoc longum esset modo prosequi, opus hoc non sermonum, sed longioris voluminis est, ideo transeo. Audiamus nunc de his libris Psalmistam mirabiliter personantem. *Cœli enarrant gloriam Dei*, &c. *Dies diei eructat verbum*, id est, Deus Angelo. Ecce primum librum, & primam scholam. *Et nox*, id est, creatura sensibilis, nocti, id est, homini mortali, *indicat scientiam*, ecce secundum librum & secundã schola. De hac prosequitur, *non sunt loquela*, &c. Omnibus loquuntur omnibus proponuntur gentibus & nationibus, ita vt sint inexcusabiles. *In sole posuit tabernaculum suum*, id est, imaginẽ suam, est enim sol quasi Dei simulachrum quoddam depictum: nam quod est sol corporibus, est Deus ipsi soli & rebus omnibus: vnus est, omnia viuificat, omnia generat, omnia sustentat, omnia penetrat lux eius & virtus. *A summo cœlo* vsque ad infimum accedente sole, omnia generantur, recedente omnia corrumpuntur: *neque est qui se abscondat à calore eius*: huiusmodi est Deus. Sed & incarnationis mysterium in eius cursu depictum est, *ipse tanquam sponsus procedens*

Simile.

Psal. 18.

Matt. 10. Marc. 6. Prou. 6. Iob. 12.

Iob 39.

Psal. 18.

Ibidem.

Rom. 1.

Psal. 18.

Ioan. 16.

cedens de thalamo suo exultauit: à summo cœlo egressio eius, &c. Quid similius verbo incarnato egresso de virgine? *exiui à patre & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad patrem.* Fecit circulum suum, & compleuit triginta tribus annis, operando salutem in medio terræ. De quo Psal. *benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Quam bene, quam luculenter loquutus est Psalm. De hac schola. Vide nunc tertium librum: & tertiam scholam. *Lex domini immaculata, conuertens animas*, &c. Hic est liber scripturæ: non enim sufficiebat homini ad vitam notitia naturalis, opus erat sapientia reuelata. Nam sicut Apostolus ait, *quod notum est Dei, manifestum est in illis*, scilicet creaturis, sapientia, magnitudo, bonitas, æternitas, sed non sic trinitas, non sic incarnatio, non redemptio, non misericordia, non iustitia, non bonorum remuneratio, non malorum punitio, non iudicium, non denique via virtutum, fides, spes, charitas, patientia, &c. quæ necessarium est nosse viatori. Deus ergo ex pietate, videns quia non sufficeret ille libellus addidit reuelationem, vt esset magister qui fuerat creator, & voluit scribi ad mundi eruditionem, dilatans & explicans scientiam illam naturalem per legem scriptam. Vnde Iacob. *Suscipite in mansuetudine insitum verbum*: nam quod creando inseruerat naturæ, hoc docendo magis explicite tradidit: quod per creaturas ingerit, hoc ipsum loquitur per scripturas. O quantum debitum, ò quam mira sapientia, ò quanta veneratione habenda non ex pectore Socratis, vel Platonis, sed ex illo fonte perenni, ex illaque abyssо diuinæ sapientiæ prodiit. Vnde qualis sit hæc sapientia attende. *Lex domini immaculata, conuertens animas testimonium domini fidele, sapientiam præstans parvulis: præceptum domini lucidum illuminans oculos*, &c. Nolo immorari singula explicando: sequitur, *desiderabilia super aurum, & dulciora super mel & fauum.* Alibi. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua: latabor ego super eloquia tua, ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud.* Mundanus & animalis homo, *non nouit quæ sunt spiritus Dei*, ideo non gustat, & quærit libros philosophorum, verba autem libri huius omni odio habet, quod est signum reprobationis in Euangelio. Si ex Deo essetis, agnosceretis loquelam meam, quia ego ex Deo exiui: vos ex patre diabolo estis, non potestis audire sermonem meum. De hoc libro figura in Ezechiele est, & Apocalyp. de libro scripto intus & foris, dulci in ore & in vtero amaro, in quo scriptæ lamentationes, carmen & væ. Clausus erat liber, & apertus est: beatus quem tu erudieris. Dominus dedit illis sensum, vt intelligerent scripturas: deuora, & prædica. Quia qui non optime callet scripturas, non debet assumere officium prædicandi: liber iste sacra scriptura, scriptus intus propter mysticos sensus, foris propter literalem: in literali sensu alii latent, quod non est in aliis libris: in ore dulcissimus, propter agnitionem Dei bonitatis, & misericordiæ: est namque sapientia iuxta nomen eius sapidissima: & in vtero amarus, quia qui addit scientiam addit laborem. Lætatur videns Dei clementiam, sed amaritudo grandis, videndo ingratitudinem contemptorum, mendaciam, vilipendium filiorum hominum. Non est qui gratificet, amet, gratias agat pro tantis donis, & recognoscat: suscipimus dona Dei, oblatrantes, & blasphemantes dantem dominum, in isto libro scriptæ sunt lamentationes, pœnitentia: carmen, gaudium beatorum: væ, damnatio malorum: luctus, cantus & planctus. Tota fere sacra scriptura ad hunc finem tendit, & ad hoc prætendit mouere peccatores & ad pœnitentiam, & ad hoc proponit hominibus gaudia cœli, & tormenta infernii. Hoc etiam nos in omnibus concionibus facere debemus, hęc vtilissima scientia, excitare peccatores, clamare, ostendere breuitatem vitæ, & finem eius, vt homines resipiscant ab hac cupiditate sæculi & phrenesi qua retinentur, & videant, & prouideant futura. *Vtinam saperent,*

Ioan. 16.
Psal. 73.
Psal. 64.
Psal. 18.
Rom. 1.
Iacob. 1.
Psal. 18.
Psal. 18.
Psal. 118.
1. Corinth. 2.
Ioan. 8.
Ezech. 2.
Apoc. 10.
Psal. 93.
Luc. 24.
Eccles. 1.

Deut. 32. *perent, & intelligerent, & nouissima prouiderent.* Sed ò magna Dei clementia, ò mira Dei prouidentia: agnouit dominus rusticitatem & hebetudinem nostrã, & ruditatem, & quod non possumus neque eius dicta intelligere, & sapientiam reuelatam capere quia paruuli sumus: vnde motus pietate, quæcunque docuerat in libro naturæ, & in libro scripturæ theorice, practice nobis descripsit in alio libro exemplari, & ostensiuo & Ideali: more eorum, qui cum exprimunt aliquam formam domus, vt intelligatur, describunt, & formant eam in pergamena charta: & sic Geometræ circino depingunt in charta quod docent, vt videatur oculis quod aures non capiunt. Hic liber est verbum incarnatum, in quo nobis depicta est omnis vita spiritualis & Christiana, quæ in Euangelio & aliis libris traditur, vt in eo legamus charitatem, pœnitentiam, humilitatem, mansuetudinem, castitatem, contemptum mundi, & cæteras virtutes. Hic est liber iustorum, hoc respiciunt, hoc Enchiridion semper in manibus & Iob. 33. præ oculis habent. De quo Iob. *Quis mihi tribuat auditorem, & librum scribat, ipse qui iudicat,* id est, in seipso iudex scientiam vitæ quam iubet scribat, per singulos gradus meos pronunciabo illum: siue negotians, semper præ oculis habebo exemplar istud, & quali principio offeram eum. Erit mihi liber ad legendum, & sacrificium ad offerendum. Scriba huius libri Deus, calamus spiritus sanctus, vterus virginalis pergamena charta, attramentum sanguis purissimus eius. In eius vtero scriptus, compaginatus, compositus est hic liber: ex illius sanguinibus formatus est ille sacratissimus character verbi diuini. De Psal. 44. hoc Psalm. *Eructauit cor meum verbum bonum*, sed Angelis: & placuit scribere illud pro mortalibus, vt in vno eodemque libro Angelus & homo legeret. Sic Simile. solemus nos conceptus nostros inuisibiles ad memoriam & ad eruditionem aliorum, literis formare, & in literis effigiare, & quasi in vasculis reponere seruandos. Sed quomodo scriptus sit, at- Ibidem. tende. *Lingua mea calamus scriba facta* Matth. 16. *est velociter scribentis.* Quæ est ista lingua? attende. *Non estis vos qui loquimini, sed spiritus sanctus qui loquitur in vobis.* Et in symbolo. *Et in spiritum sanctum dominum, qui locutus est per prophetas* Hæc lingua factus est calamus, effigians & formans in vtero virginis. *Spiritus sanctus superueniet in te.* Luc. 1. *Velociter scribentis*, & quam velociter scribentis, quam velociter? in vno instanti formatum est corpus, & organizatum, animatum, plenum gratia & sapientia, & gloria, sicut modo in cœlo nescit tarda molimina spiritus sancti gratia. O præclaram scripturam, ò pulcherrimum characterem, in quo tale latet verbum æternum. O scriptum egregium, quod modo omnibus mortalibus proponitur ad legendũ, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi. Hæc scriptura tam pulchra, quæ & qualis sit sequitur *Speciosus forma, diffusa est gratia*, &c. Hæc Col. 2. (inquam) scriptura tam pulchra, in Psal. 44. quo libro, in qua papyro scripta est? vtique in pergameno virgineo purissimo, sine nota & næuo peccati. Vnde bene & apte in themate dici potest, *liber generationis Iesu Christi.* Optima comparatio, duas optimas comparationes legis de virgine in scriptura, vnam qua comparatur velleri, Psalmus. *descendet sicut pluuia in vellus*: quam exponit Hieronymus. *Quoniam vellus* Psal. 71. *de carne ortum non habet viuæ carnis.* Et Hier. in sermone de Assumpt. *sic virgo, licet carnea sit, sic tamen carnea quasi argentea, sine omni macula &* Virgin. si modo. *concupiscentia.* In hoc vellere silenter se infudit ros ille Dei, id est, verbum Hiero. est illud ipsum æternum, *dum medium silentium tenerent omnia.* Eam totam perfudit spiritus sanctus, purpura excellenti tinxit, Sap. 18. vt ex illa fieret purpura regis carnis Christi sacratissima. Bona comparatio, sed non inferior ista, qui comparatur pergamenæ chartæ puriſſimæ: in qua & de qua scriptum est verbum æternum. Vnde de illa exponi potest figura illa de tiara Pontificis, quæ super omnia ornamẽta ponebatur in frõte Pontificis

Exod. 18. & infra. tificis ex auro purissimo, in qua sculptũ erat, sanctum domini. Hæc virgo tota aurea, tota diuina, super omnia vestimenta super duodecim lapides, super tunicam talarem, & rationale, & humerale in fronte Pontificis, super omnes Apostolos, Martyres, Doctores, Patriarchas, Prophetas, per vestes illas, designatos, locatur: sicut ipsa ait. *Ego in omni gente, & in omni populo primatum tenui.* In quo opere cellario spiritus sancti, sanctum illud domini sculptum est, de quo Angelus. *Quod in ea natum est, de spiritu sancto est.* Ac propterea merito omnibus sanctis præponitur. O mirabilis fœmina, in cuius vtero formatum est verbum, quod sine tempore æternaliter in sinu patris tenebatur occultum, huius virginis diem natalem colimus, ò cum quanto gaudio & reuerentia tantæ reginæ natalitium diem celebrare debemus, per quam omnes renati sumus ad æternam fœlicitatem. De hoc libro satis. restat nunc quintus liber, scilicet conscientiæ, de quo in Apocalypsi dicitur. Aperientur libri, & *aperietur liber qui est vitæ, & iudicabuntur mortui.* Hic liber rationum est, ideo ex libro Domini, & illo iudicabuntur in hoc libro omnia quæ gessimus & cogitationes, & desideria, & verba, & opera scripta apparebunt. Sunt modo quasi obliterata, attamen tunc apparebunt: sicut in papyro scripta, quibusdam succis malorum medicorum non apparent characteres literarum, sed ad ignem positi tota apparet scriptura: sic in illo igne omnia monstrabuntur abscondita tenebrarum, & *manifestabuntur consilia cordium*, quæ modo oblitetata sunt. Vnde Bernardus loquens de conscientia, ait. *Membrana subtilis est, & attramento imbibita vsui non potest quicquid in ea scriptum est, etsi non appareat modo scriptura illa.* O cum quanta circumspectione debemus videre quid cogitamus, quid volumus, quid concupiscimus, quid scribimus scientes, quia non prætereunt non obliterantur. Danielis, *iudicium sedit, & libri aperti sunt*: væ illis, qui cum turpibus illis formis & simulachris & lituris apparebunt coram tanta multitudine: ò quomodo confundentur. Curemus itaque bonam habere scripturam conscientiæ, vt cum apparuerit liber vitæ, ex hac schola puerorum transferri mereamur ad scholam Angelorum, & cum illis legere Dei sapientiam in gloria. Ad quam nos perducat Iesus Christus. Amen.

Ecclesi. 24.

Matth. 1.

Apoc. 20.

1. *Cor. 4.*

1. *Cor. 4.*

Dan. 7.

Deo gratias.

CONCIO ALTERA AD Moniales virgines.

In Natiuitate Virginis Mariæ. De qua natus est Iesus. Matth 1.

Simile. SOlent regii historici in suis Chronicis ante omnia Principis describere genus, progenitorum antiquitatem, nobilitatẽ, potentiam: & non absre; videtur enim communiter sensui nonnihil facere ad Principis gloriam, antiqua parentum nobilitas: quasi iam nihil fœdum aut turpe sperandum sit ab eo, cui ab antiquo tam natiua, & tam ingenita nobilitas est. Hoc nunc facit Euangelista Matthæus. Scripturus namque regis regum, Iesu Christi historiam, mores, actus, & opera à progenitorum illius nobilitate & antiquitate sumpsit exordium, dicens. *Liber generationis Iesu Christi, filii Dauid, filii Abraham*, &c. Vt videlicet ex hoc appareat, quam nobilis secundum carnem extiterit, qui secundum diuinitatem suum genus ducit ex Deo. Neque mirandum hoc in Euangelista, cum per omnes canonicas historias tam sedulo id agatur. Fuit enim hoc maximæ curæ spiritui sancto in scripturis sacris, ab initio sæculi futuri Messiæ genus describere, lineamque generationis eius vsque ad ipsum non interruptam protrahere, omnibus aliis lineis intactis penitus, aut relictis. Itaque in Genesis libro ab Adam vsque ad Noe, & rursus à Noe, vsque ad Abraham, Isaac, & Iacob lineam protrahit: In libro Exodi, & aliis quatuor lega-

Apoc. 7.

Gen. 5. & Gen. 10. & 11. 11. & 12. Exod. 1. & inf.

Iosue, Iudicum, Ruth, libri Reg. & Paralipom. legalibus, in Iosue, Iudicum, & Ruth vsque ad Dauid: in libris Regum, & Paralipomenon, à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis generationem ducit, quam ad modicum prosequutus

Esdr. lib. 1. c. 1. & 2. est Esdras scriba: à transmigrationis autem loco vsque ad Christum per quatercentum circiter annos Christi genealogia in libro alio Canonico non reperitur, præterquam in Matthæo, qui spiritu sancto afflatus eam ex Hebræorum annalibus verissime collegit. Vnde obsecro tanta solicitudo, aut quænam tãta cura sacris scriptoribus vtriusque testamenti, de Christi genere memorando enarrandoque? Nunquid Christus parentum gloria illustratur? aut putandum est, humano sensu scriptores istos à nobilitate generis & antiquitate, Christum illustrare voluisse? Sed contradicit ipsemet in Euangelio, cum ait. *Ego ab*

Ioan. 5. *homine claritatem non accipio*: non accipio (inquam) sed præsto. *Clarifica me*

Ioan. 17. *pater apud temetipsum, nam apud homines non curo*: claritate quam habui priusquam mundus fieret, nam mundialis claritas me non tangit. A te (inquam) solo clarificari me confiteor, in hominibus autem, aut de hominibus non glorior. Non enim mihi ex hoc gloria quod filius sum Dauid, sed è conuerso ipsi Dauid gloria, quod ex ipso sum ego. Si de genere gloriari libeat, filius Dei sum:

Apoc. 22. merito possum gloriari, filius Dei sum. Nunquid in hominibus gloriabor? *Ego*, inquit, *sum radix, & genus Dauid*. A me, non ab ipso genus denominatur, illustratur, nobilitaturque: non enim in hac genealogia sicut in cæteris, à parentibus gloria descendit, sed ascendit: progenitores illustrantur à filio non è contra. Vniuersa generis nobilitas, & gloria hæc est, quod ex illo Christus originem ducit, & filius Dei carnem assumpsit. Quantum in hoc gloriatus est Abraham, qui omnium laborum suorum, & asperrimæ peregrinationis, & exilii sui, hanc vnicam repromissionem in præmium primus gratanter accepit, abundantem existimans sibi à Deo laborum suorum retributionẽ, quod ex ipso Christus nasceretur, & in semine suo omnes gentes benedictionem acciperẽt. Quid dicam de ipso Dauid? quam gloriabundus in Psal. personat, dicens. *Iurauit dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum. de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*; plus in genere isto, quam in regni diademate glorians. Atque vt firmum sit promissum, Deum obtestans & deprecans, ait. *Propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui* Ac si diceret, non obsecto piissime Deus, nõ euacuent peccata Dauid promissionem tuam, quam pollicitus es illi: sed sicut illi iurasti, ita adimpleas in veritate tua. Hoc est quod dominus commonere voluit legis peritos, quando eos de genere Christi requirens, ait. *Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? Dicunt ei, Dauid*. Et ille. *Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum dominum, dicens. Dixit dominus domino meo, si filius eius est?* Ac si diceret. O cæci, agnoscite quia & filius, tamen dominus est, & non Christi gloria in Dauid, sed è conuerso Dauid gloria in Christo est. Ab vltimo igitur non à primo, in hac genealogia nobilitas ducitur. Non ergo hac ratione genealogia connectitur, vt ex progenitoribus Christus illustretur. Nam & apud seculares, si quis rex à communibus parentibus in regnum conscendit, non rex de genere, sed totum genus de rege gloriatur, ita omnino in hac Christi genealogia existimandum esse censuerim. Est etiam aliud, propter quod non vulgari sensu generis ista descriptio æstimanda est, quod in omnibus de quibus gentes gloriantur, nihil inanius, nihil futilius, quam genus. Quænam obsecro in parentibus gloria, aut in quo generis ista gloriatio fundamentum solidum habere poterit? Quod si fundamento caret, inanis vtique est Quæramus ergo illa radicitus, & æquo animo ferre me altius hæc repetentem. Si enim in hominibus esset sicut in aliis naturis, verbi gratia, in plantis, in animalibus, in arbustis, in quibus eiusdem generis grandis varietas, & nimia multiplicitas est, vt in pomis, in pyris, in persicis: nam etsi omnia

Gen. 22.

Psal. 131.

Ibidem.

Matth. 22.

Psal. 109.

Simile.

poma sunt, est tamen vnum pomorum genus alio præstantius, odore, decore, sapore, naturaliq; valore. Similiter in animalibus, vt in equis, leonibus, & canibus, grãdis est à natura varietas: quosdam enim equos militares, alios cursores, alios onerarios, natura produxit. Et canum tam nota est omnibus varietas, vt probatione non indigeat. Poterit igitur equus ad sui generis equum comparatus, leo ad leonem, canis ad canem, *merito gloriari, illiq; præferri*: quoniam habet à natura vnde glorietur & præstet: sed homo ad hominem comparatus ex stirpe quomodo gloriabitur? aut quænam est ista generis tam inanis ambitio? Est non humana natura vna & simplex, in omnibus æqualis, nullam habens in se generis neque perfectionis varietatẽ. Neque enim distantes nos natura produxit, sed ingenium, doctrina, mores, dignitas, gradus diuersos in eodem hominum genere facit: vanitas autem fecit in simplicissima hominũ natura generum varietatem. Dic mihi obsecro, quid habent isti præ aliis? aut in quo isti præstant aliis? Non ægrotant, non famescunt, non sitiunt, non frigent, nõ occumbunt sicut alii, non patiuntur, quæ alii, non deficiunt, & lassantur sicut alii, nunquid sunt hi alterius modi, aut sortis, quam alii homines? At robustiores, grandiores, pulchriores, saniores, acutiores sunt, inquis: neq; hoc ita est. Videmus enim in his vulgares homines sæpius nobiles anteire. Neque si ita esset, adhuc generis esset ista diuersitas, sed conditionis: accidentia enim sunt hæc, non proprietates. Nunquid non ex iisdem parentibus videmus filios prodire, corpore, & specie dissimiles? viribus & ingenio distantes? & tamen non põt esse generis diuersitas: vbi iidem parentes sunt. Quid? si in corporibus humanis esset tanta varietas, quanta est in canibus, adhuc homini nõ esset inde gloriandum, cum eius potissima portio animus sit, animatum autem omniũ vnus est plasmator Deus. Vnde igitur intumescis homo? vnde glorieris? Iccirco enim (vt existimo) Deus hominum naturam vnam, imo vniformissimam fecit: neque in hominibus, vt in Angelis, varias species multiplicauit, vt non haberet homo vnde à natura super homi- *S. Tho. 1. p.*
nem superbiret, præuoscens hominum arrogantiam & superbiam. Bone Deus, quis sustineret hominum ambitionem, si in eorum natura huiusmodi reperiretur diuersitas? Ecce modo cum æquales nos natura produxerit, homo hominẽ, non quasi hominem, sed quasi pecudem reputat, atque pessundat: quid tunc facturum existimas? Profecto & colloqui inferioribus illustriores despicerent, nec eorum consortio dignarentur. Atque vt magis, atque magis concordiæ & pacis Deus homines admoneret, non solum eos natura puros condidit, sed etiam ab vno homine omnes, velut ab vno trunco, traduxit & propagauit, & ab vno vtero deriuauit, vt dum se germanos esse *De quo gloriãdum nobis sit.*
conspiciunt, & se charius amplectantur, & se mutuo nõ contemnant. Ostendam tibi ò homo genus de quo merito glorieris, non vtique in carne & sanguine: 1. *Cor.* 15.
quoniam caro & sanguis, & qui in eis gloriantur, regnum Dei non possidebũt: sed gloriare, quia potestatem dedit tibi Deus filium Dei fieri, si credideris in no- *Ioan.* 1.
mine eius, ipsius enim genus sumus, sicut ait Apostolus. Attendite de hoc Ioannem in Epistola gloriantem. *Videte fra-* *Act.* 17. 1. *Ioan.* 3.
tres, qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filii Dei nominemur & simus: magnam vtique Dei charitatem, grandem quoque hominis sublimitatem habet. Hęc gloriatio vera, quæ secundum spiritum est: *nam omnis caro fœnum.* Vnde *Isai.* 40.
si huius, de qua prædiximus, generis gloriatio, in secularibus derisibilis est: quid in vobis virgines Deo dicatæ decendum est? quæ carnem vestram cum *Gal.* 5.
Christo crucifixistis, & veterem hominem cum actibus suis, vt Christum indueremini, spoliastis? Sponsæ Christi e- *Col.* 3.
stis, quid in hominibus gloriamini? Filię 2. *Cor.* 2.
Dei estis, nolite in carnis parentibus gloriari. In hoc vos ad inuicem zelate, quænam huic sponso charior, quænam familiarior, quænam gratior existat: quæ humilior, quæ obedientior illi sit,

cui

cui magis secreta committat, cui loquatur amplius, & familiarius reuelet in mysteria. Pro huiusmodi igitur si vultis gloriemini, pro vobis autem nihil. Sicut per Apostolum scriptum est. *Qui gloriatur in domino glorietur.* Sed iam ad propositum redeamus.

1. Cor. 10.

Ostendimus (ni fallor) satis aperte, non vulgari sensu, in principio Euangelii saluatoris genealogiam recitari, atque in libris sacris describi, quasi more sæcularium Christus in progenitoribus illustretur: hoc enim ipsa literæ series ostendit. Cum enim in hoc genere saluatoris tot illustres matronæ, & sanctissimæ fœminæ extiterint, Euangelista solas eas commemorat (vt Hieronymus inquit) quas scriptura reprehendit, quas consulto præterire debuerat, si de hac generis nobilitate curam habuisset: nihil enim ita genus obscurat, sicut infamis fœmina. Altiori ergo consilio id fieri putandum est, propter tria, scilicet propter veritatem Dei, propter fidem nostram, propter virginis gloriam.

Causa cur re prehensibiles fœminæ in Christi genealogia ponantur

Rom 15. 1. Propter veritatem Dei: vt appareat Deum implesse promissum, sicut iurauit patribus ex semine illorum descendere Christum. Quam fidem virgo magnificat in cantico, dicens. *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in sæcula.* Propter fidem nostram, vt constet Iesum, quem nos Messiam profitemur, ex Abraham & Dauid semine generatum, sicut in prophetis olim fuerat prophetatum, vt non insultet nobis Iudæus, & opponat, vt olim quod à Galilæa propheta non surrexit: & sicut Nathanael doctus in lege pronunciauit, antequam veritatem agnosceret, *à Nazareth potest aliquid boni esse? Potest vtique, veni & vide.* Veni Nathanael, lege Matthæi Euangelium, & vide quia non à Nazareth, sed à Bethlehem oriundus Christus, quem dicimus, ex Patriarcharum semine duxit originem. Lege genealogiam, & intelliges propheriam.

Luc 1.

2. Ioan. 1.

Ioan. 1.

3. Tertio propter virginem, quam pius filius non solum apud Angelos, sed etiam apud homines voluit esse illustrem. Ideoque licet pauperem & humilem matrem elegerit Deus, sed tamen genere illustrissimam, nobilissimam, generosissimamque multo amplius secundum carnem, quam sit modo quæcunque illustris fœmina: namque ab antiquo, multis sęculis, longa progenie, à Patriarchis, & Regibus, & sacerdotibus originem traxit. Recense nunc in toto orbe, quæ nam sit, quæ tot Regibus, & Principibus polleat in origine. Nobilissima igitur fuit virgo Maria secundum progeniem, & illustrissima, qualem decuit esse matrem Dei futuram: neque enim decuit rusticam esse, aut vulgarem, ne aliqua obscuritatis & ignobilitatis nota redundaret in filium. Nam etsi in hominibus non sit illa generum varietas, quam excluſimus, nonnihil tamen à bonis parentibus filii per generationem accipiunt: à bonis enim parentibus bonos nasci filios, id est, bene inclinatos, vt in pluribus videmus. Nam sicut colorem, & figuram, & habitus, & motus, ægritudinesque varias, filii ex parentibus per generationem mutuantur, ita etiam mores, inclinationes, passionesque animæ ab eisdem traducunt. Ab iracundis enim parentibus, iracundos filios, & ex mitibus mites, & ex ingeniosis ingeniosos, & ex rusticis rusticos, vt plurimum nasci videmus. Itaque si homini gloriandum est, non in progenitorum potentia, vel statu, sed in eorum virtute & probitate potius gloriandum: quorum oppositum in sæculo videmus. Decuit itaque eum qui rex & sacerdos futurus erat in populo Dei, ex regibus, & sacerdotibus originem ducere: vt etiam secundum carnem, regnum & sacerdotium non vsurpatum videretur, sed ei iure optimo conueniret. Neque te moueat quia non ad virginem, sed ad Ioseph genealogia deducta sit. Seruatus est enim scripturarum mos ab Euangelista, in quibus non per fœminas, sed per viros genealogia deducitur: & quia cognati erant virgo & Ioseph, deducto genere ad Ioseph, deducitur ad virgi-

Simile.

nem. Hæc autem cognatio illo tempore nota erat omnibus, qui apud Iudæam fidem Christi susceperunt, ideo eam Euangelista conticuit. Sed, vt inquit Eusebius in ecclesiastica historia, ab ipsis qui de domini stirpe erant, quos tunc dominicos appellabant satis aperte omnibus denuntiabatur: quam Damascenus in quarto libro breuiter percurrit.

Ad vos ò virgines nunc nostra conuertatur oratio, vos (inquam) obsecro & obtestor imitaminivirg nes virginem: nobiles nobilem: imitamini (inquam) vestræ professionis vnicam fundatricem: huius enim vitæ & professionis quam tenetis, institutrix & fundatrix ipsa est. Hæc enim prima docuit inter homines cœlibatum, hęc vitam angelicam in carne adinuenit: huius exemplo tam numerosa virginum multitudo candidata resplendet. Ante hanc in lege virginitas perpetua probro dabatur: lex enim sterilem maledicit. Vnde & filia Iepte virginitatem suam ante mortem longe defluit, lamenta a est virginitatem suam moritura, id est, quia virgo & sine fructu moreretur. O virgo beatissima, talia exempla tibi lex antiqua præbuerat: vnde didicisti, vbi legisti virginalem Deo esse placitam puritatem, vt prima omnium voto tuam Deo sacraueris pudicitiam? Neque solummodo sine exemplo virginitatem elegisti, sed etiam eam voto firmasti: & ita firmasti, vt non prius Angelo conceptum altissimi nuntianti assensum præbueris, quam de seruanda virginitate ab illo rationẽ acceperis. Hoc autem vestrum sacrum collegium præ omnibus in Hispania hanc sacram virginem æmulatur: quippe quia non solum virgines vt aliæ, sed etiam omnes nobiles estis, quemadmodum ipsa nobilissima virgo fuit. Si ergo virginitatem sequimini, imitamini quoque humilitatem. Nulla in vobis nobilior, nulla illustrior genere est hac virgine, & tamen quantæ humilitatis fuerit attendite. Ecce virgo regia, domina mundi, mater Dei, non dedignatur sancto fabro seruire, parare cibum & mensam, & quasi vir o in omnibus obedire, qui tamen in virginali matrimonio maritus erat: non igitur vos dedignemini alterutrum seruire. Quæ nobilior in vobis est, ipsa sit humilior, nobilitatemque suam humilitate demonstret. Nulla enim maior nobilitas est quam seruire Christo. Si igitur, præ cæteris similiores estis, ita præ cæteris vos exhibete alacriores. Huius enim virginis hodie natalitia celebramus, illius natalitio debitum honorem rependimus. Hodie enim velut placidus lucifer in medio caligiuis, tenebrosa nocte repente mundo apparuit. Lætantur Angeli, festiuumq; virgini carmen exoluunt: tripudiant, quia salus mundi iam inflat, iamque nascentia primordia vident, quibus instauranda ciuitas sua est. O quanta lætitia, quale gaudium in cœlestibus agitur. Virga enim illa de radice Iesse, in sanctis patribus tam longe prius seminata, hodie pullulat exoriturque: de qua flos nasciturus, quo medicandus est orbis, flos cuius odore reuiuiscunt mortui: cuius sapore curantur ægroti: cuius decore lætantur Angeli: flos candidus & rubicundus, *in quem desiderant Angeli prospicere.* Lætare ò pater Adam, sed magis tu Eua mater exulta, qui sicut omnium parentes, ita omnium fuisti peremptores, & quod infelicius est, prius peremptores, quam progenitores: amboigitur consolamini super filia, & tali filia. Quid dicebas ò Adam? *Mulier quam dedisti mihi dedit mihi de ligno, & comedi.* Ecce redit tibi hodie fœmina pro fœmina, prudens pro fatua, humilis pro superba: quæ pro ligno mortis, gustum tibi porrigat vitæ & pro venenoso cibo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni. O admirandam & omni honore dignissimam virginem, ò fœminam singulariter venerandam, super omnes fœminas admirabilem, parentum reparatricem, posterûm viuificatricem, vt Bernar. ait. Huius igitur sacræ sobolis pedibus prouoluti, quan ibus animis preces fundamus, cordisque tripudio iubilemus. Sub eius nos protectione subdamus, viua voce clamantes.

Quæ virginitatis initium fecerit.

Exod. 13.

Iudic. 11.

Luc. 1.

Isai. 11.

1. *Pet.* 3.

Gene 3.

Eia

Eia ergo aduocata nostra, domina nostra lætitia nostra, *eia ergo, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte, & Iesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende.* Ipsum inquirimus, ipsum anhelamus, ad ipsum properamus, illum toto cordis ardore concupiscimus. Tu virgo nos dirige, tu nos ad ipsum deducito, tu quo regnat nos perducito, tu ipsum nobis ostende gloria & honore coronatum, Angelis stipatum, in dextera patris altissimo throno sedentem, cum ipso regnantem, totumque orbem cum ipso moderantem. Sed ad euangelicam historiam reuertamur.

Ratio quare breuiter ponatur vita B. V. Mar. in scriptura.

Cogitanti mihi ac diu hæsitanti, quid causæ sit quod cum Euangelistæ de Ioãne Baptista, & aliis Apostolis tam longum fecere tractatum, de virgine Maria, quæ vita & dignitate omnes antecedit, ita summatim percurrant historiam: cur (inquam) non traditum est memoriæ quomodo concepta, quomodo nata, quomodo nutrita, quibus moribus decorata, quibus virtutibus ornata, quid cum filio in humanis egerit, quomodo cum illo conuersata sit, quomodo post eius ascensionem cum Apostolis vixerit. Magna erant hæc, & memoratu digna, & quæ cum summa deuotione à fidelibus legerentur, à populis amplecterentur. O (inquam) ò Euangelistæ, quare nos tanto gaudio vestro silentio priuastis? Cur hæc tam læta, tam desiderata, tam iucunda conticuistis? Quis enim dubitat, quin in eius infantiuitate & pueritia mira multa contigerint? & puella hæc in teneris annis stupendum sæculis virtutum omnium monimentum extiterit? De his tamen omnibus nihil in canonicis libris expressum legimus, præter libellum quendam apocryphum, quem B. Hieronym. ex Hebræo transtulit: cuius (vt idem asserit) dubia fides est. Hæc (inquam) mihi hæsitanti, cur de actibus virginis, sicut de actibus Pauli non est compositus liber, nihil aliud occurrit (accusare enim Euangelistas negligentiæ, sicut impium, ita & temerarium iudico) quam ita placuisse spiritui sancto, eiusque prouidentiæ Euangelistas siluisse, propterea quia virginis *gloria* sicut in Psalm legitur *omnis intus erat*, & magis cogitari poterat quam describi: sufficitque ad eius plenam historiam quod scriptum est in themate quia *de illa natus est Iesus.* Quid amplius quæris? quid vltra requiris in virgine? Sufficit tibi quod mater Dei est. Quænam obsecro pulchritudo, quænam virtus, quæ perfectio, quæ gratia, quæ gloria matri Dei non congruit? Solue cogitationibus habenas, dilata intellectui fimbrias, & describe apud te in animo virginem quãdam purissimam, prudentissimam, pulcherrimam, deuotissimam, humillimã, mitissimam, omni gratia plenam, omni sanctitate pollentem, omnibus virtutibus ornatam, omnibus charismatibus decoratam, Deo gratissimam: quantum potes tantum auge, quantum vales tantum adde, maior est ista virgo, excellentior est hæc virgo, superior est virgo ista. Non eam spiritus sanctus literis descripsit, sed tibi eam animo depingendam reliquit, vt intelligas nihil illi gratiæ, aut perfectionis, aut gloriæ quã animus in pura creatura concipere possit, defuisse: imo reipsa intellectum omnem superasse. Vbi ergo totum erat, pars scribenda nõ fuit, ne putares quod scriptum non fuerat, eidem fortasse defuisse. Si ancillas suas, & ministras domus suæ, potentissimus dominus ita mirifice decorauit, ita donis & gratiis venustauit, qualem existimas condidit matrem suam, vnicam sponsam suam, quam sibi ex omnibus elegit, & præ omnibus adamauit? Audi prophetam, *Astitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circundata varietate. & filiæ Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. Adducentur Regi virgines, sed proximæ eius afferentur tibi in lætitia & exultatione.* Omnis (inquam) virginum candidatus chorus huius laudes concinit, omnes vultum eius deprecantur, & eam veluti Reginam venerantur & colunt: omnibus eam altissimus præposuit, non solum virginis, sed etiam Angelicis cho-

Psal. 44.

Psal. 44.

ris, quia mater eius est, & matrem Dei decet omnis celsitudo. Quicquid igitur de virgine scire, aut intelligere cupis totum in hoc claditur breuiloquio, de qua natus est Iesus: hæc longa & plenissima historia eius est. Anselmus. De virgine Maria solum dicere quod mater Dei est, superat totum quod sub Deo dici potest. Vnde beatus Thomas quandam ei dignitatis infinitatem attribuit, & merito: si enim quo altior est filius, dignior mater est, quis dubitat quin infiniti filii infinita quoque quodammodo sit matris authoritas dignitasque. Cuiuslibet enim ciuis matrem esse dignitatis est, equitis matrem esse maioris: Regis maioris: Angeli, si matrem habere posset maioris, Archangeli maioris, Seraphim multo maioris, filii Dei matrem esse, ita omnes has superat dignitate, sicut & Deus his omnibus maior est. O miram puellam sui creatoris mattem, ò stupendam dignitatem, vt fœmina habeat cum Deo communem filium, cui dicat vt pater, *filius meus es tu*; & sit puella mater eius, cuius Deus pater est. Sed filius ad dexteram patris sedet, mater ad dexteram filii, mutuoque communem filium beatis oculis medium conspiciunt. Videt pater in filio personam quam ab æterno genuit: videt mater in eo naturam humanam quam in suis visceribus assumpsit in tempore. Complacet pater in filio, gaudet mater in filio: ait pater filio, *ex vtero ante luciferum genui te*: ait mater eidem filio, ex vtero virgo genui te. Stupet de sua gloria, neque suam valet ipsa comprehendere celsitudinem; eo enim ipso quod mater creatoris effecta est, omnium creaturarum iure optimo domina, regina que constituta est. Vere *fecit* tibi *magna qui potens est* ò Maria: vere ex hoc quod matrem suam te constituit, *beatam te dicent omnes generationes* seculorum, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Fuit olim in principio nascentis ecclesiæ non mediocris hæsitatio de huius virginis nuncupatione, & hæresis: namque alii in Christo corpus non verum, sed phantasticum: alii corpus verum, sed non carneum, cœ'este tamen: alii corpus carneum, sed non de virgine sumptum: alii de virgine formatum, sed sine anima asserebant. Qui omnes & similes virgini matris Dei dignitatem auferebant; quos omnes hoc vnico verbo Euangelista conuincit. *De qua natus est Iesus.* Et Apostolus Paulus alio consimili, *factum* (inquit) *ex muliere.* Et benefactum, in ea namque spiritus sanctus ipsum non genuit, sed ex ea, vt artifex corpus eius effecit. Vnde non Christi pater, sed humanitatis eius conditor est. Exclusis igitur hæreticis, inter fideles adhuc discrepatio non modica erat, an propter veram & indubitatam generationem temporalem virgo mater Christi, an mater humanitatis Christi dicenda esset, an audendum quoque eam matrem Dei nominare: donec pleno concilio definitum est, eam plenis (vt dicitur) buccis, teothochon, id est matrem Dei ab omnibus fidelibus vere & sine scrupulo nominandam; atque vt veram Dei matrem ab omnibus venerandam. Quod nomen ex omnibus ipsa in lib. Ecclesiastici sibi delegerat, dicens: *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & magnitudinis, & sanctæ spei.* Ac si diceret, quid me aliis nominibus nuncupatis? hoc solo nomine dignor, hoc solo cupio nũcupari vocabulo, in meam laudem hæ solum præ aliis personent voces, in his mihi supra modum complacet verbis, de qua natus est Iesus. Nihil me ita delectat audire, quam cum dicitur mihi de qua natus est Iesus: & hoc verbum sæpius repliceiur in laudibus, sæpius iteretur in canticis, audi piissima, audi clementissima, *de qua natus Iesus.* Hoc est enim nomen super omne nomen puræ creaturæ, in quo nemo tecum participiat ò virgo. *Cui enim aliquando,* nõ dicam hominum, sed etiam *Angelorum dixit?* mater mea es tu, filius tuus sum ego. Ad Angelos quidem dicit, *qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem*; ad virginem autem, vnica *est columba mea, electa vna* est; quia *nec tibi similem visa es, neque habere sequentem.*

Vide. S. *Tho.* 3. *par. quæst.* 27. 28. 29. 30.

Hebr. 1. *Psal.* 109. & *Marc.* 26.

Psal. 106.

Luc. 1.

Error initio Ecclesiæ de B. virg.

Gal 4.

Eccles. 24.

Phi. 2.

Hebr. 1.

Cant. 6.

Nam

Matth. 7. Nam etsi omnis qui fecerit voluntatem patris mei, mater mea, & frater meus est; non tamen vt tu mater, quæ animo & corpore verbum domini concepisti, peperisti, lactasti, nutristi, & toto vitæ tuæ tempore illi matris officium impendisti. Hoc autem sicut summæ dignitatis, ita etiam perfectionis nomen est; summa enim humanæ creaturæ perfectio vitæ huius tota in amore Dei est; omnium autem amorum vitæ præsentis, nullus est tantus, quantus matres ad filium; solent enim matres etiam deformes filios tam ardenter amare, vt etiam seueræ matronæ, dum lactentibus in gremio infantibus garriunt, videantur sensum penitus amisisse præ amore. Quid non dicunt? quid non faciunt? aut quis scurra leuior est, quam mater ad infantulum? Siquidem diuina prouidentia, quæ operibus suis nunquam deest, matrum præcordiis naturalem hãc amoris inseruit vim, ne pignoribus teneris & difficilis educationis longi laboris tædio quid deesset ad vitam. Alias enim quis infantum molestias, vagitus, ægritudines, varias frequentesque immunditias, tamque assiduas molestias, & tam longas æquo animo tolerare posset? Neque solum hominibus, sed cæteris etiam animantibus huius amoris vis à naturæ conditore inserta est. Nonne gallinam vides pro suis pullis aquilam ferri? & mitissimam equam pro pullo suo equino in ferocissimam verti leænam? seque ipsam lupis animose obiicere pro filio? vitamque suam pro nihilo reputare & paruipendere, vt filium defendat, qui ab ipsa est? Mira res amoris, & quæ nisi cerneretur, penitus esset incredibilis. Si igitur, vt diximus, tanta est vis amoris matrum erga filios sibi cum viris communes, vt etiam deformes & inertes filios tam ardenter diligant: considerate virgines deuotæ quo amore materista diligit filium suum vnigenitum, & soligenitum, filium (inquam) tam speciosum, tam decorum, tam nobilem & potentem, tam generosum & gloriosum, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur, cuius decor & gloria angelicos etiam retundit obtutus: filium in *quem desiderant Angeli conspicere*, de quo apertissime nouerat, quia Deus & creator suus est? Dicite (inquã) quo ardore ardet, quando illum iam triennem, vel quadriennẽ coram se ludentem conspicit; sibiq; placido vultu arridentẽ, pioq; lepore applaudentem, alludentemq; videt; & in gremio suo pectoris sui lacte potatum, ac de sua substantia pastũ cernit? O cor virgineũ amoris igne succensum, ò sacra viscera velut cibanus candentia, & ardentia velut Seraphim; ò sacrũ pectus quo ardore intus inflammaris? ò tenerrimũ corpus, quomodo tanto calore non dirumperis? Quis tuos ò virgo cordis ardores, mẽtis excessus, digno sufficiat explanare eloquio, aut cõprehendere cogitatu? Nolite (inquit) *nolite me considerare quod fusca sim: quia decolorauit me sol.* Sol ille flagrantissimus intus & foris ita me totam irradiauit, vt fusca appareã præ calore, fusca sum fateor, sed formosa filiæ Hierusalem. *Ideo dilexit me rex.* Vnde Angelus huius flagrantissimi ardoris præscius ad virginẽ ait. *Spiritus S. superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Noli ergo timere filia Hierusalẽ, noli expauescere; nam spiritus S. aderit, & virtus altissimi obumbrabit tibi, vt tanti solis ardorem valeas sustinere: & qui alios solet illuminare, tibi obumbrabit, vt diuini luminis ardorem temperet & fulgorẽ Hoc itaq; matris honore sola virgo Gaudes, sola dotaris, tibi soli cum superno parẽte communis est filius, & quantum creaturæ fas est, similimus amor. amat Angelus, sed vt dominum; amat virgo, sed vt filium; ac proinde Angelus ab ipso redamatur, vt seruus, sed virgo redamatur vt mater; in vtroque beata, & quia sic amatur ab illo. Huius ergo tantę matris ortum dignissimũ recolamus; huic pleno cordis gaudio iubilemus; est enim vnde apud ipsam quodammodo glorietur, quia & nos illi tantæ celsitudinis aliqualiter occasio existimus; nisi enim fuisset peccati morbus, nõ tantus è cœlo medicus aduenisset. Vnde igitur nos effecti sumus rei, inde, sumpta occasione illa

Summa perfectio in quo cõsistat.

Amoris vis.

1. Pet. 1.

Cantic. 1.

Psal 86.

ne illa effecta est mater Dei; nisi enim peccasset homo, Deus factus non fuisset homo. Neque tamen propterea nobis aliquo teneris debito, quia id non factum est nostro merito sed potius demerito. Sed pro tua benignitate ò virgo, dum tuam celsitudinem inspicis, miseriæ nostræ recordabeteris; vere enim peccatorum eris aduocata, quæ propter peccata in tantam es celsitudinem sumpta. Vere enim etsi peccati nos multum pœnitet, tua tamen sublimitas ò virgo multum nobis placet, & peccati nostri damna hac gloria tua compensamus. Vnde & de hac virgine perpulchre Psalmus personat dicens. *Mater Sion dicet homo, & homo natus est, in ea, & ipse fundauit eam altissimus?* Mater (inquit) Sion dicit homo, quis homo? vtique homo propter quem factus est in ea homo, qui fundauit eam altissimus. Mater ergo Sion dicet vtus homo, dicet etiam altissimus homo, quia vtriusque hominis, Dei videlicet, & rei mater est. Denique attende quis mater Sion dicet homo. *Ecce* (inquit) *alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.* Mater ergo Sion dicet Æthiops homo; Æthiopes non abiicit virgo decora, sed amplectitur vt paruulos, diligit vt filios, si tamen faciant quod subiungitur. *Memor ero Raab, & Babylonis scientium me.* Sciant ergo ipsam matrem. Sion dicet homo, homo (inquam) Æthiops per quem altissimus factus est homo; etenim quia altissimi mater est, Æthiopis matrem nominari non dedignatur. Matrem ergo Sion dicet Æthiops homo, & fiet quod scriptum est. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te* Ibi lætabimur in ipsa, ibi gaudebimus cum ipsa, ibi nobis veram fuisse matrem experiemur, quando sublato nigrore Æthiopissæ cuncti in candorem mutabimur, & vti filii matris similitudinem induemus; erit hoc, quando simul apparebimus cum ipsa in gloria; ad quam nos filius eius ac proinde frater & dominus noster Iesus Christus perducere dignetur, qui cum patre, & spiritu sancto viuit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Ibid.

Ibid.

DE NATIVITATE VIRginis, Concio tertia;

Quo die supplicationes pro bello Turcico decernebantur.

THEMA.

Ab æterno ordinata sum. Prouer. 8.

NON videtur ad magnam virginis laudē pertinere quod dicitur in themate, hoc enim omnibus non modo sanctis, sed omnibus creaturis commune est: quicquid enim in tempore factum est, ab æterno in illo exemplari & prototypo, verbo diuino ordinatum est, & sicut ordinatum est ab æterno, sic ad extra in tempore formatum. Stellas cœli & guttas maris, & folia arboris, sicut ordinauerat, sic creauit; non enim quasi casu & ex improuiso mundum fecit, sed consilio æterno. Quid ergo magnum dicitur de virgine, *ab æterno ordinata sum?* Hoc ex dicendis magis patebit, sed pro nunc breuiter dicimus, quod licet in Dei electione non sit ordo temporis, quia omnia ab æterno sunt electa, est tamen ordo dignitatis, nam quidam electi sunt ad maiorem gradum, & dignitatem quam alii. Vnde virgo dicitur singulariter ordinata & electa, non quia sola, non quia prius fuit electa, sed quia electa est ad maximam & singularem dignitatem. Propter quod de illa canit ecclesia; *elegit eam Deus, & præelegit eam.* Vnde ad duo fuit electa; primo, vt sit mater Dei; secundo, vt sit mundo aduocata; de quibus dignitatibus in præsenti tractabimus. Electio Dei multum differt ab electione humana, vnde ipse ait. *Non sicut cogitationes vestræ cogitationes meæ, &c.* Differt in quatuor; Primo quia electio nostra (vt ait Aristoteles) regulatur consilio & prudentia est enim actus præconsiliati, sed electio Dei licet sit conformis rationi æternæ, non tamen regulatur diuina sapientia, quia ipsa est prima lex, neque habet rectitudinem

Isai 57.

Electionis Dei & humanæ differentia.

dinem formalem à lege æterna sicut in nobis; nam Dei voluntas in seipsa est recta, & summa rectitudo, & summa bonitas & licet omnia velit, vel agat conformiter ad suam sapientiam, sicut
Psal. 103. scriptum est, *omnia in sapientia fecisti domine*, non tamē sapientia regulatur, sed
Ps. 8. in seipsa recta est, sicut ait Psalm. *Iudicia Dei vera, iustificata in semetipsa.* Vnde propter hoc Apostolus ait, *operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.*
Eph. 1. Nos autem non sic, sed secundum voluntatem consilii nostri, id est, nostro cōsilio regulatam. Hæc est summa illa libertas diuinæ voluntatis, vt quicquid velit eo ipso quod ab ipsa volitum est, iustum sit & bonum. Vnde Deus non vult aliquid, quia bonum, sed ideo bonum quia volitum. Hæc secunda differentia, quia nos cum eligimus, attendimus perfectionem & sufficientiam rei quam eligimus, ad officiū, vel dignitatem: exemplum in duce & in episcopo: sed Deus non sic, sed eligendo facit illum idoneum & dignum, & capacem officii. Vnde non elegit electos, quia futuri erant boni, sed eligendo fecit bonos, sicut Apostolus ait. *Elegit nos*
Eph. 1. *ante mundi constitutionem, vt essemus sancti.* Augustin. *non quia futuri eramus sancti, sed vt essemus sancti coram eo*, &c.
3. Ex quo sequitur tertia differentia, quia electio Dei est infallibilis, non enim potest errare in eligendo inidoneum, quia
Psal. 77. eligendo facit idoneum quemcunque eligat. Vnde ipse elegit pastorem de post fœtantes ad regnum, & qualis rex erat fit? ipse elegit vellicantem sycomoros in prophetam, & factus est magnus propheta: ipse elegit piscatores ad mundi
Amos 7. subiectionem, & prædicationē & quam
Matth. 4. idoneos fecit eos. Vnde Apostolus, *idoneos nos fecit ministros noui testamenti,*
2. Cor. 3. non quia idonei eramus elegit nos. Vnde dominus, *non vos me elegistis, sed ego*
Ioan. 15. *elegi vos. Ito: ecce ego mitto vos*, non aspiciatis quales sitis, sufficit quod ego elegi vos, ego mitto vos: hoc sufficit. Et quidem si ad vestram sufficientiam attendissem, non bona fuisset electio: sed ego eligendo non attendo sufficientiam,
4. sed præsto. Ex hoc patet quarta differentia, quod electio Dei est immutabilit, nostra autem est variabilis: *ego Deus,* *Mal. 3.*
& non mutor. Non est Deus, vt homo, *1. Reg. 15.*
vt pœniteat eligendo: propter quod electio eius ab æterno immutabilis, & inuariabilis permanet. Vnde illud quod ait de Saule, *pœnitet me quod elegerim eum in regem*, non quia pœnituit Deum, *1. Reg. 15.*
sed quia ad modum pœnitentis se habuit reiciendo ex regno. Ex istis colligitur, quod sicut Deus eligendo aliquem ad Apostolatum, vel prophetiam, facit dignum Apostolum, & idoneum prophetam: & sic eligendo virginem fecit eam idoneam matrem suam. Hæc enim est dignitas ad quam electa est, sicut Ioannes electus est vt sit præcursor: vnde & antequam conciperet filium Dei, iam idonea erat vt esset Mater Dei. Sed qualis est hæc dignitas? vtique habet quandam infinitatem esse matrem infiniti & omnipotentis. Quæ autem excellentia, quæ perfectio, quæ magnitudo decuit eam, vt esset idonea mater Dei? Hic iam sileat lingua carnis, excedit enim intellectum & loquelam, virginis magnitudo, non modo nostram, imo forte & suam. *Fecit* (inquit) *mihi magna qui potens est.* *Luc. 1.*
Sed quam magna? Nescio an ipsamet valuit comprehendere suam magnitudinem. Vnde melius eam silentio veneramur: sicut scriptum est, *tibi silentium,* *Psal. 46.*
laus secundum translationem Chaldaicam, vbi dicimus, *te decet hymnus Deus in Sion*: quia vere omnis laus silentium est: & cum finierit homo laudare, tunc incipit, imo nec locutus est. Propter quod sancti Euangelistæ de eius laudibus silent, quoniam ineffabilis est eius magnitudo: satis fuit de ea dicere, *de qua natus est Iesus.* Et in hodierno Euangelio Matth. vt hoc explicet, progeniem redemptoris exponit secundum carnem, dicens. *Liber generationis Iesu*
Christi, &c. Ioannes vero altius in eo *Matth. 1.*
genus agnoscens, à diuinis cœpit, dicens. *In principio erat verbum*, &c. Vt ex duobus Euangeliorum principiis, *Ioan. 1.*
Christus dominus verus filius Dei & Abraæ agnoscatur. In tota autē hodierno

Eligendo facit dignam & idoneam matrem suam.

Euangelio nihil aliud ſcribitur, niſi ſola genealogia ſaluatoris, concatenata &eodem filio traiecta. Vnde beatus Gregorius optime comparat hanc genealogiam hamo, exponens illud Iob, *num extrahere poteris Leuiatham hamo? Non domine non ſunt mihi tanta vires, non habeo brachium ita forte: vaſtior eſt piſcis Leuiatham quam vt hamo capiatur.* Cepit autem ipſum dominu hamo, dum ei eſcam manifeſtam humanitatis obiecit, ſub qua hamus diuinitatis latebat, quod ſuſpenſus eſt deglutiens eſcam. Huius tam mutabilis piſcationis brachium, potentia eſt, virga ſapientia Dei, ſeta genealogia, in cuius fine ponitur hamus *de qua natus eſt Ieſus.* Non eſt religio nouiter inuenta religio noſtra, antiquiſſimus eſt Chriſtianiſſimus ab initio mundi. Tolle ritus & ceremonias quæ cum tempore variantur, quoad ſubſtantialia & eſſentialia fidei, Chriſtianiſmus ab initio fuit. Magnus Chriſtianus Abraam, magnus Chriſtianus Moyſes, magnus Dauid, & omnes Patriarchæ & Prophetæ Chriſtiani fuerũt. Eundem enim Deum quem nos adoramus, adorabant, quod credimus, crediderunt: gloriam quam expectamus, ipſi expectarunt: iudicium, & reſurrectionem quam nos confitemur, confitebantur: & ipſis eadem præcepta moralia, iidem mores, eadem fides, eadem ſpes, eadem propoſita merces, idem affectus, eadem deſideria, idem cogitatus, eadem viuendi ratio, idem modus vitæ, adeo vt ſi videres Abraam, Moyſem, & Dauid, & Petrum, & Andream, &c. & Auguſtinum, & Hieronymum, vna eademque fide & vitæ ſerie, exceptis exterioribus, in eis iudicares: vnde recte Abraam pater fidei noſtræ vocatur. *Solum nomen decrat* (vt ait Euſebius in eccleſiaſtica hiſtoria) *& hoc non omnino, nam & ipſi Chriſtiani vocabantur, ſicut ſcriptum eſt, nolite tangere Chriſtos meos. Et ho quantum ad fidei agit firmitatem? Quomodo poteſt eſſe falſa fides tam antiqua, quæ cum ipſo hominum genere orta eſt?* Ita Euſebius. Sed ad te o virgo noſtra ſe conuertat oratio, cuius ſumma dignitas hæc eſt, quod de te natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus. Filii imitantur parentes vt plurimum, & parentes transfundunt in filios non ſolum proprietates, & paſſiones, & ægritudines corporales, figuram, colorem, formam, motus habitus, ſed & paſſiones animorum, mores, ingenia, vitia & virtutes. Nam ex iracundis parentibus iracundos filios, ex manſuetis manſuetos, ex ingenioſis ingenioſos, ex ruſticis ruſticos, ex eloquentibus eloquentes, ex mutis mutos, vſque adeo vt ingenium, & virtus, & eloquentia hæreditaria quodammodo videantur. Et ſi hoc in aliis, multo amplius in Chriſto. Nam cum in aliis patris & matris communes ſint filii, aliquid accipiunt à patre, & aliquid à matre, & fit ex duobus tertia quædam in filio mixtura, & ſimilitudo. Chriſtus vero qui totus erat ex matre, non habens patrem in terris, totus fuit matri ſimillimus, non ſolum forma & vultu. Hoc enim qui viderunt vtriuſque imagines ad viuum, aſſerunt: nunquam fuiſſe ſic filium matris ſimillimum vultu, & moribus, verbis & habitu. Illa humilis, ille humilis: Illa manſueta, ille manſuetus: illa benigna, ille benignus: illa pauper, ille pauperrimus: illa puriſſima, ille puriſſimus: illa prudentiſſima, ille prudentiſſimus: illa piiſſima, ille piiſſimus: illa modeſta & ſobria, ille modeſtus & ſobrius. Denique in omnibus mater, nihil fuit niſi filii adumbrata imago, & filius matris expreſſa figura. Nam etſi omnes ſancti prout potuerunt, curarunt aſſimilari Chriſto, & eum reddere & imitari (quia in hoc noſtra perfectio conſiſtit) nullus tamen potuit ex integro, ſed ex parte: vnus in humilitate, alius in caſtitate, alius in manſuetudine, ſola mater eum ex omni parte imitata eſt, eum reddens ſuis gratiis, & virtutibus, licet in filio perfectiores colores eſſent propter deitatem coniunctam. Vnde Hieronym. *Omnis plenitudo gratiarum quæ fuit in Chriſto, fuit in virgine, quamuis aliter.* Fuit ergo perfecta adumbratio filii, ſicut ipſa dicit in canticis. *Nigra ſum, ſed formoſa ſicut tabernacula* Cant. 1.

Comparatio.

Iob. 40.

Pſal. 104.

Cedar

Cedar, sicut pelles Salomonis. Quasi dicat, si naturalem conditionem consideratis, *nigra sum sicut tabernacula Cedar*, puella & carne & ossibus, tenera filia Adæ sicut aliæ virgines: si gratiam attenditis, formosa sicut pelles Salomonis, in omnibus virtutes humanas Christi imitata: quas vocat pelles: nam virtutes diuinas solus habet cum patre communes, nemo neque angelorum eas attingit. *Ibid.* *Nolite me considerare quod fusca sum, quia decoloravit me sol* Soli comparata fusca sum, sed omnibus angelis, & astris lucidior sum. Fuit itaque Christus matri suæ simillimus super omnes filios: vt sicut in cœlo qualis pater talis filius Cũ itaque mores, & proprietates matris in filium transfundantur, qualis debuit esse mater illa ex qua forma illa cœlestis & idea mundi, speculum illud lucidissimum, in quod omnes aspicerent, pulchritudo illa, quam omnes imitari debent, oriri & procedere debuit? Si Ioannes Baptista propter solum testimonium quod de Christo redditurus erat, ita perfectus fuit: virgo mater, quæ eum sibi similem genitura erat, & mores & vitam suam in eum debebat transfundere, qualis esse debuit? Nolo ergo vt de cætero labores, vt mihi virginem per singulas eius virtutes describas, & virtutes eius, gratias & excellentias sigillatim exaggeres, & magnifices: ad omnem eius excellentiam & magnitudinem, vnicum hoc thematis elogium sufficit, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Hoc breue eloquium eam optime quoad fieri potest circunscribit; hoc ad omnem historiam sufficit. Noli immorari per singula, noli vexari: hoc solum, plusquam si mille libros in eius laudem componas, virginem extollit, virginem describit, obiicit, magnificat, & ostendit, *de qua natus est Iesus.* Quis Iesus? Filius Dei, *splendor patris, candor lucis æternæ*, mundi decus, mundi gloria, mundi pulchritudo, *in quem desiderant angeli prospicere*, quem totus orbis nititur imitari. Non opus est longiore historia, hęc solum sufficit ad virginem exaltandam, & extollendam: vnde & in Euangelio ratus de ea sermo, quia hoc satis erat ad omnem eius commendationem. Quid enim vis dicere de virgine? quod humilis, quod pura, quod sancta, quod gratia & virtutibus plena: nunquid mater Dei superba, aut iracunda, aut impura futura erat? Quæ gloria, quis decor, *Psal. 86.* quis candor, quæ virtus, quæ gratia, nõ decuit matrem Dei? *Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.* Qualem ergo faceret artifex, qui elegit eam vt nasceretur ex ea? Vnde Anselmus. *De virgine dicere solum, quod mater Dei est, excedit omnem celsitudinem quæ sub Deo excogitari potest.* Cogita ergo tu virginem quandam pulchertimam, purissimam, humilimam, sanctissimam, & perfectissimam, ex omni parte integram & consummatam, illa mater Dei est: & maior est quam excogitare potes, aut intuitu mentis describere. Vnde si Tullius, Demosthenes, Homerus, Virgilius, & alii omnes potentes in dicendo rhetores eam laudare per singula conarentur, non sufficerent vtique nec modicum eius excellentiam attingere. Vnde Fulgentius, *quænam est ista fœmina quæ omnibus sanctis proponitur imitanda, & corona 12. stellarum in capite eius?* id est omnibus gratiis, donis & virtutibus in- *Apoc. 12.* signita, & decorata? Cæteris enim virginibus per partes, Mariæ vero tota se infudit plenitudo gratiæ. Denique quidquid capax est non solum humana natura, sed & pura creatura, totum fuit in hac virgine gloriosa. Hæc est quæ hodie nascitur, hæc hodie apparuit mundo, *sicut aurora consurgens*, fulgida, rubicunda, purpurea, læta, non obtenebrata, non obnubilata, non maculata, sicut alii filii Adam, *sed pulchra vt luna,* *Cant. 6.* *electa vt sol.* O virgo in hoc natali mundum illuminasti, cœlos lætificasti, infernum exterruisti, lapsos subleuasti, infirmos & tristes in salutem & lætitiam erexisti. Dicite obsecro ò astrologi sapiẽtes, qui cœlestia contemplamini, dicite nobis ò prophetæ quænam puella ista erit, quæ talis & tam clara prodiit in orbem? & annunciate nobis eius natiuitatem. O propheta regalis, dicito quid tibi

Heb. 1. *Sap. 7.* *1. Pet. 1.*

Isal. 71. videtur de hac filia tua, quæ nam puella ista erit? *Erit* (inquit) *firmamentum in terra, superextolletur super Libanum fructus eius, & florebunt*, scilicet eius meritis ditabitur ecclesia, *sicut fœnum terræ.*

Isa. 4. Dic quoque tu Isaias, quid sentis de hac virgine, qualis erit ista virgo? *Superomnem* (inquit) *gloriam protectio, & tabernaculum erit in absconsionem à turbine & à pluuia.* Id est iustorum erit custodia, & peccatorum suffugium. Ita esto virgo in omnibus tempestatibus, & pluuiis, & aduersitatibus, si pestis, si bellum, si fames, si tribulatio, omnes ad te currimus: tu nostra protectio, tu nostrum refugium, tu nostrum vnicum remedium, subsidium, & asylum: Sicut pulli volitantibus desuper miluis ad gallinæ alas accurrunt ita nos sub velamento alarum tuarum abscondimur. Nescimus aliud refugium, nisi te: tu sola es vnica spes nostra in qua confidimus: tu sola patrona nostra, ad quam omnes aspicimus. Respice ergo nunc ò piissima certantis ecclesiæ filiæ tuę tribulationem: attende familiam hanc, pro qua Christus filius tuus mortuus est, in afflictione positam, inimicis vallatam, à gentibus conculcatam, in angusto collocatam: attende pusillũ gregem, qui olim totum replebat orbem terrarum, nunc peccatis nostris interclusum, & in angustias redactum in finibus terræ. Inclina oculos pietatis tuæ, & vide quam male eam tractat, quam male eam lacerat aper iste de sylua, draco iste furiosus, neque est qui ei valeat resistere, aut audeat vel oculos tollere cõtra eum. Heu quis dicere poterit stragem maximam, quam à multis annis fecit hic nefandus Turcarum tyrannus in ecclesia Dei? Ecce non contentus rapuisse, & vsurpasse Asiam, Ciliciam, Syriam, Palæstinam, Ægyptum, sed à centum annis vniuersam Græciam, Macedoniam, Thraciam, & modo Rhodum, Budam, Belgradum, & magnam Vngariæ partem, sed & nunc totam vult deuorare Siciliam, & Italiam. Absorbuit fluuium, & non miratur, & habet fiduciam quod Iordanis, sedes Petri ecclesia Romana, caput orbis, influat in os eius. Sed non faciet Deus, nec tale dedecus permittet in populo suo: auertet Deus tãtam ignominiam ab ecclesia sua. Nolite timere, habemus à Christo domino syngrapham super hoc: non faciet, nec permittet, non erit istud. Sic dominus pollicitus est Petro, cum Ioannis ait. *Simon Ioannes satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: sed ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua.* Et quid potuit orare filius, quod non impetraret à patre? quid potuit orare tantus orator, quod non obtineret? *Sciebam* (inquit) *quia semper me audis.* Neq; pro sola persona Petri orauit, nam ille vtique aliquo modo defecit in Christi passione, sed pro sede Petri: hæc enim ab initio nascentis ecclesiæ nunquam defecit à fide: sed sicut dominus dixit, conuersa confirmauit fratres suos. Aliorum Apostolorum sedes deficientes, aliæ sæpius in hæresim prolapsæ, aut à Barbaris captæ defecerunt, hæc fixa, & immobilis semper stetit, iuxta domini vaticinium, & stabit sicut Petro promisit. Complexus est itaque Euangelista omnia excellentiæ argumenta, dum de virgine ait. *De qua natus est Iesus.* In hoc clauditur quicquid dici de ea potest, si mille libri scriberentur. Vnde Anselmus, *de virgine Maria solum dicere quod mater Dei, excedit omnem perfectionem, quæ sub Deo dici potest.* Nec solum dicimus, quod mater Dei est, sed quod idonea, & competens mater Dei. Sed vt tibi eam breuiter describamus, vt possumus, imaginare virginem quandam pulcherrimam, gratiosissimam, ingeniosam, nobilem, optimæ habitudinis quantum ad corpus, magni intellectus & integræ memoriæ, optime compositam, & proportionatam quo ad dona naturalia, optime dotatam, quam voluit vt esset nobilissima Deus, adeo quod nulla fœmina mundi fuit tam nobilis, tam longa serie auorum, ex regibus, ex principibus, ducibus & patriarchis nata. Recole principia omnium historiarum, & vide si in aliqua historia tam superbum principium legisti. *Liber Generationis Iesu Christi.*

B virgo vnicũ refugium nostrum.

Simile.

Psal. 60.

Luc. 22.

Psal. 79.

Quæ strages edita à Turca.

Iob 40.

Luc. 22.

Ioan. 21.

Matth. 1.

Quæ

Quæ genealogia Alexandri, vel Cæsaris reperitur tam illustris per tot sæcula? Non quod Deus multum curet de hac nobilitate: non enim ipse clarus est ex genealogia, sed ipsa clara ex ipso. *Ego,* inquit, *sum genus & radix Dauid:* non mihi gloria quia habui talem patrem, sed illi gloria quia habuit talem filium. O filii hominum qui ista tam anxie curant: anima quæ potior pars est, non habet genus, non est ex patre, sed ex Deo: solum corpus ex patre est, & hoc simile est in omnibus, subiectum infirmitatibus & ærumnis. Omnes ex vno Adam terreno, vnde ista generis gloriatio? Sed propter hoc posita est genealogia, vt dominus fidelis appareret in promissionibus quas promiserat: sicut ipsa virgo ait. *Suscipit Israel, sicut locutus est,* & cæt. Talis fuit virgo in naturalibus: decuit & matrem Dei esse purissimam, sine labe, sine peccato. Vnde non solum quando puella, sed quando paruula, sanctissima, & in vtero sanctissima, & in conceptione sanctissima. Non enim decebat sanctuarium Dei, domum sapientiæ, reliquarium spiritus, vnam mannæ cœlestis aliquam in se labem habere, propter quod antequam anima illa sanctissima infunderetur, plene fuit caro illa mundata ab omni fæce & labe, & anima cum infusa est, nullam habuit ex carne, neque contraxit labem peccati. Sicut scriptum est, *factus est in pace locus eius.* Id est domus diuinæ sapientiæ, sine omni fomite peccati formata est. Vnde sicut ait Augustinus. In paruulis licet non statim appareat, magna iniquitatum & peccatorum labes semina ta est: ibi est seminarium omnium malarum inclinationum, & quasi saccus iniquitatum. Vnde cum crescunt pædagogi, flagella, exhortationes, admonitiones, & postea iudices, cruces, tormenta, hoc agunt, vt praua illa semina non pullulent in eis: sarculi quidam sunt, praua illa semina ne pullulent prohibentes, & quæ pullularunt præcidentes. Nihil tale fuit in virgine, sed purissima fuit, sine omni mala inclinatione; vnde maxima in ea pax, quia nulla fuit in ea rebellio ad bonum. *Factum est in ea* (vt ait Bernardus) *illud Psalm. Iustitia & pax osculatæ sunt.* In nobis iustitia non est sine bello, in ipsa fuit cum summa pace. Vnde caro eius sic imaginanda est, quasi esset argentea, vel vitrea, vel crystallina, sine carnis vitiis, sed tota angelica in carne. Quod optime tangit de ea sponsus in canticis dicens. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te;* currus Pharaonis caro mortalis; in carne itaque mortali equitatui angelico similis est in puritate. Sed iam ad dona, gratias, & virtutes transeamus. De his quid dicere possumus, nisi quod illi datum est, quantum capax est pura creatura? Vnde sicut in creatione mundi in homine collecta est omnis creatura, ideo microcosmus, sic in reformatione mundi in virgine collecta est omnis ecclesia, & sanctorum perfectio; vnde microcosmus ecclesiæ dici potest. Quicquid in quolibet sancto fuit, illustre in illa fuit: in illa patientia Iob, mansuetudo Moysi, fides Abraæ, castitas Ioseph, humilitas Dauid, sapientia Salomonis, zelus Eliæ; in illa puritas virginũ, fortitudo martyrũ, deuotio confessorũ, sapientia doctorũ, contemptus mundi anachoritarum, illa *donum sapientiæ scientiæ & intellectus, domum pietatis, & fortitudinis*, & omnia dona spiritus, & omnis gratia gratis data, quam ponit Apostolus. *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium;* id est, omnis virtus sanctorum, qua armati sunt contra vitia. Vnde dominus, *In plenitudine sanctorum detentio mea.* Propter quod bene eam vidit Ioannes sole vestitam, & lunam sub pedibus habentem, & 12. stellis coronatam. Propter quod in canticis, *quid* (inquit) *videbitis in Sunamite, nisi choros castrorum?* Talis est dilecta nostra charissimi, talis est mater domini nostri; imo nihil diximus, multo illustrior est, absque eo quod intrinsecus latet. Nam quales fuerint in ea reuelationum radii, ab illo sole quem gestabat in vtero, quæ inflammationes spiritus, qui gustus, qui sensus, quæ dulcedines, sola nouit ipsa, & qui dedit Deus; maior enim

Apo. 12.

Quare posita genealogia.

Luc. 1.

Heb 9.
Exod. 16.

Psal. 75.

Psal. 84.

Cant. 1.

De donis B. V. M.

Id est, paruus mundus,

Isa. 15.

Eccl. 24.

Apo. 12.

Cant. 7.

Cant. 4.

Psal. 4.

gloria filiæ regis & matris regis ab intus. Sed electa est, & vt esset aduocata nostra. Nam licet aduocatum habemus filium, vt ait Ioannes, opus etiam fuit habere matrem aduocatam ad filium. Nam peccatis nostris non solus Deus offenditur, cuius præcepta violamus, sed & filius Dei, cuius sanguinem peccando conculcamus, iterus crucifigentes filium Dei. Et ideo sicut apud patrem interpellat filius, sic apud filium interpellat mater. Vnde Bernardus, *filius ostendit patri latus, & vulnera, & mater ostendit filio pectus, & vbera.* Vnde facta est idonea aduocata: Idonea quia purissima; idonea, quia acceptissima; idonea, quia piissima; hæc enim omnia ad aduocatam requirũtur. O felix dies, ò dies iucunda in qua talis ac tanta aduocata data est mundo, ò dies omni gaudio celebranda, quando tantum donum accepimus. Bern. *tolle solem, quid est in mundo nisi tenebræ? tolle Mariam ab ecclesia, quid restat nisi caligo? Eia ergo aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte.* Ad te in nostris necessitatibus accurrimus, tuum officium imple, tuum opus exerce.

1. *Ioan. 2.*

Heb. 10.
Heb. 6.
Rom. 8.

IN ANNVNCIATIONE Virginis Mariæ. Concio prima.

THEMA.

Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Luc. 1.

Dies ista charissimi, *dies boni nuncii est: si tacuerimus sceleris arguimur.* Grandis è cœlo hodie ad terras legatio transmittitur, grandis omnino & cui à sæculo non est audita similis, neque audietur in posterum. Grandis qui mittitur, grandis qui mittit, grandis cui mittitur, grande negotium quod legatione tractatur. Gabriel vnus ex supernis principibus à Deo omnium conditore destinatur ad virginem, virginem mente, virginem carne, virginem professione, virginem nobilem, regali genere ortam, virginem denique qualem optat Apostolus, mente & corpore sanctissimam: sed *desponsatam viro.* Cur desponsatam? Ne videlicet infamaretur, ne lapidaretur, ne diabolo mysterium proderetur. Maluit nanque dominus aliquos de suo ortu, quam de matris pudore dubitare: nec putauit fidem suam matris iniuriis astruendam: suum ergo matris pudori honorem non prætulit. Ad hanc ergo virginem legatio mandatur. Negotium vero quod agitur magnum est: & tali legatione dignissimum. Ruralem sibi sponsam delegit vnigenitus Dei filius, cœlestis gloriæ princeps eam adamauit, paranymphus destinatur ad virginem vt assensum connubio præbeat: sic enim principes consueuerunt per nuntios desponsari. Ab illa ergo opulenta Hierusalem ciuitate, ad pagum nostrum cœlestis legatus hæc nunciaturus aduenit. Hoc est quod agitur, ad hoc angelus ad virginem mittitur. O fœlicem pattiam, ò fortunatam tali connubio propiam, ò diem mundo festiuam, perpetuo ritu tota veneratione colendam. Soror nostra, os de ossibus nostris, & caro de carne nostra cœlorum principi nupsit, ad regalis gloriæ fastigiũ conscendit. Quis non gaudeat, quis non gaudio totus liqueicat? Gaudeat vicus noster tanto hodie subleuatus fastigio: gaudeat terra nostra tanto sublimata connubio: lætentur cœli, exultet terra, orbis terrarum & plenitudo eius ante conspectum tanti domini: quia venit dies ad pauperes: potens ad ignobiles: & sublimis ad miseros; nostrum nobilitare genus, nostram honorare familiam. Decebat autem tantum mysterium virgini prænunciari propter multa: tum quia eius, vt matris, petebatur assensus: tum quia si ea insciа in eius vtero incarnationis mysterium ageretur, turbaretur ad mortem virgo pudicissima, dæmonis suspicata illusionem, cum se virginem videret & grauidam: tum etiam quia testem decebat fieri mysterii quod agebatur in ea, non casu, sed legatione præuentam: magnumque ex hoc fidei nostræ testimonium parabatur. Propter quod non in somniis ei angelus apparuit, sicut Ioseph

1. *Cor. 7.*

Gen. 2.

Psal. 95.

Propter multa debuit mysterium nunciari B. V.

Matth. 1.

seph, sed palam ne vllus tantæ rei relinqueretur scrupulus. Intrat ergo cœlestis paranymphus virginis domicilium, orantemque virginem mira veneratione salutat. Intrat vultu rutilus veste coruscus, cœlestisque totus candore decorus; sternitur ad pedes, lætoque illam vultu salutat. *Aue* (inquit) *gratia plena, dominus tecum.* Stupet, hæret virgo, turbatur animo, eiusq; vultus pallore mutatur. Prospicit obsequium, meditatur verbum, milleque conscendunt res variæ mentem. Quid turbaris virgo? quid te meus aspectus immutat? Angelus sum non homo è cœlo tibi nuncius astо pudoris custos, non inuasor, pudoris amator & cultor: non tales terra ciues, non tales nutrit accolas orbis. *Turbata est* (inquit) *in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio.* Per hoc quod dicitur *in sermone eius*, intelligimus non tam de visu, quam de salutatione turbatam: licet non sit mirum eam tali fulgore commotam, quia etsi prius angelos viderat, tamen non tali maiestate fulgentes: turbabat autem illam nimia eius humilitas, & miranda angeli nouitas. Siquidē hucusque angelis in mundo apparentibus, patriarchas illos sanctissimos illis prostratos legerat, neque ab eisdem subleuatos à terra. Sic enim olim Abraam, Loth, Moyses, Ezechiel, Daniel, & alii quos antiquitas honorauit, pronos in terra adorasse angelos, literis sacris didicerat. Vnde merito turbabatur, videns ad humilis puellæ pedes prostratum angelum salutantē, hæc igitur secum animo voluebat, hæc alta mente tractabat. Quid agis ò angele? quænam hæc mutatio rerum? Virginis ad pedes cœlestis incola iaces? quæ ego sum obsecro, aut quæ patris mei prosapia, vt tantò me digneris honore? tali me veneratione salutes? O celsam, ò nimium, ò terque quaterque beatam, ò Deo dilectam, ò fœminam super fœminas benedictā, ò si scires virgo quantum placuisti potenti, hoc te dignam colloquio aut obsequio non dubitares. *Ne timeas Maria*, audi legationē meam, & tanti honoris causam agnosces. *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum: hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur: & dabit illi dominus Deus sedem Dauid patris eius; & regnabit in domo Iacob in æternum: & regni eius non erit finis.* Hæc honoris causa, hæc tibi celsitudo paratur. Agnoscamus fratres tanti legati prudentiam, qua modestia vtitur in prodendo mysterio: noluerat siquidē sapientissimus paranymphus quantum erat sacramentum quod nunciabat; quo ex ore altissimi audito, & ipse quamuis angelus, quamuis beatus, quamuis cœlesti gloria ditatus, obstupuerat nimis, summaque admiratione expauerat. Solicitabatur ne virginis fidei poneret offendiculum, teneramq; puellam tanto scandalizaret sacramento; & quæ culpam ante non nouerat, incredulitatis ex hoc noxam incurreret. Sic pridie minori oraculo hæsitasse viderat Zachariam. Miro igitur sapientiæ artificio vtitur in prodendo mysterio, non totum simul effundens, ne fidem illius obruat: sed paulatim circunscribēdo, & per circumloquia declarando, ita pandit legationem, vt non lædat fidem. Vnde non ait, concipies Deum, & paries Dei filium: *sed concipies filium*, quod ipso dicto nihil mirabile portendebat; filium autem non statim Deum fore pronunciat, sed deitatem eius longo sermone describit. Hoc est quod ait: *hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Vocabitur* inquam, non dixit *erit*, ne fides succumberet sacramento, & *dabit illi dominus Deus sedem Dauid patris eius.* Attende prudentiam: terrenis cœlestia temperantur, diuina humanis copulantur, ne mero inebrietur Maria mysterio. Vnde, nunc filium altissimi, nunc filium hominis nasciturum, appellat. Et quia sublimiter intonuerat, *filius altissimi vocabitur*, non statim adiunxit, *& dabit illi dominus Deus* gloriæ suæ solium, aut maiestatis suæ thronum, sed *sedem Dauid patris sui*; vt videlicet humano addito genere, deitatis eloquium temperaret. *Et regnabit in æternum.* Hic iam apertius celsitudo monstratur. Quomodo enim regnabit in æternum, si non esset

Luc. 1. — *Angeli paranymphi ad S. virg. legati prudens, & prouida oratio*

Luc. 1.

Gen 18. Gen. 19. Gen. 34.

Causa turbationis.

Luc. 1.

Luc. 1.

ſet æternus. Diſertiſſimo ergo vſus temperamento, prudentique conſilio ſic Deum parituram pronunciat, vt fidem eius dicendo non obruat. Poterat hæc omnia vno verbo dixiſſe, ſi diceret: paries Deum, aut filium Dei vtero concipies tuo: ſed ratione iam dicta, hoc magis vtitur circumloquio. Cœleſti audita legatione, virgo regia obſtupuit amplius quam prius timuerat, modicumque animo dicta reuoluens, ſiluit. Miratur ſupra modum Dei nutu fieri ſe matrem, quæ illi iam pridem virginitatem ſuam perpetuo deuouerat. Pro ſua ergo virginitate ſolicita, non quaſi de oraculo dubitans, ſed tantæ rei modum inquirens, ſic fatur ad angelum. *Quomodo fiet iſtud* ô angele? *quoniam virum non cognoſco.* Votum per hoc indicans, & propoſitum perpetuo abſtinendi coniugio. Cui angelus, ne me virgo interroges, non me de hoc facto requiras, legatus nunciare tibi myſterium à Deo miſſus ſum, tibi opus nuncio. modum quem requiris ignoro; *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Illius eſt perficere factum, meum eſt nunciare myſterium. Meam fateor mentem ſuperat, meam facultatem excedit opus quod nuncio: ad omnipotentem te virgo remitto. Noli ergo timere Maria, noli pro tua virginitate formidare: conceptus hic virginitatem tuam non auferet, ſed ſacrabit; pudorem non minuet, ſed prole ditabit. Spiritus namque opere, non virili concipies ſemine; virgo paries, & puerpera virgo manebis: & vt tanti poſſis luminis ſuſtinere fulgorem, ſpiritus omnipotens ſua te proteget vmbra. Non ſilentio prætereundum exiſtimo, quod ad tantum opus non illuminandam, ſed obumbrandam potius dixerit virginem; quia videlicet luminis potentis abyſſum vtero ſuo corporaliter infundendam, tenera virgo portare non poſſet, niſi deſuper adumbraretur ad illam. Si enim (vt prophera inquit) in conſpectu domini montes vt cera fluxerunt, & ad alpectum eius rupes liqueſcunt vt oleum, illapſam vtero deitatem qualiter poterit ſufferre puella, ſi non eius ſplendor vmbra temperetur ab ipſa? Niſi forte adumbrationem iſtam, dominici corporis formationem mauis intelligere; competenti nanque ſimilitudine, Chriſti ſanctiſſima caro deitatis vmbra nuncupatur. Quia ſicut vmbra corporis motus formamque inſequitur, ita à deitatis nutibus ſacerrima humanitas illa neque ad modicum deuiauit, *ſed quocunque iret ſpiritus, ſequebatur & corpus*; vt de rota olim prophera prædixerat. Conſonant ad hoc prophetarum vaticinia multa, vt eſt illud; *in vmbra eius viuemus inter gentes.* Et illud: *ſub vmbra illius, quem deſiderabam, ſedi.* Et apertius illud, *ſolem nubet gam.* Quo huic incarnationis myſterio nihil aptius dici potuit. Quid enim aliud caro Chriſti, quam nubecula pulchra potenti interiecta ſole, ne foris ſui calore arentem peccatis mundum adurat? Denique quanta hæc mortales nubes protexerit vmbra, quantumque diuinam mundo temperauerit iram, temporum experientia monſtrat. Quibuſdam vero placuit, ideo ſpiritum obumbraſſe Mariæ, quia ſola tanti myſterii ſecreta nouit, & ſoli conceſſum experiri delicias, quas humanus non capit animus. Dulcedines nanque illas, potentelque deitatis guſtus, exceſſuſque mentis, & illuſtrationis radios, quos concipiendo, & pariendo pertulit virgo, nulli comperti ſunt creaturæ. Ne tamen ſolius Spiritus ſancti, ſed totius Trinitatis virtute hoc opus mirificum in eius vtero patrandum agnoſceret, ſapienter adiecit. *Et virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Altiſſimus nanque pater eſt, & virtus altiſſimi verbum patris; quorum indiuiſa virtute, non in tota Trinitate, ſed in ſolo verbo perficienda erat, incarnatio. Qua igitur non viri libidine, ſed Dei virtute concipies, ideo inquit. *Quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur.* Non filius Iudæi, ſed filius Dei. Quam aperte, quam commode, ſanctum, indefinite fœtum appellat,

Luc. 1.

Ibid.

Obumbrandã & non illuminandam quare aſſeratur.

Pſal. 56.

Ezec. 1.

Thre. 4.

Cant 2.

Ezec. 32.

Luc. 1.

appellat, non virum aut hominem sanctum, sed absolute sanctum. Item non ait, qui nascetur ex te sanctus, sed *quod nascetur ex te sanctum*; ad naturam magis quam ad suppositum referens verbum: innuens per hoc, naturam non suppositum assumendam à Deo. Non enim proprio suppositio, sed diuino, humanitas illa supponitanda erat, vt quidam homo nasceretur ex virgine sanctus, & ille assumeretur à verbo: sed sanctum quoddam assumendum ex virgine, propter cuius assumptionem filius Dei nasceretur ex ea. Rursus indefinite sanctum appellat, quia non modo sanctus nascetur ex virgine præter communem nascentium legem, sed sanctum ipsum, id est sanctitudo ipsa, sanctitatis forma & sanctificatio tota, non modo
1. Cor. 1. vir sanctus, sed Deus sanctus, sanctitas ipsa, & sanctitatis idea; vnde *& vocabitur filius Dei.* Merito vocabitur, & vere vocabitur, quia & filius Dei & filius virginis erit. Non quidem quia ad esse, vel dici filium Dei secundum carnem, hic generationi modus sufficiat (non enim quia ex Spiritu sancto conceptus est, ideo Spiritus sancti filius est) sed quia ex hoc generationis modo & ordine filius Dei esse cognoscitur: propterea quia talis generatio neminem alium deceat nisi Deum. Communem ergo cum Deo filium habebis ò virgo, & illius mater eris, cuius Deus pater est: filii mater, patris sponsa, Spiritus S. domicilium, totiusq; Trinitatis sacrarium. Creatoris cui mater eris, & factorem tuum ipsa concipies: Quod si mater Creatoris, optimo iure totius creaturę Domina, cœlorum terrarumq; Regina, omnium Angelorum dignitati prælata. Hæc tua celsitudo Maria, hæc tibi dignitas paratur à Domino, vnde non immerito tali te dignor honore, tali te veneratione saluto. Quod si difficilia creditu tibi ista videntur, illum qui me misit attendito, cuius tibi nomine hæc omnia legantur. Quid non potest Deus? aut quid Deo impossibile virgo? etsi ex minoribus fidem facere licet, sterilis anus Elizabeth filio quoque donata est: vt dubitare nō debeas, dare posse filium virgini, qui dedit sterili. Hæc sunt virgo regia quæ dicere me tibi mandauit omnipotēs. Audisti legationē, da fidem, & accipe prolem. Longiori vsum eloquio Angelum suspicamur ad Virginem (summam enim narrationis Euangelista complectitur) multa alia dicta putamus, quæ scriptura non memorat. O dulce colloquium, ò suauem Dialogum, ò gratam nimis confabulationem Virginis & Anli? ò qualis societas Angelus & Virgo? Semper est Angelis amica virginitas, secreto Angelus ad Virginem loquitur, diutiusque loquendo moratur. Accede ò homo propius, & per rimulas forium placidum susurrum aure percipito, sacrique oraculi verba rimato. Grande negotium agitur, multum ad te pertinet *Sap. 8.* quod tanto silentio fabulantur. Longa protraxerat diu fabulatio noctem, mediumque cursu nox suo iter agebat, silentium tenebant cuncta, cadentiaque suo labantur hemisphærio astra, cū Deo sacra Virgo spiritu succensa feruenti, solo flexis genibus, oculisque leuatis ad alta, assensum præbens numini Diuinum verbo concipit verbum. Cœlesti ergo legatione audita, sic fatur ad Angelum, *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi sc. Luc. 1. cundum verbum tuum.* Matrem me futuram ò Angele dicis, ego ancillam me esse cognosco: quia Ancilla Domini sum, eius voluntati non obsto. *Fiat* ergo *mihi secundum verbum tuum.* Vere Ancilla, quæ neque dicto, neque facto, neque cogitatu, vnquam contradixit altissimo: vere Ancilla, quæ perpetuo seruauit mancipata seruitio: libero namq; aliæ Deo famulantur obsequio, hæc quasi mancipium Dei se totam famulatui mancipauit: nihil sibi libertatis reseruans, sed per omnia subdita Dei. Et bene Ancilla, ex qua qui nascitur seruus est: nam secundum leges, filius non patris, sed matris conditionem insequitur. Ancillam se mater agnoscit, seruum se filius esse fatetur. *Ego* (inquit) *seruus Psal. 128. tuus, & ego seruus tuus:* & iure seruus, *quia filius Ancillæ tuæ.* Grandi ergo mysterio, altissimoq; Deitatis instincta, cō-

ceptura Deum, sui meminit ancillatus, vt orientem à te filium, mundi obsequio manciparet. *Fiat mihi* ait, *secundum verbum tuum*: & ad verbum eius, statim in vtero incarnatum est verbum. O fiat potens, ò fiat efficax, ò fiat super omne fiat, perpetuo honore venerãdum. Hoc verbo *fiat*, factus est mundus, hoc verbo cœlestia terrestriaq; altissimus cõdidit: sed tale fiat non sonuit in orbe, quale tu nunc beata dixisti. Quid enim factum est? quis dicere potest quid factum est? Natura stupet, iudicium hæret, hebescit sensus, lingua mutescit, ratio deficit, intellectus non capit quod factum est in Maria, cum hoc protulit verbum: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Statim namq; ad huius verbi sonitum, *verbum caro factum est*: subito ex purissimis eius sangu nis Spiritus sancti opere sanctum Domini fabricatum est corpus, subito organizatum, subito animatum, subito Dei verbo vnitum, statim omni gratia, & virtute infans repletus, omnium charismatum donis insignitus, & clara Dei visione beatus: denique omni illa sapientia, gratia & gloria qua nunc pollet in Cœlo, ditatus. Nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia, neque temporis indiget tractu in suo opere artifex spiritus. O stupendam nimium Conceptionem, ò ventrem sacrum, ò vterum purissimum, deitatis habitaculum, Spiritus sactarium, Diuini verbi vehiculum, triumphalem regis æterni currum, & veri Salomonis quadrigam; sicut scriptum, *equitatui meo in curribus Pharaonis, assimilaui te amica mea.* O vterum Cœlo capaciorem, empyrio illustriorem, Paradiso fragrantiorem: hic enim prima hominis paradisus, in qua prius ab homine videri dignatus est Deus. Quid hoc ventre purius? quid sanctius? quid locupletius? vnde in canticis, *venter tuus sicut acervus tritici*, quo Angeli saginantur, populi reficiuntur, & spiritus satiantur: illius *panis qui de Cœlo descendit*, quo qui pascitur non morietur in æternum. Vallatus liliis, quibus liliis? nisi quibus pulcher cibatur hinnulus, *qui pascitur inter lilia, lilium* & ipse *conuallium*? liliorum medio vallatus liliis pascitur inter lilia: non enim alio quam liliis fœtus virgineus vtitur cibo. Lilia verna ntia, lilia candentia, castitas, puritas, charitas, pietas, humilitas, benignitas sanctitas, his liliis in vtero cœlestis pascitur hinnulus: his venter vallatur virgineus: vallus namque liliorum in virgine plenitudo virtutum. Et bene vallatus liliis vallante se Deo, vt ex nulla parte peccato pateret aditus, intus deitate plenus, foris virtutum vallo munitus. Quis huius vteri valeat enarrare delicias? & eius diuitias digno queat explicare sermone? Te obsecro virgo, tu nobis enarra quomodo illibata conceperis, intacta genueris? Dic nobis quid sentis, cum diuino tota nectareo sapore perfunderis? cum immensum voluptatis pelagus tam modico vase concludis? cum delicias humani generis intra te conclusas esse nõ dubitas? Dic (inquam) quo flagras ardore? quibus æstuas flammis cum Dei caminus tenero illabitur ventri, & abyssus dulcedinis arctissima retruditur aluo? Dic nobis beata, quos scaturit dulcedinis globos fons ille perennis vteri arctatus angustia? quas mittit scintillas flagrantissimus ille rogus velamine carnis opertus? quos mittit radios sol hic lucidissimus tam leui nubecula tectus? Dic virgo sacerrima, flos & ipsa, & virginum gloria, qua virtute tantos voluptatis sustines ictus? impetus quos portas? quos portas ardores. O arca deifera, grandi thesauro referta, ò vrna pulcherrima cælesti balsamo plena quibus te efferam laudibus? O quam te memorem virgo? Meas fateor superat vires, meum valde excedit eloquium dignitas tua, fœlicitas tua, sublimitas tua, & gloria tua. Quicquid enim de te aut cogitari aut dici potest, multũ à tua deficit laude, multum à tua vincitur beatitudine. Vnico namq; volatu in tam sublime euecta es dignitatis fastigium, vt celsitudinẽ tuam neque humanus, neque angelicus pertingere possit obtutus. Subito namq; ex Adæ filia, humiliq; puella, mater Creatoris, Domina mundi, regina cœli, & totius

Quando fuerit fabricatũ corpus Christi.
S. Tho. 3. p. q. 32. & seq.

Gen. 1.

Cant. 2.

Cant. 8.

Cant. 7.

Ioan. 6.

Cant. 2.

Heb. 9.

tius imperatrix facta es creaturæ. Vnde merito ex hoc te omnis creatura collaudat, te omnis generatio beat, quę est, & quæ erit, & nati natorũ, & qui nascẽtur ab illis. Intrat igitur artifex omnium vteri virginalis angustias, qui omnia fecerat, hominẽ se facit ex fœmina. Illabitur immensus humani corpusculi vasculo, vastosq; stricto præcingit cingulo sinus. Sic enim olim propheta prædixerat. *Decorem indutus induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Vnitur humanæ naturæ diuinitas in hypostasi, mirandoq; nexu dispares formæ invno adunantur supposito in vnamque vtriusq; personam mira arte vniuntur. Prodigiũ nouum mirante natura, stupente Cœlo in mundo comparuit: Deus homo, homo Deus: Deus homine velatus, homo Deo insertus. Prodigium prodigiorum, maximum miraculũ super omnia mundi miracula, ad quod nihil est in orbe mirandum. Siquidem in sacra virginis aluo, veluti conflatorio quodam fornace diuinitatis auro, nostræque humanitatis argento pariter infusis, opere Spiritus sancti & igne, vnus vester electreus Christus conflatur. Talem illum olim Ezechiel mystica visione præuiderat. Hic Agnus Dei, hic mundi Saluator & custos hic spes nostra, caput hic & gloria nostra, hic decus nostrum, gentis hic nostræ corona: hic lauat sordes, hic cuncta nobis bona propinat. Quanto fœlicius nũc virginea in aluo agnus iste condatur, quam olim ex inauribus vitulus in Oreb? Illum adorantes vitulum prostrati sunt in deserto, hunc qui adorant agnum gloria potientur, & Cœlo. Hæc de historia. Sed edissere nobis ò Angele Dei, quomodo aut quando impleta est promissio tua? Quando hic, quem annuncias, virginis filius, sedem Dauid patris eius insedit? quando in domo Iacob regni moderamina tenuit? Vidimus eum nouissimum virorum abiectum, & pauperem, in labore & ærumna vitam duxisse: vidimus (inquam) illum persecutiones, insidias, odia, æmulationes, famem, sitim, nuditatem egestatem tota vita toleraſſe, non domum, non ancillam, non seruum, non agrum, non vineam, aurum, argentum, sed neque vbi caput suum reclinaret vnquam habuisse, labore proprio & aliorũ eleemosynis semper vixisse; vbi ergo sedes? vbi regnum? vbi promissa maiestas? hoc ne regnare est? hoc est domui Iacob imperare? Quomodo regnat in domo Iacob, si domus Iacob non obtemperat ei? nisi forsitan quispiam sine regno rex esse potest. Præsidi Pilato Iacob domus acclamat, *non habemus regem nisi Cæsarem:* ipse quoq; eidem Pilato hoc ipsum fatetur, dicens; *regnum meum non est de hoc mundo*, & rursus: *regnum meum non est hinc.* Quomodo tu ipsum asseris regnaturum, vbi ipse regnare se negat? & populus eius regno dissentit? Quomodo (inquam) regnat, qui non habet regnum? aut quænam regi Dauid in paupere Christo successio? vt sedem Dauid illum asseras habiturum? Si patris æterni sedem dixisses, fateremur vtique: quis namque fidelium Christum Iesum ad patris dexteram, in maiestatis solio sedere nescia t aut non credat? sed de sede Dauid, & regno Iacob non ita palam. Putasne, ò Angele Dei, non se delusam virgo putasset, nisi diuino illustraretur spiritu? expectans & ipsa temporalem Israel redemptionem, cum illum, quem regnaturum promiseras, egentem, nudum, pauperem, solitarium, famescentem videret; ortusq; illius principia, in stabulo, in præsepi, in fœno; & post modicum illius per deserta fugam, longãq; inter barbaros peregrinationẽ aspiceret? Putasne (inquam) tunc promissionis tuę recordata non diceret? Vbi est Angele promissio tua? vbi sedes & gloria regni? Si rex futurus est puer, vbi aurum, vbi argẽtum, vbi opes, vbi familia, vbi purpura, vbi decus, & honor imperii? Talia sunt ista regnandi principia? Certe Angele Dei, cum filio regẽ reginam me fore dixisti, video me peregrinam, fœlicem me tanto filio futuram prædixerat, video me solam, afflictam, & exulãtem, proprio q; laborevictum quærentẽ. Hoc ne est solium Dauid, hoc regnum, hic honos, hic Regius apparatus, & fa-

Psal. 29.

Iacob. 1.

Ezech. 1. & 8.

Ioan. 1.

Exod. 32.

Isa. 53.

Luc. 9.

Ioan. 19.

Ioan. 18.

Marc. 16.

Luc. 2.

Matth. 2.

ſtus? Quid cum illum videret patibulo ſuſpenſum; clauis affixum, tormentis lacerum, veſte nudatum, acerbiſſimam mortem cum opprobrio tolerantem, quo eiulatu clamaſſet? O angele vbi ſunt tua promiſſa? vbi decus & gloria regni? vbi veritas? vbi fides? vbi ſpes, & fiducia mea? Morientem in conuitio video, regnaturum; quando expectabo? An licet poſt mortem ſperare coronam? ſed angelus ad hæc dicere poſſet; ceſſet tua quærimonia virgo: veritatis nuntius, dicere niſi vera non poſſum Ieua oculos tuos ad filium, & vera me dixiſſe probabo. Nunquid non regia ſtemmata vides? nunquid non regis vexillum attendis? Non aſpicis caput diademate regis ornatum? titulum non conſpicis regali throno pendentem. Non audis multorum regem acclamantium voces? ſceptrum non diſcernis potenti manui defixum? quid obſecro virgo: quid deeſt ad regnum? in præſidis domo coronatus in regem, purpuram, & ſceptrum, coronam, & ſedem accipit: ibi rex acclamatus, ibi flexis genibus adoratus, ibi purpura indutus, regalia ibidem à militib. iudicis accipit obſequia. Quid refert ad regnum, ſerio hæc an ludibrio fiant? Intellige Maria myſterium, ſacramentum magnum agnoſce; ea quæ perfidi homines opprobrio faciunt, apud Deum & Angelos ſerio fiunt, & quæ ludibrio dicuntur, veritate complentur: Iniquorum iniuria, vera regni gloria eſt, irrideri videtur, ſed in veritate rex coronatur. Corona illa ſpinea, laurea reputatur à Deo: pungit quidem, ſed vngit: cruciat, ſed honorat: etſi vis noſſe ſecretum, Crux illa crudelis regni Dauid ſedes eſt. Hanc rex, & Propheta ſucceſſori Chriſto reliquit. Nunquid non legiſti, *quia dominus regnauit à ligno.* Pendens latro ſecum regiam maieſtatem implorat, hæc penſato virgo, & vera me dixiſſe ſentito. Nouerat ergo ſecretum hoc in ſpiritu propheta regius, ac propterea non Iudæis, ſed gentibus annunciari præcipit, dicens; *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit à ligno.* Relicto namque repudiatoque illo Iudæorum populo, ad gentes regnum, & ſolitum Dauid transferendum ſpiritu monſtrante didicerat, cum ſcilicet rex Chriſtus leuaretur in ligno: ac propterea gentilem præſidem commonet, ne regni ſui titulum Iudæorum malitia radi permittat, videbat enim ſpiritu Iudæorum conatum ad radendum titulum, voceſque importunas acclamantiũ audierat, *noli ſcribere regem Iudæorum, ſed quia ipſe dixit, Rex ſum Iudæorum.* Pro ſua ergo ſede regnoque ſolicitus, Præſidem Pilatum admonet, ne illorum obtemperet voluntati, propter quod etiam ad Deum longas effuderat preces, orans ne diſperdat Dauid in tituli inſcriptione. Sic namque plurimi Pſalmorum tituli prænotantur. Itaque velut oraculo monitus Præſes, in ſententia firmus ſtetit, dicens. *Quod ſcripſi, ſcripſi;* neſciens vtique quid diceret, ſed magnum proferens ſacramentum. Hæc igitur ſedes Dauid, quam Angelus repromiſit, cui ſcilicet regni Dauid affixus eſt titulus; ab hac ſuper domum Iacob, non illius carnalis & modici, ſed ſpiritualis, toto orbe diffuſi, id eſt, Eccleſiæ ſanctæ Dei in æternum firmato regno regnaturus eſt Chriſtus, ſicut fideli legatione prædixerat nuntius. Huius autem tam eximiæ legationis figuram geſſit ſeruus ille fidelis Abrahę, quem ſanctus Patriarcha in ſuam patriam deſtinauit, quærere filio ſuo vnico, vxorem, adiuratum prius ne de filiabus Canaam vicinis, accipiat qui pulchertimam Rebeccam ad fontem reperiens, accepto prius cõnubii quod quęrebat indicio, quod eum, & camelos libenter adaquaſſet, eam in auribus & munuſculis ſubarrhauit, & habito conſenſu parentis, filio Domini ſui copulandam adduxit. Quid huic cœleſti cõnubio ſimilius? Non dignatur pater ſublimis (hoc enim ſonat Abraham) filio ſuo vnico, de propinquis Angelorum cuneis quamlibet deſponſare naturam, ſed longius legatum fidelem mittit ad terram, vt de cognata ſibi natura, & ad eius imaginem facta, aliquam filio ſuo accipiat vxorem: *nuſquam enim Angelos apprehendit*, Paulo authore, *ſed ſemen Abrahæ*

Ex pſalterio Romano, quo reſpexit author hymni ecclęſiaſtici. Impleta ſunt quæ concinit Dauid fidelis carmine dicens, in nationibus regnauit à ligno Deus.

Sed neque in Græca neque Hebræa, neque vulgata editione habetur à ligno. Luc. 23. Ioan. 19. Titulus. Pſal. 57. Ne diſperdas Dauid in tituli inſcriptione, & Pſal. 58. eodem modo, & Pſal. 59. in finem pro his qui commutabuntur in tituli inſcriptione Dauid, &c. ſecundum 70. Ioan. 19.

Gen. 24. He. 2. Gen. 24.

Ioan. 19. *Marc. 15.* *Pſal. 95.*

Abrahæ apprehendit. Venit ergo legatus ad mundum, virginem ad fontem aquarum reperit, id est, diuinas scripturas rimantem, & de profunditate literæ mirificos haurientem haustus; Miratur Cœlestis Paranymphus tantum puellæ decorem, & tam eximiam virginis pulchritudinem qualis namque fuerit, scriptura commemorat. *Puella* (inquit) *decora nimis virgoque pulcherrima, & incognita viro descenderat ad fontem, & impleuerat hydriam aqua, & reuertebatur.* Humilitate descenderat, virginitate placuerat, hydriam suam aqua repleuerat: sic namque eam Angelus salutat. *Ave gratia plena.* O plenam & plenissimam hydriam, ex qua omnis potatur rationalis natura; bibit nuncius, bibunt incurui cameli: Angelos, & homines ex tua plenitudine satiasti Maria: quis enim ex hac tua non potaturus hydria? Ex hac Angelus gloriam, iustus gratiam, peccator veniam, mœstus lætitiam, captiuus indulgentiam bibit. Omnes bibunt ex ea, neque minuitur hydria. Bibit quoque omnipotens ipse, & inebriatus amore, oblitus maiestatis propetat ad dilectã: ac velut vnicornis filius, gremio virginis capitur, carnis nexibus irretitur: sicut scriptum est. *Dilectus quemadmodum filius vnicornium.* Hanc ergo sacram Virginem in auribus, argento vermiculatis, diuitis potentisque Domini nuncius subarrhauit, virgineis auribus miranda ingerẽs sermone polito mysteria, datoque consensu filio Domini sui in perpetuo connubio desponsauit, vt in eius sacro vteri thalamo, Deus & homo iam non sint duo, sed vna caro, vna persona, vnus Deus & homo, Dominus noster Iesus Christus Dei naturam & hominis, in seipso indissolubili nexu copulans, hypostasi beata. Cui cum patre & Spiritu sancto, est honor & gloria, in sæcula sæculorum.

Amen.

* * *

Luc. 1.

Psal. 28

Can. 1.

Marc. 10. & 1. Cor. 6.

DE ANNVNTIATIONE Virg. Concio altera ad Virgines religiosas.

THEMA.

Missus est Angelus, &c. Luc. 1.

ADmirandam, omniq; virtute præstantem Genitricem Dei Mariam, pro mei ingenii exiguitate, toto animi desiderio laudare desideraus. nullum fere in sacris literis potui reperire præconium, quod ad literam eius nobis gloriam, excellentiamque demõstret Nam etsi de illa per Prophetas plurima mystice dicta factaque passim legantur, vnde possit virtutis eius magnitudo constare, in Euangelicis tamen aut Apostolicis scriptis, rarus de illa sermo, & multo rarior laus inuenitur. Quamuis vt verum fatear, non ita silentio tradita sit, vt in eorum dictis virtutum eius claritas, tenuissimo radio, veluti per quasdam verborum rimulas non eniteat. Sed vnde magis eius gloria, virtutes, doteſque animi poterimus auspicari, quam ex illo mirifico eius, & Angeli colloquio? in quo præter hoc quod angelico eloquio gratia plenissima, & omnium fœminarum prima merito prædicatur, ex gestis eius, & dictis multa in mis præconiorum eius sylua emicuit. Neque enim id cuiquam dubio est, talem & tantam Dei genitricem fore decere, vt nulla ei in vniuersum ab initio valeat fœmina comparari. Sed quomodo ita sit, cupimus non tam iudicio nostro, quam Dei eloquio demonstrare. Singula ergo Euangelicæ huius lectionis gesta percurramus, & quod dicimus luce clarius apparebit. *Missus est* (inquit) *Angelus Gabriel ad Virginem.* Qualem existimas Virginem, cui ab altissimo Angelus destinatur, quam puram, quam elegantem, quam decoram, quæ ita conditori suo potuit complacere? In poetarum figmentis, legimus Pandoram quandam, mira sui pulchritudine etiam suis factoribus stupori fuisse: hæc nostra Pandora Deo suo non stupori, sed amori magis

Luc. 1.

Hesio. in theogon. quasi omnium rerum genere donata.

magis fuit; placuit virginitate, placuit puritate, placuit humilitate, placuit denique omnigena morum virtute. Et ingressus Angelus ad eam, non enim in propatulo erat, non in foro, non in publico, non eam in choreis, & nundinis, non in ludis, & cachinnis Angelus inuenit, sed interiori domus cubiculo reclusam; libros sacros legentem, scripturæ secreta rimantem, suasq; Domino preces spiritu feruentissimo dedicantem. Hoc erat opus Mariæ, hæc vita, hoc otium, hoc officium, in hoc tota eius vita expendebatur, in hoc dies noctesque insomnes ducebat. Discite Virgines non per alienas discurrere domos, non publicis oblectari colloquiis, non cursitare per vicos, non populi frequentare concursus; discite amare clausuram, vacare lectionibus, diligere solitudinem, horrere tumultum: cachinnis enim, lusibus, choreis, & ludis, castimoniæ puritas periclitatur, animi vigor, eneruatur, & constantia mentis amittitur. Ingressus igitur Angelus ad eam, quæ viris fores claudere poterat non Angelis: ideo ingressus Angelus, quia viro non patebat ingressus: est enim frequens Angelorum concursus, vbi hominum solitudo reperitur. Socios Angelos habitura est fœmina, quæ virorum fugerit comitatum. Ingressus ouanter, salutauit reuerenter. *Aue* (inquit) *gratia plena, Dominus tecum.* Plena gratia implenda deitate, obumbranda virtute: gratia plena, de cuius plenitudine accipiunt vniuersi: de cuius abundantia totus replendus est orbis. Et vere plena, in cuius animo nullus peccato relictus est locus, nullus iniquitati patuit accessus. *Dominus tecum.* Et quomodo tecum? Non vtique sicut mecum, sed sicut nullibi: tecum in corpore, tecum in mente, tecum in animo, tecum in consilio, tecum in vtero, tecum in auxilio, tecum in ortu, tecum in exitu, tecum in fine, tecum sine fine. Ad primum autem Angeli aspectum turbata est valde, vultusq; eius palluit præ timore. Ecce pudicitiam, ecce verecundiam, nihil pauidius, nihil timidius virginibus castis, vtpote quæ pretiosum in vase fictili sciunt se possidere thesaurũ. Maria ad Angeli aspectum erubuit, vt vos Virgines virorum fugiatis consortium. Nolo virginem loquacem, nolo vrbanam, nolo facetam, sed verecundam, tacitam, timidam. & quæ inspicere etiam virum aut alloqui erubescat. Quid nunc dicam de nostri temporis virginibus? quibus solenne est procacitate sermonis etiam dicacissimos, & petulantissimos superare lenones. Oblectantur fabellis, verborum lenocinia discunt, dies noctesq; vitis confabulando consumunt: rustica est quæ verecundiã monstrat, indignaque habetur coniugio, quæ non prius petulantia vitæ prodierit castitatem. Quæ etsi virgines procedant ad thalamum, mentis tamen pudicitia sæpius prostituta est. Audistis Mariæ verecundiam, audite prudentiã. *Cogitabat* (inquit) *qualis esset ista salutatio.* Cogitabat (inquam) vt prudentissima, vt disertissima, vt sapientissima, ne forte aliquo deluderetur præstigio, eloquium angeli subtili mentis examine ponderabat; ne aut facile crederet, & illuderetur: aut cunctantius hæsitaret, & cuiparetur. Non facile credit Angelo Maria loquenti, quia leuiter credit matri Eua serpenti. O bone Deus, fœminæ fœmina quid præstat? Poterat namque Euam intentatæ fraudis colubri cõmonere figura, si mens non læua fuisset. Quid enim à serpente expectari poterat nisi virus? Non agni aut ouis speciem diabolus assumere permissus est, nõ vultu angeli splendore coruisco, ne esset potestas in fraude, excusatio in credulitate. Competentẽ sibi figuram assumpserat Zabulus, & quæ intus latentis nequitiæ, exterius præberet indicia. Sed dum cito credidit fœmina leuis, neque virulẽta colubri verba discretiuit, seipsam vniuersamq; generis sui posteritatẽ, celerius prodidit. Neq; enim difficile fuerat deprehendere fraudem, si profanum eius attendisset sermonẽ. *Cur* (inquit) *præcipit vobis Deus*, &c. Imo cur nõ præcipiat Deus, ò miser, qui omniũ est Dominus? Cur ò maledicte, non se Dominũ præcepto monstret omnium Deus, quæ con-

Vide S. Amb. 2. lib. in Lucã.

Luc. 1.

2. *Cor.* 4.

Luc. 1.

Gen. 3.

Eua leuitas in credendo.

condidit verbo? Quid insolentius, quid procacius, quam ab omnium conditore Domino dati præcepti rationem perquirere? iussionis iniunctæ causam expetere? Non tale quidpiam Angelus sonuerat virgini, sed gratiam præfatus, dominum adesse dicebat: & tamen virgo prudentissima, tam decoro aspectui, tam pio affatui, non facile præbet assensum. *Sed cogitabat* (inquit) *qualis esset illa salutatio.* Attendite virgines vos (inquã) quæ sacro caput velamine tegitis, vos quæ vitam, & animum Dei obsequio dedicastis, vos ergo quæ altis parietibus circũclusæ, non est cur viros pro corporis pudicitia paueatis, formidate dæmones, mentis vestræ puritati cauete. Vobis nãque illud Apostolicum dicitur, timeo ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita & vos seducamini non à corporis integritate, sed ab ea simplicitate quę est in Christo Iesu. Videte ne Angelus Satanæ in Angelum lucis se vobis insimulet, & deludat. Cum ergo spiritus quispiam ignotus affuerit, & sublimia vobis mysteria panderit, non facile præbeatis assensum, non celerrime reddatis responsum: sistite animum, cohibete sermonem, cogitate & vos diu exemplo Marię qualis est sermo qui dicitur, quę nam loquentis effigies, quis modus affandi quæ honestas in verbo, quæ vtilitas in oraculo, quo tendat eloquium, quid intus efficiat, quid foris prætendat, qua intentione dicatur, quo fine claudatur, quo vestro merito reueletur, quæ ratio loquendi, quæ insinuandi occasio, quæ necessitas reuelandi, quæ vtilitas apparendi? Pensate diutius qua ratione, qua causa vobis occulta pandantur. Si scripturæ sacræ consonat dictum, si approbatis moribus congruat oraculum, si statui vestro conueniat opus iniunctum; videte an elatio mentis præcesserit, an inspiciendi huiusmodi visiones appetitus affuerit, an eas petieritis, an quæsieritis, an temere vnquam affectaueritis eas, vnde sic deludi mereamini. Tandem orate Deum, humiliate animum, consulite sapientes, spirituales requirite. Assensum, fidemque suspendite, donec veritas insinuetur, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Cauete nedum angelico spiramine Deum animo concipere cum Maria existimatis, serpentis afflatu peccati virus concipiatis in corde, & amaritudinis fructum pariatis in opere. Sicut scriptum est, *concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Discernendi autem huiusmodi spiritus sufficiens ab homine documentum dari non potest. Spiritus sancti magis expectanda est gratia, quæ *discretio spiritus* ab Apostolo nuncupatur; ac propterea humiliter & deuote spiritus obsecrandus assidue, ne vos deludi à dæmone patiatur. Solet autem à doctis inter alia vnum vtriusque spiritus prænotari discrimen, quod Angelus in principio terreat, & dulcescat in fine; diabolus è conuerso. Quod etiam in hac Angeli apparitione accidisse reperimus, nam ad Angeli aspectum virgo pertimuit, quo recedente gaudio, & dulcedine plena remansit. Vnde illi ab Angelo dictum est, *ne timeas Maria, inuenisti gratiã apud Deum.* Agnouit enim sua præsentia virgini iniecisse pauorem, quem blando sermone statim mederi festinat. Sic etiam post modum mulieres ad sepulchrum aspectu Angeli territas idem Angelus verbo solatur, dicens. *Nolite timere vos.* Sed nunc cætera prosequamur. Plurima dixerat Angelus, longo verborum ambitu suam plene legationem expresserat, & nedum à virgine verbum auditur. Attendite modestiam, cõsiderate silentium, quam decorata taciturnitas in fœmina. Quid in virgine pulchrius quam loquendi modestia? non intercipit loquentem, non præcipitat responsionem; *sed velox ad audiendum, tarda ad loquendum*, prius patienter audit, & postmodum sapienter respondit. Longas Angelo præfandi concessit inducias, sibi autem respondendi breuissimas methodos destinauit. Neque prius silentium rupit, quam de pudore fieri sermonem agnouit. Sola hæc solicitudo Mariæ potuit superare silentiũ. *Quomodo* (inquit) *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* O miram pudicitiæ curã, ò inæstimabilem

Adhortatio ad virgines sacras

1. Cor. 11.

Ibidem.

1. Pet. 1.

Psal. 7.

Discrimen vtriusque spiritus.

1. Cor. 12.

Luc. 1.

Matth. 16.

Modestia in loquendo.

Eccles. 4.

Luc. 1.

lem

lem castitatis amoté, mater Dei ab Angelo pronunciabatur, & pro sua virginitate solicitabatur, Deum habitura est filium, & de suo pudore quæstionem facit; neque tanto pignore puritatis damna compensat: tanta erat in ea puritatis sanctimoniæque dilectio. Sed vnde obsecro hæc tam noua, & insueta religio? Quis te docuit ô Maria sic Deo placere pudicitiam? vnde seruandæ virginitatis documenta perceperas? vt neque Deum, nisi virgo concipere non assentias? neque enim huius rei lex tibi documentum, neque antiquitas præbuerat exemplum. Lex sterilem fœminam maledicit, virginitatis perpetuæ dignitatem non plane agnoscit antiquitas. Filia Iepte ab occisore parente suam lugendi virginitatem inducias obtinuit, lugetque diutius, non quia occiditur, sed quia absque sobole moritur innupta, acerbiorem ipsa morte filiorum reputans orbitatem. Denique in populo illo nihil optabilius, nihil beatius, quam abundare pignoribus, filios gignere, hæredes habere, & sicut scriptum est, *vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filii tui sicut nouelle oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.* Vnde & multiplicandæ potius sobolis, quam seruãdi pudoris ille populus à Deo monitionem acceperat. Vbi ergo legeras, vbi dideceras, Deo ita gratam esse virginitatem? nisi quia omnipotens Dei verbum prius fuit tibi magister, quã filius: prius te habuit discipulam, quam matrẽ: prius tuam mentem, quam ventrem impleuit. Tu ergo Virgo regia inter virgines primatum tenes, tu Virginum prima dux & magistra, tu virginitatis forma, tu virginitatis inuentrix institutrixque, tu religionis huius sacræ prima fundatrix. O virgines qualem habetis magistram. Non pater Aug. non S. Benedictus, Franciscus vel Dominicus, vel quis alius de numero sanctorum patrum, custodiendæ virginitatis institor extitit, sed virgo sacra, Dei mater, hanc prima inuenit viam, & eam Adæ filii demonstrauit, ipsa prima docuit homines cælibatum, & in carne angelicam vitam agere, & cœlestium spirituum æmulari puritatem: hæc prima virginitatẽ suam Deo vouit, & suo alios exemplo idipsum agere prouocauit. Sicut scriptum est. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate.* Omnis gloria filiæ regis ab intus. *Adducentur regi virgines post eam.* O Virginem puram, Virginem vnicam, Virginem singularem, & vere singularem, vere vnicam, ad quam nulla est alia virgo, cuius comparationem omnis alia virginitas corruptio videri potest. Cæteris namque virginibus sat est incorruptas esse corpore, intactas haberi carne: quæ nam est enim aut fuit vnquam alia virgo, quæ cogitationis libidinem non senserit? carnis molestias non pertulerit? Sat est si vicit, sufficit si non succubuit. Maria tota & vndiquaque virgo, virgo carne, virgo & mente, virgo aspectu, virgo contactu, virgo cogitatu, virgo affectu, virgo sermone, virgo opere, virgo spiritu, virgo sensu, virgo plenissima, virgo illibata, intacta corpore, intacta mente, intacta cogitatione, non solum à libidine, sed etiam ab omni peccatorum sorde, & vitiorum contagio. Sacra, pura, & immaculata virgo, cui etiam præ aliis hoc erat virginitatis insigne, vt inspectores suos (vt ita dixerim) virgines faceret. Erat enim in ea (vt Prophetę vtar eloquio) *virgines germinans* virginitas. Mira res & admiranda gratia: cum esset sine cõparatione pulcherrima, & facie decora nimis, inspicientium oculos, non modo sua pulchritudine, non lædebat, sed eo magis sua honestate & venustate honestabat, sanctificabatque. Denique vt quod de hac virgine sentio, vno verbo dicam, ita corpus eius carneum, quasi argenteum, aut crystallinum intelligo. Tam longe ab eius mente, & carne aberat omnis libidinis sensus, & labes: talis est Mariæ puritas, talis virginitas, talis est hæc quam recolimus virgo; ideo complacuit altissimo, ideo super omnes dilecta, ideo Dei mater electa. Neque in cæteris etiam virtutibus obscurior erat, sed vt luna plena, virtutibus vndequaque

Exod. 23. Iud. 11.

Psal. 127.

B. Maria primum inuenit vitam virginalem.

Maria alias virgines superat multis modis.

Zach. 9.

Psal. 44.

Eccl. 50.

que: refulgens, totam Ecclesiam suo fulgore irradiabat. De fide enim illius, quicquid dici potest pro merito minus est: vtpote quæ ipsi etiam Angelo nuntianti fuerit stupori; non enim communia & vsitata sunt, quæ solo dicto Mariæ credidit, sed inaudita penitus, & quæ omnem superant facultatem omnē intellectum excedunt, Deum fieri mortalem: hominem Deum de fœmina nasciturum; virginem sine viro conceptuam: Deum parituram, & virginem permansuram. Qualia sunt hæc vt solo verbo credantur? Ecce ab incunabulis huiusmodi mysteria didicimus & audiuimus, & post tot miracula ac testimonia, cum hæc penssiculatius cogitantur, quotidie nobis noua fiunt, & præ illorum magnitudine stupescimus, contremiscimusque. Quid putas cum sine hominis testimoniis, primum ab Angelo dicta sunt, futurum in virgine, nisi eam Deus suo lumine & gratia præueniisset? sicut eidem Angelus dixerat, *Dominus tecum*. An non in illa Dominus, quæ ad tot & tantam mysteria capienda, intelligenda, credendaque solo angeli dicto præualuit. O miram fidem, ò stupendam credulitatem, cum tanta sunt quæ dicuntur, neque exemplum petit, neque miraculum quærit, neque rationem exposcit, neque testimonium postulat, neque rerum impossibilitatem causatur. Tanta facilitate credidit, vt ipse etiam Angelu miraretur Et hocipsum quod ad fidem eius astruendam de Elizabeth testimonium adduxerat, licet ab illo quòd nunciabatur mysterio longe distantius, quia simile à seculo reperiri nō potuit, fidei virginis superabundauit: sic in Dei obsequium suum redegerat intellectum sic per omnia Deo subdita erat, ac Deum omnia quæ voluerit posse sibi persuaserat. Confer nunc ad hanc virginis fidem omnem illam sanctorum patrum credulitatem, quam in illo fidei catalogo porenti eloquio super astra effert Paulus, & inuenies hoc esse ad istam, quod stella ad solem, lens ad montem, guttula ad Oceanum. Fidem Abrahæ præ cæteris Apostolus miratur, & merito, non enim fuit infœcunda, sed obedientiæ operibu plena, vnde per eam iustificatus est, & reptomissiones promeruit obtinere, sicut scriptum est: *credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*. Sed qualis est ista fides, si ad fidem virg nis conferatur? Vnde obsecro per fidem iustificatus est Abraham, vnde amicus Dei constitutus est Abraham, vndeamicus Dei constitutus est? *Quia* inquit *contra spem, in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei: sic erit semen tuum sicut stellæ cœli, & arena maris, & non est infirmatus in fide, neque consideravit corpus suum emortuum, cum iam fere centum esset annorum, & emortuam vulnam Sare: in repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere*: ideo *& reputatum est illi ad iustitiam*. Quam potenter, quam eleganter Abraæ fides commendata est? sed quid hoc ad virginis fidem? Abraam stertilem anum parituram credidit, Maria virginem: Abraam ex sene viro, Maria sine viro: Abraam purum hominem, Maria Deum & hominem; Abraham vsitato naturæ modo, Maria præter omnē naturæ vsum & modum: Abraam Deum posse etiam mortuum suscitare, vt impleatur promissio, Maria Deum nasci, & mori posse, vt in eo omnes promissiones impleantur, assensit. Vide nunc fidei ad fidem quantum interest, fides fidei quid præstat. Ecce qualis & quanta sit ista fœmina, quam sibi in matrem, & cunctis seculis in exemplum elegit altissimus. Sed cum talis ac tanta esset, nunquid superbiæ vel modicum in ea vnquam vestigium repertum est? Imo quo cæteris dignitate & gratia sublimior, eo propria æstimatione humilior inuenta est. Prodigiosa humilitas, tantæ agglomerata virtuti? cum enim peccator pondere peccatorum oppressus humiliat se, hæc non tam humilitas, quam veritas dicenda est: sed gratia super gratiam, decor super decorem, humilitas in virtute. Vnde in canticis. *Ecce tu pul-*

Rom. 4. & Gen. 15. Gal. 3. Iacob 2. Rom. 4. & infra. Rom. 4. Heb. 11. Gen. 2. Eccl. 26. Cant. 1.

2. *Cor.* 10.

Heb. 11. *infra.*

Fides Abrahæ mira; admirabilior B. virginis.

chra es amica mea, ecce tu pulchra. Geminata pulchritudo, humilitas in puritate, puritas cum humilitate. Cæteros quoſque etiam ſanctiſſimos viros, & illuſtriſſimas fœminas, humiles apud Deum fuiſſe nemo mirabitur, quia etſi iuſti & recti, habebant tamen aliquid vnde merito humiliari poſſent. Quis enim ſanctorum ab omni peccatorum labe immunis penitus inuentus eſt? quis non aliquando defecit? quis non intra ſe aliquando inuenit quod doleat? vnde lugeat? vnde humilietur? vnde ſibi & aliis quandoque diſplicerat? quippe qui *appendit aquas in menſura*, ſic eos virtutibus & infirmitatibus librauit, vt quantum illos virtus exaltat, tantum eos infirmitas deiiciat. Vnde, & Apoſtolo gentium, *ne reuelationũ magnitudo eum extollat, ſtimulus ſatanæ datus eſt, qui eum colaphizet* & humiliet: *propter quod gloriatur in infirmitatibus ſuis*, Apoſtolorũ minimum, & abortiuum, nominans & reputans ſemetipſum. Nõ (inquã) valde miranda hæc humilitas in Paulo, quem ſatanas colaphizat, quem tentatio deprimit, quem lex membrorum vehemẽter moleſtat, & angit, adeo vt exclamare cogatur *infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* At tibi vnde obſecro humilitas, & tanta humilitas, ò Maria? in qua non modo nihil obſcœnum aut fœdum, nihil deforme aut lubricum, ſed heroica omnia, ſplendida, candida, niuea, pura, & ſupra quam dici poteſt illuſtria. Talem enim te nouerat qui dicebat. *tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Hæc (inquam) vera humilitas eſt, ex tam ſublimi virtutum culmine deiicere ſemetipſam, & in tanto dignitatis faſtigio exiguam ſe in ſuis oculis reputare. Grandis me fateor admiratio tenet, quoties huius Virginis celſitudinem, humilitatemq; reſpicio: portentum, glorioſum, cunctis ſeculis admirandum, tam ſublimi celſitudine non exaltari. Miſerum me, qui ſi aliquid vel modicum deuotionis, ſcientiæ, aut virtutis à Domino videor ſuſcepiſſe, iam me aliquid eſſe credo; iam in oculis meis magnus ſum: peruolant in animo vanitatis innumeri cogitatus: intumentium vaniſſimarum cogitationum ſtrepitus inuitus ſuſtineo, & cæcutientibus animæ oculis vix me agnoſco eſſe quod ſum, diſſoluitur inani lætitia vaniſſimũ cor, & cæco de ſe iudicio miſerabiliter animus intumeſcit; latentis vanitatis & ſuperbiæ foris panduntur indicia, & neque hominum pudore à propria me laude contineo. quid ſi re ipſa magnus eſſem? quid ſi Propheta, Apoſtolus, aut Euangeliſta Domini fierem? quid ſi pontificia dignitate aliis in Eccleſia præeſſem? Quis meam hominum poſſet arrogantiam ſuſtinere? O virgo ſacra, quomodo hoc tanto nuncio non tota præ gaudio dirrumperis? quomodo hac dignitate tua præ lætitia non tota diſſoluetis? quomodo non per vicos, & plateas fœlicitatem hanc tuam proclamãdo diſcurris? O miram fœminæ grauitatem, ſed ſeueritatem, ſed modeſtiam, ſed continentiam, ſed humilitatem, ſed prudentiam, ſed pudorem, ſed honeſtatem, ſed virtutem, ſed animi vigorem, conſtantiamque. Quid de te dicam ò virgo? Ecce mater Dei, Domina mundi, cœlorum terrarumque regina conſtituta erat, & in eius puriſſimo vtero tantum ac tale myſterium Diuina virtute celebratum fuerat, & nemo ab ea nouit, nullus audiuit, nullus ab ea ſecretum didicit: tacuit ſemper, ſiluit, donec prodente Deo, apud cognatã ſuam Elizabet myſterium prapalatum eſſe cognouit: Tunc primum ſpiritu feruens, ſilentium rupit: tunc oris & linguæ in Dei præconium fræna laxauit: tunc miram Deo cecinit cantilenam. *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit Spiritus meus in Deo ſalutari meo.* Quieuit tũc ſacræ Virginis animus à tanto ſilentii pondere, Spiritu ſancto reuelante myſterium reuelatur. Sed neque ſponſus ipſe Ioſeph, cui manifeſta ſigna conceptus grauiſſimum ſuſpicionis dolorem ingeſſerant, ab ea quicquam audiuit, donec reuelante Angelo myſterium cognouit. Diſcite vos virgines occultare ſecreta, diſcite oſtenſa vobis celare myſteria. Si quid ſecretiore mentis cubiculo in

Iob 28.
1. Cor. 12.
2. Cor. 15.
Rom. 7.
Ibid.
Cant. 4.
1. Reg. 15.
Cant. 3.
Iſa. 42.
Luc. 1.
Matth. 1.
Matth. 10.

Isa. 24. lo in aure cordis auditis, non ſtatim effundere ſuper tecta: ad vos illud prophetæ verbum ſpectat, *ſecretum meum mihi.* Et quod alius Propheta inquit, *ſilui à bonis.* Cultus enim iuſtitiæ ſilentiũ: quia quo anima in occultandis ſpiritualibus theoriis continentior eſt, eo ad eas ſuſcipiendas magis idonea & capacior redditur. Vaſa enim quæ cito effluunt, minus rapiunt. Contine apud te ô anima cœleſte myſterium, quia non dirumpet te, ſed Deo largitori gratiorem te reddet. Theſaurus qui à viatore inſipienter in via proditur, furti periculo euidenter exponitur: quia vt Gregorius ait, *depradari deſiderat, qui theſaurum publice in via portat.* Ezechias rex, theſauros regios & templi quos inconſulte legatis Babylonicis oſtendit, quia ſtulte propalauit, amittere prometuit. Æmulamini ergo Virginis Mariæ taciturnitatem, æmulamini humilitatem: hæc enim quæ in oculis Dei talis, ac tanta erat, quo magis angelica legatione exaltari ſe intellexit, eo in ſua opinione profundius deiecit. Cum enim gratia plena, & ſuper omnes fœminas benedicta ab angelo diceretur, ipſa è conuerſo humilians ſe, quid de ſe ſentiat, & quid reſpõdeat audite. *Ecce* (inquit) *ancilla domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* O fœlicem ancillam, cui ancillantur omnia: beatam famulam, cui omnia famulantur. Hanc imitamini ancillam, ô ancillæ Chriſti, huic famulæ toto mentis ardore famulamini, hæc ſit vobis vitæ familiare & quotidianum exemplar, hæc in oculis veſtris ſemper & vbique verſetur, hanc honorate, hanc diligite, hanc obſecrate, hanc ſequimini, huic tota vos deuotione committite, hunc puritatis librũ digito Dei intus & foris ſcriptum aſſidue perlegite: legite in eo ſanctimoniã, legite pudicitiam, legite prudentiã, legite charitatem, legite manſuetudinẽ, legite humilitatem, legite denique omnium virtutum pleniſſimam plenitudinem: legite intus virtutem; foris legite honeſtatem; vt poſt eam in odorẽ vnguentorum ſponſi currentes, & dramatis cantica perſonantes, beato eiuſdem ſponſi conſortio & cõnubio perfruamini in æterno illo beatitudinis, & gloriæ thalamo: in quo cum patre, & S. S. viuit, & regnat Deus, in ſæcula ſæculorũ Amẽ.

Pſal. 37. & Iſa. 42.

Iſa. 32.

Iſa. 39.

Luc. 1.

Apoc. 5.

Cant. 1.

DE VISITATIONE VIRginis, Concio.

THEMA.

Maria exurgens abiit in montana cum feſtinatione. Lucæ 1.

QVid eſt hoc quod audiuimus fratres? quid in auribus noſtris inſonuit? Rem profecto mirabilem, & cui à ſæculo non eſt audita ſimilis. Ex ſecreto maternorum viſcerum duo paruuli, totius mundi gaudia futura, præludunt: ante ortum gratulãtur infantes, & prius norunt oblectari, quam naſci. O tripudium Natiuitate antiquius, ex matrum viſceribus nõdum editi paruuli, mutuo ſe ſalutant, & vnus gratiã infundit in alterũ, alter infuſam ab alio recognoſcit; vnus dona largitur, alter pro donis, & gratia, ante cunabula pueri. *Quis audiuit vnquam tale? quis vidit huic ſimile?* Certãtes olim pueros in vtero Rebeccæ audiuimus, & ante ortum inuicem contẽdentes: mirandam profecto monomachiam in arctiſſimo vteri campo, grandi futurarum myſterio: quoniam duorum populorum duo infantuli typum gerebant. Sed longe hoc tripudium illo duello mirabilius. Antiquior ibi pugna natalis hic amor: ibi certamẽ, hic gratia; ibi diſſidium, hic fœdus. Certabant in vtero illi, iſti tripudiant. Sed longe præſtat amicitia bello, quia illi quid agerẽt ignorabant, iſti ſciebant; non ſuo enim, ſed ſolo Spiritus S. inſtinctu illi certabant: hi vero longe fœlicius, & multo, prodigioſius feſtiuã cordib. lætitiã agunt, & amicitiam quam ineunt optime norunt. O cordatos pueros, ô infantes diſſertiſſimos, pueros dixerim an viros? Certe ante cunabula viros; neque viros modo ſed inſignes in vtero philoſophos. O beatũ Baptiſtã Dñi tali gloria decoratũ: nam de Chriſto vero Deo, & homine, quis mirabitur? De Chriſto lõge pri-

Iſa. 66. Gen. 25.

Hie. 3. vaticinatum fuerat, quia *nouum esset factu-rus Dominus super terram, vt fœmina circundaret virum.* Hoc vaticinium in Ioanne etiam impletum est, sed longe distantius, quia quod Christo perpetuũ erat, Ioanni ad punctum datum est. Transeunte enim illo Diuini luminis radio, ad infantiam Ioannes rediit. Christus Dominus infantiam non nouit: infantiam dico, non corporis, sed mentis; semper enim fuit mente qui est Sed iam huius tam mirandi tripudii modum, & causam penitus inquiramus, à radice (quod aiunt) mysterium exordientes. Post infectam peccato protoplasti naturam, communi lege nullus nascitur non infectus, seruituti addicti nascimur, & ante sumus iugulati quam nati, primos generis nostri truncos prius habuimus occisores, quam genitores. Hac etiam peccati lege Ioannes tenebatur, hac communi macula in vtero fœdabatur. *Venit Deus in mundum, quem quærere quam perdiderat*, vtero Virginis concipitur, tegmine carnis velatur, prospicit statim sub iugo pressum amicum, & cõmuni tabe fœdatum: dolet amici vicem amicus pius, festinat liberare dilectum: non in longum differt, non largas præbet inducias morbo, sed virgineo vectus curru, per mõtium culmina properat ad amicum. Sic enim Lucas Euangelista festinabundam commemorat virginem per montana; & multo ante sapientissimus Salomon hoc ipsum in spiritu luculenter cecinerat dicens. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles, Similis est dilectus meus caprea hinnuloque ceruorum. En ipse stat post parietem nostrum, en dilectus meus loquitur mihi. Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Nequeo satis mirari, tam lucidã & tam expressam huius mysterii prophetiam. Quid aptius dicere potuit, si vidisset? certe vidit non in corpore, sed spiritu. O celerem columbam, per culmina montium prævolantem Virginem Deiparã; ò festinabundum hinnulum, iuga collium transilientem Christum Dominũ: ò faciem decorã, ò vocem dulcissimam, vocem potentem, vocem acutam, senis cognatæ viscera penetrantem. *Ecce* (inquit) *vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Illa enim voce sonora dum cognatæ pertulit aures, latenti intra viscera puero spiritũ sanctificationis immisit. Hac voce potenti infans in vtero parentis perculsus excutitur, excitaturque ignorantiæ somno sopitus, oculos cordis aperuit, & latentem post parietem carnis, cœlorum regem mira perspicacitate cognouit: festinat exire obuiam maiestati, publicare latentem: inuadit ventris anguli latera prodire conatus, sed immaturo adhuc partu exitũ negante natura. Mira res, genua flectit vtero, & quem verbis salutare non potuit, prophetico gaudio recognouit. Adorat velut alter Ionas in vteri templo factorem suum, & quia suo non finitur, parentis euangelizat eloquio. O mirabilem præcursorem, ò visum acutum, ò pluſquam lynceos oculos, Dei maiestatem intra virginis viscera penetrantes: feruens nuncius, qui ante gestiuit nunciare, quam viuere: impatiens dux, qui antequam perueniret ad ortum, peruenit ad regem; ante rapuit anima, quam membra: ante acrem petit, quam lucem: & vt vinceret mundum, vicit ante naturam. *Quid dicam fratres, Ioannes antequam Christum præcederet, seipsum præcessit. Augustinus.* Cui comparabimus paruulos istos? aut cui assimilabimus eos? Similes profecto sunt musicis citharædis citharizãtibus in citharis suis, qui conceptam animo harmoniam cõsonantibus citharis modulantur. Neque enim aliter miro concentu temperante prophetant matres spiritu paruulorum, & intus dictantibus pueris sono resonant præsagientes amœno. Solet hoc naturali quodam prodigio in consonantibus citharis euenire, vt vnius chorda pulsata, alterius quæ eodẽ puncto concinnis est chorda, & nulla alia contremiscat. Cuius causam cum sæpissime perquirerem, inuenire non potui.

Christus infantiam non nouit.

Luc. 15.

Cant. 3. & infra.

Luc. 1.

Ion. 2.

Apoc. 11.

ni. Quis enim non miretur, quod sola consonantia motum faciat? Quid enim agit concentus ad motum? Ita omni contingit in proposito, concinnes erant citharœdorum cœlestium lyræ: vna verbum, altera vocem gestat. Et quid verbo consonatius sua voce? Personat vna, contremiscit altera. *Vt facta est* (inquit) *vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* Quid ni exultaret, quid ni contremisceret lyra, etsi non pari puncto, simili tamen temperata concentu? Sancto itaque spiritu afflatus Ioannes non solum à contagio peccati mundatur, sed etiam accelerato iudicio præsentem inspicit redemptorem, præcursoris officium ab vtero inchoat: & prius officium nouit exercere, quam vitam. Iniunctum sibi à Deo munus accelerat immaturus ortu, maturus officio, ne videlicet sibi datum quispiam subripiat honorem. *Venit* namque *in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.* In hoc natus, in hoc missus à Deo non patitur à quopiam eius testimonium præueniri, ne præcursoris ei quisquam auferat dignitatem. Magna hæc Ioannis gloria, quod post virginem sacram, primus verbum incarnatum agnouit, & primus omnium promulgauit. Neque enim virgo propalauerat ante: magnus Deitatis præco missus est Ioannes, tantum sacramentum primus prodidit orbi, post hunc pia mater, deinde grauissimus pater, deinde Ioseph, deinde Angeli, Reges, pastores, etiam iumenta agnouerunt. Nouit Simeon, nouit Prophetissa Anna, nouerunt alii: sed primum omnium Ioannes & nouit, & prodidit, hoc solus decoratus honore. Non ergo solummodo sanctificare amicum Christus accelerat: sed etiam honorare; sanctificare quippe absentem poterat, sed adesse festinat, ne dilecto concessum alius surripiat locum, tantum namque Incarnationis mysterium diu in mundo latere non poterat. Prius itaque in vtero demonstrauit tripudio, quem postmodum in deserto ostensurus erat digito. O verum amicum Christum, cui est tanta solicitudo pro amico. Discamus ab his amicitiam fratres, discamus ab eis necessitudinis iura; vera namque illa necessitudo est, quę non tam corporis, quam animæ damna deplorat: quæ vulnera cordis plusquam corporis in amico sanare festinat: quæ nunc consulendo, nunc corripiendo, nunc admonendo à iugo peccatorum exuere conatur amicum. Væ adulatoribus amicis, *qui consuunt puluillos sub omni cubito*, vt quiete dormiant in peccato. *Væ palpantibus vitia, qui fucatum liniunt parietem sine temperamento, vt non appareat peccati macula, & grauius inualescat.* Pensate fratres qualia sunt vlcera peccatorum. Si ab alieno enim maculæ originalis contagio mundare amicum sic festinat Christus: à proprio mortalis criminis tĕatu quanta celeritate nobis festinandum est? *Væ qui protrahunt iniquitates suas trahentes iniquitatem in funiculis, & quasi vinculum plaustri peccatum*: quibus dum securiores sunt, repentinus superueniet interitus, & non effugient. Sed ad historiam redeamus. Post quam igitur virgo regia vteri sui mysterium propalatum vidit exultans animo, plena spiritu, repleta gaudio, feruore spiritus inflammata, suauem Domino cecinit cătilenam: virgo (inquam) illa cui etiam loqui rarissimum erat, præ magnitudine spiritus voce sonora cantare compellitur. O nimiam spiritus redundantiam, ô feruorem cordis immensum: beatæ aures quæ ab ore virgineo festiuum cănticum audire meruerunt. Non est auditum simile canticum ab initio, vnde merito canticorum canticum veniet nuncupandum, quia videlicet & authoris maiestate, & materiæ dignitate, & styli actimonia, omnia sanctorum cantica exuperat. Plures namque olim matronas, vt viros omittamus, cantica edidisse scriptura commemorat. Cecinit Debora victoriam à Sisara: Iudith Holofernem extinctum: Moysi soror Pharao nem submersum: Anna quoque pro filio Samuele longiores Deo gratias edidit; sed non sic hebræas ille audire canentes, vt Prophetissam nostram delectat.

Luc. 1. *Ioan. 1.* *Ioan. 3.* *Ezec. 13.* *Ibidem.* *Isa. 5.* *1. Thess. 5.* *He 5.* *Ioan. 1.* *Luc. 2.* *Isa. 4.* *Ioannes Christum præcæteris omnibus agnouit.* *Apoc. 3.* *Cantică Mariæ excedit omnium S. S. cantiones.* *Iud. 5.* *Iudith 15.* *Exod. 15.* *1. Reg. 2.*

ctat. Magnum illum citharœdum agnoſco ſua cithara perſonantem, & virtute harmonica dæmones expellentem: notam omnibus figuram ediſſero, Dauid
1. Reg. 16. cithara perſonante Saulis obſeſſum animum diabolus deſerebat. Mira res, muſica fugatur zabulus, & qui iuxta ſentẽtiam Iob, ſagittas reputat quaſi paleas,
Iob 41. & lapides fundæ velut ſtipulas ſpernit, *deridet etiam vibrantem haſtam*, & duriſſimos maleos pro nihilo pendit, ad citharæ ſonitum tremefactus recedit: & quem nulla vis ſuperat, ſuperat harmonia. Later pro certo in cithara illa myſterium: figura illa erat, hæc veritas, hic impletur quod ibi ſignatur. Hoc eſt illud dulciſſimum decachordum, quo cithariſta propheticus toties gloriatur: hoc dæmon expellitur, præcurſor ſanctificatur, puer exultat, mater prophetat. *Hoc* decachordo etiam nunc cum
Pſal. 91. deuote concinitur, iniquas cordis ſuggeſtiones propulſari, lubricas carnis tẽtationes emolliri, dæmones peſſimos effugari merito erediderim. Vnde non abs re à cunctis fidelibus hoc canticum maxime celebratur, & ſumma deuotione recolitur. Denario itaque verſuum numero cõpletur vt decachordi teneat veritatem. Ecce authorem cantici, ecce harmoniæ cæleſtis modulatorem, Chriſtus intus dictat, virgo foris perſonat. Ab huiuſmodi cõpoſitore & cantatrice qualem reputaſ prodire cantionem? Sed res ipſa quæ concinitur, etiam altiſſima eſt, & cui omnis laus nequeat adæquari. Nõ modo inſignes principum victorias, nõ acies hoſtium leuiter profligatas, non currus Pharaonis ponto ſubmerſos, non ſicco per vndas veſtigio tranſeuntẽ populum virgo commemorat: grandius hæc perſonat fœmina, altior illi cauſa
Exod. 14. canendi. Myſteria magna canit, ineffabilia dona recenſet, pro filio non prophetæ ſolum, ſed Deo Prophetarum Domino gratias refert, & quia (mirabile dictu) ſuum & omnium genuit conditorem, quia diuinam vtero progeniem geſtat, quia diuinum verbum ventre recondit, numen in carne pangit, viſcera Diuinæ pietatis extollit, deiectos ſuperos inferoſq; leuatos, diuites excluſos, pauperesq; ditatos, potentiam magnam nimis ineſtimabile pondus amoris, mũdi reparationem, diaboli deiectionem, peccati euerſionem potenti ſermone deſcribit. Non tali Sappho carmine fluit, non lyricus ſic poeta demulcet, conſonat myſterio ſtylus mirificus, dulcis, ſuccinctus, floridus, lenis, placidus, fluidus, plenus, ornatus, venuſtus, ſpiritu, & deuotione refertus; neſcias elegantiæ an ſapientiæ cui tribuas palmam. Mira vtrinq; venuſtas, arcta, ſermonis methodo numeroſos ſenſus includit, exiguo metrorum ambitu, grauiſſimas ſententias claudit: nunquam ſic fœmina locuta eſt, nunquã ſic cecinit virgo. Sileant omnes muſæ, ſileant Gentilium celebratæ camœnæ, ſileat Sibylla furens, ſileat lacinioſa poeſis, ſileat Sirena dulcis, garrula etiam Philomena contineat: ſileat omnis hominum auiumq; harmonica laus. Cythara regis ſonat, deipara virgo canit; ſed iam ipſam virginem canẽtem audiamus. *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*, &c. Quam venuſte, quã pulchre ſenioris cognatæ palinodiam canit? quam pie, quam humiliter impenſas ſibi laudes in honorum omnium largitorem Deum detorquet, ac ſi dicat. Tu me ò Elizabeth cognata magnificas, ſed ego non magnifico meipſam, ſed pro his omnibus quæ dixi, *Magnificat anima mea Dominum. Exultauit* etiam (vt ais) ad vocem meam infans in vtero tuo. Sed & *ſpiritus meus* ſupra modum præ gaudio exultat *in Deo ſalutari meo*. Tu me beatã dicis, nimirum, quia neque prima, neq; ſola, *ex hoc enim beatam me dicent omnes generationes*, & natinatorum, & qui naſcentur ab illis. Sed vnde beatam? merito meo? imo reſpectu Diuino. Nam *quia reſpexit altiſſimus humilitatem ancillæ ſuæ, ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes*: ſed merito, ſed iuſte. *Fecit enim mihi magna qui potens eſt*. Agnoſco gratiam, magnitudinem non vſurpo; magna ſum fateor, ſed non ex meipſa magna ſum, ſed *quia fecit mihi magna qui potens* potuit, & fecit,

Canticum B. Mariæ.

cit; & fecit, quia voluit: ideo ſanctum *nomen eius*, benedictum, & glorioſum. Quanta mihi fecerit, quantam me potentiam oſtenderit, ſolus nouit, ego dicere non ſufficio; ſed pro his nomen eius ex intimis viſceribus benedico. Sed nunquid mihi ſoli? imo toti hoc beneficium impenditur orbi. Nam *miſericordia eius à progenie, & in progenies*, omnibus quo ad ſufficientiam, ſed *timentibus eum* quo ad efficaciam. Sed quam miſericordiam? quia à peccati ſeruitute potenti eius virtute homines liberati, & regni cœleſtis participes effecti ſunt. Ex generationibus namque humanis opere ſuo redemptis, angelorum ruinas reparauit; illos potenter deiecit, hos miſericorditer ſubleuauit. *Fecit* namq; *potentiam in brachio ſuo*, verbo ſuo, filio ſuo; *diſperſit ſuperbos*, & angelos & homines, *mente cordis ſui*. Nam & angelos potentes, & de ſua potentia gloriantes depoſuit de ſede cœleſti, & illuc exaltauit à terra humiliatos homines. *Eſurientes* quoque Gentiles populos gratiæ ſuæ *bonis impleuit*, *diuites* Iudæos propter ſuperbiam ſuam *dimittens inanes*. Hæc (inquam) omnia tam potenter quam miſericorditer operatus eſt ex quo in oculis eius inueni gratiam, vt fierem mater eius. *Suſcepit Iſrael puerũ ſuũ*, nõ alicuius merito, ſed *recordatus miſericordiæ ſuæ*: recordatus ẽt veritatis ſuæ, quia ſic promiſerat *ad patres noſtros*, ſpecialiter *Abrahã, & ſemini eius*, nõ ad tempus, ſed *vſq; in ſæcula*: quod n. ſemel aſſumpſit, in perpetuũ nõ dimittet. Quam mire, quam ſuccincte verbi Incarnationem expreſſit? Suſcepit (inquit) non enim conuerſione Diuinitatis in carnem, nõ ſubſtantiarum confuſione, non mixtione, aut compoſitione aliqua vtriuſque naturæ, ſed aſſumptione mirifica humanitatis in Deum, Deus homo factus eſt. Illum autem benedictiſſimum Diuinæ, humanæque naturæ ſuppoſitum Ieſum, puerum nuncupat, & Iſrael: aptiſſime quidem vtrumque, & conuenientiſſime: quia ab omni peccati labe puriſſimum, & ab vtero comprehenſorem, deitatiſq; oculatiſſimum nouerat inſpectorem. Rationem quoque huius tam admirandæ vnionis ſapienter exprimit, cum ait; *recordatus miſericordiæ ſuæ*. Id eſt, non alicuius meritis, non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ex miſericordia ſua, & gratia ſua pura. Quis enim tantum donum vnquam potuiſſet promereri? & aliam quoque rationem ſubiungens, ait. *Sicut locutus eſt ad patres noſtros*, id eſt propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum. Sed de tempore quoque, ſi dubitas quandiu hæc tam pia hominis ſuſceptio, hæc Dei hominiſque tam mira coniunctio duratura eſt, *vſque in ſæcula*, inquit: & ita concludit. Audiſti vnquam diſertiorem, ſuauiorem, elegantiorem cantilenam? Quid hac virgine ſapientius? quid elegantius? quid prudentius? quam breui eulogio modum, proprietatem, rationem, vtilitatem, & tempus tam admirandi operis circunſcripſit? quam perite, quam ſuccincte ea definiuit, quæ neque lorgo potuiſſent explicari ſermone. Hanc audire geſtiebat in ſpiritu ſapientiſſimus ille, Salomon, qui cum nulli ſapientia cederet, huic ſoli credere non erubeſcit. Hanc ad canendum prouocabat, cum ait. *Quæ habitas in hortis*, id eſt, ò deliciarum hortus *amici auſcultant te, fac me audire vocem tuam*: auſcultant te (inquit) amici, id eſt ſponſus & amicus eius Ioannes, ſic enim ſe ipſe Ioannes nominare ſolebat: auſcultant te (inquam) maximi illi citharœdi, auſcultant te Angeli, auſcultat te omnis cœleſtis illa maieſtas. O fœminarum pulcherrima, fac me audire vocem tuam. *Vox enim tua dulcis & facies tua decora nimis*. Expletis ergo tribus menſibus, poſtquam cognata Elizabeth filium ſuum peperit, & virgo eum manibus tenens benedixit, ad propria rediit, ſicut aduenerat lætabunda. Hæc de hiſtoria. Æmulamini vos quoque ò virgines hanc virginem, & celeri poſt eam greſſu virtutum montana conſcendite: peruolate pfectionis culmina, & ardua Euangelicæ inſtitutionis iuga trãſilite; ipſe nãq; ſcitis quia in hoc poſitę eſtis, &

Luc. 1.

Tit. 3.

Rom. 15.

Cant. 8.

Ioan. 3.

Dan. 2.

Adhortatio ad virgines, quarum vita non aſcenſum ſed volatum requirit.

hoc

hoc ipsum à primo vestræ religionis ingressu sedulo destinatis. Quid enim aliud hæc vestra religio gestit? quid aliud ista professio ambit? nisi volatum, nisi cursum, nisi ascensum? Ardua est profecto virtutis via, difficilis ascensus ad vitam, & pœnitentiæ rigor vigore animi superandus: pertinaci opus est labore, vt perfectionis fastigia pertingamus: nullus desidiosus hanc arripiat vitam, nullus lubricus hoc iter assumat. Sunt enim qui fermenter incipiunt, sed post modicum itineris asperitate perterriti, aut sistunt, aut desistunt, & cum opprobrio ad inferiora relabuntur. Quibus proculdubio melius fuerat non inchoasse quod nequeunt. *Luc. 14.* Hos illa Euangelii derisio pertulit, quia dicitur. *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare*; quare non prius sedens sumptus computauit huiusmodi? Nulla autem vos instituti asperitas deterreat ab incœpto, perseuerate instanter, alacriter cœptis insistite; *Adagium.* *labor improbus omnia vincit.* *Psal. 90.* Timorem hunc nocturnum à cordibus vestris repellite, hic enim degeneres animos arguit, & fascinat hallucinantes oculos, vt non videant veritatem: hic ex iniquos cumulos in montes altos & culices paruos in grandes magnis attelephantos. O si daretur rem ipsam vt est, & non per speculum intueri. *Matth. 11.* *Iugum* fateor est quod imponitis, sed *suaue onus* quod assumitis, sed *leue*; non premit, sed fulcit; non deiicit, sed reficit: non onerat, sed leuat. Nolite religiosi itineris soueas admirari, nolite præruptæ perfectionis expauescere; sunt in eisdem passim prata virentia, fontes dulcissimi, amœna virgulta, quibus viator amplius reficitur quam ex via lassatur. Superatus autem huiusmodi iugis, arridet sursum ampla planities, aspectus placidus, delicioſa mansio, quæ est iucunda, quodum celerius peruenitur, omnis præteritus labor penitus traditur oblationi: breuis namq; labor, & inenarrabile solatium. State ergo, & rebus vos seruate secundis: veniet ecce tempus quando huius vos non pigebit meminisse laboris. Sciotamen vnde quibusdam accrescere soleat progrediendi difficultas, nempe ex carnalium passionum desideriorum temporalium, & curarum pondere: huiusmodi namque ponderibus pressi, & talibus pedicis irretiti pedes animæ, id est, affectus lentius vadunt. Vnde non tam via difficilis, quam pes grauis: non ascensus arduus, sed magis ligatus est gressus. Soluite ergo huiusmodi peccatorum nexus, & infœlices has passionum sarcinas procul abicite, & peruia vobis erunt montana virtutis. Exurgite cum Maria, vt festinetis; festinate vt perueniatis. Quæ enim in peccatis iacet anima, quomodo festinabit? quæ præ tædio non festinat, quando perueniet? Pellatur ergo culpa, pellatur & desidia: pollutus enim gemmatum pauimentum, & Ciuitatem auream ingredi non permittitur: & regnum Cœlorum nisi violentus, nullus arripiet. Non ergo frustra dictum est, quod Maria exurrexerit, & quod festinauerit in montana, sed proficiendi modus in Deipara Virgine nobis est definitus. Sed diceus forsitan. Quomodo tu nos in montana festinare compellis, cum id aperte Psalmographus interdicat? Exprobrat enim quibusdam id suadentibus, dicens: *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer?* Et alius Propheta clarius. *Qui credidit non festinet.* Ecce festinationem & cursum quem tu indicis, veritas interdicit. Sed verendo obuiat dictis elogium sacrum, hæc enim verba scripturæ propter quosdam imbecilles & inconstantes introducta sunt, qui præ nimia pusillanimitate & impatientia, si eodem mense vel anno, quo viam religionis arripuerunt, quo volunt perfectionis autdeuotionis, non attingunt, labascunt illico, & deficiunt, diffidentesque omnino, à sancto vitæ proposito pueriliter desistunt, impossibilem sibi existimantes propositam perfectionem. Quibus diabolus sæpius suggerit illud. Vt quid vexaris? vt quid frustra contendis? vt quid inani labore consumeris? Ecce tandiu conatus nihil profuisti, quid adhuc perstas? Ardua est perfectionis via, & non poteris

Vnde difficultas oriatur progrediendi in virtute.

Matth. 11.

Psal. 10.

Isa. 28.

Psal. 138.

poteris ad eam: lætare, & quiesce, melius est tibi videre quod cupias, quam desiderare quod nescias. Huic ergo tam pernicioſæ ſuggeſtioni feruidus religioſus, & conſtans ingenue reſpondens, ait. *In Domino confido.* O perfidi, ò mendaces, *quomodo dicitis animæ meæ, tranſmigra in montem ſicut paſſer.* Tranſmigrare non poſſum, ſufficit ire. Paſſer iſte ſolitarius quem dicitis, quia pondus non habuit peccatorum, celeriter potuit tranſmigrare, & virtutum culmina trāſilire: mihi peccatori ſat eſt pedeſtrem ſequi. *Quis enim in filiis Dei ſimilis erit Deo?* Etſi ergo remoror, etſi detineor, in propoſito tamen perſiſtam, & nomen eis viribus, ſed de illius gratia, & virtute confiſus, non diffidam. *Qui* ergo *crediderit*, non ſic feſtinet vt deficiat, ſed ſic *feſtinet*, vt perueniat. Habet ſuos gradus perfectio, quos non facile exiguo tempore liceat tranſilire. Nam ſemen in ſatis primum herba, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica fructificat vltro. Et teſte Euangelio, tale eſt regnum Dei. Quid acceleras, quid feſtinas, quid anxiaris, quia non obtinuiſti, quia non peruenisti, quia non comprehendiſti? Paulus poſt penetratos cœlos & luſtratam Dei paradiſum, non putat ſe comprehendiſſe, & tu heſternus frater vel monialis, iam obtinuiſſe gliſcis? *Exſpecta dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, & ſuſtine dominum.* Perfectionis via non peruolanda, ſed perambulanda eſt. Multa patientia & longanimitate opus eſt vt peruenias: diutino labore perueniendum eſt, quo feſtinas. Quamuis ſi bene aduertas, pſalmographus nō feſtinationem, ſed tranſmigrationem reprehendit: non enim ait *quare dicitis animæ meæ feſtina*: ſed *tranſmigra*. Tranſilire non feſtinare refugit: quidam enim conuerſi ad dominum, picarum more ſalientes, omiſſis mediis ad vltima perfectionis ſtatim tranſiliunt: quibus huiuſmodi ſaltus ſæpius vertitur in ruinam. In ipſo quippe religionis introitu, & primis foribus, cum deberent ſolicite conſcientiam ſuam diſcutere vitam præteritam, & annos male conſumptos cum animi contritione cogitare, commiſſa diu ſcelera deplorare, humilitatis & obedientiæ exercitiis fideliter deſudare, ſacris lectionibus, & meditationibus indefinenter inſiſtere: omiſſis his, ea quæ perfectorum ſunt inſolenter arripiunt, ſcripturas ſactas diſcutiunt, prædicationibus publicis inſiſtunt, præſidere melioribus geſtiunt: & qui religioſiores videntur, gaudia ſpiritus, & cœleſtes theorias ante cordis munditiam auidiſſime perquirunt. Huiuſmodi autem celerones ſicut præpoſtere conſcendunt, ita celeriter cadunt. Vos itaque virgines poſt Mariam in mōtana virtutum feſtinate, ſed patienter, ſed longanimiter, ſed humiliter. Humilem ſequimini humiles: modeſtam modeſtæ, & Chriſto grauidam, vos quoque Chriſto fœcundatæ, neque enim in alta properare poteſt, quæ Chriſto grauida non eſt. Feſtinat Maria in montana accelerante ſe fœtu, & vos proculdubio cum gaudio feſtinabitis, ſi Chriſtum mentis vtero concepiſtis, ſi ipſum cordis aluo geſtatis. Chriſto in vtero non oneri eſt, ſed leuamini: prægnantem animam non onerat, ſed leuificat: fœtis animabus montana non ſunt aſpera, ſed vacuis. Vnde enim hodie in velatis virginibus tanta tepiditas? niſi quia fœtus diuini ſteriles ſunt. Audias vbique in clauſtris miſerabiles querimonias de abſtinentia, de paupertate, de ieiunio, de vigilia, de obedientia, de clauſura, de diſciplinæ monaſticæ rigore, de vitæ regularis auſteritate: ardua illis videntur montana virtutis, quia inanes & vacuę ſunt gratiæ cœleſtis. Nam quæ verbo Dei grauida eſt, ſponte non vi feſtinat ad alta. Vnde ergo in eis tanta violentia? niſi quia deficit gratia. Heu cœleſtis illa requies & amœnitas paradiſi, in ca erem hodie reputatur; religionis deliciæ, deuotionis ſolatia, in amaritudines & lamenta verſa ſunt: ſpiritus quoque vera libertas in ſeruitutis materiam deputatur. Confidimus autem de vobis dilectiſſimæ meliora, & viciniora ſaluti, tametſi ita loquimur: Chriſto enim grauidas vos eſſe deuotio feruida, affe-

Pſal. 101.

Pſal. 88.

Iſa. 28.

Matth. 13.

2 Cor. 12. Philip. 3.

Pſal. 26.

2. Cor. 6.

In primo religionis ingreſſu conſuetia diſcutienda.

Pſal. 76.

Velatis tepiditas unde oriatur.

2. Cor. 3. Heb. 6.

ctio flammea, facies læta, & vita pura demonstrat. Quia ergo spontaneum vos
Psal. 53. Deo sacrificium obtulistis, cum omni gaudio & alacritate *agnum sequimini,*
Apocal. 14. *quocunque ierit.* Festinate in montana,
Psal. 44. conscendite post Mariam, sicut scriptum est: *adducentur Regi virgines post eam.* Ita dico vobis, hanc æmulamini, hanc sequimini: hac enim duce, hac magistra, celeriter properabitis, & fœliciter peruenietis quo tenditis: ad illam videlicet perpetuam & immarcessibilem co-
1. Pet. 5. ronam, quam nobis præstare dignetur dominus virtutum & ipse rex gloriæ: cui cum patre & spiritu sancto est honor & gloria in sæcula sæculorũ. Amen.

DE PVRIFICATIONE Virginis, Concio.

THEMA.

Tulerunt illum in Hierusalem, vt sisterent eum domino. Lucæ 2.

IVstum est vt intelligamus quod colimus: tanto enim erit omnibus celebrior, quanto fuerit singulis magis intellecta festiuitas. Celebrat igitur hodie sancta mater ecclesia virginis purificationem, & pueri Iesu præsentationem in templo. Ac propterea festiuitas hæc, quia duplici fulget mysterio, duplici est nobis gaudio celebranda, duplici deuo-
Ergo puerperas dup. ex statutũ tione colenda: filio namque & matri vna die festum agimus. Ad plenam igitur huius festiuitatis intelligentiam, aduertendum: quod fuit olim in lege Moysi duplex ergo puerperas statutum: vnum vniuersale, aliud particulare. Vniuersale
Vniuersale. statutum erat, vt mulier post partum abstineret à sacris, id est non tangeret
Leuit. 12. sacrum quid, neque domini sanctuarium vel templum introiret, siquidem peperit masculum, per quadraginta: si fœminam, per octoginta dies. Duplicabatur tempus in fœmina, quia vt Physicorum est sententia, duplo tempore corpus fœminæ in vtero formatur, quam viri: vnde in hoc lex applaudebat naturæ. Quibus peractis, mulier cum suo fœtu præsentabatur in templo, & offerebat domino in templo, si diues erat, agnum, & turturem: si pauper, duos turtures, vel pullos columbarum: vnum in holocaustum, alterũ pro peccato: agebatque Deo gratias pro pignore dato, & pro conseruata salute, & infantem domino commendabat. Hæc consuetudo hodie partim in ecclesia seruatur, quæ laudabilis est, & meo consilio sicut in lege offerebatur agnus, ita *Leuit. 1.*
in ecclesia agnus immaculatus Christus illo die pro matre & paruulo, in gratiarum actionem domino offerẽdus esset. *Particulare.* Particulare autem statutum de primogenitis erat: nam quia Dominus in Ægypto inimicorum primogenitos occiderat, primogenitos illius populi vo- *Exod. 13.*
luit esse suos. Vnde mulier pariens pri- *Exod. 11.*
mogenitum ipsum domino in templo hac die in manus sacerdotis offerebat: & si primogenitus ille erat de tribu Leui, manebat domino: si autem de alia *Numer. 3.*
tribu à matre quinque siclis redimebatur, & repottabatur. Hic erat mos illius *Exod. 34.*
populi, & ritus parientium. Itaque cum puer Iesus esset primogenitus, & vnigenitus matri suæ, hodie à matre iuxta legem domino præsentatus est: ad hoc quippe statutum particulare virgo præ cæteris tenebatur, quia vt postea declarabimus, maxime pro ipsa conditũ fuerat statutum. Ad aliud autem generale *Duplici ratione non tenebantur ad generale.*
non tenebatur, duplici ratione: primo quia partus eius mũdissimus & sanctissimus fuit, & procul ab omni illa fœlitate parientium. Nam sicut flos mittit odorẽ, ita virgo edidit Saluatorem. Nihil ergo ibi erat purificãdum, per quod omnia purificantur. Secundo, quia lex ipsa virginem exceperat: ait enim, *mulier si suscepto semine peperit masculũ, immunda erit,* &c. Quare ò Moyses addidisti, si suscepto semine, nunquid est aliqua mulier quæ aliter pariat filios? Erit vtique virgo regia, quæ absit vt hac lege teneatur. Tam igitur ex partu ipso, quã ex lege, virgo ad hanc purificationem non tenebatur: voluit tamen legem implere, tum propter exemplum, tum pro- *Simile.*
pter scandalum. Sicut enim filius sine necessitate aliqua circuncisus voluit cæteris

teris paruulis cõformari, ita & mater ſine neceſſitate purificationis voluit cæteris mulieribus ritu purificationis aſſociari: & quoniã ſacri partus myſterium adhuc latebat, niſi ſeruaſſet legem, præuaricationis rea apud alios haberetur. Ne ergo aliis præberet ſcandalum lege non obſeruata, voluntarie ſeruauit legem: multa enim propter aliorum ſcandalum facienda ſunt: multa etiam bona omittẽda: neque tibi ſufficit bona conſcientia, ſed opottet te etiam ſolicitum eſſe de aliena. Puritatis igitur totius domicilium hodie purificatur, redempter redimitur. Hoc eſt quod celebramus, huic myſterio debitum honorem rependimus, prout poſſumus. Hodie namque virgo ſacra, ex illo Bethlehem humili tugurio, primo templum ingreditur, vt domino ſecundum legem offerat ſacrificium, & primogenitũ ſuum offerat coram domino: ſicut Euangeliſta cõmemorat, dicens: Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundum legẽ Moyſi, tulerunt illum in Hieruſalem, vt ſiſterent eum domino, &c. Sed propter quid hodie tam feſtiua ſolennitas? Nẽpe quia magna ſunt ibidem celebrata
Luc. 2. myſteria. *Vir namque erat in Hieruſalem nomine Simeon, iuſtus & timoratus & Spiritus ſanctus erat in eo.* Quid ni Spiritus S. habitaret in eo, quem timor dom ni repleuerat? talia enim ſibi habitacula S. S. ſemper delegit; ſicut apud Iſaiam legimus.
Iſai. 66. Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum, & timentem ſermones meos? Etiamſi ſapientia polleas, intellectu vigeas, pluribuſque donis & gratiis decoreris, ſi Deum non times, ſi mandata eius contemnis, non te inhabitat Spiritus ſanctus, nec pluris te facit Deus, quã tu facis ipſum. Acceperat hic reſponſum à S. S. non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum domini. *Venit* ergo *in ſpiritu in templum*; quo gaudio, qua alacritate cor illius intra viſcera palpitabat? & ſenile iam pectus iuuenilis feruor exagitabat? Ex te ipſo argumentum aſſumito, ſi de videndo in eccleſia Chriſto modo tibi ſimile præberetur oraculum. Accipit puerum ouanter, tripudiat animo, fitq; cum puero puer. ſacros deoſculatur pannos, & benedicta velamina, lachrymiſque ſubortis, miras illi in hunc modũ cecinit laudes. Aduenisti tandem cunctis gentibus deſiderate, aduenisti ſæculorum lætitia, aduenisti tandiu ab omnibus expectate; gratias tibi domine, gratias tibi quia viſitaſti plebẽ tuam, & ſicut promiſiſti, ita impleſti; ſicut à patribus audiuimus, ita nunc oculis im-
Luc. 10. pletum cernimus. O quot reges & prophetæ deſiderauerunt te videre, ſicut ego nunc video, & non viderunt. Gratias tibi domine, pro tanto hoc munere tuo, impleſti promiſſum tuum, impleſti deſiderium meum, lætus iam mortali vita dulcedo. *Nunc dimitte domine ſeruum tuum in pace*; in abyſſum deſcendere nõ formido, *quia viderunt oculi mei ſalutare tuum*, à quo citius me inde liberandum ſpero. Vadam igitur legatus ad inferos, & nuntiabo patribus noſtris magnũ lætitiæ nuncium vt gaudeant ipſi, ſicut & ego gauiſus ſum. Tu domine in mundũ intras, & ego exeo; tu venis, & ego vado. O quis hodie naſceretur? quam fælix ille qui nunc prima intraret limina vitę. *Anna inuitatio ad infantem*
O quis videret quæ facturus es mirabilia magna in mundo? ò fælicia ſæcula, ò fælices oculi, quibus tam præclara geſta videre licebit. Talia feruentiſſimo ſpiritu ſacro ſene declamante, ecce ſubito venerabilis Anna filia Phanuel prophetiſſa, eodẽ ſpiritu agitata, pperãs ad Chriſtũ, laudibus & præconiis totũ replebat templum, omnibus acclamando; venite pontifices, venite ſacerdotes, venite populi, venite, & in tetram procidentes hũc adorate paruulũ. Hic ille Meſſias in lege promiſſus, hic mundi Saluator tam longo prophetarum ordine nunciatus, hic ille à patribus tam optatus & exſpectatus. Credite mihi hic eſt. Quod ſi forte quæritis vnde id ſciam, ſpiritus mihi dixit, ſpiritus reuelauit; & hæc dicens, ſicut mater filium diu expectatum & dilectum vnicum [illegible] tunc maxime cum de vita eius dubitabatur ante, rapido fertur curſu aduenienti obuiam, ita & ipſa rapido ſpiritu ferebatur in Chriſtum. Stupent

pent omnes, accurrunt, mirantur, & quia prophetissam omnes agnouerant verbis eius fidem adhibent. Consonat prophetissæ dictis matris pulchritudo inæstimabilis, venustas, & gratia; fitq; non modica in populo his dictis turbatio. Talia namq; erant vtriusque senis prophetantis præconia, vt ipsum Ioseph, imo & virginē ipsam in admirationem adducerent sicut Euangelista inquit. *Erant pater eius & mater mirantes super his quæ dicebantur de illo.* Fit solennis processio à porta templi vsque ad altare, nō numero personarum, sed dignitate celebris. Præcedunt duo senes Simeon & Ioseph; sequuntur virgo mater cum infante Iesu, & Anna prophetissa præco infantis. Hanc hodie processionem toto orbe sancta celebrat ecclesia, incensos deferens in manibus cereos, in typum domini Saluatoris. Sicut enim in cereo triplex est natura, scilicet ignis, cera, & lychnus; ita in Christo triplex est substantia, diuinitas scilicet designata per lumen, caro designata per ceram, anima designata per lychnum. Ac propterea cereus hic merito à fidelibus in deuotionem habetur, tum propter Christi repræsentationem, tum propter solennem illius à sacerdote benedictionem. Postquam igitur ad altare ventum est, virgo sacra genibus flexis, diuino inflāmata spiritu plusquam seraphim, filium manibus tenens, ipsum offert domino munus & oblationem acceptabilem Deo, in hunc modum orans. Suscipe pater omnipotens, suscipe oblationem hanc, quam tibi offero pro toto orbe ancilla tua: suscipe communem filium, tuum ab æterno, meum ex tempore. Gratias tibi immensas, quia sic me sublimare dignatus es, vt sim mater cuius tu es pater. Suscipe nunc de manibus ancillæ tuæ sacrosanctum hoc sacrificium matutinum, tibi quondam in crucis brachiis offerendum in sacrificium vespertinum. Respice pater piissime quod offero, & attende pro quo offero. Quid obsecro te tantum potuit offendere mundus, aut quod tam immane piaculum, quod non hoc tanto expietur sacrificio? Respicit ex alto plaudentibus oculis, vultu sereno, piissimus pater filium dilectissimum, virgineis manibus oblatum: stupent cœlestia agmina super tam mirabili sacrificio. Donat igitur mater filium sacerdoti, quem sacerdos Deum Deo suscipit, mysticumque offert, sed non pro illo, sed pro mundo sacrificium, columbinum scilicet, vel turturem: vnum in holocaustū, alterum pro peccato, sicut in lege præceptum fuerat, quod geminæ supradictæ oblationis Christi haberet typum. Deinde pia mater quinque siclis filium à sacerdote redimit, & quem spiritu genuit, nunc illum mundo pretio emit. O emptionem singularem, ò mirabilem redemptionem O si scires sacerdos quis est ipse quem vendis, non illum pro toto mundi auro, & omnibus pretiosis margaritis dares. Ignosce virgo piissima, nam si ego essem ille sacerdos, non tibi forte talem venundarem filium: vade dicerem virgo piissima, reuertere in domum tuam, redi in patriam tuam: puer iste secundum legem domini est, quia primogenitus est. Talem primogenitum ego non vendo, in hoc lex venditionis locum non habet: & si lex violanda est, pro tali infante violanda est. Sed quis te ò gloria nostra, quis te ò lætitia nostra sic contristare sustineret? quis auderet huiusmodi verba proferre? Emitur ergo redemptor quinque siclis à virgine, qui quinque plagis totum erat mundum redempturus. Quinque (inquam) siclis Deus & homo comparatur, quis vnquam sic emit? quis tam exiguo tales sibi vnquam merces comparauit? O quam minoris emisti virgo, quam filius? magna certe illa emptio, quam proclamat Apostolus (1. Corinth. cap. 6.) *empti enim estis pretio magno.* Sed audeo dicere, ista quodammodo maior est, qua non mundus, sed dominus & creator mundi, non magno, sed exiguo pretio comparatur. Fœlices quibus appretiatus est Deus, fœliciot virgo cuius est Deus. Quid tu misera Synagoga, quid cæca & male cupida, cum proditore agis? vt ab eo compares Redemptorem?

Luc. 2.

Descriptio.

Ratio ferendi cereos hodie. Simile.

Num. 18. Psal. 140.

Leuit. 12.

Matth. 26.

p rorem ? Vendere alienum ille non poteſt, virginis Chriſtus eſt, illa prior emit, ſecunda non valet emptio: de duabus namque venditionibus prior iure valida eſt. Vnde & venditor ille videns, quia incaſſum vendiderat, ne iudicio ſtaret, ſuſpend o ſe finiuit: agnouit namque, quia damnatus eſſet, quoniam vendiderat alienum. *Matth. 27.* O bone Ieſu iam noſter & duplici iure es: te nobis pater dedit, te nobis mater emit. Noſter es quia datus, noſter es quia emptus: duplici te iure poſſidemus. *Pſal. 118.* Cum iudicaturus orbem aduenieris, memento quia nobis emptus es: iuſtus es domine, redde cuique quod ſuum eſt redde teipſum nobis, quia duplici vt dixi titulo noſter es. Quod ſi tu noſter es, omnia quoque tua noſtra ſunt: cuius enim eſt perſona, eius quoque ſunt omnia bona perſonæ Noſtra igitur ſunt merita tua, noſtra ſunt vulnera tua, noſtri vagitus infantis, noſtri labores docentis, noſtri dolores morientis: quicquid in mundo egiſti, quicquid laboraſti, quicquid ſuſtinuiſti, quicquid meruiſti, optimo iure noſtrum eſt, quia tu noſter es. O me diuitem tantis meritis: exaggera nunc crimina, aggraua peccata, repete ad integrum debita, maiora ſunt merita mea, maior eſt ſatisfactio mea, maiora ſunt ſeruitia mea: m a(nquam) mea, non mea quæ ego feci, ſed mea quæ à te ſuſcepi: mea quia mei audebo dicere ſerui: quem mihi hodie virgo emit. Domine ſtemus ſimul, iudicemur ſimul: nolo me domine ſeorſum iudices à te, ſic enim vere damnatus ſum. Si debita computas mea, meam quoque recipe ſolutionem: non me ſepares à te domine in iudicio, & ſcio quia ad victoriam perueniet iudicium meum: nam etſi grauia ſunt criminum onera, hæc tamen mea ſatisfactio quaſi arena maris grauior apparebit. *Iob 6.* O filium Dei ſeruum, ò principem gloriæ mancipium, ſeruus emptitius factus eſt dominus orbis: ò inæſtimabilis humiliatio, ò ineffabilis exinanitio. *Pſal. 115.* Clamat ipſe ad patrem, *ò domine, quia ego ſeruus tuus, & ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Seruus (inquam) quia ſeruus natus ſum, ſeruus iterum, quia in tuum ſeruitium emptus ſum. An non ſeruus filius ancillę tuæ, qui formam induit ſerui? an non ſeruus, qui à ſacerdote hodie venundatus eſt in ſeruitium? Ego igitur domine, ego vnicus filius tuus, tibi coæternus, tibi conſubſtantialis & coæqualis, qui tecum vnus Deus, ego (inquam) ego propter hominem, ex vtero matris meæ ſeruus tuus, & nunc iterum ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ: imo & ſeruus ancillæ tuæ, quia ab illa emptus ſum. Vnde hoc ſciens, non dedignatur eſſe ſubditus illi, vt ait Euangeliſta, neque ſolum illi, ſed & omnibus miniſtrauit, omnibus factus ſeruus, vt eius ſeruitus omnibus fieret vera libertas: *non enim venit* (ſicut ipſe inquit) *miniſtrari, ſed miniſtrare.* Diſponente igitur Deo, in ſeruum hodie venundatur Chriſtus, vt ad eius merita titulum habeat vniuerſum: in hoc enim lex illa primogenitorum tendebat, & propter hoc lex illa condita eſt. O magnum & mirabile ſacramentum, ò mirum ſapientiæ Dei conſilium: lex pro omnibus primogenitis fertur, ſed in vno ſolo intentio legis impletur: ſtatutum eſt veluti decreto, vt omnis primogenitus venderetur, vt cum ille virginis primogenitus naſceretur ipſe quoque emeretur à matre, non ſibi ſoli, ſed mundo; & per hanc eius emptionem, in omnia illius opera mundus actionem ſortiretur & ius, & ita in mundi redemptione fieret iuſtitia miſericordiæ permixta, ſicut ſcriptum eſt in Pſalmo 39. *Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi: iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Ex hoc igitur iam Chriſtus non ſibi viuit ſed mundo, cui à patre donatus eſt, & cui à matre emptus eſt. Nunquid non omni celebritate digna feſtiuitas, in qua tot & tantis meritis mundus ditatur, & ad noſtræ redemptionis opus ius acquiritur. Bernardus, *totus is meus, bone Ieſu, totus es meus, & in meos vſus expenſus.* Ecce fratres feſtum quod agimus, ecce celebritatem quam celebramus, venite nunc ò cupidi, venite ad nundinas fideles, venalis hodie Deus in templo proponitur, aſtat ſuper gradus ſacer-

Philip. 2. *Pſalm. 104.* *Pſalm. 115.* *Luc 2.* *Matth. 20.* *Pſal. 104.* *Sicilis quinquè ſalus noſtra comparatur.*

dos, omni volenti emere Christum vendens, properate, emite: non magnum est pretium, quinque siclis hodie salus & vita comparatur: non de marsupio, sed de corde hoc siclos expetit, vt donẽtur. *Cantic. 3.* Da igitur quinque siclos, & accipe Deũ: *Cantic 1.* da pro peccatis dolorem, pro beneficiis *Galath. 4.* gratitudinem, pro mysteriis laudem pro teipso timorem, pro seipso amorem, & in perpetuam hæreditatem accipe Deũ: accipe, posside, tene, neque dimittas eũ, donec introducas eum, imo introducaris ab eo in cubiculum genitricis tuæ, *Luc. 2.* illius inquam cœlestis Hierusalem, quæ est mater nostra. Sed neque obiter omittendum quomodo gradatim filius Dei pro nobis humiliatus est: nam ecce in die natiuitatis cum esset Deus, apparuit inter homines factus homo: in die circuncisionis homo peccator apparuit, cauterio peccatoris adustus: hodie homo peccator, seruus apparet venundatus ad Altare: in die parasceue homo *Matth. 27.* peccator, seruus iniquus apparebit, inter latrones suspensus, & *cum iniquis reputatus.* O quantum tibi debeo bone Iesu, quantũ tibi debeo. Cum igitur hæc *Isai. 53.* omnia sacramenta ad altare peragũtur, venerabilis senex Simeon magno intus agitatur desiderio volues ac reuoluens animo opera quæ facturus est puer, & beatificans eos qui talia visuri essent, dicens sæpius intra se. O quis ista videret, ò quis hodie nasceretur? Audit pius dominus senis desiderũ, & qui eum videndi Christum fecerat dignum, hoc quoq; minus desideriũ eius impleuit, spiritu illi reuelans quæcunq; facturus est Christus. Agnouit igitur diuino illustratus lumine, illius populi cæcitatem & ingratitudinẽ, futuramq; eius passionem & mortem, quam persecutiones maximæ, & labores innumeri præcessuri erant, resurrectionem quoque, & populi Iudaici repulsam gentiumq; vocationẽ. Vidit ergo oculis cordis, quæ non erat visurus corporeis oculis: & subito turbatus vultu, alta è pectore mittit suspiria. Fluunt ab oculis per canam barbam lachrymarum imbres, omnisq; illa prior lætitia in cõtrariam mæstitudinem permutatur. Aspicit virgo deiparapii vatis perturbatum vultum, & subitam admirans permutationem, quid (inquit, ò venerande Simeon, *quare concidit vultus tuus?* quænam ista tam subita permutatio? vnde tibi tanta turbatio? quid vidisti? quid sensisti? noli celare, pandito mihi obsecro te, & obtestor per ipsum quẽ colimus communem Deum. O virgo regia, noli me cogere, quare sic adiurasti me? Nollem tibi talia nunciare, sed audi. Nimium nunc pro isto infante lætaris, *In B. virgine* & merito lætaris, quia super omnes fœ- *duplicatos fore* minas beneficiatu, sed veniet ecce tẽ- *dolores.* pus quando dolores, quos in partu non sensisti, duplicatos cum gemitu reddes. *Ecce enim infans iste positus est in ruinam,* *Luc. 6.* *& in resurrectionem multorum:* multi in illo impingent & corruent, multi quoque lapsi subleuabuntur. *Positus est hic* *Luc. 1.* *infans in signum cui contradicetur à multis*: contradicetur à principibus populi, à sacerdotibus, à regibus, & Imperatoribus gentium. Omnes gentes, omnes *Omnes cõtra-* populi, omnes nationes, & vniuersus or- *dicent Christo* bis huic puero contradicet, & ipse cal- *Act. 28.* cabit eos. O quot millia hominum pro isto puero laniabuntur, iugulabũtur? O grãdem rerum permutationẽ, ò miram mundi renouationem, ò quãta latet intus virtus in hoc puero. Sed etsi omnes patiantur in corpore, tu virgo amplius animo patieris: *tuã* enim *ipsius animam,* istius pueri, *gladius pertransibit.* Aliorum corpora ferro laniabũtur, sed anima tua multo acerbius passionis ei⁹ gladio trãsuerberabitur. Nolo domine, nolo videre contradictionem istam, nolo populi huius ingratitudinem, & ruinam inspicere, nolo tuos videre dolores, passiones, & angustias: nolo te videre flagellis laceratũ, sputis illitum, clauis transfixũ, spinis acerbissimis coronatũ. *Nunc dimitte* *domine seruum tuum in pace.* Gratias tibi *Matth. 14.* quia in pace exeo. Et hæc dicens, salutata virgo recedit: & virgo cum infante & *Matth. 8.* Ioseph vadit in ciuitatem suam Naza- *Matth. 11.* reth. Hæc sunt testimonia tua domine *Matth. 27.* Iesu, antequam tibi sterneretur fluctus maris, antequam ventus te iubente *Marc. 16.* siluisset, mortui te vocante surrexisset,

fol

ſol te moriente paluiſſet, terra te ſurgẽte tremuiſſet, cœlum te aſcendente paruiſſet: adhuc in manibus matris portaberis, & iam dominus orbis agnoſcebaris.

Omnia perhibent teſtimonium.

Omnis ætas, omnis ſexus, omnis conditio, omnis ſtatus, tuæ maieſtati præbuit teſtimoniũ. Virgo generat, ſterilis prophetat, mutus loquitur, Magus adorat,

Luc. 1. & 2.

vtero clauſus Ioannes exultat, vidua cõfitetur, iuſtus expectat. Tibi reges, tibi paſtores, tibi ſenes, tibi infantes, tibi viduæ, tibi vxoratæ, tibi homines, tibi Angeli, tibi iumenta, tibi cœli, tibi terra, tibi aſtra perhibent teſtimonium: vt qui tuum non adorauerit maieſtatem, iuſto

Matth. 2. & infra.

iudicio condemnetur. Non latuerunt iſta (vt exiſtimo) tyrannum crudeliſſimum Herodem: ſed duorum ſenum vaticinio Magorum legatio amplius confirmatur: tunc perpendit ſe à Magis illuſum, & vſque ad inſaniam perturbatus, tantam adhibet in perquirẽdo puero diligentiam, vt optum oportuerit relinquere regnum, & fugere in Ægyptũ. Hæc de hiſtoria. Sed hæc eadem myſteria ad noſtros vſus, noſtræq; inſtitutionem vitæ conuertamus. Geminam itaque redemptoris noſtri venditionẽ contemplemur: venundatur hic quaſi ſeruus (vt dicebamus) vt eius ſeruitus eſſet nobis plena libertas. Sicut accepit maledictionem crucis, vt nos in illo eſſemus benedicti: accepit mortem, vt nos in illo viueremus: ita etiam accepit ſeruitutem, vt nobis tribueret libertatem. Hanc rationem tangit Apoſtolus cum ait. *Factus ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret: vt adoptionem filiorum Dei reciperemus.* Ecce cauſas & rationes huius ſacræ venditionis: fuit namq; hæc venditio pia, & ſacra, & ſine iniuria. Quia

Gemina venditio Chriſti cauſſa ſacræ venditioni.

Galath. 3.

Galath. 4.

Matth 13.

qui vendit pater eſt, qui emit mater, & finis eſt vt eum perpetuo mundus poſſideat, & illa margarita cœleſte regnum emat. Fuit autem alia venditio ſacrilega, impia, qua eum vendidit proditor Iudas, & eum emit nouerca Synagoga triginta argenteis, non vt poſſideat, ſed vt occidat. O malus venditor Iudas, tã exiguo vendis filium Dei? quod mancipiũ non venderes maiori pretio? Vnde ipſe dominus conqueritur de hoc per prophetam Zachar. cap 11. *Et apprehenderũt mercedem meam triginta argenteos: decorum pretium quo appretiatus ſum ab eis.* Nunquid dederunt pro me triginta talenta auri vel argenti? Et quia impia fuit iſta vẽditio, ideo emptrix Synagoga deſtructa & diſperſa eſt, & venditor ſacrilegus *crepuit medius, & diſperſa ſunt viſcera eius in terra.* In eccleſia Dei duplex eſt venditio ſiue emptio, quædam eſt impia, & mala, qua peccator vendit Chriſtum leuiſſimo pretio. O quam parui te facimus domine, pro argenteo nummo, pro momento delectationis, pro modica voluptate oblata à dæmone, facile te tradimus: accuſamus ludam, & idem facinus committimus quotidie. Non mirandum ſi eum grauiſſimis tormentis, aut pro magno regno victi cupiditate venderemus: malum eſſet, excuſatio tamen aliqua. Quid dicere poſſumus, qui pro nihilo te tradimus ex contemptu? Heu heu aperta tui venditio in templo eſt, & à ſuis ſacerdotibus Chriſtus hodie venalis eſt in eccleſia: venduntur beneficia, venduntur dignitates, venduntur etiam fere ſacramẽta; nam mercedẽ poſtulant hodie pro ſacramẽtis. Vnde tantum malum? quia non reſident beneficiarii, ſed ſubſtituũt mercenarios, & vnus habet decem beneficia pinguia & in nullo reſident, ſed mittit decẽ pauperes mercenarios, & nõ dat ſuſtentationem congruentem. Ex auaritia illi vendunt Chriſtum, & ſacramenta, vt comedant. Contra hos inuehitur propheta Amos cap 6. *Væ vobis qui opulenti eſtis in Syon, optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Iſrael. Qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris. Qui comeditis agnum de grege, &c. Et nihil compatiebantur ſuper contritione Ioſeph*, id eſt, populi. *Qui ſeparati eſtis in diem malum, ſi non creditis. Iurauit dominus in anima ſua*, &c. Alia eſt emptio pia & ſancta, qua Chriſtus emitur à ſanctis, bonis operibus, de qua in Apocalip. cap. 3 *Suadeo tibi eme à me aurũ ignitum.* &c. Hoc Gregorius exponit, id eſt *ſapientiã*. Auguſti-

Cauſſa ſacrilegæ venditionis. Matth. 26.

Act. 1.

In Eccleſia ẽ duplex venditio.

nus

nus *martyrium*, alii *charitatem*; Gloſſa interpret. id eſt *meipſum*. Nam de Chriſto ait ſpõſa, *caput eius aurum optimum.* Hoc auro tota illa cœleſtis Hieruſalem deaurata eſt. Vnde Ioannes in Apocalip. cap. 21. *& tota ciuitas aurum mundum, ſimile vitro mundo.* Nam tota deificata eſt, tota deiformis & eleuata ad eſſe diuinum. Vnde quamuis ſint tot differentiæ Angelorum, ibi totum apparet Deus, quia omnes illo lumine gloriæ eleuati ſunt ad eſſe diuinum, & ideo tota aurum ignitum; nam omnes ſunt inflammati ab illo igne De quo propheta Iſaia cap. 3. *Cuius ignis eſt in Syon, & caminus in Hieruſalem.* Vnde Pſalm 103. *Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis* Hoc aurum ignitum non gratis datur, ſed emendum eſt à Deo Sed quo pretio? Quinque ſiclis ſpiritualibus. Primus ſiclus eſt fides, *ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, cum accedentem ad Deum oporteat credere*, &c. Hic ſiclus generalis eſt, & communis omnium Chriſtianorum, & facile habetur. Secundus ſiclus eſt timor Dei; non ſufficit ad vitam credere, ſed oportet ſeruare mandata, hoc fit per timorem Dei: nam *per timorem Dei declinatur omnis à malo.* Hic reprimit praua deſideria & malos appetitus, & coercet manum à prauis operibus, & retrahit hominem ab iniquitate. Vnde Auguſtinus de matre ſua Monica *erat* (inquit) *timor caſtus in corde eius tanquam faſcia pectoralis, qua cogitationes aſtringeret: in ore, tanquam frenum quo linguam deprimeret: in opere tanquam ſtimulus, ne pigrit a torpere: in cunctis, tanquam regula, ne modum excederet* De Simeone dicitur *quod erat iuſtus & timoratus*; & de Iob ſimiliter. O pretioſus ſiclus, beatus qui te poſſidet, ſicut ait Pſalm. 111. *Beatus vir qui timet dominum.* Vnde tanta mala in mundo, niſi quia non eſt timor Dei? Solo hominum timore multi arcentur à malis: ſi non eſſet iudex, quot mala fierent? O hominum ſtultiſſime, times alium hominem tui ſimilem, qui forte neſcit peccatum tuum, aut ſi ſciuerit poterit ſo.te fugere eum, aut decipere, vel placare, & qui totum quod poteſt facere, eſt auferre à te vitam temporalem, quã aliquando relicturus es: & non times Deum, qui totum quod agis videt, neq; potes ab eo fugere vel decipere eum, quia quotidie poteſt tibi reddere mille retributiones, & poſtea infernum? Vnde dominus in Euangelio. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, & non habent amplius quid faciant, ſed eum timete qui poteſt*, &c. *Ita dico vobis, hunc timete.* Sed quia quantumuis homo ſit timoratus, *in multis tamen offendimus omnes*, ideo neceſſarius eſt tertius ſiclus doloris ad placandum Deum, Timore præſeruamur, ne amittamus eũ, dolore ipſum recuperamus poſtquam amiſimus. Hoc dolore Petrus, Paulus, Dauid, Magdalena, & alii ſancti ipſum amiſſum recuperarunt: vnde etiam valde pretioſus ſiclus eſt. Sed ſuper omnes pretioſiſſimus eſt ſiclus quartus amoris, ſine hoc enim alii nihil valent: nam fides ſine amore mortua eſt. Sine hoc, vt Apoſtolus ait, nulla virtus, nec martyrium aliquid valet: totum pretium & valor noſtrorum operum ab hoc ſumitur. *Nam* (vt ait Gregorius) *non aſpicit Deus quantum offeras, ſed ex quanto. Viduæ plus emnibus miſit, quia plus amauit.* Vnde in Leuitico dicitur, *omnis æſtimatio ſiclo ſanctuarii ponderabitur*, id eſt amore: quia ab hoc omne donum valorem & æſtimationem accipit. Hic ſiclus perfectorum eſt. A timore incipimus, & in amore finimus: *initium ſapientiæ timor domini.* Nam iuſtus incipiens, etſi fiat ei graue quod præcipitur, ſeruat tamen ex timore ne offendat, ſed qui iam ſanctus eſt, & perfectus, non ex timore, ſed ex amore ſeruat. Nam nõ ſolũ cuſtodit, ſed & diligit ſupra modum mandata Dei. Sicut ait Pſalm. *Ideo dilexi mandata tua ſuper aurum & topazyon.* Nam condelectatur legi Dei ſecundum interiorem hominem, & odio habet omnem viam iniquitatis, & iuſtitia, & ſanctitas, & boni mores iam quaſi in natura verſi ſunt. Vnde iuſto tali non eſt impoſita lex, quia eſt illi voluntaria & connaturalis ex conſuetudine & exercitatione. Huic quid reſtat, niſi

Cantic. 5.

Aurum ignitũ 5. ſiclis venditur.

1. *ſiclus.*

Hebr. 11.

2. *ſiclus.*

Prouerb. 15.

Auguſt. lib. 9. confeſſionum.

Luc. 2.
Iob 1.

Pſal 111.

Matth. 10.

Iacob. 8.

3. *ſiclus.*

Matth. 26.
Act. 9.
2. Reg. 12.
Luc. 7.

4. *ſiclus.*

Iacob. 1.
2 Cor. 13.

Marc. 12.
Leuit. 27.

Pſal 110.

Pſal. 118.
Rom. 7.
Pſal. 118.

1. Tim. 1.

5 *ſiclus.*

Psal. 117. nisi laudare Deum, & benedicere vespere, mane, & meridie? Quia dedit illi fidem, vt agnosceret: timorem, vt mandata eius custodiret: dolorem quo ad ipsum post peccatum rediret; amorem, quo viam mandatorum cum suauitate

Psal. 118.

Apocalip. 3. percurreret Hic est quintus siclus, scilicet laus, gratitudo, deuotio; his emitur aurum ignitum. Vnde Psalm. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam illi salutare Dei*: Nimirum

Psal. 49. in beatitudinis gloria ad quam nos perducat ipse Iesus, qui se pro nobis pretium obtulit patri æterno. Amen.

DE ASSVMPTIONE VIRginis. Concio prima.

THEMA.

Maria optimam partem elegit.
Luc. 10.

VAlde mirum est quorsum in die tantæ solennitatis ecclesia concinat duarum sororum Euangelium, quomodo intrauit Iesus in quoddam castellum; quomodo Martha ministrat, Maria sedet: Martha conqueritur, Iesus respondet pro Maria. Quid hoc ad virginis assumptionem? Sed si alterum sensum mysticum quem ecclesia intendit, attenderis, inuenies, euangelicam lectionem breui compendio totam virginis vitam describere: summatimque vniuersam virginis historiam texere: atque nihil in toto Euangelio vacare à mysterio, & proposito hodierno: vt planius patebit sigillatim singulas eius partes exponendo. *Intrauit Iesus in quoddam*

Castellū quid significat. *castellum*, &c. Quod castellum fortius, quod firmius, quod pulchrius, quã virgo sacratissima? cuius animam sic Deus gratia firmauit, vt neque dicto, nec facto, nec cogitatu, à Deo vnquam declinauerit. O quam fortissima turris anima illa sacratissima, quam nullis fraudibus, nullis impulsibus, dæmon valuit expugnare: imo nec illam interius ausus est impugnare: huius enim castelli nunquam, vel vnam pinnã dæmon potuit obtinere. Castrum nõ solum inuincibile, sed etiam inexpugnabile: licet enim ab hoste persecutionem passa sit, non tamen tentationem à carne: sicut scriptum est *Non tetigit eam Abimelech.* *Gen. 20.* Considera à principio sæculi, & discurre per omnes filios Adam, nihil stabilius, nihil immobilius, nihil firmius hac sacra Virgine reperies. Turris fundata supra firmam petram in montibus sanctis, *Matth. 7.* *Psal. 86.* immobili fundamento: siquidem *Deus in medio eius non commouebitur.* *Psal. 45.* De hac virgine in canticis legitur. *Sicut turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Vere turris Dauid, illius *Cant. 4.* (inquam) Dauid qui superbum Goliam quinque lapidibus de torrente, id est, quinque vulneribus, & crucis baculo, *1. Reg. 7.* gloriantem in Caluariæ monte prostrauit. Facta est hæc turris ecclesiæ propugnaculum, & peccatorum vnicum refugium, vt ad ipsam confugiant omnes rei, omnes mœsti, omnes afflicti, & ea protegente liberentur ab hoste. O homo, in quacunque tribulatione ad Mariam fuge, siue peccatis afflictus, siue persecutionibus attritus, siue tentationibus turbatus, hanc turrim petito ad Mariam confugito. *Mille enim clypei pendent ex ea*, & contra omnem æstum tribulantis, & ad omnem faciem persequẽtis dæmonis, tutissimum in ea clypeum inuenies, quo te protegas. Ibi est enim *omnis fortium armatura*, ibi fides Apo- *Psal. 45.* stolorum, ibi fortitudo martyrum, ibi puritas virginum, doctorum sapientia, anachoritarum paupertas, deuotio confessorum: ibi denique omnium sanctorum virtus agglomerata reperitur. Nihil enim vsquam alicui sanctorum speciali priuilegio concessum est, quod non à principio vitæ accumulatius perfulgeat in Maria. Ecce castellum fortissimum, ecce turrim inexpugnabilem, quę nunquam diabolo præstitit tributũ, aut fidem. Hanc intrauit Iesus, quando *verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, inde inimicos expugnaturus, & regnum suum recuperaturus, in quo ab initio dæmon fuerat intrusus. Sic enim

Ad Mariam confugiendum est omnibus.

Ioan. 1.

Simile.

Simile. solent reges terræ, quotiescunque rebellante regno tyrannus dominatur occupare castrum aliquod in regno, vnde possint totum dominium suum recuperare. Hic est ille tyrannus, cuius opera Christus venit dissoluere, & à regno suo expellere. Sicut scriptum est. *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Rebellauerant enim sui contra eum, dicentes: *nolumus hunc regnare super nos.* Et sic in Psalmo scriptum est. *Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum.* Sed ignorantibus illis, intrauit Iesus quoddam castellum, id est virginis vterum, vnde totum mundum ditioni suæ subiugauit. Statim enim vt de castello hoc egressus est, viriliter agere cœpit, mundum scilicet inuadere, tyrannum excludere, & propriam hæreditatem spoliato dæmone ad se reducere, pastores à proximo, reges à longinquo ad sui obedientiam celerrime trahens. Vnde, & spoliatoris nomen sortitus est, sicut apud Isaiam legimus. *Voca nomen eius, accelera, spolia detrahe: quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci & spolia Samariæ.* Venit igitur cœlestis ille pastor quærere ouē quæ perierat, drachmā quam perdiderat. *In propria venit, & sui eum non receperunt: sed mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam.* O fœlix mulier, ò beatissima mulier quędam super omnes mulieres, mulierum corona, mulierum gloria, mulier admirabilis, mulier stupenda, mulier de qua Ioannes in Apocalypsi admiratus, expauit dicens. *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit:* latentem enim sub homine Deum, quis cognosceret? Deum (inquā) in homine quis audeat suspicari? Sola ista prudentissima mulier, sola cognouit, sola recepit, sola adorauit, vestiuit, vnxit, pauit, fouit, & vt Martha fidelissima ministrauit: *excepit illum in domum suam,* in vterum suum, intra viscera sua, & in virgineo thalamo peregrinantem in terris regem gloriæ hospitauit, & velut altera Sunamitis, summo prophetæ, prophetarum domino, mensam, candelabrum, lectulumq; apparuit. Lectulum in vtero, mensam in pectore, candelabrum in intellectu. In vtero Ilius quieuit, in pectore passus est, & ab intellectu illius creditus est. *Non est extincta in nocte candela eius,* id est fides in passione. Mulier ergo hæc beata *excepit illum in domum suam,* nec solum recepit, sed vt dictum est, vestiuit, & pauit: & vt ait Anselmus, *omnia misericordiæ opera in ipsum exercuit.* Et vt hæc diffusius persequamur, singula misericordiæ opera sigillatim numeremus. Primo igitur recepit peregrinū, & hospitauit, peregrinum (inquam) qui de seipso per prophetam dicit, *quoniam aduena, & peregrinus ego sum, sicut omnes patres mei.* Et de quo alius propheta, *quare* (inquit) *sicut colonus futurus es in terra, & sicut viator declinans ad manendum.* Cui etiam discipuli dixerunt, *tu solus peregrinus es in Hierusalem?* Hunc igitur cœlestem peregrinum beatissima hæc mulier excepit, & stricta veste, indumento q; paupere atq; leuissimo vestiuit, ne videlicet vestis lōgitudine à mortalis vitæ cursu præpediretur, ad quem currendum exultauit vt gigas, vsque ad lignū crucis. Veste paupere vestiuit eum, sed munda atq; purissima, de qua Salomon in proverbiis, *sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chanaæo,* sindonē, hoc est mundissimā texuit telam, nitidissimā purissimamq; sacrosanctam illam carnē, quam sapientissimus artifex Spiritus S. ex virgineis sanguinibus, veluti ex staminib⁹, in visceribus illius, vt in textorio fine virili opere intexuit. Illam telam quasi propriam, & ex carne eius intextam; sapiens mulier vendidit Deo patri, vt inde talarem tunicam, & polymitam filio suo faceret. Et quo pretio vendidit, ò bone Deus, quo pretio vendidit telam istam? quid pro illa tunica datum est ei? Quis numerare valebit, quis audebit enarrare? quis cogitare sufficiet? omnium gratiarum plenitudo, omnium virtutum, & bonorum plena possessio, cœlestiūq;

Ioan. 3. *Ioan. 12.* *Luc. 19.* *Psal. 2.* *Psal. 26.* *Luc. 2.* *Matth. 2.* *Isai. 8.* *Luc. 15.* *Ioan. 1.* *Ioan. 1.* *4. Reg 4.* *Prou. 31.* *Omnia misericordia opera exercuit in eā.* *Psal. 38.* *Hier. 14.* *Luc. 24.* *Psal. 18.* *Prou. 31.* *Gen. 37. & 2. Reg 16.*

gem-

gemmarum, & margaritarū inæstimabilis thesaurus datus est ei. Vestita est ab eo gloria, & decore, cœlorum terrarūq; regina constituta est, & in ministerium data est illi omnis creatura, quæ sub Deo est. Ecce sindonis pretium, ecce quanti tela vendita est. Sed ad quid? vt videlicet inde fieret cingulum Cananæo. O pulcherrimum Cananæū diuino splendore indutum, & virgineo cingulo cinctum, qui immutabilis manens, forma Dei nō amissa, in hominis formam veluti mutatus apparuit. Habebat ab initio Cananæus hic ampliſſimas vestes à patre, solo cingulo indigebat; quo immensos illos exuberantesque sinus ampliſſimorum vestimentorum colligeret, ad currendam viam. Sicut scriptum est. *Dominus regnauit, decorem indutus est: induit dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Ecce vestes, ecce cingulum. Vestes à patre, cingulum à matre: vestes ab æterno, cingulum ex tempore. O quales vestes, decor & fortitudo: sicut & alibi scriptum est. *Fortitudo, & decor indumentum eius.* Audi decorem: *domine Deus meus magnificatus es vehementer, confessionem, & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.* Audi fortitudinem: *qui fundasti terram super stabilitatē suam non inclinabitur in sæculum sæculi.* Ecce vestes. Audi cingulum: *exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens.* O quā præcincta æternitas sub vnius diei puero? quam præcincta sapientia in infante, potentia in tenero, fortitudo in paruulo, maiestas in paupere, diuinitas in homine, angelorum decus in vagientis corpusculo? O quam collectos sinus gestas sub cingulo carnis, bone Iesu in præsepio? adoratus ab angelis, comitatus à bestiis? quanta maiestas, quanta humilitas, quæ amplitudo, quæ arctitudo? Accepit igitur peregrinum, induit Cananæum, pauit quoque famelicum abundanti pectoris sui lacte. Panem de cœlo ipsa pauit, angelorum panem ipsa satiauit vbere de cœlo pleno. Neque solū hoc, sed etiam captiuum redemit. Sed quomodo hoc fecerit audiamus. Humanū genus quoddā magnum debitū ex peccato contraxerat, quod cum Deo persoluere non posset, captiuitatem incurrit, misertus filius regis, pro captiuo spopōdit patri, factusq; est fideiussor illius, cuius erat conditor: nec tamen habebat vnde solueret. Instat pater, *fili spopondisti pro amico tuo, defixisti manum tuam: discurre, festina, suscita amicum tuum*, redde debitum. Quid fideiussor faceret, qui vnde solueret pro serui peccato non habebat? *Stipendia enim peccati mors*, & peccati retributio pœna est: pœna vero impassibilis pati non poterat. Venit igitur ad virginis mensam, & inde numerosam pecuniā accepit, quam redderet creditori: accepit namq; carnem vnde patri redderet pro amico quē sibi fecerat ex seruo, tot pretia peccatorum. O quam plene solutum est ab eo peccati debitum? ò quam bene numeratam pecuniā creditori dedit super crucis mēsam? quot flagella, quot alapas, quot punctiones, quot vulnera, quot iniurias, quot lachrymas, quot tormenta, demum atrocissimam mortem. Ecce captiui precium quo solutus est ab ergastulo. Pretium igitur redemptionis Christus persoluit, sed hæc mulier illi dedit vnde solueret: ipse redemptor est, sed ab ipsa accepit vnde redimeret. O quantum tibi tenemur virgo beata, quid tibi pro tanto beneficio retribuemus. Visitauit quoque ægrotum in arctissimo crucis lectulo recumbentem: *stabat n. iuxta crucem Iesu mater eius*, pallebat ille, post plorabat ipsa. defunctum quoque post modicum sepeliuit. Quid ergo pietatis? quid officii non impleuit in filio? aut quando ab obsequio destitit? Nunquid nō tibi videtur mulier hæc, quæ tā solicite, tā anxie ministrauit Martha nomine? O Martha Martha, nūquam fuit ab initio talis Martha. A principio diē ter recēsete huic virginis ministeriū, & primo considera ipsam in vilissimo tugurio patientē, in alieno domicilio, in alieno oppido, sine famula, sine lectulo, sine foco, sine aliquo famulatu, puerperā: aspice illam fugiētem post modicū in Ægyptum, intempesta nocte, hyeme, per deserta inuia, & arenosa, quæ vix cameg 2 lis

Psal. 18. *Psal. 92.* *Prou. 31.* *Psal. 193.* *Ibidem.* *Phil. 2.* *Luc. 1.* *Sap. 16.* *Prou. 6.* *Rom. 6.* *Ioan. 19.* *Luc. 2.* *Matth. 1.*

Ministerium B virginis multo excellentius Martha.

lis pernia sunt solo vno sene comitatam. Considera ipsam in Ægypto sexenio inter Barbaros, ignotos, crudeles, idololatras exulantem: suo labore, & sudore victum vestimentumq; parantem. Attende ex Ægypto redeuntem, pro filio que timentem, nutrientem, seruientem, & postea prædicationis tempore vbique sequentem. Sequebatur cum tenerrima virgo, per vias, & castella, non sine magno labore, & corporis detrimento, quocunque ibat, vbicunque prædicabat: neque enim ab eo per diem abesse poterat. Quid dicam anxietates, solicitudines, timoresq; quotidianos, quos pro filio quotidie timebat? Timebat enim quod aliquādo futurum non ignorabat. O quos cruciatus, quos dolores tam acerrimos in fine perpessa est? ò virgo quis vnquam pro aliquo sustinuit, quanta tu pro Dei filio in hac vita perpessa es? Quænam ancilla sic seruiuit vnquam domino suo, sicut tu filio tuo? tam liberaliter, tam diligenter, tam placido vultu, tam læto animo, tam continuo seruitio? O Martha Martha, Martha hospitio, Martha nascenti, Martha viuenti, Martha morienti: quam bene impleſti quod in principio promiseras. *Ecce ancilla domini. Mulier* (inquit) *Martha nomine excepit illum in domum suam, sed huic erat soror nomine Maria* Bernardus: *distingue* (inquit) *in illa suprema Maria duplicem portionm: Martham in corpore, Mariam in spiritu: Martham in ministerio, Mariam in otio: Martham in officio, Mariam in iubilo: Martham corpori domini ministrantem, Mariam ad pedes domini sedentem. Agnouisti iam Martham discenunc Mariam, sorores namque sunt: Martha, & Maria in virgine non sibi dissonant, nec discordant.* Fuit enim hoc mirabile in virgine, quod cum in vtraque vita, actiua scilicet, & contemplatiua, omnes excederet, ambas tamen in seipsa fœliciſſime copulauit. Neque enim actio contemplationi, neque contemplatio actioni aduersabatur, sed mirifico quodam sancti spiritus artificio, ita assidue seruiebat, vt semper oraret: ita semper orabat, vt assidue seruiret. Martha seruiebat, vt domino, Maria vacabat, vt Deo. Audisti Marthæ huius solicitudinem, audi nunc Mariæ vacationem. *Sedens* (inquit) *secus pedes domini, audiebat verbum illius.* Ad illos vtique pedes, de quibus Psalm. *vt intingatur pes tuus in sanguine*: ante quos (teste Propheta) *egreditur diabolus* pedes domini humanitas eius, nam *caput Christi Deus*, vt Apolus inquit, ad hos beatos pedes continue sedens Maria, audiebat verbum illius. O piiſſime Deus, quis enarrare sufficiat inter ipsam seruiendi solicitudinē ad hos pedes quo feruore, qua dulcedine, quo gaudio, spiritus huius virginis agebatur? Quanto mentis ardore hæc virgo intus inflammabatur? quanto iubilo illius animus quotidie replebatur, quando Deum Sion oculis cernebat, & amplexibus applaudebat? die noctuque beatiſſimis vlnis sustinens eum, qui sustinet orbem? O quibus radiis sol ille infinitus, nebula carnis opertus, puriſſimam huius virginis mētem irradiabat, decorabat, purpurabatque? O quos fauores in corde illius ex gremio imprimebat? O quali nectare intus potabatur, cum eum lacte potabat. Qualis nubes lucida, cum purpureis coloribus sole irradiante corruscat, talis huius virginis anima Deo illuminante fulgebat. Quid dicam de illa tam longa conuersatione cum puero, cum adoleſcente, cum iuuene, cum viro? Quæ verba, quæ colloquia, quæ responsa, quæ mysteria, quæ secreta, quæ oracula? O fœlicem scholam, vbi Deus, & filius magister est, & mater, & virgo discipula. Tam longo tempore, tam continuo auditu, tam frequenti magisterio, quid à tanto magistro non didiciſti? quid à tanto domino non impetraſti? Quid obsecro tūc temporis cogitabas ò virgo? quid in animo sentiebas? quid in illo tuo sacratiſſimo pectore agebatur? Exiſtimo enim (neque me fallit opinio) tenerrimum huius virginis corpusculum, mentemque delicatiſſimam, irruentis luminis voluptatisque torrentes, ex illo viuo fonte ructantes, tolerare non potuiſſe, niſi eam spiritus sanctus desuper obumbraſſet, intusq;

Luc. 2.

Bern.

Actio & contemplatio in virg. sacra vtraque perfecta.

Simile.

intusq; virtute nimia solidasset: in mortali etenim corpore, gustus huiusmodi, nisi miraculo solidata sentire non posset, & viuere. Vnde miraculose factum existimo, vt aut omnino non deficeret, aut non continue esset in raptu: sed sustentabat eam spiritus sanctus inter tot splendores, & delicias, ne raperetur ecstasi, vt Dei filio necessarium Marthæ ministerium non deesset. Si enim in vnum coaceruaueris quicquid omnes Apostoli, propheræ, martyres, virgines, & alii sancti de Deo gustauerunt, & ad huius virginis glorioſæ gustum sensumque compatauerit, erit velut granum ad montem: gutta ad Oceanum, stella ad solem. Quodammodo enim huius virginis caro spiritualis erat, tum propter maiorem illius puritatem, tum propter feruentes diuinorum influentias, tum propter frequentes suauitates, quas fere continue deguſtabat. Ecce magnam illam Mariam, ecce maximam beatarum Mariarum, ecce maximam fœminarum: sed inter hæc omnia, *Martha satagebat circa frequens ministerium.* Spiritus cælestia peruolabat, corpus vero in obsequio satagebat. Audiebat quieta, ministrabat solicita Sed quando obsecro Martha de Maria conqueſta est? Hoc nobis restat exponendum, sed facile intelligimus, si aduertimus duplicem in Maria, sicut in Christo, portionem: superiorem, inferioremque: & secundum superiorem portionem, sicut & filium, passionem Christi acceptare: secundum vero inferiorem, cum filio recusare. Prænouerat enim ipsam, aut ex scripturis, quas præ omnibus capiebat, aut ex Simeonis dicto, quo monita fuerat, aut ex filii relatu, à quo fuerat edocta, vt præsentem, mitius sustineret. Nõ enim Apostolis suis eam prædixit, & matri occultauit, quæ omnium secretorum eius erat maxime conscia. Nouerat ergo etiam ab incarnationis initio, ad quid Deus incarnatus, ad quid natus, ad quid inter homines conuersatus esset: & cum omni voluntate suam voluntatem conformabat, filiique mortem, quam pater volebat, mater non recusabat. *Luc. 1.*

Sed mater erat, & vt mater filii mortem secundum sensum vehementer abhorrebat. Pugnabant igitur in virginis corde, vt in campo plano duo illi gigantes amores, amor filii, & amor mundi, sensumque virginis in diuersa trahebant. Et licet ante passionem, quotiescunque filii passio menti occurrebat, grauissime tristaretur: tamen ipsa redemptionis mundi consideratio, & filii exaltatio, & eximius fructus inde venturus, Deique patris agnita voluntas, huiusmodi mœstitudinem leniebant, dolorem que temperabant. Sed postmodum quando adueniente die filium suum dilectissimum speciosissimumque vidit lacerum, pallidum, turgidum, nudum, plagatũ, cruentum, & inter latrones patibulo affixum, quando (inquam) ipsum tam atrociter laniatum aspexit, tunc non remansit in ea sensus, neque vigor: nulla tunc temporis consideratio tam acerrimum potuit lenire dolorẽ: sed vt penitus à portione superiore destituta, inferior portio clamabat. *Domine non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare?* Eratque mirum spectaculum, & dirum, videre filium in cruce pendentem, de suo piissimo patre, pia querimonia conquerentem, & clamantem. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Et matrem amarissimam, ad crucis pedem pene exanimem, itidem ad filium acclamantem. *Domine non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare?* Non attendis amantissime fili, acerrimos mei quos patior cordis dolores? non consideras quod ad pedes tuos præ tristitia morior, omni spirituali solatio destituta? Nullum ibi amoris vocabulum sonat: filius patrem, non patrem, sed Deum: & mater filium, non filium, sed dominum dicit. Vtrobique etiam de eodem est querimonia: filius ad patrem, vt quid dereliquisti me: mater ad filiũ, quod soror reliquit me solam. In horto namque cum oraret, patris vocabulum iterauit, dicens: *Pater mi,* si forte ipsum posset ad misericordiam inclinare: iam vero in medio tribulationis afflictus, & destitutus, clamat *Deus meus Deus meus.* *Simile.* *Mat. 27. & Psal. 21.* *Luc. 22.*

Ac si diceret, nõ te mihi iam patrem exhibes pium : sed Deum seueriſſimum, quem pro vilis vernaculi piaculo tam atrocibus tormentis expoſuiſti : neque hoc conqueror, quod me ipſe, qui genuiſti crucifigis, tu enim me cruc figis, cum iſti nullam haberent in me poteſtatem, niſi illis deſuper datum eſſet: propter tuam obedientiam morior, *fiat voluntas tua*: mors mea mundo neceſſaria eſt, fiat quod vis: *ſed vt quid dereliquiſti me?* Non eſt patris obedientem filium in tali agone derelinquere. *Ad te clamauerunt patres noſtri, clamauerunt, & liberaſti eos: in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi*: ſolus ego deſpicior, ſolus relinquor, ſolus quaſi pro nihilo apud te cõputor: omnibus miſericordem te exhibes, ſoli filio obſequentiſſimo ſeuerum te præſtas. Talibus filius querimoniis patrem pulſat, talibus, & ipſe pulſatur à matre. Domine non eſt tibi curæ. Semper tibi fuit cura mei, nunc cum magis indigeo, nunc cum præ amaritudine penitus deficio, non eſt tibi cure. Cui filius eiſdem (vt dicitur) conſonantibus reſpondit, matrem non matrem, ſed mulierem vocans. *Mulier ecce filius tuus.* Quaſi dicat, *Martha Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima*: ſcio, & video dolorem tuum, turbationem tuam, & amaritudinem tuam: & me iſta tua afflictio magis cruciat, quam crux iſta in qua pendeo. Sed quid faciam tibi Martha? quid faciam tibi amãtiſſima mater? *Porro vnum eſt neceſſarium*: neceſſaria eſt mors quam patior, & multipliciter neceſſaria. Neceſſarium eſt vnum mori pro populo, ne tota gens pereat: neceſſarium eſt vnum mori, vt tota gens viuificetur: neceſſarium eſt, & euitari non poteſt. Neceſſarium propter patris obedientiam, neceſſarium propter ſcripturarum veritatem, neceſſarium propter mundi ſalutem. Sed audi mater mea amantiſſima ſolatium, ne te penitus à me deſtitutam conqueraris: licet modo vexetur, licet turbetur Martha, ſed pars iſta Marthæ, cito tranſibit, cito ceſſabit: *Maria enim optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Ceſſabit dolor, ceſſabit gemitus, lachrymæ ſiccabuntur, non iam amplius inſultabit ludeus, non improperabit Phariſæus, non damnabit Pilatus, non erit vltra crux, non mors, non vltra Marthæ huius miniſterio indigebit. cui angeli famulantur non Marthæ huius hoſpitio claudetur, qui ad patris dexteram ſeſſurus eſt. Sed Mariæ pars *non auferetur ab ea in æternum*: id eſt, reſurrectionis gaudium, redemptionis fructus, huius tanti certaminis corona, & reparati mundi lætitia, quam Maria proſpicit, & quam prætendit, hæc in ſæculum ſæculi permanebit in æterna gloria. Hæc de Euangelio dicta ſunt, vt appareat, quam opportune in virginis laudem illud concinat eccleſia. Cæterum quod ad præſentem feſtiuitatem ſpectat, vltima Euangelii pars quam pro titulo poſui, ita vniuerſa cõplectitur, vt nihil ſupra. Cum enim tres ſint electorum decedentium partes, bona eorum, qui ad purgatorium vadunt: melior eorum qui ſtatim euolant ad cœlum, receptaque vna ſtola ad futuram reſurrectionem aliam pręſtolantur: optima illorum eſt, qui ſtatim vtrunque recipiunt, corpore, & animo beati. Hæc pars poſt Chriſtum, ſoli (vt creditur) Mariæ obtigit, quamuis de illis, qui cum Chriſto ſurrexerunt, non incongrue Hieronymus dubitauerit. Neque ſolum in hoc optimam partem beata poſſidet, ſed diſcurrè per omnia virtutum, chariſmatum, gratiarum genera, & vide ſi non in omnibus Maria optimam partem elegerit. Amen.

Ioan. 19.

Pſal. 28.

Ioan. 19.

Ioan. 11.

Phil. 2.

Io. 19.

Heb. 11.

Mar. 16. & *Pſal.* 109.

Tres electorũ ſunt partes.

DE ASSVMPTIONE VIRginis, Concio ſecunda.

THEMA.

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Cant. 8.

DE duplici aſcenſione, altera noſtra, & altera virginis ſacræ, futurus eſt nobis ſermo. Propheta ille pſalmographus ſpiritualis aſcenſionis animæ noſtræ

ætæ principium, formam, & terminum describens, ita pronunciat. *Beatus vir cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarũ, in loco quem posuit.* Vere beatus cui dominus auxiliatur: nam sine eius auxilio, mortalium animus ad omnia bona penitus inualidus est. Auxilium autem Dei omni volẽti præsto est, ad omne opus bonum paratum, nostra est culpa si bona facere negligimus: cùm autem boni quippiam operamur, nostrũm est opus, sed non omnino nostrum est, sed sicut scriptũ est: *omnia opera nostra operatus est nobis.* Videat nunc humana superbia, quis sibi locus gloriãdi relinquitur. *Nunquid obsecro, gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea?* aut calamus contra eum, qui scribit in eo? Sic de operibus nostris vere, & iuste, nisi in Deo, gloriari non possumus: sed sicut scriptum est, *soli Deo honor & gloria.* Quicquid enim boni facimus, instrumẽta Dei sumus, libera quidem, tamen eius virtute, & motu omnia bona perficimus. Ecce ergo omniũ bonorũ principium, scilicet auxilium Dei. Quod etsi cunctis non desit (vt supra diximus) speciali tamen modo cooperatur sanctis, & inde beati. Quid autem in viro sancto ex hoc Dei auxilio sequatur, attende. *Ascensiones* (inquit) *in corde suo disposuit*, id est, in corde suo scalam posuit, per quam conscendat in Deum. Neque enim aliunde melius ascenditur quã in corde: *inuisibilia quippe Dei, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur.* Sed si noueris inhabitare teipsum, intus inuenies faciliorem scalam: quia profecto altior est scala affectuum quam creaturarũ: imago enim Dei est anima nostra, & in seipsa Deum clarius inspicit quam in rebus. Radix nostri profectus in corde est, hinc oritur exterior hominis cõpositio, & vitæ reformatio. Sed nunquid semper proficere possumus, & augeri? Non vtique, sed *in valle lachrymarum*, quamdiu vallem istam incolimus, crescere in nostra potestate est: veniet autem nox, quando nemo poterit augeri: tunc enim *vbicunque ceciderit lignum, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem, ibi manebit.* O miserandam hominum cœciatem, breuissimum tempus nobis concessum est ad augmentum, & qualitatem in fine illius reperti fuerimus; tales ac tanti erimus in æternum, & tantæ opportunitatis obliti, profunde dormimus? Quanta vbiq; mortalibus fit is, quantus ardor, & desiderium in honoribus, facultatibus, dignitatibus crescẽdi? Quæ omnia post modicum euanescere nemo ambigit: & perpetuam obtinere celsitudinẽ, tam omnes possunt, quam omnes contemnunt. Non tamen quamlibet celsitudinem, sed vt ait, *in loco quem posuit*, id est vsque ad terminum præfinitum à Deo. Omnium enim natura constantium in corpore certus est terminus augmenti, & decrementi: ita & animorum magnitudinis, & augmenti, à Deo præfinitus est status. *Ipse enim dedit quosdam Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, & doctores, in ministerium, in ædificationem corporis Christi: neque omnium membrorũ eadem magnitudo est? sed alia oculorum, alia aurium, alia brachiorum.* Quale ergo quisq; à Deo in Christi corpore sortitus est ministeriũ, talem ab eo gratiam accipit. Neq; vtique dicit vas figulo, cur me fecisti. Satis proficies, si ad functionis tuæ dest natam gratiam bonis operibus satagis peruenire. Hoc agamus omnes, vna cunctis hæc sit, & præcipua cura profectus: nemo se satis profeciſſe putet, quantumcunq; profecerit. Quid enim? Christus (vt Euangelista ait) *proficiebat ætate, sapientia, & gratia cerã Deo, & hominibus*, & tu satis profeciſſe te iactas? Paulus non se putat cõprehendiſſe, aut perfectũ esse, sed de seipso ait. *Vnum autem, quæ retro sunt obliti, & ad ea quæ prior sunt extendens meipsum persequor ad brauiũ supernæ vocationis*, &c. Et tu qui iam perfectus, & consummatus, ais? satis profeci. Si perfectus es, perfectus Paulus indicit, vt ita sapiant, videlicet se nondum esse perfectos: quoniam viæ perfectio in perfici, est non in perfecto esse sicut in patria. Vnde in canticis statura sponsæ assimilata est palmæ, propter hoc absque dubio, quia palma contra

Psal. 83.
Isai. 26.
Isai. 10.
1. Tit. 8.
Rom. 1.
Gen. 1.
Eccles. 11. Ioan. 9.
Rom. 12.
Isai. 45 & Rom. 9.
Luc. 2.
Phil. 3.
Ibidem.
Cant. 7.

tra omnium aliorum arborum morem quo altius crescit, eo amplius in truncо turgescit. Talis profecto est omnis anima inita, quæ in omnibus, quæcunque agit, semper prosperatur, & crescit. Non *sic impii, non sic*, sed sicut Paulus ait, *mali homines, & seductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes.* Videas eos feruide, quæ bona sunt inchoare, sed deficiunt statim, & in bono incœpto continue exiliores fiunt: non est enim in eis virtus, quę bene cœptis incrementum præstet, & eos augeat. Felix ille, qui retro non redit, sed interius renouatus de die in diem peruenit ad senectam vberem: in qua Dei bene placito consummatus *occurrit in virum perfectum, in mensuram ætatis, plenitudinis Christi.* Sed iam spiritualis scalę gradus, per quos anima ex deserto peccatorum in perfectionis culmen conscēdere possit, in euangelica lectione pandamus. *Intrauit Iesus, in quoddam castellum* Firmissima castra Iesus inhabitat, animas vero mobiles, & instabiles introire minime dignatur. Noueris itaque, quicunque Deo te in religione vouisti, castrum domini esse, & assiduis inuasionibus oppugnandum. Quid miraris si ingresso Iesu cordis tui hospitium, interius exteriusque concutitur? An non legisti *Fili, accedens ad seruitutem Dei, para animam tuam ad tentationem?* Et quod *tanquam aurum in fornace probauit electos dominus?* Et rursus in Apostolo, *omnes qui pie volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur.* Sustine ergo inimicorum impulsus, & constanter resiste: quoniam eximia tibi hoc conflictu corona paratur. Hic sane primus scalæ gradus est, & totius structuræ fortissima basis, vt noueris te castellum: si enim robur animi, & constantia desit, quicquid super extruitur debili fundamento, constituitur ad ruinam. Grandis virtus perseuerantia est, qua sola bene cœptis consummario præstatur. Vnde Apostolus. *Optimum est* (inquit) *gratia stabilire cor*: animo determinato & gratia stabilito, nihil permanentius, nihil fortius. *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis* Fortissimi castri conditiones optime nosti. Si bene munitum, si bene vallatum vndique, si profundissima fouea vndiquaque circumdatum, si ingressus arduus, si ianitor ferus, aliisque pluribus munitionibus firmatum est: has & ipse habere curato, vt diutius hospitem Iesum tibi possis ab hostibus vendicare Sed hoc vnum agnoscito, nunquam hospitium cordis tui dominum Iesum intraturum, nisi hospitam animam intus inuenerit. Vnde sequitur, *& mulier quadam Martha nomine excepit eum in domum suam.* Non hospitatur Iesus in cuiusquam domicilio sine hospitis beneplacito: si anima foris vagatur, ingressum differt donec hospita rediat. Si ergo ipsum hospitari desideras, noueris, & ipse inhabitare teipsum. Hic est secundus gradus scalæ, quo anima proficit ad virtutem Est enim silentium iustitiæ cultus, & collectio hæc animæ omnis virtutis initium, sine qua impossibile est quempiam in bono augeri diutius. Vnde, & filio suo magnus quidam patriarcha dicebat effusus es sicut aqua, non crescas. Et Psalmus, *ædificans Hierusalem dominus, dispersiones Israelis congregabit.* Et adhuc apertius, *qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem*: Anima quæ in domo sua diutius residere curat, etiamsi sterilis prius fuerit, & sine fructu, fiet profecto Dei gratia fertilis, & fœcunda. Quo ergo magis in seipsa vires suas colligit, eo amplius, & in statura sua crescit, & in fructu operis proficit. Sed nunquid expectauit hæc mulier, vt Iesus veniret in castrum? An non obuiam ei extra processit? & pia cum deuotione suscepit? Occurre, & tu ò anima hospiti Christo, noli expectare, vt pulset. Nonne vidisti eam quæ sæpius rogata aperire distulit, quomodo postea sublato pessulo delusa remansit? quia enim non statim receptus fuerat, discessit. An non merito super tanta eius proteruia eam dedignaretur, cum tam dulciter, & pie roganti, *aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea*, tam dure, & tam ingrate respondetur ab illa? *spoliaui*

Psal. 1.
2. Tit. 3.
2. Cor. 4.
Psal. 91.
Eph. 4.
Scale spiritualis gradus.
Luc. 10.
Hodierni Euāgelii moralis tractatio.
Ad religiosos exhortatio.
Eccles 2.
Sap. 3.
2. Tim. 3.
Primus gradus.
Heb. 13.
Iacob. 1.
Condiciones boni castri.
Secundus gradus
Isai. 32.
Gen. 49.
Psal. 149.
Psal. 112.
Cant. 5.
Ibidem.

me

me tunicam meam, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? quasi non per hoc amplius mundaretur, si citius aperiret. Tertius hic spiritualis scalæ gradus est, lætitia scilicet, & bona voluntas, sine qua quicquid Deo offeras, placitum esse nequit. De his psalmus. *Tertius.*

Psal. 99. *Seruite domino in lætitia.* Et iterum, *Psal. 118.* *voluntarie sacrificabo tibi. Hilarem datorem diligit Deus*, & voluntarium seruitorem acceptat. Ab initio enim non placuerunt ei coacta seruitia. Monachus qui regnis & principatibus, si liceret, monachatui commutaret, nondum est assecutus quã preciosus thesaurus sit ibi absconditus. *Heb. 13.* *Exeamus itaque ad eum extra castra*, vt ait Apostolus, & venienti domino tota mentis exultatione occurramus, scientes vtique vberem apud eum hospitii esse mercedem. Non dormiamus in aduentu eius, ne cum fatuis virginibus excludamur: sed sicut psalmographus ait, *Matth. 25.* *Psal. 100.* *Psallam & intelligam in via immaculata, quando venies ad me.* Christo domino cum ramis & floribus obuiam exit, qui sanctas eius inspirationes & deuote suscipit, & cum gaudio implet. Sed otiosum esse non puto, quod Domino non Maria, sed Martha prior occurrit; *quia*, videlicet teste Gregorio, *qui contemplationis artem tenere desiderat, vt prius in actionis campo se exercere necesse est.* *1. Tim. 4.* Nemo repente fit summus. Exerce teipsum prius ad pietatem, qui spiritus desideras obtinere dulcedinem; actio enim pia contemplationem non repellit, sed aduocat. Sic enim Dominus ad Martham ait. *Voca sororem tuam.* Vnde & apud sanctos sæpius compertum est, inter ipsas medias pietatis functiones, diuinæ sapientiæ radium splendescere clarorem. Spiritus sancti dulcedo, bonis operibus quam precibus facilius obtinetur. Nam & apud iustum principem, promerenti quam roganti, dignitatis & honoris præmia citius dantur. Noli ergo otiosa petitione contendere; studiosa actione citius obtinebis. *Quartus.* Quartus hic gradus scalæ est, sine quo quisquis furtum contendit, frustra nititur ad ruinam. Sed qualis hæc pietatis actio esse debeat, ex sequentibus aduerte. *Martha* (inquit) *satagebat circa frequens ministerium.* Non remisse, non tepide, sed cum omni feruore & diligentia opus domini & ministerium expendum est; Pudeat in hoc à sæcularibus vinci, vtinam vtinam eo feruore & ea solicitudine, spiritualia & æterna, quo ista temporalia faceremus. Fœtidum lutum sedulo aggregamus & obryzum aurum stulte negligimus. Et hoc quale malum est? Studiosos in minimis ad maiora prouehere vsitatum est. Vnde fideli seruo Dominus ait. *Matth. 25.* *Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Huic quinto gradui sextus iungatur, *Sextus.* deuota petitio, vt ea quæ feruido operis ministerio promeremur, assidua orationis postulatione petamus: ipse enim qui ad operandum inuitat, pronocat etiam ad petendum, dicens. *Petite & accipietis; Matth. 7.* *pulsate, & aperietur vobis.* Vide vt Martha solicita, inter sua ministeria huius postulationis oblita non sit, sed ad dominum conuersa ait. *Domine non est tibi cura, quod soror mea reliquit me solam ministrare?* Ita & nos frequenter in affectione clamemus. Domine non est tibi curæ? vbi pietas? vbi misericordia? quænam obliuio hæc? non est tibi curæ quia perimus? Sed ò si sciremus quanta est illi cura pro nobis: vtinam vel tanta esset nobis cura de nobis. Vnde Petrus, *omnem solicitudinem vestram* *1. Pet. 5.* (inquit) *proiicientes in eum quia ipsi cura est de vobis.* Et propheta, *dominus solicitus est mei.* *Psal. 39.* Placita Deo querela est, vbi Martha conqueritur de Maria: sic namque temporalium administrationi insistere debemus, vt cœlestium contemplationi ardentius inhiemus. Sic continue audiendo verbo Dei intenta sit nostra Maria, vt Martha de illa iustam habeat querimoniam. H. sunt gradus eburnei, *ex quibus delectauerunt te filiæ regum, in honore tuo.* Hi sunt gradus purpurei, per quos in ferculum magni Salomonis conscenditur: quos pius rex charitate constrauit, propter filias Hierusalem. Eburnei sunt propter puritatem; purpurei, propter charitatem. *Cant. 3.*

Non ascendet per eos anima coinquinata, quia eburnei sunt: neque anima tepida, quia purpurei sunt: sed quæ iam vitiorum sordibus expiata, toto mentis desiderio ad superna festinat, poterit his gradibus ad veri Salomonis reclinatorium peruenire; vbi non iam de temporali ministerio sollicitetur, vt Martha; sed iucundissimo otio perfruatur cum Maria. De qua in Euangelio legimus, *quia sedens iuxta pedes domini audiebat verbum illius.* Si quis ergo Christi suauissimo colloquio frui desiderat, ad pedes sedeat, quietem teneat, inquirat pacem, & persequatur eam. Inter curarum & negotiorum strepitus, impossibile est audire Iesum, in secreto loquitur ad cor, & nisi silenter & attente audiatur, non percipitur eius sermo. Quam bene hoc nouerat qui dicebat. *Ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiue susceptit auris mea venas susurrii eius.* Sedeat igitur, sed ad pedes, non temerarie sustinet ad caput. Nam & Maria non prius caput vnxit vnguento, quam lachrymis rigauerit pedes eius. Contemplationis hic rectus est ordo, *vt iustus in principio accusator sit sui*, & postmodum laudator sit Dei: prius studeat ad pedes Iesu, contritionis & doloris lachrymas fundere, peccatorum suorum sordes abluere, & postmodum accepta fiducia, vnguentum deuotionis in vertice fundat. Ianua spiritus afflictio est, & per dolorem cordis ad spiritus gaudia peruenitur: frustra enim quæritur spiritus vnctio, si non prius fiat peccatorum ablutio. Vnde in Ecclesiaste. *Omni tempore vestimenta tua candida sint: & sic oleum de capite tuo nunquam deficiet.* O sacrum oleum, ô vnguentum nardi spicati pistici pretiosum beatus qui te inuenit, fœlix qui possidet te: omne aurum & argentum, & quicquid in vita desideratur, huic balsamo suauissimo cõparari non valet: omnes delitias & dulcedines exuperat huius vnguenti suauitas ineffabilis: ideoque non pedibus, sed capiti Saluatoris infunditur, sed varie. Quibusdam enim sat est guttatim stillare dulcedinem, neque enim vnctionem hanc sacram in abundantia possident, quia quo pretiosior, eo rarior inuenitur. Aliis autem tanta vnguenti plenitudo donatur, vt fracto cordis alabastro abundantissime effundant super caput Iesu. Fœlix anima, quæ vnguenti huius plenitudinem & fortitudinem ferre non valens, tota effunditur in Iesum. Quid enim aliud ecstasi animæ dixerim, nisi vasculi cordis rupturam, & plenissimam spiritus effusionem? De qua propheta. *Effunde (inquit) sicut aquam cor tuum in conspectu domini.* Sed siue ad pedes, siue ad caput steterit, intenta sit anima non ad loquendum, sed ad audiendum dilecti sui verbum: vt quid enim loquetur in præsentia Salomonis, simplex & indocta iuuencula? Exemplum sit tibi Maria, quæ vtrobique silentium tenuit, & gratiam inuenit. Denique *sedens secus pedes Domini*, non loquebatur quidem, sed *audiebat verbum illius.* Et in Psalmo legimus, *Audi filia, & vide.* Non ait, loquere. Verbosas, & loquaces animas, non tam exaudit altissimus quam eas quæ verbis carent, affectibus abundant. Ad quid enim verbositas hæc apud scientem omnia? *Orantes* (inquit) *nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt: putant enim quod in multiloquio exaudiantur.* Nolite assimilari eis: scit enim pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum. Tu ergo si quandoque datum tibi fuerit ad pedes domini Iesu sedere, silentium tene, auditum para, non verbum: non enim loqui venisti, sed audire. *Audiam quid loquatur in me dominus Deus*, ait propheta. Et tu similiter audi intra te, quid dicatur tibi. O mira & ineffabilis locutio, cum eructat cor meum non à seipso, sed à Deo verbum bonum: & *lingua mea fit calamus scribæ velociter scribentis.* Mea me ipsum alloquitur lingua, & intellectus meus ipse est lingua spiritus, quo loquitur mihi. O verbum dulce, ô verbum suaue, non à me inuentum, sed à plenitudine spiritus eructatũ: verbum non sonans, sed penetrans, non loquax, sed efficax: non obstrepens auribus, sed affectibus blãdiens. Vere domi-

Psal. 33.
Isai. 40.
Iob 4.
Matth. 26. *Luc.* 7.
Prou. 18.
Eccles. 9.
Ioan. 12.
Matth. 26.
Thre. 2.
Psal. 44.
Matth. 6.
Psal. 84.
Psal. 44.

ne

Psal. 118. ne *ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud.* Inflammat animam, adurit viscera, incendit cor, cõcutit animam, excitat affectum, prouocat desiderium: terrorem incutit, amorem elicit, vigorem tribuit: deniq; sicut Luc. 14. quidam experti sunt, *cor nostrum ardens erat dum nobis loqueretur in via.* Omni melle dulcior, & omni dulcedine suauior sermo tuus domine: *fauus distillans* Cant. 4. *labia tua, mel & lac sub lingua tua.* Nouerat hoc qui dicebat: *quam dulcia fauci-* Psal. 118. *bus meis eloquia tua super mel ori meo.* Denique *anima mea liquefacta est, post-* Cant. 5. & 1. *quam dilectus locutus est.* In Exodo legi- Cor. 3. & Exo. mus, quod ex consortio diuini sermonis 34. Moysi facies rutilabat, vsq; adeo vt non possent intendere in eum filii Israel, propter gloriam vultus eius. putasne & modo huiusmodi splendor deerit mentibus alloquentibus Deum? imo (vt existimo) obhoc maxime fulgor ille in facie Moysi exterius resplenduit, vt interiorem animæ, quam Deus alloquitur, demonstraret decorem, ac per hoc ad sui colloquium nos amplius inuitaret. Proh nostram insaniam miserandam, qui tantã pulchritudinem sponte oblatam negligimus & contemnimus, temporalibus commodis & negotiis sæcularibus indefesse, die noctuq; desudamus: & vnum illud necessarium & optimum pro nihilo pẽdimus, in quo solo vitam omnem, & annos nostros expendere debuisse- mus. Ad inutilia negotia breuis est annus, & ad domini colloquium quæuis hora longissima est. Si qua ergo vobis fratres cura saluris, si qua spiritus & amoris scintilla, si quod cœlestis desiderii vestigium in corde est, obsecro vos in domino Iesu, quiescite iam à temporalibus curis, vacate modicum à sæcularibus negotiis Psal. 55. *Vacate* (inquam) *& videte quoniam suauis est dominus.* Nolite negligere gratiam quam vobis offert, sedete vel ad modicum cum Maria ad pedes Iesu: intrate quotidie vel ad horam cubiculum cordis vestri: & clauso ostio orate patrẽ vestrum. Audite magistrum vestrum, alloquimini Deũ vestrum: erit n. profecto hoc otiũ vobis omni negotio maius, omni lucro vtilius, omni solatio suauius: Hæc de nostra ascensione, & spirituali animæ scala, dicta sufficiant.

Non nimium temporalibus inhærendum.

Exhortatio ad religiosos.

Psal. 33. 1. Tim. 4.

Ad virginem sacram nunc verba vertamus: cuius magnitudinem, pulchritudinem, dignitatem, splendorem, Angeli qui in occursum ascendenti venerãt admirantes, hæc verba prosan ur. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluẽs, innixa super dilectum suum?* Multa sunt quæ mirantur in ea; primum quod de huius sæculi spinoso & arenti deserto talis rosa legatur, cui in toto Dei cœlesti viridario similis non est alia. Quam bene eam dilectus suus in canticis comparat, *sicut lilium inter spinas, sic amica* Cant. 1. *mea inter filias.* O rosa vernans, ò lilium candidissimum, & purissimum, quanta hodie fragrantia & lætitia, cœlestem Hierusalem specie tua, & pulchritudine perfudisti? Qua suauitate, quo gaudio Angelorum cuneos tuo aspectu & decora præsentia oblectasti? quam vere de te scriptum fuerat? *sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic sancta mulieris species in ornamentum domus eius.* Quia sicut regis potentis cu- Eccles. 26. riam regina pulcherrima sua specie & honestate ornat, implet & venustat: ita regis æterni curiam virgo decora, tua præsentia decora, tua præsentia decorasti. Quis hodie tui cordis delitias dicere sufficiat? quis explicare queat, ò virgo? Quid sentis, quando sole pulchrior, & luna candidior de sepulchro surgens, dilecti tui brachiis, ad amplexus & oscula redeuntibus oculis, susciperis & manibus eius sacris ad alta proueheris? cum inter Angelorum cantantium tripudia, & animarum quantum crepundia, filii Dei, & tui dilectissimi, dulcia oscula susci pis, & ad cœlestia regna eius sinu læta conscendis? Fœlicia prorsus oscula labiis impressa lactentis: verum fœliciora profecto quæ hodie ab ore susci pis in throno sedentis. Quid de tuis delitiis dicam, ò Maria? *Si oculus non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se, quod præparauit gignenti se, &* Isai. 64. & 1. Cor. 2.

pro. u'dubio præ omnibus diligenti, qui loquatur? Hæc Bernardus. Hanc delitiarum & gaudiorum affluentiam, inter alia, cœlorum ciues mirantur in virgine. Admirantur quoque dignitatem & sublimitatem eius nimiam; cum enim cæteris quisque, quantumuis dilectis & sanctis, ad honoris, & dignitatis culmen satis sit, quod Angelorum, aut Archangelorum manibus deferantur ad gloriam: hæc regina potens non Angeli, aut Archangeli, non etiam Cherubim, aut Seraphim alicuius manibus, sed innixa super filium Dei, & principem cœli dilectum suum, cum incredibili pompa & triumpho supernam ciuitatem ouanter ingreditur. Quantus honor, quãta celsitudo, quãta maiestas. Omnis militia cœlestis, omnis Angelorum candidus & decorus senatus, omnis illa potestatum, & dominationum cœlestium celsitudo, cum Dei filio virgini Deiparæ

2. Reg. 6. obuiam venit, & coram arca testamenti tripudiat, cum in templum deducitur,

Secundo arca fuit recepta. Dei sui aspectibus præsentanda. Bis nãque in veteri testamento legimus arcam Domini cum gaudio fuisse receptam: semel à Dauid in domum suam, & iterum à filio Salomone in templum Do

Ibidem. mini: in quorum vtraq; solennitate o-

3. Reg. 8. mnia genera musicorum, cantorumque numerosa varietas, Deo in excelsis laudes, & gloriam personabant. Quæ quidem arcæ geminata festiuitas, duplicem aliam designauit solennitatem: alteram quam fecit pater filio suo Iesu, dum arca illa sacra, *in qua sunt omnes thesauri*

Col ss. 2. *sapientiæ & scientiæ Dei abscondit*, id est, humanitas eius defertur in cœlum: alteram quam fecit filius matri suæ, dum in templum Dei arca illa Deifera introducitur, cum Deo suo perpetuo regnatura. Quis ibi fuerit Angelorum iubilantium concentus, quis etiam cœlestiũ instrumentorum & citharœdorum strepitus, quis iubilus, quæ musica, quæ harmonia dicere quis sufficiat? Sed ex ipsa figura coniectari fas est, vbi dicitur. Tam leuitæ, quam cantores, id est, & qui sub Asaph erant, & qui sub Herman, & qui sub Indithum, filii & fratres eorũ vestiti byssinis cymbalis & psalteriis, & citharis concrepabant, stantes ad orientalem plagam altaris, & cum eis cantores centum viginti canentes tubis. Igitur cunctis pariter & tubis, & voce, & cymbalis, & organis, & diuersis generis musicorum concinnentibus, & vocem in sublime tollentibus, longe sonitus audiebatur: rex autem Salomon & omnis multitudo Israel gradiebatur ante arcam. Per quos quidem sacerdotes & leuitas concrepantes, omnis illa cœlestium cantorum multitudo designatur, quæ in hac sacra solennitate mirificam regnæ cœli musicam personauerunt. Astant ergo beatæ virginis tumulo circũcirca Apostolicus cœtus; & desuper Angeli inenarrabili lætitia cum dilecto cãtica dragmatis frequentantes. Eorum voces in canticis attende. Intonat primo dilectus ad eam voce suaui, *surge, propera amica mea, columba mea formosa* Cantic. 2. *mea & veni. Iam enim hyems transiit, imber abiit & recessit.* Transiit clamor insultantium Iudæorum, transiit tempestas inundantium tribulationum: *flores apparuerunt in terra nostra*, humanitate mea, quam de vtero tuo sumpsi; *vineæ florentes*, id est ecclesiæ *dederunt odorem suum*, sicut vidisti, sicut audisti. *Surge ergo, propera amica mea & veni. Columba* Ibidem. *mea in foraminibus petræ ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis.* Non enim decet vt putrescat in sepulchro corpus, quod non maculatũ est vitio, aut redigatur in puluerem caro, quæ totius nescisit peccati labem. *Veni ergo de Libano sponsa mea, veni de Libano, ve-* Cant. 4. *ni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, & cubilibus leonum, de montibus pardorum.* i. de omnium montium, & collium cœlestium rosis, & floribus vernantibus coronaberis. Ad hanc vocem dilecti, quasi à somno excitata virgo exultans clamat. *Vox dilecti mei, a-* Cant. 5. *nima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est.* Surgitq; de tumulo sole clarior, luna candidior. Qualis sponsa cum pro- Psal. 44. cedit de thalamo gemmis & monilibus ornata, sponsi sui aspectibus præsentanda. Leuatur ergo super aera, vndiq; con-

cre-

crepantibus Angelis. Quid agit's Apostoli, cur non post tergum abeuntis clamaris dicentes. Virgo prudētissima quo progrederis, quasi aurora valde rutilas? *Filia Sion pulchra vt luna, electa vt sol, quam pulchri sunt gressus tui in calciamētis. Filia principis reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Iam cœlos læta contigerat manibus delata potentis, cum ecce obuiam ei occurrit Angelorum innumera multitudo, decorem illius & gloriam admirantium, voceque iucunda percunctantium. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarii.* Alii vero dicebant. *Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol?* Alii autem, *quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Quibus illa mira benignitate respondit. *Ego flos campi: & lilium conuallium. Ego murus, & vbera mea sicut turris: ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens.* Sic breuiter de se quærentibus satisfacit virgo beata. Sed non facile interrogatio soluitur, non leuiter quæstio ista concluditur. Quis vobis ô Angeli respondebit, quis dicere poterit, quæ est ista? Non mihi si linguæ centum, si ora centum si ferrea vox, si centum (inquam) ora darentur, dicere non sufficerem quæ est ista. Hæc rubus ille ardens & incombustus, cui dominus impressus. Hæc vellus madidum in area sicca, cui se placidus è cœlo imber infudit. Hæc scala cœli per quam ascendunt & descendunt Angeli, in cuius medio affixus est Christus. Hæc porta orientalis clausa, per quam solus intrat, & egreditur princeps. Hæc virga Aaron nullo humano opere florida, *super cuius florem spiritus domini requieuit. Hæc mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius: cuius partum obseruat serpens antiquus.* Quæ est ista? Templum Dei est, spiritus sacrarium est, filii Dei thalamus est, Trinitatis domicilium est, purpura regis est. Hæc propiciatorium, hæc arca, hæc vrna, manna, hæc arca testamenti. hæc tiara pontificis aurea, cui sacrum Dei nomen insculptum. O Angeli quid dicam vobis? Quæ est ista? Mater Dei est, sponsa Dei est, filia Dei, paradisus Dei est, regna cœli est, columna mundi est, ianua paradisi est: per hanc Deus ingressus est mundum, vt reus quondam ingrediatur cœlum: per hanc Deus est humanatus, vt sic homo redemptus, diabolus superatus, & infernus spoliatus: hanc prophetæ pronunciauerunt, patriarchæ præsignauerunt, vatcinia promiserunt: hanc cœlum colit, mundus honorat, infernus pauet, Angeli venerantur, homines deprecantur: hanc omnes generationes sæculorum prædicant, & beatam dicunt, & qui sunt, & qui fuerunt, & nati natorum, & qui nascentur ex illis. Talis est dilecta nostra charissimi, talis est soror nostra. Sed quid nos eam vobis prædicamus? vos potius nobis dicite quæ est ista, qui eius decore & venustate, qui eius splendore & claritate fruimini: vobis nunc melius innotescit quæ est ista. Sic ergo virgo facta, filii sui vnigeniti manibus delata, patris omnipotentis conspectibus præsentatur, & super Cherubim ad dexteram suam in solio regio collocatur: in quo cum eodem filio suo viuit, & per illum regnat fœlix & glorioſa, in sæcula sæculorum. Amen.

Cant. 6. Cant. 7. Cant. 7. Cant. 6. Cantic. 2. Cant. 8. Exod. 3. Iudic. 6. Gen. 28. Exech. 44. Num 17. Isai. 11. Apoc. 12. Gen 3. 2. Cor. 6. Cant. 7. Heb. 9. Exod. 29.

DE ASSVMPTIONE VIRginis Mariæ.

Concio tertia.

THEMA.

Martha Martha solicita es, & turbaris erga plurima, porro vnum est necessarium. Lucæ 10.

QVoties profunda meditatione, irradiante Deo, veluti ex alta specula studia hominum, cogitatus, & opera diligentius intueor, quoties vagos eorum discursus, & superfluos labores attentius inspicio, vix me contineo à lachrymis præ dolore, videns filiorū Adæ errorem, cœcitatē, tenebras, & inutilem vexatio-

nem. Quis enim non doleat, quis non misereatur tantam hominum multitudinem, tam impie delusam atque frustra eam, vt sine causa conditi fuisse videantur? Cuius (inquam) viscera non rumpantur, & cor mœrens sanguinis guttas non effundat, cum ingenuam creaturam propter quam astra, cœli, maria, elementa & cætera omnia orbis huius corpora cõdita sunt, viderit densissimis tenebris inuolutam, penitus nescire quo vadat? Omitto nunc Paganorum, Iudæorum, Indorum, Hæreticorum gentem innumeram, quibus æterna damnatio resultatur: quibus vtique melius fuisset non nasci, cum ad nihil aliud nati videantur, nisi in combustionem perpetuam, & cibum ignis: ex his quos sacra fides instituit, & illuminauit ad vitam, perraros vbique reperies, qui veri & æterni boni desiderio teneantur, qui vtili officio vitam expendant: sed alios acquirẽdis diuitiis, alios amplian-dis honoribus, alios perfruendis voluptatibus implicatos, vanitatibus deditos, lusisse vitam, impensam & operam perdidisse. Quam improbo labore, quãta cura & anxietate, vmbratiles istas bonorum formas, fictasque rerum imagines & phantasmata persequũtur? quam ardenti cupidine & desiderio viles eatdorum lanugines, insensatorum puerorum more per aera volitantes insectantur? & super his obtinendis inueniendis, acquirendis quam stulte miserabiliterque vexantur? *O curas hominum, ò quantum est in rebus inane? Filii hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? vsquequo* (inquam) *paruuli diligetis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient?* Quam pulchre de his Isaias propheta prædixerat olim opera eorum, opera inutilia, telas araneæ texuerunt. *Tela eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis.* Videmus araneas euiscerari & exinaniri, vt telam faciant; quam cum multo labore & assiduo opera orditæ fuerint, à modico vento dissipatæ, in nihilum diuturnus ille labor euanuit: quæ tamen etsi diu permaneant, ad nihil aliud vtiles sunt, nisi ad capiendas muscas. Talia sunt mortalium opera, huiusmodi sunt istorum labores: non erunt illis telæ eorum in vestimentum, sed in confusionem & nuditatem, & exitium sempiternũ. Cui comparabimus homines istos, aut cui assimilabimus eos? Similes sunt profecto propellentibus prægrandem scopulum, & multo cum sudore illum euellere conantibus: aut ciuitati populosæ, quæ multis expensis & indefesso labore, montem altissimum, frustra & sine causa scrobibus planare conantur: quos si quispiam viator sensatus viderit inutiliter desudantes, aut miseratione commotus lachrymas fundet, aut risu percitus in cachinnos erumpet. Talis est vita hominum fratres, similes sunt hi quos mundus potentes, cordatos, & sapientes vocat. *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Proh dolor, *corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens aut requirens Deũ. Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt: contritio & infœlicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt.* Fœlix cui Deus aperuit oculos, vt videat veritatem, & fugiat vanitatem. Conatur Salomon in Ecclesiaste reducere homines ad cor, vt intelligant fallaciã quã sequuntur, ne videlicet frustra laborent sub sole, & breuissimo vitæ suæ tempore inaniter conterantur. Proposuit in corde suo diligenter inquirere rationes & causas rerum, & inuestigare sapienter quid expediat homini sub sole, quo facto opus sit omnibus diebus vitæ suæ: qui cum ingenio & sapientia omnes mundi homines antecelleret, omnibus sæculi bonis quæ homines desiderare possunt solertii experientia perlustratis, cum vacua omnia reperisset, clamat ad cæteros. *Vanitas vanitatum* filii Adam, vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quid miseri fallaces has bonorum vmbras tam anxie amplectimini? *Credite sapienti, credite experto, credite deluso. Vidi omnia*

Matth. 26.

Isai. 9.

Simile.

Rom. 1.

Psal. 13.

Ostenditur vanitas.

Psal. 4.

Prou. 1.

Isai. 59.

Simile.

Eccles. 1.

Comprehēdit author hîsce multa capita Ecclesiast.

omnia, probaui omnia, & nihil in eis reperi preter laborem, anxietatem, amaritudinem, & dolorem. Quis vnquam ab initio cunctis opibus abundauit, vt ego? nemo sic honoratus, nemo sic ditatus, nemo sic dilectus, nullus vnquam sic in orbe celebratus, nullus à gentibus cum tanta reuerentia & admiratione cultus. Abundaui deliciis, magnificaui opera mea, edificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos & pomeria, & consaui ea cuncti generis arboribus, & extruxi mihi piscinas aquarum, vt irrigarem syluam lignorū germinantium:

Ibidem.

possedi seruos & ancillas, multamq; familiam habui, armenta quoque, & magnos ouium greges vltra omnes qui fuerunt ante me in Hierusalem, congregaui mihi argentum & aurum, substantiam regum & prouinciarum; feci mihi cantores & cantatrices, & delitias filiorum hominum, scyphos & vrceolos in ministerio ad vina fundenda, denique omnia quæ desiderauerunt oculi mei non negaui eis, neque prohibui cor meū, quin omnino voluptate frueretur, quadraginta millia equorum in stabulo meo habui, & plusquam trecentas fœminas in delitiis. Quis ita regnauit deliciis affluens vt ego? Rex potens, pacificus, sapiens, glorioſus, & tamen quid dicam vobis ò filii hominum? Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Omnia quæ desideratis habui, omnia quæ concupiscitis expertus sum, nolite decipi, nolite errare, credite mihi, nulla in eis fœlicitas, nulla satietas, nihil est in eis nisi vanitas, & afflictio spiritus. Quod si sapienti & experto fides adhibenda est, dicam tibi ò homo, quid expediat tibi sub sole:

Eccles. 12.

Deum time, & mandata eius obserua. Hoc est omnis homo, hoc solum vtile iudicaui: cætera omnia vanitas, & afflictio spiritus.

Officium solius hominis Deū timere & obseruare mandata eius.

Sed non leuiter pertranseundum est, quia non dixerit, hoc homini conducibile fore, sed *hoc est* (inquam) *omnis homo*: quia videlicet hoc proprium hominis munus, & officium sit. Habēt omnia sub sole destinata & propria officia quibus exerceantur, & nihil penitus in toto orbe otiosum: cœlum voluitur, astra lucent, sol irradiat, terra germinat, plantæ pullulant, arbores fructificant: bruta quoque destinatis officiis homini deseruiunt, alia portandis oneribus, alia colendis agris, alia custodiendis hæreditatibus, alia deferendis hominibus; sicut cuique à natura donata est habilitas ita seruit: nunquid homo solus sine officio erit? *nunquid domine, vane constituisti filios hominum?* Abſit vt homo solus vanus sit, propter quem cætera omnia vana non sunt. Quæramus ergo quod sit hominis officium propriū, quid opus illud in quod conditum est, hoc enim scire maxime hominem decet, vt illud exequatur & impleat: qui enim iumentis proprias actiones adaptat, suā ipse ignorare non debet. Discurramus ergo per omnia officia, quæ homines exercere solent, & quęramus in eis quod sit hominis proprium. Arare, seminare, plantare, texere, ædificare, & quicquid aliud est artis mechanicę, opus hominis proprium esse non potest. Neque enim homo propter illa, sed illa omnia propter hominem; non hoc à principio Deus instituit, sed necessitas adinuenit ad fulciendam & sustinendam hominis vitam; omnes illæ artes repertæ sunt, vt homo fulciatur & viuat, nos autem inquirimus illius vitæ propriam functionem. Exemplo id notius fiet. Da mihi hominem natum & vestitum, qui cibo, potu, domo, vestimento non indigeat; qualē in principio Deus psalmauit Adam, de isto quæro ad quid factus est, quid agere debeat, & in quo se exercere oporteat; neque enim (vt diximus) frustra conditus est, vt otiosus sit. Eadem ratione magistratus, militia, imperia, regna, & quicquid aliud ad Reipubl. gubernationem spectat, propria hominis actio esse non possunt; cum hæc omnia propter hominē sint, & nō homo sit propter illa. Sed neque vt comedat & bibat, & delitiis perfruatur homo conditus est. *Maior sum, & ad maiora sum natus*, ait Seneca, *quam vt vile mancipiū sim sensuum meorum* An non hæc omnia brutis conueniunt? & huiusmodi voluptatibus sæpius ab eis vincimur? quomodo proprium est hominis munus, quod illi cum bestiis commune est? Arctamur vndique

Psal. 88.

Officia hominum diuersa.

Cant. 1.

Seneca.

que, & confiteri compellimur cum Augustino, *quod homo creatus sit, vt summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, & amando eo frueretur*; & sicut Apostolus ait, *vt simus in laudem gloriæ eius, & notas nobis faceret diuitias gloriæ suæ, & magnitudo eius nobis innotesceret*; vt sic die ac nocte laudemus, benedicamus, glorificemus, & exaltemus nomen eius in sæcula. Hoc est hominis officium, hoc opus in quod conditus est. Omnia faciunt officium suum, homo, factu quoque tuum. Quid alienis operibus implicaris, opere tuo relicto? Cum Deum laudas, homo es: cum plantas, ædificas, seminas, deficis ab homine, quoniam non in hoc, & propter hoc conditus es, vt illa faceres, in quibus tamen tu fere omnem tuam vitam expendis. Vides quãta hominum multitudo frustra viuit ab humano opere & vsu aliena, qui more pecorum ignorantes seipsos, ita sunt quasi non sint, quia frustra sunt. De his propheta. *Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa. Omnes enim* (sicut diximus) *declinauerunt, inutiles facti sunt. Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Non est (inquam) qui bonum illud vnum necessarium perquirat & exequatur, in quo solo salus & vita hominis posita est. Omnes circa multa distrahuntur & occupantur, in quibus non est nisi vexatio, & dolor, & afflictio spiritus. Neque tamen idcirco dixerim hoc, quia opera quæ sunt vitæ necessaria damno: non sunt illa opera mala, sed à malo sunt. Nam si peccatum non fuisset, hæc omnia homines non occupassent. Non esset fames, neque frigus, neque nuditas, neque aliæ necessitates innumeræ, quibus tollendis vniuersa hominum multitudo desudat. Ex peccato Adæ inutilis hæc occupatio hominibus superaddita est, qua sublata officio suo homines incumberent, & opus suum exercerent. Fœlices vos ô fratres mei, quibus datum est Deo vacare, die ac nocte in Dei laudibus insudare: vos homines estis, vos quod hominis est facitis: sic viuitis quasi in vobis non peccasset Adam: quia idipsum soli facitis post peccatum, quod si non peccasset, omnes homines facturi essẽt. Optimam partem cum Maria elegistis, solicitudines Marthæ cæteris relinquẽtes. *Vere funes ceciderunt vobis in præclaris, & portio ista vestra præclara est vobis. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Labor modicus, & copiosa merces: hoc vnum necessarium amplectimini, hoc vnum exequimini, in hoc tota vita versamini, semper memoria retinentes, quia in hoc solum conditi estis. Agite (inquam) in terris, quod semper in cœlo facturi estis; neque enim ibi aliud opus est, nisi laus. *Ad quæ enim ascenderunt illuc tribus, tribus Domini, testimonium Israel?* Non vtique ad aliud, *nisi ad confitendum nomini domini.* Vnde ait. *Beati qui habitant in domo tua domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Hoc vnum propheta cupiebat, dicens: *Vnum petij à domino, hoc requiram, vt inhabitem in domo domini, omnibus diebus vitæ meæ.* Hoc vnum etiam Apostolus desiderabat, dicens, *Vnũ autem quæ retro sunt obliuiscens, & ad priora extendens meipsum, ad brauium supernæ vocationis persequor.* Hoc est vnum illud necessarium optimum, quod sancti Patres in eremo requirebant: qui relictis omnibus quæ desiderari possunt, huic soli operi tam sedulo & tam solicite vacabant, vt grandem iactutam facere viderentur, si vel per horam ab eo cessarẽt. Defixis namque in cœlum oculis, eo ad ista terrena deflectere vltra nolebant: sed nunc legendo, nunc orando, nunc meditando, nunc contemplando, velut à diuersis locis in vnum signum cordis sui sagittas dirigebant. Hæc est illa vna pretiosa margarita, pro qua sapiens negotiator libenter dedit omnia sua, & emit eam. Hic thesaurus absconditus, quem qui reperit in cordis sui agro, beatus & diues est. Sedete fratres ad pedes Iesu cum Maria, vt audiatis in silentio verbum eius, & impleamini ab vberibus consolationis eius. In hac schola frequẽtes vitæ magistrum audite, scientes quia hoc solo positi estis, & ad hoc solum re-

Bph 1.

Psal. 13.

Matth 5.

Quando quis homo dicendus.

Psal. 121.

Psal. 85.

Psal. 26.

Phil 3.

Matth. 13.

Matth. 13.

Isa. 66.

Psal 57.

Psal. 13.

Gen. 3. & inf.

ligionis clauſtrum introiſtis, nihil aliud vobis incumbit, aliud vobis officium non iniungitur. Prophetam ſuper hoc audite. *Bonum eſt* (inquit) *viro cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, ſedebit ſolitarius: & tacebit quia leuabit ſe ſuper ſe.* Hoc monachi opus, hoc officium eſt, hæc pars illorum qui iugum domini cum gaudio ſuſceperunt. Fælix vita, quæ tali expenditur miniſterio: cui pro labore quies; pro opere otium; pro negotio ſilentium indicitur. Cæteris dicitur, *in labore vultus tui veſteris pane tuo: labores manuum tuarum quia manducabis.* Monacho nullus labor imponitur, niſi vt non laboret, imo vt quieſcat cum Deo ſuo, & tota die delectetur in eo. O præclaram ſortem, ò vitam dulciſſimam, ò Paradiſum amœnum, cui dulcior alia promittitur Paradiſus. Labor ſine labore opus ſine opere otium omni negotio maius: hanc partem optimam ſibi elegit Maria, Maria illa fœlix, maxima beatarum Mariarum, maxima fœminarum, Maria (inquam) illa quæ neque ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. Non de te ò virgo beata aliud opus legimus, niſi hoc: non erant tibi ampliſſimæ facultates vnde famelicos aleres, nudos veſtires, infirmos curares, indigentibus neceſſaria miniſtrares: non de te miracula & portenta mirifica legimus niſi poſt mortem tuam. Euangeliſta autem nulla de te ſcribit miracula, quibus vita tua in populis magnificaretur, & in oculis gentium illuſtraretur. *Omnis gloria filiæ regis ab intus in fimbriis aureis,* in puriſſimis cogitationibus, in ardentibus deſideriis, in ineffabilibus gaudiis, in cœleſtiũ virtutum ſpiritualibus infuſionibus, & luciſſimis theoriis. Hæc erat vita Mariæ, vni ſoli neceſſario vacare, illi ſoli intendere, circa multa non ſolicitari. Quæ eſt omnis contemplatio, ſi ad eius ecſtaſim, quæ eſt omnis deuotio ſi ad eius ſpiritum comparetur? Quis vnquam anachoritarum tam viuax & potens viſu, vt itreuerberata acie ſolem lucidiſſimum ſpecularetur, ſicut aquila hæc perſpicaciſſima, *amicta ſole, & luna ſub pedibus eius?* Qualis fuit oculorum eius pulchritudo, & venuſtas aſpectus, quæ regem maieſtatis ſolo intuitu vulneraũit? Vnde ait: *Vulneraſti cor meum ſoror mea in vno oculorum tuorum,* in vno crine colli tui: & quaſi non valens aſpectum pulcherrimũ ſuſtinere, vulneratus clamat *Auerte oculos tuos à me; ipſi me auolare fecerunt.* Vnde auolare? niſi à ſinu Dei patris, in vterum virginis matris? Et iterum. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecus latet.* Quoties oculorum repetit pulchritudinem? quoties viſus decorem exaggerat? vt in illis ſe maxime captum, & delectatum oſtendat. Vera pulchra, & bis pulchra; pulchra facie, pulchriot fide, pulchra in corpore, pulchra in mente, pulchra interiori gaudio, pulchra exteriori obſequio, pulchra cum gignitur, pulchra cum genuit, pulchra in Ægypti exilio, pulchra in cœleſti regno. *Oculi tui columbarum.* Propter quid columbarum? Columbæ cum in terra paſcuntur, oculos in terram non figunt, ſed raptim videntes granum ſtatim viſum in cœlum attoliunt. Tales ſunt Mariæ oculi, cuius obtutus raptim terrena tranſiens, cœleſtia frequentius perluſtrabat. Sic enim filii ſui & ſponſi Ioſeph miniſterio incumbebat, vt cœleſtia ſemper intueri non deſineret. Columbinos oculos Maria habet; coruinos habent, de quibus ſcriptum eſt; *oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terrã.* Iam vero interiorem quam diximus pulchritudinem, quoniam ſermo explicare nõ ſufficit, tacendo magis laudat, cum ait; abſque eo quod intrinſecus latet. Quaſi dicat, quid in te ſoror mea foris emineat, homines vtcunque videre poſſunt, quid intus lateat, ſoli Deo perſpicuum eſt, tantorum munerum largitori. Solus quippe nouit lætitiæ mentis ſecretũ, gaudiorum exceſſus, amores ecſtaticos, virtutum omnium diuitias ineffabiles, quas ſpeciali quadam prærogatiua in ea accumulare dignatus eſt. Propter quod ſpiritus Mariæ exultat, non in hominum gloria, non in omnium generationum laude, ſed in Deo ſalutari ſuo, cui ſolummodo

Thre. 3.

Gen 3.
Pſal. 127.

Labor religioſorum.

Cant. 4.

Cant. 6.

Cant. 4.

Cant. 4.

Cant. 1.

Oculi B Mariæ perpulchri.

Pſal. 16.

Pſal. 44.

Luc. 1.

Apoc. 12.

modo exultationis eius ratio, & causa non erat. Vnde secundum Bernardum, propterea Spiritus sanctus illi obumbrasse dicitur, quia sanctus quicquid in ea gestum est, sic in suo secretissimo cõsilio spiritus obumbrando celauit, quatenus sibi tantummodo notum esset & virgini, cui soli datum est nosse, quod soli datum est experiri. Hæc igitur præclara illa saluatoris discipula quæ non ad horam, aut per diem, sicut Magdalena, sed triginta tribus annis in schola illius, ad pedes eius sedens, audiebat verbum illius, & conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Cui propter singularem & excellentem eruditionem, cœlestis magister ad patrem vnde venerat rediturus, scholam & cathedram suam reliquit: non quidem vt oues suas regeret sicut Petrus, sed vt discipulos suos cœlesti sapientia, quam ab eo didicerat, erudiret: quoniam & propter ingenii viuacitatem, & diuturnioris scholæ assiduitatem, cæteris omnibus condiscipulis sapientior & doctior habebatur. Quam quidem scholam duodecim annis (vt fertur) rexit ac tenuit, Apostolorum omnium, & discipulorum Christi, ecclesiarumque magistra: vnde & cunctas hæreses solam interemisse, in ecclesia Dei merito decantatur. Quis huius tam familiaris, & dilectæ discipulæ lectiones quas audiuit, enarret? quis sacramenta quæ nouit intelligat? Edissere nobis ò virgo beata, dulcissimos illos dialogos, familiares locutiones, & arcana colloquia quæ habuisti cum filio, quando in gremio tuo recumbens, cœlestia tibi secreta pandebat. & dulcia illi in doctrinæ præmium oscula referebas. Quid tunc differebat? Quid docebat? Quid illum percontabaris? quid tibi respondebat? Noueras enim optime eum quis esset: noueras diuinæ sapientiæ in eo latere thesauros, noueras abyssum luminis profundissimam, intra tenerrimi pectoris angustias latitantem, omniaq; eius verba, sicut Dei omnipotentis oracula conseruabas. O fœlicem fœminam, quæ nectareo illo diuinæ sapientiæ poculo tãdiu potata es. Cur nos obsecro virgo, his tantis diuitiis defraudasti? cur thesauros istos desiderabiles à tuis seruitoribus absconditi? cur dialogos illos dulcissimos ad eruditionem & consolationem nostram scripturæ nõ mandasti? Quid nobis nũc gratius, quid dulcius, quid vtilius dari posset, quam vt colloquiorum huiusmodi sapientissimo & salutari pabulo frueremur? interrogantem matrem & filium respondentem de cœlestibus audiremus? Sed non decuit margaritas pretiosas omnibus palam fieri & sacramenta cœlestia, quæ non licet homini loqui, coram omnibus publicari, ac propterea non edita sunt. Quę enim nobis edidit saluatorẽ, quando si deceret, vtilem populo celaret sermonem? Sicut ergo in vita præ cunctis dilecta, super omnes sapientia & deuotione volauit, ita hodie in cœlum assumpta super omnes gloria & honore sublimata est. *Ascendit namque super Cherubim, & volauit super pennas ventorum.* Vbi enim arca deifera nisi super Cherubim locanda erat? Quanta gloria, quanta maiestas omnibus cœli principatibus, & potestatibus anteferri ab omnibus coli, & sicut reginam cœlorum, & dominam toti cœlesti curiæ præsidere? Hæc tua pars virgo beata, hic honor, hæc gloria. Quod enim de nullo sanctorum credere fas est, hoc de te sancta canit ecclesia, *quod exaltata sis super choros angelorum ad cœlestia regna*: vbi cum filio tuo viuis & regnas fœlix & gloriosa in sæcula sæculorum. Amen.

Luc. 1.

Luc. 2.

Matth. 7.

Psal. 17.

Ecclesia.

B. virgo 12. annis magistra Apostolorum fuit.

DE ASSVMPT. VIRGINIS, Concio Quatta.

THEMA.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Lucæ 10.

PRIOR PARS.

DVo mihi hodierna celebritate tractanda se offerunt, ac proinde in duas concionem hanc diuidam partes, priori moralem expositionem Euangelicæ historiæ expediemus atque eas exponemus proprietates, quas Deus requirit

quirit magnopere in eo, quem velut hospes inhabitat. Posteriorem vero partem diuæ virgini tribuemus, ostendemusq; iuxta thema propositum, quod optimam partem elegerit sibi Maria. *Intrauit Iesus in quoddam castellum.* Esto & tu castellum, vt intret in te Iesus: nam domos vilibus contractas paleis, & tuguria quæ igne concupiscentiæ facile inflammantur, & domos fragiles, veteres, ruinosas, quæ leuissimo tentationis vento cito prosternuntur, non intrat Iesus: sed domos stabili fundamento subnixas, firmas, constantes, perseuerantes in bono: quæ omni impulsui tentationum, & persecutionum resistunt. Qualis est illa de qua in Euangelio. *Omnis qui audit verba mea & facit ea, assimilabitur viro sapienti qui ædificauit domum suam supra petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra firmam petram.* Castellum itaque fortissimum debet esse anima, quam inhabitat Iesus. Nostis bene conditiones castri optimi: nam debet esse constructum in alto supra firmam petram, & muro fortissimo, & ante murali, & cauea profundissima vallatum. Debet habere etiam pontem eleuabilem sublicium, portam ferream, ianitorem rigidum, qui nemini parcat, sed fortiter custodiat ingressum, multam commeatus prouisionem, & machinarum munitionem, vigiliam diligentissimam, & alia similia: quæ omnia spiritualiter debet habere castrum Christi. Habebat in alto fundamentum, non in terra: sicut Apostolus ait, *nostra conuersatio in cœlis est.* Si fixum & firmatum fortiter supra firmam petram fidei: sit charitate vallatum: *fortis enim est vt mors dilectio.* Habeat antemurale patientiæ, in quo recipiat ictus persecutionum, & tentationum: & foueam humilitatis profundam, pontem eleuabilem cogitationis, id est dominum cordis: portam consensus ferream & difficilem, vt scilicet pro toto mundo non consentiat peccatis, sed potius mori eligat quã peccare. Habeat quoque rigidum ianitorem, timorẽ domini, qui omnes violentos appetitus etiam sensuales in hoc ostium irrupentes facile iugulet & disperdat: & verbi Dei & spiritualis doctrinæ abundantissimum commeatum, & omnium virtutum moralium copiosam munitionem, & vigiliam diligentissimam super cor, quod est huius castri arx principalis: sicut scriptum est, *omni custodia, custodi cor tuum, quia ex ipso vita & mors.* Si talis fuerit anima, intrabit in eam Iesus. Heu fratres mei, vallati sumus vndique inimicis, & die ac nocte non cessat conflictus: multa fortitudine opus est vt euadere possimus. Huic animæ castello præfecit nos Deus, Christo fidem dedimus in baptismo, videamus vt cum venerit ad iudicium, non vt fœdifragi & proditores arguamur, semper coram oculis habentes verbum Apostoli. *O Timothee depositum custodi.* Quid ergo? Ad modum castrorum cordis nostri arcem defendamus. Si quis à longe apparuerit hostis, id est carnalis appetitus, illico tationis telo confodiatur, & verbi Dei iaculo configatur. Et si coacto agmine malarum cogitationum, & stultorum desideriorum acies violenta irruerit, tolle pontem: diuerte cogitationem: occupato imaginationem: & frustrata residebit. Nihil enim vtilius, nihil melius, ad vitandos irruẽtium tentationum conflictus, quam occupare animum, & in aliud ipsam cogitationẽ diuertere. Hunc imaginationis pontem si quam celeriter leuaueris, omnis tentationis impetus (vt dixi) frustratus euanescet. Quod si aliunde impetũ fecerint, & muri ostio approximauerint, videvt fortiter obsistas: ibi enim totũ pondus certaminis est, quoniãrupto charitatis muro, aut confracto volũtatis ostio, actum est de castro. Quantumuis enim foris inimicorum acies perstrepat & inuadat, quandiu ostium consensus steterit, in tuto res est: propter quod in huiusmodi ostio conseruando maxima cura adhibenda est. Iuuat multum ad hoc ostiarii fortitudo. Vide ne sicut Isboseth filius Saul huic ostio mulierculam ostiariam præficias, & ab inimicis in inguine con-

Eccle. 39. Prou. 4.

Conditiones castelli spiritualis.

Matth. 7.

2. Ti. 1.

Verbi Dei iaculo feriendus hostis.

Phil. 3.

Cant. 8.

Isai. 30.

Castelli ianitor est Timor Domini.

2. Reg. 4.

fossus interess. Noli salutem tuam verecundiæ sæculari committere: debilis quippe ac fragilis hæc ostiaria est, & quę facile decipiatur aut superetur: leuiter namque, aut passioni cedit, aut fraudi succumbit huiusmodi custodia, & irruenti voluptati auditum præbet. Quid trepidas (ait) quid timeas? secreto fiet: nemo sciet: parietes sunt vndique, nemo videbit: & si casu res cuipiam innotuerit, prouidebitur, ne fiat in publicum: & si publicata fuerit, cito euanescet: & in oblionem tradetur. Quanta quotidie fiunt grauiora, & post modicum sic obliuioni sunt tradita, ac si nunquam fuissent? Omnia cum tempore transeunt, & labuntur, neque solus es: nemo est qui non aliquando desipiat: nullus mirabitur, quia nemo sine crimine viuit. His & similibus suasionibus facile cedit victa verecundia, & ianuam hosti tradit. Non sic timor Dei fortis & rigidus, non sic facile suadetur, non sic leuiter superatur Videt namq; quam stultum sit, pro modica & leuissima voluptate, & gaudio temporali, Deum offendere; eius gratiam & amicitiam amittere: gloriam sempiternam perdere: gehennam interminabilem incurrere: & quod Deus non sit vt homo, vt vel decipi, vel vitari, vel obliuiscì, vel superari possit. Vnde ait. *Si sustinuero, infernus domus mea est, & in tenebris stravi lectulum meum. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis,* arreptoque verbi Dei gladio, omnes illos procaces appetitus violenter irrumpentes iugulat & discerpit. Hunc ostio cordis custodem adhibete fratres, ita dico vobis hunc præficite: nam *per timorem domini declina omnis à malo.* Audistis quale debet esse Christi hospitium nunc habitatores eius attendite: quos nisi ibi Christus repererit, in eo vtique non intrabit. *Mulier* (inquit) *Martha nomine recipit eum in domum suam: & huic erat soror nomine Maria.* Erat etiam ibi forsan & Lazarus, quamuis de illo taceat Euãgelium. Sint ergo ibi Martha, Maria, Lazarus, & fraterna concordia Christũ dominum in mentis hospitio suscipiãt.

Verecundia sæculari non cõmittenda salus.

Job 17.

Heb. 10.

Prou. 15.

Habitatores spirituales designantur.

Sit in corde actio diligentissima, contemplatio feruentissima, cura vigilantissima: apud has enim libenter hospitabitur Christus Sit huiusmodi anima pia in proximum, deuota in Deum, solicita in seipsam: qualis erat illa cui dicitur. *Surge, propera amica mea, formosa mea, columba mea.* Tribus eam nominibus pro tribus officiis nuncupauit: amica in proximorum obsequio, formosa in diuinæ contemplationis otio, columba in propriæ conscientiæ scrutinio. Nam quæ amicum videt in suo fideli paupere famescentem, indigentem, afflictum, & plagatum, & non ei succurrit, quomodo amica est? Christus in sua persona nullo nostro obsequio indiget, eget in paupere, famescit in mendico. Quænam ergo hæc amicitia, quæ charitas est? fulgere auro, splendere margaritis, & Christo in paupere famescenti neque frustum panis porrigere? Si amica es, in hoc Christi pauperum subsidio amicam te esse monstrato. In contemplatione formosa, ibi enim omnis animæ decor, & pulchritudo est: ibi namque anima feruore purificatur, spiritu decoratur, igne cœlesti innouatur, lachrymis abluitur, & super niuem dealbatur. Denique facies Moysi ex Dei colloquio rutilabat vnde Psalm. *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam. Obliuiscere populum tuum, & concupiscet rex decorem tuum.* In sui vero solicitudine columba non potest ei deesse gemitus, si se inspexerit carne grauari, & nolentem repugnantemq; trahi in sensum peccati, & non bonum quod vult, sed malũ quod odit quotidie agere. Quod si vel ad modicum se viderit vitiis sordidari, non solum gemet, sed & rugiet à gemitu cordis sui, donec gemitibus purgetur à culpa. Tales igitur habitatores in mentis hospitio Christus inueniat, huiusmodi ei ad ostium foris occurrant, & dicant. *Mane nobiscum domine, quoniam aduesperascit.* Sed aduerte, quod ex his sola Martha prior occurrit, & illa ad Christum Mariam sororem adduxit. Non existimes quod ad contemplationis culmen subito debeas peruenire: oportet illam

Cant. 2.

Psal. 50.
Exod. 34.
2. *Cor.* 3.
Psal 44.

Rom. 7.

Psal. 37.

Luc. 24.

illam prius in proximorum obsequio promereri. Exerce teipsum ad pietatē, & per hanc peruenies ad desideratam contemplationem: pietas enim promissionem habet vitæ præsentis pariter, & futuræ hic & ibi remuneratur: hic contēplationis dulcedine, ibi visionis fruitione. Vnde Gregorius. *Qui ad contemplationis culmen peruenire desiderat, prius in campo actionis se ipsum exerceat*, nam, & Iacob cum diu seruisset pro Rachele, Liam prius accipit, ex qua cum filios plurimos procreasset, iterum seruiendo peruenit ad Rachelem. Cum ergo in vita actiua proximis seruiēdo, multos bonorum operum fructus ederis, in laboris præmium optata contemplationis dulcedine perfrueris: tantū vide ne desicias, ne desistas, sed cum multa patiētia, & longanimitate, si opus est etiam quatuordecim annis, vt bonus Iacob, lippientē Liam sustine, vt optatæ Rachelis pulchritudine potiaris. *Martha* ergo *excepit illum in domum prior, & huic erat soror nomine Maria.* Martha sine Maria parum prodest: exercitatio enim corporalis per se sine feruore & deuotione, ad modicum vtilis est. Non aspicit Deus, quantum, sed ex quanto: non manū, sed affectum: non quantum labores, sed quantum ames. Vidua quæ duo æra misit in gazophylacium iudicio domini plus omnibus misit, quia plus dilexit. Maria sine Martha placere potest, sed Martha sine Maria nequaquam. Illud maximum, & egregium, vtranque vitam in vnam eandemque personam cōuenire, vt scilicet *exultationes Dei sint in faucibus eius, & gladii ancipites in manibus eius*: & neque cordis exultatio solicitam manum in opere retardet, neque manus solicita feruentem exultationem in laude restinguat. Quam gloriosus apparuit ille propheta regius, quam spectabilis & admirandus, qui sic pugnauit vt nunquam orasse, sic orauit, vt nunquam pugnasse videatur. Quid dicam de Paulo Apostolo? qui iter agendo, prædicando, corripiendo, disserēdo, cum toto orbe pugnauit: & tamen Paradisum, quem semel lustrauerat, animo nunquam deseruit. Sic plerique in ecclesia doctores, & pontifices, viri vndiq; perfecti & consummati, quos neque pondus regiminis grauauit in scribendo, neque nimia scribendi solicitudo occupauit in regendo: nam vt strenui ambidextri, & otio & officio plurimum valuerunt. Sed in hac spirituali domo semper Martha grauatur, semper conqueritur de sorore: anima enim quæ aliquando bonum Dei verbum, & virtutes sæculi futuri gustauit, quæ introducta in cellam vinariam, vino illo spiritus suauissimo potata, & balsamo illo deuotionis suauissimo delibuta est, vix potest vlla causa, vllaue ratione ab illa suauitate separari. Quod si cogente necessitatē, aut vrgente fraterna charitate ad tempus diuellitur, non satiatur, non quiescit, donec redeat ad pedes Iesu, & verbi eius pabulo saginetur. Neque eam vel fratrum vtilitas, vel bonorum operum fructus, vel multorum meritorum pondus consolari potest in exequendo officio: quam expertæ suauitatis memoria totā rapit, & absorbet in dulcissimi spōsi amplexus, & oculi desiderium. Quam multa super hoc in sanctis exēpla reperimus, qui licet viri misericordiæ, & animarum veri zelatores existerent, ne tamen à Rachelis amplexibus seiungerentur, solitudinis latebras solicite perquirebant, & quam longe poterant à populis fugiebant, totis viribus id agentes, vt animarum curam, & prælationis onus euaderent. Sic Beatus Gregorius, sic Diuus Augustin. sic sanctus Hieronymus, vir tam insignis sapientiæ & eloquentiæ, tam eximiæ sanctitatis & gratiæ, vt plurimum verbo, & exemplo ecclesiæ Dei in episcopali dignitate profuturos, neque ipsi qui eam declinabant dubitare possent, omnia tamen illi suauissimo, & dulcissimo otio postponebant. Contemplare modo beatum illum Hieronymum, sapientiæ, & loquētiæ miraculum, in linguis Græca, Latina, Hebraica, & in sacris literis peritissimum, consilio & prudentia disertissimū, sanctitate conspicuum, vita & moribus probatissimum, considera (inquam) ec-

S. Hieronymus disertissimus sibi vacauit.

1. *Tim.* 4.

Ibid.

Gen. 29.

2. *Tim.* 4.
1. *Tim.* 3.
Tit. 3.
Luc. 21.

Psal. 149.

Laus Dauidis & S. Pauli.

2. *Cor.* 12.

Heb. 6.

cleſiæ Dei ſydus fulgentiſſimum, virum populo Dei tam vtilem, & neceſſarium, inter beſtias, & tigrides in ſolitudine cõmorantem, ſibi ſoli vacantem, ſibi viuentem. Nunquid non rationabiliter eccleſia apud Chriſtum de illo conqueri poſſet? nunquid non meritò cum Martha dominum interpellauit? domine nõ eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Quoties ab omnibus mundi partibus ad ipſum epiſcoporum epiſtolæ directæ & delatæ ſunt, hanc ipſam querimoniam continentes? quid agis cum beſtiis? quid tibi & ſolitudini? quouſque latitabis? quouſque otiaberis? ad quid iſta tua ſapientia? ad quid ſcripturarum tanta peritia? ad quid tanta gratiarum moles in te vno congeſta? quid domini tui talentum in ſolitudine perfodis? quid fulgentem lucernam ſub eremi modio abſcondis? *vt quid perditio iſta vnguenti facta eſt? poterat vnguentum iſtud venundari multo, & dari pauperibus.* Quibus dominus, *quid moleſti eſtis huic mulieri? ſinite illam: bonum opus operata eſt in me.* Sinite vt impleatur, poſtea effundet: ſinite vt ditetur, poſtea erogabit: ſinite vt audiat modo in aure, quod poſtmodum prædicet ſuper tecta. Quam concinne in canticis adoleſcentulas tumultuantes deterret idem ſponſus, ne dilectam ſuam à dulciſſimo ſopore audeant excitare? quã vno ore loquitur in epithalamio pro dilecta, in Euangelio pro Maria, cum ait. *Adiuro vos filiæ Hieruſalem, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.* Ac ſi dicat. Sinite illam, vt dormiat quantum vult: ipſa melius nouit quando debeat excitari, quæ in ſui ſpõſi ſacro pectore requieſcit. Sinite, nolite excitare: charitas enim quæ illam ſoporauit, illam oppõrtuno tempore ſuſcitabit: & quæ eam ad tempus in eremo abſcondit, illam commode populis publicabit. Idem ipſe nunc quoque tacente Maria, increpanti ſorori pro illa reſpõdit: & ipſe eius factus eſt aduocatus, qui iudex fuerat interpellatus. Defendit à Phariſæo, defendit ab Apoſtolo, defendit à ſorore. Quid ni taceat, quæ talem actantum ſe nouerat habere defenſorẽ? *Martha Martha ſollicita es* (inquit) *& turbaris erga plurima, porro vnum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit.* Non tu malam, ſed illa meliorem: tu turbaris, illa quieſcit: tu fatigaris, illa oblectatur; tu intendis multitudini, illa vacat vnitati: *porro vnum eſt neceſſarium.* Vnum illud optimum, & æternum tuæ prævalet multitudini; vna margarita pluribus argenteis anteponitur: vna gemma pluribus aureis antefertur; vnus filius Rachelis pluribus Liæ filiis prælatus eſt. Laudo tuam ſollicitudinem, ſed Mariæ pacem magis cõmendo. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea:* & ideo optima, quia non auferetur. Nam tua auferetur, & bono tuo auferetur: iſta quæ optima eſt, non in æternum ceſſabit, non cum vita finietur, ſed manebit, & permanebit in æternum; & cum vita deſierit, tunc ipſa magis incipiet. Non ergo ſorori ſuccenſeas, non eam iudices, non velut vacantem & otioſam accuſes: crede mihi, ne dubites; *Maria optimam partem elegit.* Vere ita eſt bone Ieſu, optima hæc portio eſt, *beatus qui tenuerit eam?* & qui eam experitus eſt, in verbis tuis ambigere nullo modo poteſt. An non optima pars, in pace & quiete, ſine labore & anxietate, ſine tædio & grauedine: parum eſt hoc, imo cum multo gaudio & iucunditate, cum incredibili ſuauitate & dulcedine, perpetuam ſibi gloriam promereri? & temporali gaudio æternam ſibi acquirere Paradiſum? Quis non eligat talem partem? A gaudio ad gaudia, à deliciis ad delicias, à pace in pacem, à Paradiſo in Paradiſum tranſire. Vt quod ſufficere nobis poterat, ad laboris, & certaminis præmium, id promerendæ beatitudinis, & conſequendæ fœlicitatis reputetur ad meritum. *Quis audiuit vnquam tale? quis vidit huic ſimile?* O immenſam bonitatem, ò magnificentiam ſingularem, vt Dei maxima & præclariſſima dona, velut eximia noſtra merita remunerentur. Quis tam immenſæ largitatis, & munificentiæ pondus gratiam pro gratia, & denum pro dono reddentis,

Mar. 25. *Matth. 5.* *Matth. 26.* *Matth. 11.* *Cant. 2.* *Luc. 7.* *Matth. 26.* *Matth. 13.* *Gen. 37.* *Prou. 3.* *Optima portio eſt vacare Deo* *Iſa. 66.*

Simile perpulchrum.

dentis, valeat æstimare? Considerate fratres, si cuipiam mercenario daretur optio, & ab eo qui eum conduxerat, diceretur ei; ecce ligonem excole vineam, perfodito terram, & dabitur tibi argenteus: vel certe si magis placet, ecce mēsam omnibus auibus, fructibus, & obsoniis refertissimum, sede & ad libitum manduca; lude, quiesce, oblectare, & vespere itidem accipies. Quis (inquam) ita fatuus esset, ac mentis inops, vt non potius iucunditatem eligat; quam laborem? Ita omnino, certe ita est in proposito: quiescere in Christo nō minoris meriti est, quā laborare pro Christo. Gaudium in Spiritu sancto, crucis trophæo in mercede æquiparatur: lætari in Christo & pati pro Christo æqua lance appenduntur. Nemo dicere hoc auderet, nisi quiescentē Mariam laboranti Marthæ officio, & merito dominus prætulisset Mariā optimam partem elegit. Vnde Augustinus. *Otium sanctum quarit charitas veritatis, negotium iustum suscipit necessitas charitatis.* Hanc sarcinam si nullus imponit, vacandum est veritati: si imponitur, suscipienda est propter necessitatem charitatis. Sed dices forsitan, cur igitur non omnes hanc partem eligimus? ad quid proximorum necessitatibus sublcuandis incumbimus? Optima pars optime eligitur, nulla sit Martha mundo, orationi & contemplationi omnes vacemus, omnes Mariæ partem optimam prosequamur. Vtinam fratres: vtinam erit aliquando hoc, sed non in hoc exilio: nunc pauci quos æquus amauit Christus, hoc possunt: non omnibus datum est adire Corinthum. *Vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius sic, alius vero sic.* Virginitas coniugio pretiosior est, nullus autem sanæ mentis hoc dubitat, non tamen omnibus datū est vt virgines sint. Pro vna Maria centū reperies Marthas in ecclesia. Balsamum illud pretiosum, & nectar dulcissimum non cuicunq; vasi à Deo infunditur. Purissima debet esse anima, quæ Dei spiritu repletur, & speciosissima, quam cœlestis sponsus ad osculum & cubiculum dignatur assumere. Nullū cum terra debet habere commercium, quę cœlorum regi in contemplationis thalamo copulatur. Vnde Bernard. *Delicata nimis est spiritualis consolatio, & non dabitur admittentibus alienam.* Sit ergo quisq; sua sorte contentus, quamdiu ad altiora nō vocatur, aut prouehitur. Quod si vocatur, si idoneus est, optimum proculdubio præeligendum est. Noli dicere, satis est, sufficit mihi hæc pars bona; sic saluari possum, sic possum ad gloriam peruenire, abiecti & infimi animi verbū hoc est. Cur si præua es, non ascendes? cur nō eris quicquid esse poteris? Datur aurū, cur sufficiet argentum? Semel duntaxat hac viuitur vita, quod hic amiseris, in æternum non recuperabis. Denique Paulum Apostolum audiamus, qui cum plutima Dei dona & multiplices gratias ecclesiæ à Deo collata; recensuisset, dicens: *alii per spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum in vno spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum,* post hæc quasi cōsulens adiungit: *æmulamini meliora charismata.* Quod si vnum illud necessarium & optimum, maxime eligendum, & maxime prosequendum scire vultis, attendite quod sequitur. Adhuc altiorem viam vobis demonstro. *Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Nam sicut aurum omnibus metallis, ita charitas omnibus Dei gratiis & muneribus antefertur. Non est in tota domo Dei iocale aliquod pretiosius charitate: hæc omnium bonorum, virtutum, & charismatum maximum & potissimum: hæc est illa pretiosa margarita, quam qui inuenit dedit omnia sua, & comparuit eam: hic ille thesaurus in agro absconditus, quem qui inuenit, dedit omnia sua, & emit agrum illum: quinimo *si dederit homo omnem substantiam domus sua pro dilectione, quasi arena exigua reputabitur.* Hæc est via illa altior, via amplior, via securior, planior & breuior perueniendi ad Deum: per hanc si quis

Eph. 4.
1. Cor. 7.

Meliora sic per æmulanda charismata.

1. Cor. 12.

Ibid.

1. Cor. 12.

Matth. 13.

Ibid.

Cant. 8.

Matth. 7.

iuerit

Via quæ à charitate non procedit circuitus est.

iuerit, perueniet ad Deum quem desiderat: omnis via quæ à charitate non procedit, circuitus est. Heu nos miseros & cæcos, qui tam breui compendio & tam certo relicto, ambages quærimus, & vias longas & difficiles ambulamus. O si omnem operam, & industriam, quam in acquirendis scientiis, & veluti effodiēda sapientia consumimus, in hac sola margarita perquirenda, emenda, possidenda, impenderemus. O si hanc exhiberemus industriam, & diligentiam, excitando inflammandoque affectui, & viuificandæ voluntati, quam ornando intellectui, & sensui illustrando impendimus: quanto meliores, & beatiores essemus. Sed stulti nimium & sine sensu, pascimus sterilem, & quæ non parit, & viduæ non benefacimus: inflantē scientiam magnificamus, & ædificantē charitatem negligimus. Non autem si quis multum sapit, sed si quis diligit Deum, hic cognitus est abeo. Vnde prudenter satis quidam hunc nostrum miserandū errorem deplorans, & coarguens ait. *Amare Deum dum sumus in corpore plus possumus, quam vel eloqui vel agnoscere. Amando plus nobis proficimus, minus laboramus, illi magis obsequimur. Malumus tamen semper quærendo, per cognitionem nunquam inuenire quod quærimus, quam amando possidere, quod non amando frustra etiam inueniretur.* Eligamus ergo fratres, de cætero hoc optimum & necessarium, hoc inquiramus, hoc prosequamur, in hoc inueniendo & possidendo omnem vitam, & operam expendamus, vt scilicet in corde nostro hūc charitatis ignem accendamus, & accensum ne deficiat, deuotionis oleo foueamus, ne cum sponsus aduenerit, extinctas lāpades nostras inueniat, & foris relinquat. Recordemur semper illius dominici eulogii; *ignem veni mittere in terrā, & quid volo nisi vt ardeat?* Ac si dicat, hoc volo, hoc iubeo, hoc super omnia mihi gratissimum erit, vt ignis hic sacer semper ardeat in pectore vestro, alteri meo sicut in lege præceptum est; quod si defecerit, nutriat eum sacerdos mane, subiiciens ligna, hoc est sacris literis & exemplis. Hæc enim maxima & potissima debet esse cura sacerdotum, Dei amorem & spiritus feruorem, in populo quotidiana exhortatione, & frequenti doctrina excitare, excitatumq; nutrire: ne contra Apostolicam admonitionem, ex defectu doctrinæ, spiritus extinguatur. Ligna in ecclesia non desunt, vnde sustentetur hic ignis; sunt multæ & densissimæ syluæ vnde quotidie præcindā tur; & tanta est condensitas, vt nequeāt exhauriri. Est grandis sylua creaturarū, magna etiam scripturarum, neque minor beneficiorum & exemplorum, quotidie in ecclesia pullulantium. Sed proh dolor, deest ignis, quid prodest igni extincto superiactare ligna? Ignem hunc præstare non est nostrum, sed eius qui venit illum mittere in terram, qui in die Pentecostes super Apostolorum vertices flammantes linguas de cœlo pluit: sicut scriptum est, *de excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.* Væ mundo à tāta frigiditate; non est hodie amoris Dei scintilla in terris; nam quoniam abundauit iniquitas, refrixit charitas multorum. Impletum est Apostolicum vaticinium, quod in vltimis diebus erunt homines amatores voluptatum, magis quam Dei. Rogemus ergo instanter, & totis præcordiis deprecemur dominum, cuius ignis est in Sion, & caminus in Hierusalem, vt ab illo cœlesti incendio demittat in terram fulgurantes scintillas, quæ corda nostra algentia, & frigida excitent, & inflamment; per quas ad illum veniamus caminum, in quo cum beatis illis spiritibus inflammati, & incensi, in eius imaginem trāsformemur, & transformati eius claritate, & gloria perfruamur. Ad quam nos perducat ipse dominus noster Iesus Christus, cui cum patre & Spiritu S. est honor & gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

Dictum viri sancti.

Sap. 5.

Iob 24.

1. Cor 8.

Gal. 4.

Matth. 25.

Luc. 12.

Leu. 6.

1. Thes. 5.

Sylua grandis est in Ecclesia.

Luc. 12.

Act. 2.

Thr. 1.

Matth. 24.

2. Tim. 3.

Isai. 31.

2. Cor. 3.

POSTERIOR PARS.

Expositā sit hactenus allegoria historiæ, nunc iuxta prothematis sententiam ostendendum, quomodo Maria illud sibi non solum elegerit, sed præelegerit; quod satis erit in aperto, si totum vitæ eius discursum præ oculis habeamus.

Quid

Vita B. Mariæ continua contemplatio.

Quid enim aliud fuit vita Mariæ, nisi iugis & continua contemplatio? feruor deuotionis perpetuus, & spiritus incendiū interruptum? Non lego de te ò virgo beata miracula, & prodigia multa; non longas in expeditione euangelica peregrinationes; non eleemosynas copiosas, quia vnde eas faceres non habebas; non ægrorum curas, & captiuorū redemptiones; non amplissimas templorum structuras, & cœnobiorum ditissimas dotationes; *omnis gloria filiæ regis ab intus, in corde fernido, in fimbriis aureis:* hoc est in purissimis cogitationibus, in ardentissimis desideriis, in omnium virtutum omnigena, & multiplici varietate; sicut in canticis dicitur. *Quid videtis in Sunamite, nisi choros castrorum?* id est, castra virtutum? Non quod illi deessent eximia Marthæ officia, tanto vtiq; nostris clariora, & excellentiora, quanto præstat Deo in sua persona, quam in famulis deseruire: sed hæc Marthæ occupatio, ad partes Mariæ prosequendas, nullum erat sacræ virgini impedimentū: sicut de ipsa scriptum est. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Ac si dicat, exteri quidem dormio officiis occupata, sed interius vigilo semper orationi intenta. Ex quo enim in clarissimum diuinitatis iubar, hæc aquila perspicax, & sublimis, oculos suos defixit, nunquam eos amplius ad terrena deflexit. Prius enim quam verbum Dei sacro vtero gestaret, triennis in templo à parentibus præsentata in aliarum virginum comitatu, diebus, ac noctibus orationi, & contemplationi vacabat. Ante quippe Deum nouerat quam seipsam: & infans adhuc eloquio animo iam orabat. Postquā vero angelo nunciante, mater Dei effecta est, eorum quę in ea impleta sunt mysteriorum magnitudine absorpta, & immenso illo claritatis pelago tota mēte immersa, veluti continua quadam ecstasi interius rapta, sicut euangelica nobis lectio patefacit, *conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Quid enim? si nos tepidos, & ignaros, quæ in ea facta sunt mysteria, dum ea contemplamur, sic rapiunt, & afficiunt, quid de ipsa sentiendum est, quæ hæc omnia, & animo viderat, & corpore experta est? Nos sola cogitatione deficimus, quomodo illa tantorum sacramentorum pondus, & gustus, & æstus valuit sustinere? aut quomodo obliuisci poterat Deum, quem vtero prius, gremio postea, manibus, pectoreq; gestabat? *Numquid obliuisci potest mater filium uteri sui,* & talis, ac tanti filii? Post ascensionem vero filii in cœlum, nihil de illa legimus, nisi quod (vt fertur) oratorio clausa, mysteria omnia quæ viderat, & audierat animo retractabat, assidua mente percurrens, quomodo eum concepit, quomodo peperit, quid in templo ei dictum sit à Simeone, quid cum illo sustinuit in Ægypto, verba, miracula, doctrinam, conuersationem, mortem, resurrectionem, ascensionem, & cætera omnia quæ virgo prudentissima, & sapientissima, in corde suo assidue conferebat, & prout opime nouerat, discipulos edocebat. Hæc omnis virginis vita. Hæc totius peregrinationis eius breuissima summa. Cæterum quos in hac tam sublimi, & cœlesti vita gaudiorum motus perstrinxerit, quos S. S. afflatus perfenserit, nemini mortalium cognitum est; sola nouit, quæ sola filio irradiante, & spiritu obumbrāte meruit experiri. Ac proinde quamuis de virgine sacra nihil fere aliud in Euangelio referatur, nisi quod filium Dei Spiritu S. conceperit, & aluerit: ex hoc tamen vnico eius fastigio tam ampla, & immensa cogitandi, & enarrandi nobis insurgit historia, vt tot sanctorum voluminibus non modo nequeat exhauriri, sed neque pro merito attingi: maiora enim & sublimiora fuerunt, quam vt humano sensu valeant comprehendi. Vnde cum finierit homo de ea loqui, tunc incipit: imo nec dum se incepisse cognoscit, & cum nunquam ab eius laude cessauerit, nihil aliud inuenit nisi voluisse dicere. Motus cordis tui ò virgo, nostram superant facultatem, nostros conatus excedunt: altius volasti, quam noster sustineat intuitus, vita tua non debuit scribi, sed cogitari: quia non pertingit animus, quomodo perueniet calamus? Quis e-

Psal. 44.

Cant. 7.

Cant. 5.

Luc. 2.

Isai. 49.

Luc. 1.

Meditatur vitam & mortem filii perpetuo.

Luc. 1.

nim obsecro ardores illos, & æstus animi tui pluſquam ſeraphicos, exprimat, quos in ruminandis ſcrutandiſque tot tantiſq; myſteriis, in te ipſa celebratis, & peractis, perſenſiſti. Quis ignem illum ardentiſſimæ charitatis in viſceribꝰ tuis æſtuantem, quo in eum, qui talem ac tantam te fecerat, in ſuam te matrem eligeret, inceſſanter ardebas enarrabit? Vere ſi optimum, & maxime neceſſariũ charitas eſt, ſicut diximus in hoc nõ ſolum homines, ſed & angelicos ſpiritus ſuperaſti. Triplex namque, vt doctores ſancti aſſerunt, eſt amor Dei: ſcil. naturalis, acquiſitus, & infuſus. Amore naturali, omnis creatura ſuũ magis quam ſeipſam diligit creatorẽ: nam cum omnibus creaturis nõ ſolum animatis, ſed ẽt inanimatis naturaliter inſitum ſit, cõſeruare ſeipſas, & omni ſe ſtudio cuſtodire: maior tamen eſt huiuſmodi inclinatio, & fortior, ad eſſe illud diuinum æternũ, & immenſum, à quo omnes dependent, quam ad proprium: vſque adeo, vt ſi per impoſſibile, Deus aliquod in ſe detrimentum pati poſſet, potius totus orbis permitteret ſe perire. Ex qua naturali in Deum dilectione, in fine mundi, omnis creatura contra rebelles eius, & pertinaces, qui eum dictis, & factis exacerbauerunt, in debitam vltionem, & vindictam armabitur. Amor acquiſitus eſt, qui ſpiritualibus exercitiis, & orationis frequẽtatione nobis acquiritur. Hunc bonis operibus excitamus, nutrimus, augemus aſpirante diuina gratia. Atque hoc eſt quod dicit. *In meditatione mea exardeſcit ignis.* Amor infuſus eſt, de quo dicit Apoſtolus ad Roman. *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per S. S. qui datus eſt nobis.* Hoc triplici amore, quantum omnes ſanctos, & electos Dei beata Virgo ſuperauerit, facile eſt videre. Et de naturali quidem, præter communem illum, & vniuerſalem totius creaturæ amorem, ſpecialem alium ſibi proprium, ac peculiarem, qui omnium naturalium maximus eſt, ſola in Deum habuit: quo nullus neque in cœlo neque in terra potuit gloriari, quoniam nulli alteri conceſſus eſt. Quis namque hominum, vel angelorum dicere potuit Deo? *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, præter ipſã? Iam vero quam potens ſit hic amor in filios, vel in ipſis brutis, & aubus agnoſcamus. In mulieribus namque vſque adeo maternus hic amor exardeſcit, vt in agnatos quod lactent ludicris geſticulationibus ſæpius debacchentur: nulla eſt enim fine inſania mater in filium. Solent quippe matres deformes, & ignauos, imo fœdiſſimos, & abominabiles filios, in quibus nulla apparet dilectionis occaſio, vi quadam naturæ diligere: neque quauis turpitudine filiorum offenduntur: nam ex ſuis viſceribus genitos, nimio proſequuntur amore. Quomodo ergo putatis virgo illa piiſſima vnicum amabat filium, ſpecioſiſſimum, pulcherrimum, ſapientiſſimum, obediẽtiſſimum, optimum, omnibus donis, & gratiis pleniſſimum, omni virtute, & ſapientia clariſſimum, & pluſquam dici poteſt, omnibus bonis quæ deſiderari poſſunt in homine, perfectiſſimũ? quem vltra omnia hæc apertiſſime nouerat, & ſuum, & omnium verum Deum, & potentiſſimum condito ẽ? Cum (inquam) talem filium gremio geſtabat, vbere lactabat, quos æſtus, quas flammas, natiuus ille ignis in eius viſceribus emittebat? Neque ſicut aliæ matres, communem cum viro habebat filiũ, ſola quippe eum conceperat, ſola genuerat, totus vndique ſuus erat, totus ex viſceribus eius progenitus: nullum habebat ille in terris patrem, nullum illa nouerat in filio participem: ſola ſoli, & ſoli ſolus erat. Non cum homine, ſed cum Deo cõmunem habebat filium: illius mater erat in terris, cui Deus pater erat in cœlis. O inæſtimabilem virginis charitatẽ, & incomprehenſibilem puellæ teneræ celſitudinem. De amore autem acquiſito, ſiv llis exercitiis hic amor acquiri poteſt, ipſa ſibi eum præ omnibus comparauit. Quæ enim triginta tribus annis die, ac nocte cum ipſo conuerſata eſt, quæ à latere eius nunquam diſceſſit, quæ illum in infantia fouit, in pueritia aluit, in adoleſcentia pauit, quæ ſemper vt fideliſſima famula illi vſque ad mortem miniſtrauit,

Amor Dei triplex eſt naturalis, acquiſitus, & infuſus

Pſal. 38.

Rom. 5.

Superauit mirus modus B. vir g. amore omnes.

strauit, & omnia sui cordis secreta cum illo contulit, dicite obsecro, ex tam longa conuersatione, ex tam frequenti colloquio, ex tam assiduo comitatu, quantus illi in corde amoris ignis congestus est? Infusi vero amoris quãta fuerit magnitudine dotata, quis non videat? quæ in gratia concepta, gratiam quam semel acceperat, semper bonis operibus adauxit, & peccatis nunquam amisit: quæ in verbi Dei conceptione ab Angelo gratia plena salutata, postea Spiritus sancti obumbratione superadimpletur, vt ex plenitudine eius per filium recipiant vniuersi. Et post hæc omnia, in die Pentecostes, Spiritu sancto iam plenissima, iterum eundem Spiritum sanctum per amplius, & plenius quam Apostolicus ille cœtus acceperit, vt esset in ea abundans, & superabundans gratia: cui non per partes, vt cæteris, sed tota se infudit gratiæ plenitudo. Cum itaque amor infusus nihil aliud sit, quam ipsa gratia, aut ipsi gratiæ appendix sit, vbi tanta fuit gratiæ plenitudo, quantum fuit infusi quoque pondus ameris? Denique in cuius vtero nouem mensibus sol ille diuinitatis ardentissimus, veluti in quadam nubecula corporaliter latuit, qui existimas eam fulgoribus, & ardoribus inflammauit? O viscera virginea, tot ac tantis æstibus inflammata, ò pectus sacrum, in quo triplex hic amoris caminus tam potentissime ardebat: quomodo sustinuisti, quomodo non defecisti, quomodo tam immenso amoris calore solutum non fuisti? Iam ex hoc fratres coniectari poteritis, quã grauis illi fuerit post ascensionem filii absentia, quã dura, & intolerabilis hæc vitæ mortalis peregrinatio, quibus desideriis, quibus lachrymis, optauerit, & æstuauerit exire ab hoc sæculo, & esse cũ filio. Quo cruciabatur amore, quo feruebat desiderio, quo æstuabat affectu, vt cum illo esset, quem suis oculis viderat cum mirabili triumpho, cœlestia penetrantem, quem nouerat angelicis spiritibus præsidentẽ, apud quem tantam gloriam, & lætitiam sibi paratam non ignorabat. O quomodo exardescebat in eius pectore hoc desiderium, quoties videbat vitos illos sanctos, & deuotas fœminas secum commorãtes, effusis lachrymis magistri sui absentiam deplorare, præsentiam desiderare, & non tam vocibus quam affectibus ei acclamantes. *Quo abiit dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum*, quo abiit dilectus tuus? & quæremus eum tecum? Quibus tunc existimas singultibus, & suspiriis, quam inenarrabilibus gemitibus, & clamoribus, spiritus eius cœlestes illos spiritus interpellabat: *Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum, vt nuncietis ei, quia amore langueo:* quia deficio præ amore, quia tota amore liquesco. Mitigate flammas obsecro, temperate incendium, *fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo: neque enim fortitudo lapidum fortitudo mea, neque caro mea aenea est.* Vnde non immerito crediderim, hoc toto exilii sui tempore: ad sustinendos ecstaticos illos amoris impetus, odoriferis eam paradisi floribus, & purpurantibus malis, id est lucidissimis è cœlo reuelationibus, & dulcissimis suauitatibus ab Angelis fuisse fulcitam, ne deficeret præ amore: & sic rosis illis candentibus, atque liliis vernantibus pastam, donec *aspiraret dies, & inclinarentur vmbræ.* Erat etiam illi non modo temperamento, sed etiam solatio, Dei, filii sui, quem sic diligebat voluntas, qua detinebatur in tertis, à qua neq; ad momentum vnquam, neque ad modicum deuiauit. Erat quoque ecclesiæ nouellæ necessitas, quam suo magisterio statuebat: erat etiam sanctorum, & fidelium omnium consolatio, ad eam vndique confluentium, quos veluti pullos sub alis sua præsentia confouebat. Ab omnibus siquidem mundi partibus innumera conuersorum fidelium multitudo confluebat in Hierusalem, ad videndum magnum illud orbis miraculum, diuinum illud, & cœleste oraculum, & sacrosanctum illud tabernaculum, in quo dignatus est Dei filius incarnari. Et res ipsa opinione maior erat, visaque expectationem adeuentantium superabat. Tantus erat vndiq; ad eam fidelium concursus, vt ple-

Luc. 1. Ioan. 1. Act. 2. Fuit valde B. V. grauis absentia filii. Cant. 5. Rom. 8. Cant. 1. Iob 6. Cant. 2. Matth. 25. Vndique ad B. virginem concurritur.

nis iretur ad eam viis. Penſate fratres quid nunc fieret, ſi eam haberemus in terris. Quis in tota eccleſia non ad tantum ſpectaculum properaret? Et certe multo nobis fideliores, & feruentiores erant primi illi fideles, qui in fundamẽto eccleſiæ poſiti ſunt, vt immenſum illud ſanguinis pelagus, pro Chriſto illis temporibus effuſum: ſatis oſtẽdit. Manſit igitur non modo dies aliquot, ſed & annos plurimos virgo ſacra in terris, Deo pro ſua eccleſia prouidente, vt eius doctrina, & moribus fundaretur. Venit ergo dies illa iam amabilis, & deſiderata, quando placuit Deo eam ab hoc exilio reuocare, & vt fertur, oranti, & idipſum cum lachrymis expoſtulanti, Gabriel ille familiaris eius apparuit, quam ſic affatur. Gaude, & lætare virgo pura, exaudita eſt oratio tua, impletũ eſt deſiderium tuum: ſicut deſideraſti glorioſa peruenies, & ſicut promeruiſti cœleſti gloria coronaberis. O quantũ hoc nuncio gauiſa eſt, quomodo exultauit ſpiritus eius in Deo ſalutari ſuo. Congregatis ergo vndique Apoſtolis, & ſanctis omnibus, qui tunc erant in Hieruſalem, aſtantibus, & orantibus ſicut Dionyſius in libro de diuinis nominibus refert, flexis genibus, oculis in cœlum ſuſpenſis, ſine febri, ſine ęgritudine, ſine anxietate, ſine dolore, imo cum immenſo gaudio, & tripudio beatiſſimũ filio ſpiritum tradidit, & pretioſiſſimas corporis ſui reliquias eccleſiæ dereliquit. Sed ad modicum tempus, non enim digna erat terra tantum poſſidere theſaurum? non decebat, vt ſacrarium illud, vnde Deus carnem aſſumpſerat, verteretur in cineres: neq; iuſtum videbatur, vt caro quæ peccati corruptionẽ non nouerat, corrumperetur in puluerem. Eadem ergo tranſitus ſui die, vel ſicut quibuſdam placet, poſt triduum, veniens filius eius cum tota cœleſti curia, ſacroſanctam illam animam corpori ſuo infudit, & in momento ſuſcitatam, glorioſam, & immortalẽ, cum incredibili gaudio, & honore, lætantibus angelis, & exultantibus cœleſtis curiæ poteſtatibus, eam in cœlum, leuauit, & ſuper omnes angelorum beatiſſimos choros ſuis manibus collocauit. Triplicem itaque hodie feſtiuitatem colimus, tranſitum ſcilicet virginis, quo migrauit à vita: reſurrectionẽ eius, qua immortali gloria veſtita eſt: & gloriоſam eius aſſumptionem, qua corpore, & anima fœlix in cæleſtia cõuolauit. Quarum omnium cum quælibet per ſe celeberrima ſit, vnita, & coadunata ſolennitas quanta erit veneratione colenda? Quid vero in illo eius beatiſſimo trãſitu actum ſit, quæ vltima verba recedẽs dixerit, quid Apoſtolis commendauerit, qui due ſanctis quæ aderant mulieribus loquuta ſit, quaſue ab eis recommendationis, quas preces, vel laudes abiens acceperit, penitus neſcimus: quamuis in quibuſdam apocryphis libellis, nõ nulla de virginis tranſitu memorantur: quorum multa eorũ veriſimilia ſunt, ac propterea pro nunc omittuntur. De gaudio autem, & exultatione angelorum, & magnifico eius in cœlis ingreſſu, quicquid dici poteſt minus eſt à vero. Si enim cuicunque animæ è corpore migranti, cum regna cœleſtia ingreditur, grandis fit ab angelis, & tota illa ciuitate ſolennitas, de regis cœlorum matre quid putandũ eſt? Etſi vt Diuus Hieronymus refert in aliquorum ſanctorum exitu, angelorum multitudo exultantium, & concinentium in terris audita eſt, quanto id amplius hodierna die in Deiparæ Virginis aſſumptione credendum eſt? Qui ſic honorat famulos, quomodo matrem ſuam ampliori non dignaretur honore? Proculdubio igitur, ſicut idem Hieronymus ait, filius eius cum omni cœleſti curia hodie deſcendit, & propriis eam manibus ſuſcipiens, eam in cœleſtibus ſupra angelorũ vertices collocauit, obſtupentibus, & tam ſublimem eius dignitatem admirantibus angelis, & acclamantibus: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* Quid ni admirentur tã ſublimem fœminæ celſitudinem, vt nõ angelico ſubſidio, ſed vnigeniti filii Dei finu deportetur in cœlum? Iam ò beata die nobis quid ſenſiſti, quando luna clatior, dilecti filii tui amplexibus ſuſcepta es?

Exc. 1.

Cant. 4.
Luc. 1.
Abitus B. Maria.

Dionyſ. lib. de diuinis nominibus.

Glorioſiſſima aſſumptio poſt triduum trãſitus facta.

Simile.

Cant. 8.

es? quando te tot millium angelorum occurrentium frequentia salutauit, & mirificis laudibus, & canticis sublimauit. Vnde Bernardus. *Fœlicia prorsus oscula labiis impressa lactentis, cui virgineo mater applaudebat in gremio: verum fœliciora quæ hodie suscepit ab ore in throno sedentis.* Qualis tunc fuit mutua vtriusque collocutio, & salutatio? quid tunc mater dixit filio? quid filius matri respondit? Quomodo putas fulgent in cœlo duo illa luminaria splendidissima? quomodo lætificat ciuitatẽ Dei, regis & reginæ tã iucunda præsentia? Lætamini fratres, & gaudete, quia cito videbim⁹, cito aderim⁹, cito exultabimus, & dicem⁹: *Sicut audiuimus, ita & vidimus in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius.* Sic ergo tota illa cœlesti curia ouãte, & exultante, manibus sapientissimi illius, ac potentissimi Salomonis, arca deifera in templum illud cœleste, non manufactum, hodie introducitur, & Cherubim expandentibus alas, & eam velantibus, honorificentissime in Paradisi gloria collocatur: Ad quam nos perducat ipse Iesus filius eius, cui cum patre, & Spiritu S. est honor, & gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 45. *Psal. 47.* *3. Reg 8.* *Heb. 9.*

DE DIVO MICHAELE Archangelo, Concio.

THEMA.

Quis deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me vsque in Idumæam. Psalm. 107.

VEri, & legitimi filii, ciuisque clarissimi supernæ ciuitatis Hierusalem verba sunt, ex exilio, & peregrinatione in cœlestem patriam anhelantis, & in conciuium suorum gloriam suspirantis. Attendit mala quæ patitur, considerat bona quibus priuatur, & cupiens carere istis, frui illis, anhelo spiritu exclamat, *Quis deducet me in ciuitatem munitam?* ciuitatem fortem, muratam, securam, pacificam, tranquillam, quietam? vbi nullus timor, nulla anxietas, nulla afflictio, nulla turbatio, nulla solicitudo: *Quis deducet me vsque in Idumæam* illam fœliccm, rubeam, purpuream, empyream, igneam, flammeam? cuius omnes ciues sunt veluti carbones ardentes, *& aspectus eorum quasi aspectus lampadarum?* omnes deificæ charitatis igne succensi, & potentissimo illo incendio diuini amoris inflammati, ab illo vtique *cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Hierusalem*: ille enim est *qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem.* Duo autem sunt, quæ inter cætera propheræ animum ad illius ciuitatis desiderium promouent, & quod munita, & quod idumæa est, id est tranquillitas, & pulchritudo: de quibus in præsenti sermone, iuxta ingenioli nostri vires, tractabimus: vos autem fratres, non quid de tam præclara ciuitate dicamus, sed quid dicere gestiamus attendite. Sicut beatus Augustinus ait in meditationibus, *de Deo quidem creatore omnium, qui est incomprehensibilis, & ineffabilis, excelsa, & mirabilia omnis remota ambiguitate legimus, loquimur, & scribimus: de angelis autem quicquid dicimus non tam euidenter probamus.* Cuius ratio est, nam Deum, & eius gloriam, pulchritudinem, & æternitatem, tum eius opera, tum scriptura sancta ab illo reuelata, tũ interior eius gustus, & inspirat o satis aperte nobis obiiciunt, & demonstrant: angelorum autem, & inuisibilium illarum potestatum, nullum exterius opus videmus, nullum interiorem gustum sentimus, nullum inspirationis vestigiũ experimur Scriptura quoque de eis adeo succinte, & ænigmatice loquitur, vt quantumuis doctus, & peritus, nihil fere aliud certum, & indubitatum de eis asseuerare audeat, nisi quod sunt, & quod multi sunt, & quod domini creatoris sui ministerio deputati sunt; Qualis autem sit illa cœlestis Respublica, quibus regatur legibus quibus ritibus disponatur, quibus vsibus adornetur, qui mores, quæ officia, quæ exercitia in ea sint, quomodo viuant, quomodo intelligant, quomodo loquantur, quomodo inter se conuersentur, videre oculis,

Ezech. 1. *Isai. 31.* *Psal. 103.*

Duo mouent cœlestis Hierusalem desiderium.

si Deo propitio, nobis datum fuerit, aliquando poterimus intelligere certe modo ex libris minime sufficimus. Sed neque de eorum creatione, cum de omnibus aliis sensibilibus late loquatur, neque vnum quidem verbum in libro Geneseos scriptura cõmemorat: quando scilicet creati sunt, vbi creati sunt, quales creati sunt, aut quomodo creati sunt. Nomina quoque eorum, exceptis tribus, Michaelis, Gabrielis, & Raphaelis, vix vnquam in scripturis legimus: neque seraphim vspiam nomen, nisi tantum semel in Isaia, in tota scriptura positum inuenimus. Propter quod natura illa angelica sublimis, & excelsa, sicut à sensu, & intuitu nostro, sic quoque ab intellectu, & iudicio longe semota est: neque de illius gloria, & celsitudine quidpiam adfirmare possumus, quod aut ratione certa, aut firmo scripturę testimonio roboretur. Si qui in hac peregrinatione de angelis aliquid attingunt, hi sunt qui puritatis, & innocentiæ candore illis assimilati, orationi, & contemplationi vacantes, à mundi strepitu, & tumultu sequestrati, in abscondito vultus Dei à conturbatione hominum ab sconsi, illorum aliquale commercium, & colloquium meruerunt: quorum etsi caro in terris, tamen *conuersatio in cœlis est*. Sed neque hi quod de eis nouerunt, nobis quouis modo indicare possunt, sicut neque Apostolus Paulus, cum in tertium cœlum raptus, beatas illas paradisi mansiones fœlici intuitu perlustrasset, mundo redditus, aliud renunciare potuit, nisi *quod audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Nobis autem, qui à fœlici illorum cõmercio, propter mundi solicitudines, & lubricam vitam longe sumus, nulla relinquitur via, per quam in eorum aliqualem notitiam conscendamus, nisi per animam nostrã: quæ & naturæ conditione, & intelligentiæ vigore, & arbitrii libertate, illis quam proxima, & quam similima est. *Habemus enim thesaurum istum in vasis fictilibus carnis absconditum*, & præclarissimam margaritam luteo ergastulo impressam, depositum certe pretiosum, & inæstimabile, nobis à Deo commissum, suo tempore reddendum: de quo clamat Apostolus ad suum discipulum. *O Timothee depositum custodi*. Hæc est decima drachma perdita, quam diuina sapientia euersa domo, & accensa lucerna, solicite quæsiuit, & reperit: quæ angelicis ordinibus annumerata decimum constituit chorum, & cœlestem illam ciuitatẽ denario numero perficit, & decorat. Vnde licet natura iuxta propheticum vaticinium, paulo minus ab angelis minorata sit, sed æqualem cum eis sortitur gratiã, & gloriam, sicut in Apocalypsi legimus. *Vna est mensura hominis decem angeli*: propter quam genuinam similitudinem, in ea quasi in quodam simulachro effigiatam angelicam celsitudinem possumus intueri. Sed quonam modo hoc fiat, latius ostendamus. Vulgata est satis illa philosophi sententia, *quod species rerum sunt sicut numeri: quoniam sicut superaddita vnitate in numeris, noua fit species rei*. Est enim in rebus lapis, & cætera indensibilia, quasi vnitas solũmodo habens essendi subsistentiam: cui si superaddatur vna, sit planta: quæ quasi binarius, esse habet, & vitam cui rursus sensus superadditus, reddit brutum: quod quasi ternarius, triplici vnitate esse, vita, sensuq; potitur: huic si superaddas rationẽ, fit homo quadruplici vnitate cõstans, esse, vita, sensu, ratione. Iam huic quaternario inquirimus, quam vnitatẽ addat angelus, vt in quinario numero, quasi natura superior collocetur: qua reperta facile haberi poterit angeli diffinitio, sed hanc quãuis diu in ea quærenda desudes, nõ inuenies. Quicquid enim in angelo perfectionis agnoscitur hoc in rationali anima reperitur, licet perfectiori modo sit in angelo, quã in anima. Est enim anima rationalis, natura quædã spiritualis, incorporea, incorruptibilis, immortalis, intellectualis, libera, capax Dei habẽs intellectum, & voluntatẽ sicut angelus, sed non ita perfecte sicut angelus propter quod paulo minus dicitur ab angelis minorata, quia videlicet nullam, vt in cæteris superaddat angelus vnitatem, sicut planta lapidi vitam, iumentum

Isai. 6.

Psal. 30.

Phil. 3.

2. Cor. 12.

2. Cor. 4.

1. Tim. 1. Luc. 15.

Decima drachma perdita declaratur.

Psal. 8. Apoc. 21. v. 17.

Omnia perfectiori modo inueniuntur in Angelis quam cæteris.

Psal. 8.

mentum plantæ ſenſum, homo iumento rationẽ ſuperaddit. Ac perinde multum diſtat à lapide planta, quaſi viuens à non viuente: multum quoque planta à iumento, quaſi ſentiens a non ſentiente: multum à iumento homo, quaſi rationale ab irrationali. Sed non eodẽ modo de angelo, & homine, vel eius anima dicere poterimus, eo quod omnino eaſdẽ angelus, & anima rationalis habeat vnitates. Quid enim habet angelus præter intellectum, memoriã, & voluntatẽ? Has omnes potentias etiam habet anima, ſed non ita perfecte eis vtitur ſicut angelus, maxime in hac vita, in qua intellectus rudis, memorialabilis, & voluntas mobilis eſt. Cum labore intelligimus, cum lubricitate memoramur, cum inſtabilitate diligimus. Quantus labor in addiſcendo, quanta obliuio in memorando, quanta varietas in amando? Non niſi longo, & laborioſo diſcurſu, veluti canis olfactu lepores ęcutiendo inquirimus veritatẽ: ad quam vix vnquam poſt diutinam meditationis, & ratiocinationis inquiſitionẽ, cum animi vexatione, & afflictione pertingimus. Nam anima rationalis quamdiu corpori eſt alligata, mendicat à ſenſu, & rerũ egena ad phãtaſmata corporea ſeſe conuertit: eſtq; forma naturalis corporis, qua ignobilitate ingenuitas angeli libera eſt. De nobis aiebat Salomon hanc ob rem, *qui addit ſcientiam, addit & laborem. Et cuncta quæ in proſpectu ſunt inuenimus cum labore*, nam exẽpli gratia, hunc ſermonẽ quem vobis prædico, nõ ſubito intuitu percepi, ſed cũ multa anxietate, multis horis, hac & illac animo diſcurrendo collegi. Quid ẽt dicam de voluntatis noſtræ mobilitate, & inſtabilitate? Quid diu placuit in hoc ſæculo? Ecce quo modo placet, poſteá diſplicet: quod nunc ſummo deſiderio cõcupiſcimus, poſt modicũ ſummo faſtidio horremus. *Grauiſſimũ certe iugum ſuper filios Adam à die ortus ſui, vſque in diẽ ſepulturæ ſuæ*, nunquã in eodẽ ſtatu permanere, nullam animo firmitatem habere. Quoties toto animi conatu propoſuiſti Deo ſeruire à ſæcularibus blanditiis, & tumultibus ſequeſtrari, peccata abiicere Deo vacare, ſolis æternis, & cœleſtibus inhiare, & vix cœpiſti cũ iam in oppoſitã affectionẽ totus omnino permutatus es? O duriſſimam ſortem, ò acerbiſſimam conditionem, continue volui, ſemper agitari, ſemper mutari, nũquam idẽ eſſe, ſemper à ſeipſo diſſentire, quãdo fiet iſtud? quando erimus, vbi ſicut non erũt volubiles cogitationes noſtræ, neq; ex vno in aliud euntes, & redeuntes, ſed vnico intuitu omnia videbimus, ſic quoque non erunt mutabiles affectiones noſtræ, vnum poſt aliud ſitiẽtes, ſed vnico gaudio plene replebimur, & integre ſatiabimur? Erit vtiq; hoc, quando erit Deus omnia in omnibus, quando ſicut ſcriptum eſt, *æquales erimus angelis Dei*. Magna fœlicitas angelici intellectus non diſcurrit, neq; laborat, neq; inquirit, ſed vnico intuitu omnia, quorum naturaliter eſt capax, perſpicit, & cognoſcit: ſicut & nunc apertis oculis, quæ in proſpectu ſunt, ſine diſcurſu, & labore, clare & aperte intueor, & cognoſco. Quicquid ẽt intelligendo percipit, nunquam labitur à memoria, fixum & immobile in eo perſeuerat, quod ſemel impreſſum eſt: voluntas quoq; illius omnino inuertibilis eſt, tenaciter tenet omnẽ affectum quem ſuſcepit, non poteſt ei diſplicere quod placuit, neq; valet à ſemel placito reſilire, fixa & immobilis perſeuerat in eo quod diligit. Vnde beati angeli, Deo in principio ſuæ creationis adhærentes, in eius gratia, & charitate ſtatim confirmati ſunt: dæmones vero per oppoſitũ ab eo auerſi in ſua nequitia illico obſtinati ſunt: propter quod erunt illi ſemper beati, & iſti ſemper miſeri. Vides certe in quo præſtat angelus animæ rationali: da mihi intellectum creatũ, ſimplici intuitu naturaliter vidtem omnia quæcunq; intelligit, & voluntatem creatam immobiliter ſecundum naturam tenentem omne quod amat, hic eſt angelus: *quod ſi paululum pertranſieris, inuenies quem diligit anima tua*. Sed de hoc alias. Effiguraui vobis angelũ, vt potui, qui ſecundũ ea quę dicta ſunt, ſpiritꝰ quidã eſt creatꝰ, incorporeus,

Similia.

Eccleſ. 1.

Sap. 9.

Eccleſ. 40. Iob 13.

2. Cor. 15. Matth. 22.

Vide S. Tho. 1. par. 54. & ſequentibus quæſtionibus.

S. Tho. 1. part. 5. q. 62. & 63.

Cant. 3.

poreus, & incorruptibilis, non vnibilis corpori, vt forma, simplicis intellectus, & inuertibilis voluntatis: simplicem intellectum voco, qui suapte natura non discurrit, neque ratiocinatur ex cognitis ad ignota. Sed quanta sit horum spirituum potentia, magnitudo, sublimitas, sapientia, pulchritudo, nobilitas, claritas, quis in eis ordo, quæ vita, quoniam à sensu longe semoti sunt penitus ignoramus, nisi ea solum, quæ de his Spiritus sanctus in sacris libris typico eloquio, & sub ænigmate sensibilium quasi cæcutientib⁹ paruulis insinuare dignatus est. Vnde si quid in rebus sensibilibus, pulchrum, præcipuum, fulgidum, insigne, decorum, hoc ad effigiandam nobis angelicam celsitudinem, teste Dionysio aptatur, & sumitur. Ad insinuandam enim eorum claritatẽ, & multitudinem, comparantur stellis, sicut apud Iob legimus, *vbi eras, quando me laudabant astra matutina?* & in Psalm. *qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Ad ostendendum vero eorum pulchritudinem: & nobilitatem comparantur gemmis, sicut apud Ezechielem legimus, nouem gemmarum differentias in Luciferi ornatu, nouem angelorum ordines, quibus præpositus fuerat designantes: quorum lapidum virtutes si plenius nosceremus, & angelicas illas potestates clare vidissemus, quam apta esset ista comparatio, & quã conueniens similitudo, vtique nosceremus. Ad ostendendam vero eorum potentiam, & virtutem, sub specie multorum curruum igniторum in monte apud Eliseum apparuerunt, vt in quarto libro regum legimus: quoniam in tota natura sensibili nihil actiuius, nihil est potentius igne. Ad explicandum vero eorum obedientiam, & subiectionem, qua Deo præsidenti in omnibus, & per omnia sine vlla contradictione obediunt, apud Zachariam in similitudinem grandis exercitus equorum albo rum, & variorum, vno solo sessore visi sunt. Sunt etenim, & potentissimi, & obedientissimi, iuxta illud. *Benedicite dominum omnes angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius.* Et illud, *sub quo curuantur qui portant orbem.* Ad insinuandam quoque intellectus eorum altitudinem, & sublimitatem ab Isaia sex alis alati conspiciuntur, quorum præpeti volatu creata cuncta transcendunt. Ad ostendendam etiam eorum fortitudinem, & impermutabilem ordinem in specie cestrorum à patriarcha profugo visi sunt. Vnde cum vidisset eos, protinus ait, *castra Dei sunt hæc.* His & aliis multis, per sensibilium formas cœlestium illarum potestatum pulchritudo, virtus, & excellentia, nobis à Spiritu sancto in sacris eloquiis, prout capere poteramus, varie descripta est: quæ etiam ex gestis eorum, & operibus mirificis, in scriptura sacra relatis, euidentius, & apertius poterunt innotescere. Quantæ enim virtutis, & potestatis fuit, omnes Ægyptiorum primogenitos vna nocte occidere? maris fluctus siccare? currus, & exercitum Pharaonis submergere? tot gentes, & tam robustas euertere? & populum Israel in terram eorum introducere? Quæ tamen omnia vnus Angelus, cui populus à Deo commissus est, qui eundem populum in deserto, in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem præcedebat, operatus est: cuius tanta fuit potentia, & maiestas in datione legis, toto illo monte, in quem descenderat, tonante atque coruscante, vt non solum ille populus, & seniores populi, sed etiam ipse Moyses, qui facie ad faciem cum domino loquebatur perterritus accedere pertimesceret. Neque minus admiranda illorum trium angelorum potentia, qui Sodomam, & Gomorrham cum confinibus ciuitatibus, sulphureis ignibus incenderunt, totãq; illam regionem incendiis & fulminibus absorptam, in lacum bituminis redegerunt. Quid etiam dicam de illo angelo, qui vna nocte in exercitu Sennacherib, plusquam octoginta millia hominum suffocauit? Et de illo, qui in arca Iebusæi, stricto gladio apparens, tot hominum millia, non gladio sed peste consumpsit? Non valde mirabimur hæc, si

Iob 9. *Isai. 6.* *Gen. 32.* *Exod. 11.* *Exod. 14.* *Exod 17.* *Iosue 4. & infra Exod. 13.* *Exod. 19.* *Exod. 33.* *Gen. 19.* *Isai. 37.*

Iob 38. *Psal. 146.* *Ezech. 28.* *4. Reg 6.* *Zach. 6.* *Psal. 102.*

orbes

orbes illos cœleſtes, tam vaſtos, & amplos, ſingulos à ſingulis ſpiritibus, tanta velocitate, & vniformitate, tot ſæculis ſine vllo velocitatis, aut tarditatis augmento, vel decremento, moueri conſiderauerimus. Bone Deus, quanta eſt virtus, quæ talem molem tali velocitate, ſine fatigatione vlla tanto tẽpore circumgirat, & voluit? Denique ad vocem archangeli, cum terribili tuba inſonuerit: totus ſuſcitabitur mundus: totum terratum orbẽ, à ſummo vſque deorſum, à connexu cœli vſq; ad infimum abyſſi, penetrabit illa vox. Quãta virtus, quanta poteſtas, ſed neq; minor eſt eorũ decor, & pulchritudo. Abunde nobis ſufficeret ad hoc probandũ, decor ille domus cœleſtis quam inhabitant, pulchrum certe domicilium huiuſmodi habitatoribus dignũ, vt ex habitaculi ſpecie, quales ſint qui intus lateant liceat coniectari. Veluti ſi quis ex papilione holoſerico & purpureo, latantem intus intelligat regiam & imperatoriam maieſtatem. Quid in rebus corporalibus pulchrius cœlo, tot aſtris, tot luminaribus inſignito? ac veluti ſeminato? Sed neque omnimodam eius pulchritudinem videmus, multo certe pulchrius eſt quam apparet. Nam ſi aſtronomiæ creditur, omnis ſtella quæ viſu diſcerni poteſt, maior eſt tota terra ſed propter diſtantiam incredibilẽ modicæ lucernæ ſimilis apparet. Cogita nunc quanta eſt magnitudo orbis, in quo tam innumera multitudo luminarium tam ingentium ſparguntur, quorum tam immenſa vaſtitas, ad tam exiguam propter nimiam altitudinem in aſpectu videntium redigitur paruitatẽ O potentiam conditoris, ô artificis maieſtatem: quomodo lætabimur, quomodo oblectabimus fratres, cum hanc fulgidam & ſplendentẽ aulam beatis oculis luſtrabimus, & fœlicibus greſſibus inambulabimus? Hanc modo incolũt cœleſtes illi ſpiritus beati, qui ſummo deſiderio noſtrum præſtolantur aduẽtum. Qualis aula, tales aulici, imo multo pulchriores & ſpecioſiores omnis n. corporalis pulchritudo, ad illã imma-

Vnus Angelus totũ orbem mouet.

terialem eorum ſpeciem comparata deformitas quædã & turpitudo eſt. Quid enim artifex ille qui ex deformi terra, & viliſſimo ſimo, pulcherrimas & odoriferas educit roſas, ardenter gemmas, & ſpecioſiſſimas plantas producit, ex tam nobili & excelſa natura quales depinget flores? quas pulchritudines effigiabit? Videamus nunc ſi conſonat his rationibus ſcriptura. Loquebatur Moyſes cũ Angelo in monte Sinai diebus quadraginta vt ſuſciperet legem: deſcendẽs de monte, ex illius colloquio tam immenſo fulgore facies eius reſplenduit, vt nõ poſſent intendere in eũ filii Iſrael, ſed impoſito velamine ſuper oculos cũ eis loqueretur. Admirandum certe ſtupendũq; miraculũ: penſate fratres quãtus erat fulgor in Angelo, qui talem impreſſit ſplendorẽ in vultu. Virgo etiam illa ſacra ſuper omnes fœminas benedicta, dum Archangelum Gabrielem cœleſtia ſecreta nunciãtem ſubito aſpexit intuitu, turbata eſt in ſermone eius: ſed non de ſermone tantum, ſed etiam de aſpectu: *erat enim* (ſicut ait Auguſtinus) *facie rutilans, veſte coruſcans, ingreſſu mirabilis, aſpectu terribilis.* Quem obſecro non turbaret, quem nõ deiiceret inſpectus ille fulgor, ſi ex viſu eius virgo deifera perterrita eſt? Angelus qui ad Redẽptoris ſepulchrum in die reſurrectionis apparuit ſolo aſpectu feroces cuſtodes non ſolũ perterruit, ſed ſolo proſtrauit, ac propemodum exanimauit: *erat n. aſpectus eius ſicut fulgur, & veſtimẽtum eius ſicut nix.* Ioannes ille dilectus Domini, qui ſupra pectus eius in cœna recubuit, & ex ſacro dominici pectoris fonte Euãgelii fluenta potauit, qui velut aquila grandis ſublimi volatu cœleſtia ſecreta rimatus, mundo redditus, ſublime illud Euangelii exordiũ, *in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum*, plenis faucibus eructauit, & potentiſſimo eloquio pertonuit, viſo Angelo cũ illo loquebatur, & pulchritudinẽ eius admiratus, ſic vehementer expauit, vt niſi prohiberetur, ſolo proſtratus illum adoraſſet, Deũ proculdubio ſuſpicatus, qa nihil in orbe illa pulchritudine quã videbat

Similc.

2. Cor. 3.
Exod. 34.
Luc. 1.
Matth. 28.
Ioan. 13. & 21.
Ezech. 17.
Ioan. 1.
Apoc. 12.

bat maius aut speciosius reperiri posse putabat: sed prohibuit eum Angelus dicens, *vide ne feceris, conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu*: non sum ego Deus tuus ô Ioannes. O quanto pulchior & speciosior est illa maiestas quam diligis: quasi fœnum aridum, sic est hæc pulchritudo quam miratis ad illam: opus eius, & factura eius sum, sicut & tu: *Deum adora*. Et ille quidem ex inferioribus angelis erat. quid si vnum ex principibus gloriæ, quid si aliquem cherubim, aut seraphim vidisset? quanto amplius stuperet? Libet nunc modicum speculari, quanta erit illa ecstasis, & admiratio animæ sanctæ, quãdo ex hoc ergastulo carnis egressa, subito omnem illam cælestem militiam intuebitur: quãdo in tabernaculum illud admirabile intra sancta sanctorum ingressa, tam innumeram multitudinem, & tam variam potentissimarum, & pulcherrimarum creaturarum, coram Deo lætantium, & quantium, beatis oculis inspexerit, O quam immensa iucunditas, cum tali societati seipsam perpetuo associandum agnouerit. O quomodo admirabitur, quomodo expauescet, quomodo affluet, & dilatabitur cor eius, & tota penitus deficiet præ lætitia? Regina Saba venit olim à finibus terræ audire sapientiã Salomonis, & ingressa Hierusalem, cum vidisset domum ampliſſimam diuitias, & potentiam, & ordinem, & ornatum ministrorũ, pulchritudinẽ pincernarum, & principum assistentium, expauit, & non remansit in ea spiritus præ stupore. Sic admirata est mortalis mortalem: quid putas faciet anima, quæ ex captiuate Babylonis subito in cælestis Hierusalem opulentiam rapitur? non principis cuiuspiam terreni, sed omnipotentis Dei domum, potẽtiam, ministeriũ, diuitias, delicias, ornatum, & principum ministrãtium pulchritudinem, multitudinem, gloriã intuitura? Clamat propheta huius contẽplationis admiratione commotus, *ô Israel quam magna est domus Dei, & quam ingens locus possessionis eius*. Vere magna, *quia magnus est dominus Deus noster*; deniq; talis qualem decet omnipotẽtiam maiestatis. Quis huius domus amplitudinem, ministrorumq; multitudinẽ cogitare sufficiet? *Millia millium ministrabant ei, decies centena millia assistebant ei*. Imo sicut ait Iob, *non est numerus militũ eius, transcendit namque*, sicut ait Dionysius *supernarũ mentium multitudo, infirmã atque cõstrictam materialiũ numerorũ commensurationem*. Vnde propheta *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium dominus in eis*. Et cum sit tam innumera multitudo, nulla ibi confusio, nulla dissensio, nulla inquietudo, sed summa pax, & tranquillitas, & mirificus ordo. Iob. *Qui facit concordiam in sublimibus suis*. Pulchritudo vero, & ornatus eorum, qualis decet domesticos Dei, tantæ celsitudinis seruitores. Vnde propheta inuitans peregrinantem ecclesiam ad supernæ illius ciuitatis amplitudinem contemplandam, *respice*, (inquit) *Sion ciuitatem solennitatis nostræ: oculi tui videbunt Hierusalem habitationẽ opulentam, tabernaculum quod nequaquã transferri poterit, neque auferentur claui eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur: & sõlummodo ibi magnificus dominus Deus noster Populum imprudentem non videbis, populum alti sermonis, ita vt non possis intelligere disertitudinem linguæ eius, in quo nulla est sapientia*. Quam pulchre quam diserte, ampliſſimam illius cælestis reipublicæ fœlicitatem descripsit. *Oculi tui videbunt Hierusalem, habitationem opulentam*, id est omnibus diuitiis, & deliciis refertã, omnibus gaudiis, & suauitatibus plenã, omnibus deniq; bonis, quæ desiderari possunt, abundantissime super effluentem: tali vtique affluẽtia, qualem suspicari, vel intelligere possumus, in tali principis cellario, cui præsto est omne quod placet. O quam saturos, quã pingues, & refertos, domesticos suos habet illa domus? quam multa, & quam varia ferculorum opiparorum abundantia, voraces illos spiritus tam innumeros replet, & satiat illa mensa: *Inebriabuntur* (inquit alius propheta) *ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis*

Exod. 26. Isa. 60. 3. Reg. 10. Baruc. 3. Psal. 146. Dan. 7. Iob. 25. Angelorũ multitudo. Psal. 67. Iob. 25. Isai 33. Ibidem. Psal. 35.

eos: ita vt extendantur, æstuent, & eructent à nimia satietate. Mira affluentia, quæ tantum exercitum tantorum principum, tot sæculis, imo in sæculorũ sæcula affluentissime pascit, & reficit, neq; vnquam deficit, sed semper abundat, & superabundat. Et non mirum, quia ibi potissimum magnificus ostenditur dominus Deus noster. In terra enim misericordia eius, in inferno iustitia, in cælo magnificentia monstrantur. Ibi diuitiarum eius inexhauribilis thesaurus, infinita maiestas, & imperialis munificentria palam fit: quis sit Deus, quid possit & valeat, & quam ample retribuat his qui diligũt illum. Sed qualis est ille populus, quod idioma tam elegans & sublime, vt non possimus intelligere disertitudinem linguæ eius? quis inter eos velut hebes, & nullius sapientiæ iudicatur? Nunquid loquuntur Græce, Latine, vel Hebraice? Non certe, nõ tale est idioma cæli, sed vnusquisq; alteri viscera sua pandit, & quicquid intus latet oculis inspectoris obiicit. Non ibi fraus, non hypocrisis, non dolus, & simulata dilectio, vt decipiant de vanitate in idipsum: sicut hic sed ibi intimã cordis patẽt, vt sunt. Propter quod ciuitas illa auro mundo, simili vitro mundo describitur à Ioanne, quia ciuium cælestium corda & claritate fulgent, & putitate translucent. Sed quam velox & diserta lingua, quæ non temporis interuallo syllabatim loquitur, sed longissimã orationem mente conscriptam, simul totã obijcit intuenti, vt subito intuitu videat, quod multis horis non posset ore proferri? Neq; in tota illa ciuitate aliud officium reperitur, nisi laus & benedictio creatoris. Omne opus eius iucunditas & lætitia: huic operi omnes intendũt. Vident & mirantur, mirantur & exultant, exultant & laudant, & quia laudare nõ sufficiunt, semper laudant: nunquã deest materia laudis, quia nunquam sufficit copia laudatoris. *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus domini*: non certe ad aliud, *nisi ad cõfitendum nomini domini*. O qualis musica, ô quam dulcis & suauis harmonia, quis tantorum modulatas cantilenas valeat explicare? Si nos in hac vita vocum humanarum, aut chordarum, aut organorum cõcentus ab hominibus inuentus, & exquisitus, sic delectat & rapit, quid faciet illa musica, quam non humana peritia, sed angelica format industria? quæ non corporeis vocibus foris perstrepit, sed interioribus affectibus interius dulcescit? tanto vtiq; suauius, quãto intimius? Talis est fratres cælestis illa Hierusalem, talis est Angelorum patria, ad quã properamus: imo multo pulchrior & perfectior est populus ille beatus, cui cõuiuemus. Nõ lætamini? non oblectamini: non rumpimini præ gaudio? quia tam cito huiusmodi ciuibus annumerãdi estis, perpetuo cum eis & cum domino regnaturi? O infœlix nimium & misera anima, vt quid terrenis cõsolationibus inhias? cur viliissimis huius carnis voluptatibus oblectaris? cur mũdialibus curis & perituris solicitudinibus tota distenderis? ciuis Hierusalem, & cælestis regni particeps mox futura? Quid vana & vacua gaudia curas, cui tanta iucunditas & lætitia post modicum præstanda est? Quid tibi & mundo? quid ad te de sæculi diuitiis, & delitiis? cui tantum dignitatis & gloriæ fastigium reseruatur: Credimus ista fratres? certe credimus: at si credimus & speramus, cur non insequimur? nam si vera in nobis fides, & certa spes; vnde tã lethalis obliuio, tanta segnities? rerum temporalium tam anxia litis, & æternorum bonorum tam lẽta cupido? O si vel tenuissimo lucis suæ radio, mẽtis nostræ oculos, illius cœlestis gloriæ quo tendimus immarcessibilis claritas, vel quasi subito fulgur raptim perstringeret, quomodo raperet ad se animas nostras? quanto illius desiderio flagraremus? q bus vocib. & affectibus cũ pphta clamaremus? *Quis deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me vsque in Idumæam?* Sic æstuabat ille, qui illius desiderio totus absorptus dicebat. *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subtus me scateat, vt requiescam in die tribulationis, & ascendam ad populum accinctum nostrum*: populum fulgidum, decorum, nobilem,

Psal. 8.

Psal. 61. Apoc. 21.

Angelorũ locutio qualis.

Psal. 121. Simile.

nobilem, beatum, & glorioſum: populũ hilarem, feſtiuum & iucundum: *cuius eſt Dominus Deus eius.* Sic quoq; alius ardebat, qui profuſis lachrymis, & gemitibus inenarrabilibus, iucũdam illam ſocietatem ſitientibus, attenuatis oculis ſuſpicientibus in excelſum, & quotidie cœleſtes illas manſiones à longe ſalutantibus, & gliſcentibus, ſicut pullus hirundinis ſic clamabat. *Educ de carcere Deus animam meam, ad confitendum nomini tuo: ad videndum in bonitate electorum tuorum: ad lætandum in lætitia gentis tuæ: ad laudãdum cum hereditate tua. A te enim quid aliud volui ſuper terram? Vnam ſolam petii à te, hanc requiram, vt inhabitem in domo tua, omnibus diebus vitæ meæ: vt videam voluntatem tuam, & faciem tuam, & viſitem templum tuum: vt placeam coram te in lumine viuentium* vt hac fœlici & iucunda ſocietate fruar tecum in æternum, in tua perpetua & immarceſſibili gloria. *Erat filius legitimus & ciuis verus Hieruſalem, & ideo ſcit venire ad eã.* Bernardus Filios Babylonis non delectant cantica Syon: qui plantati in terra, ex exilio patriam, & ciuitates fecerunt, non nouerunt iſta ſuſpiria. O quam rarus hodie, qui optet diſſolui & eſſe cum Chriſto: qui dicat, *heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt:* imo qui vocatus ad cœlum non exeat cum triſtitia. Vnde tanta tepiditas in orando, tanta negligentia in operando, tam modica reſiſtentia in reſiſtendo, niſi ex hac obliuione? Pſal. 136. *Si oblitus fuero tui Hieruſalem, &c.* Ita & lingua adhæret in orando, & manus torpet in operando, ſi adeſt obliuio præmii ad excitandum deſiderium, & torpentes affectus. Sed quis de hac ſuperna ciuitate, & de eius ciuibus idoneus concionator? ſi Paulus qui vidit & luſtrauit, arcana, quid nos qui neq; vidimus, neque luſtrauimus? nouo lumine & gratia opus eſt petamus eam vt ad illam ciuitatem nos perducat Ieſus Chriſtus dominus noſter.

AMEN.

Rom. 8.
Iſai. 38.
Pſal. 141.
Pſal. 105.
Pſal. 72.
Pſal. 26.
Pſal. 55.
Philip. 1.
Pſal. 119.
Pſal. 136.
2. Cor. 12.

DE DIVO MICHAELE ARchangelo, Concio altera.

THEMA.

Dico enim vobis, quia Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei, qui in cœlis eſt. Matth. 18.

ALtiora te ne quæſieris, fortiora te ne ſcrutatus fueris, ait Sapiens. Quid enim opus eſt homini, maiora ſe quærere? cum ſint tot communia, & vtilia, quæ ſcire magis expediat, & minore ac quirantur labore? Sapiens mercator vbi pretioſiores inuenerit merces, ibi abundatiores ſumptus expendit: ita eſt omnis ſcriba doctus in regno cœlorũ. Hæc ideo dixi, quia natura angelica, quo perfectior eſt, eo à noſtra cognitione amplius aufertur, eſt enim valde à ſenſibus noſtris remota, vnde omnis cognitio noſtra originem ducit. Quid ergo de Angelis differere poſſumus, quos nũquam vidimus, & quorum nullam experientiam habemus? Sed neque ſcriptura de eis niſi ſuccincte loquitur. Scio plurimos de illis longũ orditi tractatum, ſermonem q; protrahere: ſed vbi de ſcriptura nõ habetur teſtimoniũ, diuinare mihi magis videntur, quã demonſtrata tradere. Superuacuum igitur, ne dicam temerarium, modo videbitur, coram populo de Angelis diſputare, quomodo ſunt, quomodo operantur, quomodo diſtinguuntur, quomodo intelligunt, quomodo loquuntur ad inuicẽ, quomodo mittuntur ad nos, quomodo nos inſtruunt, & ſimilia quæ in ſcholis dubie & varie tractari ſolent, omniaque opinionibus plena ſunt. Satius iudico ad noſtram eruditionem euangelicam lectionem exponere, in qua plurimum eſt doctrinæ: & ne de angelis omnino taceamus, eorum ſolicitudinem erga nos, & quo erga eos debito teneamur, breui ſermone percurremus, Angelorum Reginæ & auxilio, & fauore, prius more ſolito implorato mente pia dicentes: Aue Maria.

Ecclſ. 3.
Simile.
Matth. 13.
Vide S. Tho. 1. par. q. 106. 107. & ſeq.
q. 113.

Quærunt diſcipuli à magiſtro veri-

ſatis,

taris, in veritate quæstionem satis curiosam, sed minus vtilem. *Quis putas maior est in regno cœlorum?* Ex tot patribus sanctis qui nos præcesserunt, dic nobis magister optime, qui omnia nosti, qui meritis & sanctitate præcedit? Abraam, Dauid, Moyses, Iob, vel alius ex prophetis? Talis modo curiositas nonnullos ex Christianis solet exercere, vsque ad rixam & contentionem videlicet quis inter discipulos maior? Baptista an Euangelista? & inter prophetas quis doctior, Moyses an Dauid? quorum dicta scire melius esset, quam de eorũ meritis disputare. Habuit, tamen ortum hæc quæstio ex quadam præuia contentione, vt narrat Matthæus: nam iter agente domino, Apostoli inter se conferebant, *quis eorum videretur esse maior*, postea vero cum domi essent, qui præsens ad omnia semper est, quæsiuit ab eis, de quo in via contenderent, quid inter se tractassent. Illi autem deprehensi à domino in sermone ambitionis, erubescẽtes primo tacuerunt, deinde respondere compulsi, mutato eloquio, quasi de aliis quærunt. *Quis putas maior est in regno cœlorum?* Quia vero ideo quæsierat ab eis disceptationem, vt curaret ambitionem, ita quæstionem soluit, vt morbum magis curet. Aduocato igitur paruulo, cui Martialis (vt fertur) nomen erat, statuit illum in medio eorum, & ait: *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum.* Ac si diceret, disceptatis inter vos quis vestrum maior sit futurus in regno cœlorum, ego dico vobis, vt videatis an illuc ingrediemini: hæc enim disputatio vestra longe est ab ingressu regni cœlorum, quo per humilitatem tenditur. Exclusa igitur ambitione, soluit quæstionem dicens. *Quicunq; humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cœlorum.* Vt dicunt quidam more suo dum vnum innuit, aliud loquitur dominus: sicut quãdo de templo corporis sui locutus est: ita nũc non de paruulo illo, sed de seipso loquitur: qui cum esset dominus omnium, p nobis paruulus factus est: cui cõformari oportet quicunq; regnũ cœlorũ ingressurus est: & qui similior est illi, hic maior est in regno cœlorum. Cui quia præ omnibus similior virgo fuit, ideo procul dubio ipsa maior est in regno cœlorũ: illa n. humiliauit se sicut paruulus iste. *Nam ille cum in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, formã serui accipiẽs:* illa cũ mater Dei esset, semetipsam humiliauit, fabro sancto deseruiens. Inde de seipsa ait: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce n. ex hoc beatam me dicẽt omnes generationes*: generationes (in quã) cęli & terræ: etsi omnes beatam dicẽt, super omnes vtiq; erit. Sed quamuis hæc ita sint, quod ad propositum spectat, ex domini respõso hoc aperte colligitur, quod quanto quisq; apud seipsum humilior extiterit, eo apud Deum maior erit: & ille in regno cœlorũ erit maximus, qui in exilio terreno fuerit humillimus: & quo in oculis propriis quisque magis vilescit, eo amplius in oculis Dei magis splendet. O præclarissima virtus humilitas, quæ tuum ita possessorem exaltas! nouerãt hoc sancti Dei homines, qui feruentiori studio seipsos humiliare studuerunt, quam soleant mundani homines ad gloriam anhelare; amplius in despectu sui, quam sæculares in honore gloriantur. Vnde & de beato Francisco legitur, nimis zelare, & speciale inuidia inuidere, si quẽ despectiorem, contemptibiliorem q; seipso, pannosiorem q; videret, statim que quo ad eius fieri poterat, conari ne in hoc ab aliquo vinceretur. Qui enim seipsum per omnia deiecit, secum quoq; omnia permutabat; sicut scriptum est *adhuc modicum & ego mouebo cœlum & terram, & veniet desideratus cunctis gentibus*, quo ex fastigio deitatis humiliato, permutata sunt omnia cũ illo; paupertas in diuitias, fletus in gaudium, ... iectio in honorem, labor in quietem, tribulatio in prosperitatẽ, dolor in delitias, ac proinde humilitas in altitudinem commutata est; ipseq; descensus permutatus est in ascensum. Nulla ergo maior altitudo est, quã propter Deũ profunda humiliatio. Vnde sicut iure optimo

Luc 9. *Ambitio taxatur.* *Ioan. 2.* *Isai. 9.* *Philip. 2.* *Luc. 1.* *Humilitas maxima altitudo.* *Agge. 2.*

optimo paupertati cœlestes diuitiæ, & fletui lætitia, & esuriei saturitas, & labori quies, & persecutioni gloria promittitur: ita quoq; contraponendo infimæ humilitati suprema debebitur altitudo: ac proinde qui se amplius humiliauerit, amplius exaltabitur. O via domini quam abscondita es, & quã à mortalium sensibus abstracta. Quomodo ad Deum miseri mortales pertingetis, qui per viam superbię semper inceditis? Quorum omne studium est, vt in hoc mundo semper sublimiores appareatis, honoribus fulgeatis & cæteris omnibus imperio & dignitati superiores efficiamini. Si enim qui despectior fuerit, maior erit in regno cœlorum: qui glorioſior fuerit in hoc mundo, despectior erit, nõ in regno cęlorum, sed in baratro tartarorum. Sed ponderãdum est verbum domini, *qui se humiliauerit sicut paruulus iste.* Non inquit, qui humiliatus fuerit, sed qui seipsum humiliauerit: neque quolibet modo, sed sicut paruulus iste: sunt n. quos propria facinora humiliant etiam inuitos: de quibus Ps. 118 *In veritate tua humiliasti me*: sunt etiam quos inopia rerum abiectos hominibus facit, non voluntate sed vi: hos ego humiliatos dixerim, nõ humiles quos peccatorum sarcina premit, inopia deiicit: non exaltabuntur isti, qui non se humiliant, sed humiliantur. Si quid n. de se humile sentire videtur, aut dicere, teste Chrysostomo, non illud humilitas, sed veritas est: sicut fuit illa oratio publicani accusantis se. Vera n. humilitas est de culmine se deiicere, & in suprema gloria inglorium se præbere. Sunt etiam vt ait Sapiens, qui nequiter se humiliant in hypocrisi & dolo, vt humiles videantur, quorum ironia despicabilis est. Isti etiã si operibus polleant, quia pro eis temporalem gloriam quærunt, non exaltabuntur in regno cælorum: non enim se humiliant vt paruulus iste, vere & simpliciter, sed falso, ficte, & malitioſe. Nõ ergo illis promittitur exaltatio, sed veris humilibus: qui cum magni sint, in veritate tamen existimant semetipsos, in veritate & simplicitate cordis omnium se seruos exhibentes, omnium se vltimos reputantes, & crucem domini in suo corpore iugiter circunferentes. *Propter quod & Deus exaltabit illos*, sicut exaltauit paruulum istum, & donabit eis nomen super omne nomẽ sæculi huius, vt videlicet filii Dei nominẽtur, & sint, qui inter filios Adæ vltimos se locauerũt. Sed valde terribile est quod dicitur. *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Durus est sermo iste, & quis potest eum audire?* Nostis fratres puerorum mores, nostis paruulorũ conditiones & ingenium, quanta in eis innocentia, quanta simplicitas, quanta puritas, quanta fit & veritas, & humilitas: non sunt in eis concupiscentiæ turpes, non ambitiones, non cupiditates, non temporalium diuitiarum curæ, nõ anxiæ solicitudines, non malitiæ, non fraudes, non suspitiones, non odia, non iurgia, non omnia deniq; vitia, quæ cũ adultis adolescunt. Filius Imperatoris ludit cum filio pastoris, nõn est ibi dedignatio, non ambitio, non apud eos: quis sum ego, & quis tu? non aliud corde, aliud ore monstrant, omnia vera, omnia sancta, omnia pura, qua de re & ipsi pueri nominantur. O fœlicem statum puerorum, ô ætatem auream infantilem? adde intellectum pueris, & quid erunt pueri nisi humanati Angeli? Vigent nãque in eis sensus, nitet color, splendet vultus, natiuaq; hilaritas arridet, puritas redolet. Add: (inquam) illis intellectũ, & quid erit puerulus, nisi effigiatus Angelus? O quoties dum eos video, acclamare soleo, & imprecari, non vt eorum corpus crescat, sed vt ipsorum crescat intellectus. Vere bonum erat eis sic esse, donec veniat Christus. Hunc igitur puerorum statum post can. ciẽ quis imitabitur? O quam difficile est, ne dicã impossibile est, vt ad pueri innocẽtiam iterũ redeat homo, cum iam in malis se nuerit, & in vitiis sui, cõsenuerit, & cor amurca peccatorum tabidum in cristinam reduci puritatem difficile est, facilius vtique refici poterit quam reduci. Vnde Psal. 50. *Cor mundum crea in me Deus.* Crea (inquam) nam creare facilius est, quam mundare: reficere quam restituere.

Luc. 14. & 18.

Luc. 18.

Qua sit vera humilitas. Eccles. 19.

2. Cor. 4.

Philip. 1.

1. Ioan. 3. Ioan. 6.

Mores puerorum redolent humilitatem.

uere. Facilius dixerim profecto, in illa puerorum simplicitate & puritate permanere, quam post corruptam & inueteratam naturam, in illam redire, & citius inuenies qui in ea à principio permanserint, quam qui ad illam post malitiam redierunt. Et tamen clamat dominus: *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* O tremendam sententiam, ô dictum formidandum! Reduc me domine in virtute tua, & in potentia tua, redige me in pristinã illam pueritiam: nam hæc mutatio vere non meæ virtutis est, sed dexteræ excelsi. Vnde non ait Nisi efficiatis vos, *Psal. 76.* sed *nisi efficiamini vt parvuli*: quia ab alio, videlicet non à nobis, hæc repuerastio in nobis implenda est: non enim nostri arbitrii solius opus est, sed etiam diuinæ gratiæ munus. Et propterea licet impossibile videatur, non tamen de illo diffidẽdum, apud quem non erit impossibile omne verbum, Sequitur in li- *Luc. 1.* tera. *Et qui susceperit vnum parvulum talem, scilicet qui propter me seipsum parvulum fecit, me suscipit: qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Terribilis comminatio: omitto nunc spiritualem beati Gregorii *Gregorius.* sensum, quo litteram istam ad religiosos deuoluit, dicens *melius illis fuisse in sæculo curarum mola comminui, & solicitudinum anxietate premi, quam post assumptum religionis habitum, taliter viuere, vt simplicibus dissolutionis, & turpitudinis scandalum præbeant.* In sæculo namque non ita eorum dissolutio notaretur, nec in aliorum vergeret detrimentum, sicut cum ex habitu & religione auctoritatem habet & honorem: simplex enim malum esset quod male viuerent, nunc autem dupliciter rei sunt, & quia sub specie sanctitatis mali sunt, & quia eorum exemplo alii mutantur ad malum. Omisso igitur isto sensu, ad litteram verbum domini exponamus. Vere etenim cuilibet scandalizanti melius esset, quamlibet, & quantumcunq; duram & atrocem mortem opperere, quã proximum scandalizare, id est, quam peccati mortalis & æternæ damnationis proximo causam existere. Si enim atripere pallium vel tunicã alicuius malum est, vxorem vero peius, & vitam, deterius, quanto omnium horum pessimũ est eius animam interficere, eam æternis ignibus perpetuo torrendam adigere? quis enim damnationis alterius reus esse sustineat? Vę igitur qui deuorat plebem domini sicut escam panis: quibus pro bucella est, simplices quosque offẽdere, & in odium & scandalum mittere. Væ qui seminant doctrinas falsas, & in errorem mittunt simplices, & à fide eos faciunt aberrare. Væ mulieribus se fucantibus, vt sua pulchritudine illiciant oculos ad peccatum. Væ aleatoribus, *Sapien. 14.* qui domos suas quasi muscipulas insipientium pedibus parant. Væ prælatis, quorum vita subditis exemplum peccãdi est, quibus deberent esse forma virtutis. De quibus beatus Gregorius ita ait: *Scire prælati debent, quod si peruersa perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt.* Væ discolis religiosis, quorum exemplo viuificandi erant simplices, & perduntur. Vnde hodie in ecclesia tanta tepiditas & iniquitas? vnde tanta in omnibus auaritia & cupiditas? nisi quia in maioribus & proceribus illius, vnde fulgere debuit sanctitas, viget iniquitas: minores vero maiorum vestigia sequũtur. Vnde cum pastorum venerit pastor, ouium suarum sanguinem de manu eorum seueriſſime requiret. Væ demum omnibus istis & similibus, qui infernum animabus simplicibus repleuerunt, & portæ inferi sunt: per quos multi in perditionem eunt. Nunquid non melius illis fuisset mille mortes subiisse, quàm tanti reos criminis esse? O quam horrendum tibi esse debe- *Matth. 6.* ret, vt propter te aliquis perpetuo ardeat in inferno. Mallem vtique fratres centum homines corporaliter peremisse, quàm vnam animam perpetuo incendio tradidisse: si ex solo damno culpa pensanda esset, & non ex arbitrio. Si enim sanguis Abel sic clamat

Scandalum pessimum vitium est. S. The. 22. 143.

Psal. 13.

Vnde oriatur tanta tepiditas hodie in Ecclesia.

1. Pet. 5.

Ezech. 3.

Admirabile dictum Autoris beneque notandum.

ad *Genes. 4.*

ad Dominum in fratrem occisorem, quanto fortius clamabit sanguis animę perpetuo damnatæ, in suum interfectorem? O quomodo conqueruntur, quomodo vociferantur, ô quomodo maledicunt, & impręcamur omne malum apud Dei iustitiam, in eos qui eis tanti mali & miseriæ causa fuerunt, & offendiculum posuerunt, vt in tale præcipitium ruerent. Et quantum hic clamor apud Deum valeat, audi Hieremiam prophetam, imo Dominum per Hieremiam terribiliter personantem. *Quid ni?* (inquit) *eris bonam ostendere viam tuam ad quærendam dilectionem, quæ insuper & malitias tuas docuisti vias tuas, & in alis tuis inuentus est sanguis animarũ pauperum & innocentium?* O sanguinolenta, plena sanguinibus, & tot mortibus rea, non erubescis ita impudenter te mihi post tantum sanguinem exhibere familiarem, & meam quærere dilectionem? cui non satis fuit teipsam peccatis tuis fœdare, sed insuper alios docuisti vias tuas? & in alis tuis, id est, pessimis operibus & exemplis, quibus veluti alis fama volat, repertus est sanguis, non corporum mortalium, sed animarum immortalium, pauperum, & innocentium, quos tuo exemplo veluti gladio iugulasti, & perpetuis ignibus tradidisti? Et post hæc omnia tu mecũ glorioſus & beatus in cælo regnabis, plenus delitiis, propter quę gemitibus sempiternis tot animæ vlulant in inferno? Audiant hæc scandalizatores, & contremiscant, & non coram Deo bonam ostendant viam suam, quasi innocentes sint & iusti, sed accusent & increpent vitam suam coram Deo, & ponant *in puluere os suum, si forte sit spes.* Neque in proposito zelus & amor Dei quæsitus, sed temeritas & impudentia peccatoris redarguitur: qui dum peccatum suum deflere debuerat, Deo amicum se exhibet & familiarem. Caueamus igitur fratres scandalum præbere pusillis, & dare illis occasionem ruinæ: sufficiũt nobis peccata nostra, nõ simus apud Deum etiam alienorũ peccatorũ rei. Nos n. post peccatum corrigere poterimus cum Dei auxilio, si volumus, sed non sic in nostra erit potestate corrigere quos læsimus. Qui enim scandalo obediuit, fortè non obtemperabit consilio: & videbis fratrem in tuo exemplo labentẽ: nec succurrere poteris pereunti. Vnde in hoc quodammodo ab alienis peccatis magis formidandũ est, quam à propriis: quia scilicet minus nostræ potestati subest eorum remedium, & medela. In tantum vero scandalum vitandũ est, vt non solum temporalia lucra, sed etiam spiritualia ad tempus intermittenda sint, vel penitus omittenda, ne in eis pusillus scandalizetur. Audi Apostolum. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Et iterum. *Si scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum.* Noli dicere, ego recte ambulabo, bona intentione hoc facio, quid mea de alio, si offenditur bono meo? eruat sibi oculos nequam, effodiat liuidos oculos aut claudat. *An oculus eius nequam est, quia ego bonus sum?* Quare ipse iudicet diem inter diem? quis illum inter me, & Deum constituit iudicem? Noli (inquam) dicere hoc, multum ad te attinet de fratre tuo, multum ad te spectat de illius salute, quam si læseris, perdes & tuam: sanguinem enim eius de manu tua requiret Deus. Hæc autẽ omnia quæ in tuum fauorem citasti, non in paruulos, sed in phariſæos dicta sunt, quorum scandalum formidandũ non est, quia non ex simplicitate, sed ex malitia procedit: nũc autem loquimur de scandalo pusillorum, nam ita Dominus ait, *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis:* non (inquit) vnum de phariſæis istis: sed de illis alibi ita dixit, *sinite illos, quia cæci sunt, & duces cæcorum.* Sed sicut actiuum scandalum timendum est, ita & passiuum: caue alium scandalizare, caue quoque ne & ipse scandalizeris ab alio. *Si oculus tuus,* inquit, *scandalizat te, erue eum, &c.* Non ad literam suffodiendum oculum, aut præcidendam manum intelligas, sed spiritualem oculum, aut manum, aut pedem, id est, amicum, qui tibi pro oculo est in consilio, aut pro manu in auxilio, aut pro pede in lucro: etiam si dexter sit, & ad bonum te inducit, si alias te in peccatũ trahit

Hierem. 2. *Rom. 14.* *1. Cor. 8.* *Matth. 20.* *Ezech. 3.* *Thren. 3.* *Matth. 15.* *Matth. 5.* *explicatio dicti.*

trahit, *proijce eum abs te*, declina ab eo, fuge illius societatem: melius est tibi sine amico saluari, quam propter amicos periclitari: melius est carere bono consilio, quam perire malo consortio. Noli dicere, spiritualis est fœmina, de oratione, & contemplatione colloquimur, si alioquin ab ea scandalizeris: fuge sancta colloquia, ne incidas in praua concupiscentiæ sentinam. Potest etiam de membris corporeis litera intelligi: non vt abscindantur corporali gladio, sed spirituali, nō eis vtēdo: claude oculum, & eruisti: quid enim tibi oberit oculus clausus, etiam si sit sanus? Cohibe manum à rapina, & scidisti: auerte pedem à via mala, & proiecisti: & ita in aliis dicendum est. Vltimo monet Dominus, non solum vt non scandalizemus paruulos, sed vt etiam non eos contemnamus. Duplicem autem huius assignat rationem: vnam, quia *venit* Matth. 18. *filius hominis saluare quod perierat*, id est quia pro eis filius Dei de cœlo descendere & mori dignatus est: alteram, quia apud Deum tanti sunt, vt illis singulos Angelos deputet ad custodiam: *Angeli* S. Hieron. *namque eorum* (ait) *semper vident faciem* S. Thom. *patris mei qui in cœlis est. Vere magna* 1. p. q. 113. *est dignitas animarum, vt vnaquæq; anima Angelum habeat ad sui custodiam deputatum*, qui eam tanta solicitudine & cura custodit, vt pretiosam margaritam & grādem thesaurum: nempe quia pro ea Dominus eius vitam cum sanguine dedit. Noli igitur pauperis exteriorem habitum, vel tabernaculum caduci corporis attendere, sed inspice inhabitantem spiritum nobilissimum, Dei imagine insignitū, Angelorum socium, & cœlestis Hierusalem cōciuem, & quod maius est filij Dei qui ad tempus in isto tabernaculo inhabitat ad 2. Pet. 1. militiam, egressurus inde suo tempore ad coronam. Si sic homines inspicias, existimo quod nullum deinceps contemnes, nullus tibi vilis apparebit. Hęc de Euangelio.

Sed iam ad Angelos conuertamur, & quanto nos amore prosequantur, & quo eis debito teneamur, aperiamus. Sunt quippe nobis natura amicissimi, ardentissimoque desiderio bonum nostrum desiderant: sicut è contrario pessimi dęmones omnimodo nostram cupiunt perditionem, vsque adeo vt videre sanguinem humanū effusum in bellis, eorum luxuria sit: & non nisi humano sanguine inuocati à Magis respondeant ad quæsita. Tanta est eis sanguinis humani sitis. Angeli autem è contrario has truculentas bestias à nobis abigunt atque pro nobis decertant aduersus eos, & veluti paruulos sua protectione tuētur. Regna autem & prouincias maiores Angeli gubernant, minores vero toto studio singulas animas ad nutum Dei custodiunt. De quibus Propheta commemorat dicens: *Super te* Isa. 62. *Hierusalem adhibui custodes, tota die ac nocte non tacebunt laudare nomen Domini.* O solertissimos vigiles, ô solertissimos ciuitatis Dei custodes, quid esset de nobis, si non vestro præsidio custodiremur. Illud autem inter alia valde mirandum est, quod cum infidelium animarum quarum custodes sunt, aut aperte, aut per coniecturam perditionem agnoscunt, nō tamen propter hoc desistūt ab earum custodia, sed eas protegunt & instruunt, quantū diuino nutu eis permittitur, *scientes quia potens est* Matth. 3. *Deus de lapidibus illis suscitare filios non solum Abrahæ, sed Dei.* Neque tamen postmodum de illorum perditione tristantur, aut operam suam perditam existimant, quoniam voluntati diuinæ per omnia conformes sunt, & sufficit illis iniunctum officium ad Dei nutum fideliter peregisse. Quo igitur zelo putandum est zelare veros Dei sui cultores, si filiis gehennæ qui solummodo in combustionem & cibum ignis Isa. 9. reseruantur, taliter patrocinari non dedignantur? Quis recensere poterit à principio sæculi, quanta & quam maxima bona sanctis hominibus per Angelos prouenerunt? Lege sacros libros: & miram eorum beneuolentiam erga nos, & beneficentiam reperies. De his tamen longum esset sigillatim exempla referre, sufficiat commemorasse celebrem

Angelorū amor erga nos maximus est.

brem illam egressionem ex Ægypto per Angelum factam, portenta innumera coram Pharaone, & in deserto patrata, siccatum mare, submersum Ægyptiorum exercitum, ductum populum nube opaca per diem, & in columna ignis per noctem, assistentiam in periculo, adiutorium in bello, & innumera alia quæ omnibus notissima sunt. Similiter apud Ezechiam, nocte vna per Angelum centum octoginta quinque millia Assyriorũ occisa sunt. Elisæum vero prophetam quãtus ignitorum curruum exercitus per circuitũ protegebat, quam securus erat vir Dei tali tantoque præsidio. Quid dicam de Abraham, Loth, Gedeone, Tobia, & Prophetis, quibus cum angelis assidua conuersatio fuit, quorum fauore & auxilio mira inter homines facta gesserunt. Sed vnde obsecro Angelis tanta cum hominibus amicitia? vnde pro eis tanta solicitudo? ex tribus nempe, vt opinor: libenter enim nostri curam agunt, propter Deum, propter seipsos, propter nos. Propter Deum, qui eis hoc custodiæ officium iniungit, *& eos mittit in ministerium propter eos qui hæreditatem capient salutis.* Non igitur dedignantur seruire illis, quibus Dominus eorum è cœlo ministrare descendit: & sufficit eis quod in hoc Domino suo placent: ad quod etiam valde eos inuitat benedicta illa hominis forma, quã in Domino suo nimis amant, & venerantur. Non despiciunt homines, maxime ex quo Dominus eorũ factus est homo. Norunt etiam, quia animæ iustorum sedes Dei sunt, & equi potentissimi, quibus Dominus eorum insidet, in quibus etiam terribilia, & fortia operatur aduersus phalanges dæmoniorum. Sicut igitur vernaculus equum domini sui omni solicitudine curat & mundat, quo nõ ignorat se multo præstantiorem esse, sed propter dominum suum libenter seruit iumento, cum sit ipse rationalis, ita Angelus licet natura nobilior sit homine, tamen propter Deum sessorem eius, illi seruire non dedignatur, sed omnia agit, quatenus Deo suo libeat insidere animæ, quam tam miro studio ornat & præparat: in qua cum assidere Deum viderit, ipse animo exultat. De hoc apud Zachariam ita legimus: *Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo, & post eum equi rufi, varij, & albi:* quorum etiam equorum infra quadruplicem quadrigam vidit. Hic vir Christus est: equus rufus eius benedicta humanitas, purpureo sanguine rubricata: myrteta profundi: animæ sunt fideliũ, inter quę & pro quibus passus est, vt videlicet sui sanguinis pretioso imbre irrigata, miro fidei & sanctitatis virore reniteant. Exercitus autem equorum circumstãs eum, animæ sanctorũ sunt, quorum nullus sessor inspicitur alius, Sed tãtum equos vidit, quia eorum sessor solus Dominus est, qui super equum rufum ascendere visus est. Horum autem triplex erat differentia, nam quidam eorum rufi erant propter martyrium, quidam candidi propter virginitatem, quidam varij propter gratiarum & virtutum varietatem. Huiusmodi igitur equos Angeli libenter curant, & ornant Domino suo, vt super eos cum illi placuerit in prælium ascendant.

Deinde etiam hoc custodiæ munus propter seipsos exequuntur, nẽpe quia sicut ciuitatis suæ ruinas non aliter quã per homines reparandas, neque aliter antiquam illam ciuium suorum plenitudinem ciuitatem eorum recuperaturam esse, quam hominibus ad angelicæ dignitatis gradum assumptis (sicut scriptum est,) *Iudicabit in nationibus implebit ruinas.* Lapides ergo viuos vt boni artifices ad structuram suę ciuitatis expoliunt, neq; tamen dixerim homines ad hoc fuisse creatos, vt per illos angelorum ruina reparetur: non enim propter Angelum, sed propter Deum creatus est homo sicut angelus: quamuis enim nunquam cecidisset angelus: nihilominus tamen homo conditus esset ad sui cõditoris gloriam, ad quam & nunc conditus est. Absit, absit, vt nostræ naturæ, quam Deus sic honorificauit,

Exod. per multa cap. *Exod.14.* *Exod.13.* *Exod.17.* *4.Règ.19.* *4.Reg.6.* *Gen.18.* *Gen.19.* *Iud.6.* *Tob.5.* *Propter 3. causas libẽter curã nostri suscipiunt.* 1. *Heb.1.* *Sap.7.* *Angeli nos ornant sicut serui equos.* *Zach.1.* *triplex differentia.* 2. *Psal.109.*

rificauit, vt eam angelis ſuperponeret, ita detrahamus, vt eam propter angelum factam aſſeramus. Angelus namq; ad Ioannem nõ dominum, ſed conſeruum eius ſe nominat; & fratrem habentium teſtimonium Ieſu, id eſt, fidelium. Sed tamen cadente angelo, dum homo ad cœleſtia ſubleuatur, in priſtinum decorem, & primam angelorum plenitudinem ſublimis illa ciuitas reparatur. 3. Tertio propter nos inſeruiunt nobis: miſerantur enim ſortem noſtram, videntes periculum noſtrum, & laborem vitæ noſtræ, quia conſpiciunt nos in magno diſcrimine poſitos, in medio ſcil. inter gloriam & gehennam: quibus aut perpetuo regnandum eſt, aut ardẽdum, & tanto diſcrimine obnoxios omni ſolicitudine curant in bonam partem deflectere. O variam & dubiam mortalium ſortem: quis eorum nõ miſereatur, & ſi valeat non ſuccurrat? Accedit ad hoc dæmonum inſidiantium innumera multitudo, quorum omne ſtudium eſt laqueos parare, ſuffodere foueam offendiculum ponere, vt illaqueentur & ruant, capiantur demum, & internecioni dedantur. *Narrauerunt enim vt abſconderent laqueos, & dixerũt, quis videbit eos?* Ita namq; abſconditos & ſecretos parant, vt humana induſtria eos neq; cognoſcere neq; euadere poſſet, ſi non angelorum lumine & miniſterio panderentur. Exhibent igitur ſe nobis veluti paruulis pędagogos in via periculoſa, præcedentes nos ac dirigentes: & dum deficimus baiulãtes & portantes in manibus ſicut ſcriptum eſt, ne forte offendant ad lapidẽ pedes noſtri. Propter quod in ſacris literis ſatis apte animarum arietes nuncupantur, quia videlicet animas iuſtorum ſanctis cogitationibus & affectibus intus fœcundant, & ad vberrima ſupernorum montium paſcua, ſicut ouium ſimplicẽ gregem, dirigunt & deducunt: ac propterea ita eas vt legitimas & proprias vxores diligunt & cuſtodiunt. Sicut enim vir zelat vxorem, ita angelus animam, cui datus eſt in cuſtodiam, ne videlicet cum peſſimo dæmone committat adulterium: non tam ſibi quam Domino ſuo, qui eius vere maritus & ſponſus eſt (nam Angelus paranymphi magni officio vtitur) ſponſum & ſponſam in vnum ſocians & maritans. Diſcurrit itaque medius inter Deum & animam, vota offerens, referens dona, vt inquit Bernardus, *illum ad amorem excitat, illum ab offenſa placat: illum ita hortatur, quid miſera turbaris? quid deijceris? dele-ctare in Domino, & dabit tibi petitionem cordis tui, expecta Dominum, viriliter age, expecta eum ne deficias: ſi moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Illum autem ita deprecatur, *conuertere Domino, vſquequo, & deprecabilis eſto ſuper ancillam tuam: dimitte eam, quia clamat poſt te. Sicut enim cernus deſiderat ad fontes aquarum, ita anima hæc deſiderat ad te Deus.* Per huncitaq; modum cœleſti ſponſo prouidus paranymphus animam ſociat, & adiungit, incredibilique gaudio exultat cum in ſecretiori totius cubiculo ſponſam dulcibus oſculis, & amplexibus fruentem conſpicit illius maxime opera atque induſtria. Quo igitur amore, quo honore, quo cultu, tales ac tantos patronos venerari, diligere, ac reuereri debemus, quorum fauore tanta nobis bona proueniunt? Pudeat nos ingratitudinis erga tam amicos, & tam venerabiles ſocos, qui cum iam beati ſint, tamen noſtræ peregrinationis comites ſe exhibent, & viatoribus adeſſe non dedignantur. O quot & quantis nos fauoribus proſequuntur, exhibent enim ſe nobis (vt diximus) patronos, magiſtros, pædagogos, paranymphos, baiulos, amicos, duces, ac ſodales, & omni nos officio quo poſſunt, iuuant, lætis applaudunt, pſallentibus cõcinunt, pœnitentib. aſſiſtũt, ſolantur mœſtos, releuant afflictos, ſubleuãt lapſos, reficiunt famelicos, erigunt puſillanimes, roborant præliantes, coronãt vincentes. Ad omnia igitur quæ nobis occurrunt amiciſſimos ſe nobis exhibent & familiares: denique *coniuncti ſunt principes pſallentibus in medio iuuenculatum tympaniſtriarum*, & grande

Apoc. 19. & 22.

Pſalm. 63.

Pſal. 90. Pſal. 64.

Pſal. 63. *Pſal. 26.* *Heb. 2.* *Pſalm. 99.* *Matth. 15.* *Pſalm. 41.* *Pſalm. 67.*

gaudium fit *in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente.* Et cum oramus, ipsi orationes nostras coram Deo præsentant: & tandem in exitu morientibus astant, vt egressas è corporibus animas ab infestationibus dæmonum liberent, & eas tandem superno iudici repræsentent: quas ouantes nimio gaudio inter Angelorum choros dignis sedibus collocant in æternum mansuras. O quanto gaudio afficitur Angelus cum pupillum suum iam omni periculo securum in tuto videt secum perpetuo regnaturum. O quomodo congratulatur ei, & sicut in vincente vicit, ita & in triumphante ipse triumphat. Similiter quo amore extimandum est animam illam beatum Angelum amplecti, cuius patrocinio à tantis periculis liberata tanto bono fruitur in perpetuum, & ad tantam gloriam se peruenisse non ignorat. Credidetim ego neque fallor, præ cæteris Angelo & animæ huiusmodi specialem quandam necessitudinem & amicitiam familiariorem perpetuo esse, neque fieri posse, vt tantam gratiam & exhibitum obsequium animæ sanctorum obliuiscantur in perpetuum. Neque enim locus est ingratitudini, vbi summa beneuolentia & charitas. Diligunt ergo se mutuo & congratulantur, fœliciq; gaudent contubernio in vnum agentes gratias Deo suo, cuius nutu & gratia habent quicquid habent, cuius munere ille industriæ ac custodiæ optatum adeptus est finem: & illa cursus sui & laboriosi certaminis brauium consecuta est, & immarcessibilem coronam, quam nobis idem concedat Deus trinus & vnus per omnia benedictus: cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Luc.15. Tob.12. Act.10. Ministerii Angelorũ ergà nos.

DE IOANNE BAPTISTA. Concio prima.

THEMA.

Erit magnus coram Domino. Lucæ 1.

APud sæculares viros quisquis præclarus, & illustris habetur ob res bene gestas. Magnus cognomento nuncupari consueuit, sic Alexander, Pompeius, Carolus, & alij apud homines magni dicti sunt, quasi magnorum operum patratores. Ioannes etiam Baptista ante natiuitatem suam à prænunciatore angelo Magnus cognominatus est. Inter alia enim natiuitatis eius prognostica, quæ velut sapiens astrologus, ex his quæ in illo supremo diuinitatis cœlo didicerat Zachariæ patris eius Gabriel archangelus prædixerat, hoc vnum fuit: *erit magnus*, neque qualitercunque magnus, sed magnus *coram Domino*. Non magnum est, quod aliquis coram mũdo magnus sit, sed coram infinito Domino magnus dici quis poterit? Ecce gentes quasi nõ sint, sic sunt coram eo; & quispiam hominum coram eo poterit magnus haberi? Aduertite obsecro quantus sit iste puer qui tali cognomento in suo ortu decoratus est. Quid de illo grandius dici potuit, quam erit magnus coram domino? cui nihil est magnum nisi quod ipse magnum voluerit reputare? Non n. natura, sed gratia magnus est, quisquis coram eo magnus est. De hoc igitur hodie magno Baptista & eius magnitudine tractaturi, inquiramus prius propter quid magnus dictus est, & quibus gestis merito sic fuerit nuncupandus. Sed vnde cõmodius illius magnitudo poterit deprehendi quam ex officio? Vniuersaliter namq; verum est, quod quanto aliqua creatura à primo omniũ conditore ad maiorem dignitatem aut officium præordinatur, tãto in naturalibus perfectior condita est; exemplari testimonio in vtroque tam corporum quam spirituum hierarchia, id poterit compro-

Isa.40.

comprobari. Cœlestia enim corpora quia inferiorum viribus principantur, quo regimine & gubernatione maiora, eo naturali decore, perpetuitate, claritate, perfectiora sunt. Ita quoq; in angelis quo quisq; alios dignitate, eo naturali pulchritudine antecellit: secundum enim suorum naturalium proportionem prælaturam & gratiam cõsequ[illegible] sunt. Consonat etiam hoc rationi quam maxime; minora enim & imperfectiora à maioribus & perfectioribus regi conuenit & non è conuerso. Quæ namque maior in rebus peruersitas, quam cum maiora subsunt & minora principantur? Sicut in nostra politia contingere plerunque solet, quæ (quia humano potius quam diuino instinctu disponitur) exorbitantias maximas assidue patitur. Videas in populis maximos quosque viros & nobiles ingenio, sapientia, & virtute præclaros, turpibus homunculis & ignobilibus subiici, regique per eos, quorum maxime oportuerat esse rectores. Econtra vero turpissimos idiotas super cathedras principari: & cum superbia dominari eis, quorum debuerant fuisse mancipia. Quid hac gubernatione peruersius? heu heu in domo Dei horrendum vidi, seruos in equis, & dominos pedibus ambulantes: stultissimos in cathedris, & optimos viros in obscuro priuatam vitam degentes. Debuerant enim è conuerso sapientes, & boni mundanis, & insipientibus dominari: sapiens enim natura dominus, & idiota naturalis est seruus. Dominari namque regere est, & ad sapientiam pertinet gubernare, sicut ad oculum dirigere. Sicut si quispiam videns cæcum habeat ducem, ita cum sapienti stolidus dominatur. Quid autem absurdius & stultius quam si videns intuitu claro cæcum in via habeat directorem? Quis non illuderet? quis non rideret? Et in ciuili regimine quotidie fit hoc, & nemo miratur: In his ergo quæ nostro arbitrio disponuntur huiusmodi peruersiones quandoq; contingent: in his autem quæ diuino moderamine solummodo gubernantur, quia ordinatissima sunt, semper (vt diximus) perfectiora & meliora imperfectioribus principantur. Vnde fit vt quo quisque altior est dignitate, eo etiam melior sit conditione. Oportebat ergo eum, qui cunctos mortales officio & dignitate præerat, virtutis etiam merito, gratia, & sanctitate omnes homines superare. Qualis enim sit Ioannis Baptistæ dignitas, quod officium, & ad quid natus & conditus sit, euangelistam audi. *Fuit homo missus à Deo.* Quãta gloria, de quo alio vnquam dictum est hoc quam de Christo? *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.* Ecce officium, in lucis testimonium natus est Ioannes. Sed quis luci perhibeat testimonium? Luce omnia monstrantur: quomodo ipsa lux poterit demonstrari? *Non* (inquit) *erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.* Si non erat ille lux lucem quomodo potuit demonstrare? Quod enim non est lux, lucem potius obscurat quã monstrat. Attendite quomodo: *lux* (inquit) *in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt:* ac propterea ad ipsam mundo inaccessibilem lucem per mediam quandam & temperatam claritatem tenebræ directæ sunt. More eorum qui de tenebroso & obscuro carcere traducti, lucem solis statim videre non possunt, nisi prius candelæ cuiusdam temperato lumini, eorum oculi assuescant: sic Ioannes, teste domino, *candela erat ardens, & lucens* quæ cæcutientibus oculis m[illegible]anorum solem iustitiæ reuelauit. *In mundo* quippe *erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.* Missus est ergo Ioannes veluti media quædam lux, quæ cæcutienti mundo suum ostenderet conditorem. Mira res: triginta annis inter homines Deus erat, & factus homo cum hominibus conuersabatur, edebat, bibebat, & ambulabat inter eos, & cum illis loquebatur; neque agnoscebatur. Tantum, inquam, mysterium, tam sublime beneficium, tam inæstimabile charitatis & misericordiæ pondus in mundo erat, & mundo latebat? Missus

S. Th. 1. p. q. 108.

Eccl. 10.

Rom. 13.

Dignitas S. Ioannis.

Ioan. 1.

Ibid.

Ioan. 5.

Ioan. 1.

Par. 3.

est Ioannes, vt super hoc homines cõmoneret, vt ad tanti sacramenti aduertentiam mortalium oculos excitaret, & tantam Dei dignationem in populis proclamaret: latentemque in homine maiestatem, quã ipse spiritu monstrante etiam in vtero cognouerat, cæteris hominibus indicaret. Apostolus ergo mundi vniuersalis Ioannes natus est, nõ promotus, Apostolus conditus, non electus: non in vnã prouinciam vt cæteri, sed in orbem maximum destinatus, qui inter ipsum mediatorem Christum & homines ipse quodammodo mediaret, & vniuerso mundo natum pauderet redemptorem: vt quem tot retro sæculis ab initio creationis venturum, tot prophetarum chorus præcinuerat, hũc ipse non tam vaticinio quam digito demonstraret, quam officiosum, quam necessarium mortalibus officium, quã expediens opus ecclesiæ. Quid enim profuisset venisse, si non contigisset agnosci? quid mundo sine fide redemptio contulisset? Paganis, Iudæis, & Turcis, mors Christi quid confert? Infidelibus & barbaris Christi sanguis effusus quid præstat? Filius ergo Dei missus est vt mundum redimat, & pretium Deo redemptionis exoluat; Ioannes missus est vt hæc ipsa redemptio mundo innotescat. Christus in redemptionem mittitur, Ioannes in fidem, id est, *vt omnes crederent per illum*, sicut Euangelista ait. Sine fide autem, vt diximus, neque ipsa redemptio profuisset. Proximus ergo redemptori Ioannes factus est, & ad officium redemptionis proximum destinatus. O magnum veritatis præconem! ò mirabilem inter homines dignitatem! ac propterea post sacrum domini natalis diem (vt Augustinus ait) solus Ioannis Baptistæ natiuitas in ecclesia catholica celebratur: non solum quia in vtero sanctificatus est, sed pro hac absq; dubio causa, quia per hunc dominus aduentum suum ne subito insperatum homines non agnoscerent, voluit esse testatum. Merito namque illius natiuitas in orbe colitur, qui tantum contulit orbi, merito, vt angelus prædixit, in eius natali totus mundus exultat, qui se de illo tam benemeritum recognoscit. Iuste natalitia illius vniuersalis honorat ecclesia, cui post Christum se plurimum debere non ignorat. Ecce qualis & quantus sit hic Baptista, qui velut altera lux in mundũ à Deo missus est, vt omnes sæculi huius viatores claritatis suæ radio illustraret, & velut alter mediator inter mediatorem ipsum & homines mediaret. Quis vnquam sanctorum talem in ecclesia Dei sortitus est locum? Quis ad tanti fastigii & dignitatis gradum aliquando peruenit? Sed neque solum Christi annunciator factus est, sed & præcursor: neque vt doceret solum homines, sed vt etiam disponeret præmissus est. Sic enim de illo angelus patri eius prædixerat, *ipse præibit in spiritu & virtute Heliæ parare domino plebem perfectam.* Sic, & ipse pater in eius natalitio prophetarat. *Et tu puer propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante dominum parare vias eius.* Non solum ergo veritatis demonstrator, sed & dispositor natus est, vt squalentem huius sæculi desertum & rudem campum, acuto verbi farculo ad Euangelicæ doctrinæ semen prius proscinderet & excoleret, carnalemque mundum & voluptatibus mancipatum, ad spiritualem & cœlestem vitam, & vitæ suæ exemplo, & prædicationis verbo ante dominum prædisponeret: ne videlicet futuram domini disciplinam quasi nouam & insuetam homines perhorrescerent. Vnde ante Euangelium, euangelicam vitam agens euangelicus homo viam præbuit Euangelio. Nouus enim homo in mundo apparens omnium oculos ad se traxit, & formam vitæ quam à domino audituri erant, hominum aspectui in seipso præsentauit: atque ita factum est, vt dum cœlibatum abstinentiam pœnitentiam, vitæ rigorem, sanctimoniam, humilitatem, deiectionem, & verum omnium honorum, delitiarum mundi contemptum in Ioanne homines prospiciunt, non eis noua fiat vita, quæ per Euangelium mundo postea indicitur:

Differentia in missione Christi & Ioannis.

Ioan. 1.

Luc. 1.

Luc. 1.

Ibid.

&

& dum baptismo Ioannis assuescunt, verus Christi baptismus inter homines locum habeat. Director ergo factus est luminis quod monstrabat, & dispositor veritatis, cui testimonium perhibeat, hoc Ioannis opus, hoc officium, hæc dignitas, hoc munus: ad hoc conditus, & propter hoc in hunc mundum à Deo missus est. Sicut & de Pharaone olim dictum fuerat: quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & *vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra.* Ad tantum vero testimonium qualis in teste ipso exigebatur authoritas res noua erat super omnem facultatem ardua & sæculis inaudita. Mysterium absconditum à sæculo *quod nemo principum huius mundi cognouit.* Deus homo, verbum caro, hæc mundo rationibus persuaderi non poterant, neque authoritatibus conuinci, neque experimento monstrari. Sola personæ dicentis authoritate suadenda erant, & à viro sancto velut oracula suscipienda: alius namq; in re tam mirabili aut testificandi locus, aut persuadendi modus non apparebit. Maiestate sola & authoritate dicentis incredulitas superanda. Propter hoc: ò mirum sapientiæ ordinem: ab initio conceptionis suæ miraculis & prodigiis multis puer à Deo clarificatus est, & nouo inusitatoque oriendi ordine commendatus. Bone Deus quanta in eius ortu miracula facta sunt: angelus nunciat, pater obmutescit, sterilis concipit, imprægnatur anus, virgo salutat, puer exultat, mater prophetat, nomen de cœlo mittitur, à matre per spiritum agnoscitur à patre conscribitur, vinculum linguæ soluitur, ex muto, propheta pater efficitur, & grandia de filio præconia dicit. Quid hoc puero mirabilius? quid hoc natalitio prodigiosius? Ad cuius ortum omnis iam vicinorum orbis stupet & terrore concutitur. Euangelistam super hoc audiamus. *Et mirati sunt* (inquit) *vniuersi, & factus est timor super omnes vicinos eorum, & supra omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc: & posuerunt omnes qui audierunt in corde suo dicentes. Quis putas puer iste erit?* Quid si ipsam eius in vtero exultationem & sanctificationem agnoscerent: quanto amplius stupuissent quanto fortius trepidassent: neque ab hoc discordat initio pueri vita sequens, patris namque domo relicta septennis vastam ingreditur solitudinem, vbi die noctuque contemplationi & orationibus vacans, vilibus locustis cum melle syluestri pastus, asperrimoque de pilis camelorum cilicio vestitus, terreno solo indormiens, antro inhabitans, leonum & pardorum socius supra ætatem & supra vires rigori & asperitati deditus, angelicam in carne vitam degebat: ita vt nescias angelicus homo an humanus angelus quid horum potius vocandus veniat: illo namq; tempore quo solent alii crepundiis oblectari, puerilibus vacare ludis, & neniis infantilibus deliniri, pulcherrimus hic eremitiuncula barbatos viros & senes canos vitæ ordine, morum compositione, pœnitentiæ austeritate & omniũ actuum disciplina eo beatius quo diuinius superabat, suam inde inchoans vitam, vbi perfectus quisque desinere solet. O puerũ mirabilem, ò prodigiosum septennium: ò eremitam ipsis etiam angelicis cuneis stupendum! Quis enim dubitat angelicos spiritus ad huiusmodi spectaculum è cœlo sæpius descendisse, ipsisque cœlicolis sæpius vitam eius stupori fuisse? Sanctitatis prodigium, & totius perfectionis monstrum & admirandum sæculis virtutum omnium spectaculum Ioannes à Deo factus est. Neque enim tantæ perfectionis capax erat humana fragilitas, ea maxime ætate, nisi Deus cunctis sæculis sanctitatis miraculum in Ioanne pro libito facere decreuisset. Neque tamen abs re vt statim ostendemus. O si contingeret ad Iordanis ripas, vel alibi squalenti deserto huic obuiare septenni puero, & cum eo habere sermonem. O quis videret, ò quis ei dicere posset: dic mihi puer sancte, quænam est hæc regula vitæ? quid hic agis solus? quis te huc hominum

Rom. 9. Exod. 9.

Septennis solitudinem petit. Matth. 3.

1. Cor. 2.

Quæ sint miracula facta in ortu S. Ioan. Luc. 1. & infra.

num traxit? quis victus hic, quis modus viuendi? quæ ratio vitæ? quo pasceris cibo? quo dormis in lecto? quo habitas domicilio? vbi pater, vbi mater, vbi domus, vbi lectus, vbi cibus, vbi necessaria vitæ? Rigido cur tenera operis cilicio membra? pelliceo tenerrimus cur indumento vestiris? Dic (inquam) puer lepide, quod feciſti crimen? quod facinus commiſiſti, vt tanto rigore te punias, tantæ te addixeris disciplinæ? Sed non crimen in cauſa erat, non eſt hæc pœnitentia culpæ. Quid enim committere poterat ſeptennis puer ſanctificatus antequam natus tali pœnitentia dignum? Maius hic latet ſecretum, altiori plena myſterio res eſt, non facinoris expiandi gratia, hæc omnia ſuſtinet Ioannes. Zelus officii, & Saluatoris amor illa portare compellunt, operis onus iniuncti illius erat cauſa rigoris, non crimen expiat, ſed fidem aſtruit; & quia natum ſe in teſtimonium nouerat, ſanctimonia vitæ robur adhibet teſtimonio, hoc eſt quod quærit vt ab omnibus credatur ei, & quia verbi incarnati myſterium argumento probare nequibat ſingularis vitæ roborat teſtimonio. Neque enim fefellit opinio, tantam enim ex hoc vitæ merito apud omnes Hebræos authoritatem, & gloriam conſequutus eſt, vt ab initio ſæculi, nullus vnquam hominum viſus ſit habuiſſe maiorem. Ex omni namque Iudæa & Samaria, & regione circa Iordanem (Euangeliſta teſte) ad eum videndum populi conuolabant, omnis ſtatus, omnis cõditio & ſexus, nobiles, & ignobiles, diuites & pauperes, pueri & ſenes, plebei & ſacerdotes, viri & fœminæ, virgines & vxoratæ, omnes mira ad eum auiditate veluti ad quoddam numinis oraculum quotidie confluebant: præſentem noſſe, audire loquentem, baptizari ab eo, & facere quæ iuſſiſſet, omnes docebat, omnes commonebat, decentia ſingulis conſilia dabat, & viſus quam agnitus grandior apparebat: ſuccumbebat rumor operi & fama veritati cedebat: denique tanta erat poteſtas in viro, vt Phariſæos ipſos omnium hominum ſuperbiſſimos ſua authoritate cogeret ad baptiſmum, & qui ſe omnibus ſanctiores putabant ad Ioannis pedes fateri ſe peccatores, & velut peccatores ablui in præſentia populi non dedignarentur. Vnde hanc eorum tam nouam & inſuetam humilitatem ipſam & Baptiſta miratus, cogitur exclamare: *ô genimina viperarum, quis docuit vos fugere à uentura ira?* Quos non igitur ad ſe traheret, qui etiam viperas traxit? Ipſe quoque Herodes, qui crudelitate & nequitia omnes etiam nequiſſimos ſuperabat, *eum libenter audiebat: & eo audito multa faciebat*, cedebat omnis nequitia Ioanni, & tanti hominis authoritati nulla poterat obuiare duritia. Talem etiam de illo Herodes conceperat opinionem, vt poſtquam eum in carcere decollauerat, ſurrexiſſe à mortuis crederet: & quæ non fecerat dũ viueret, poſt mortem miracula faceret. Prætereo nunc ſolennem illam totius populi legationem, qua ab illo requiritur, tu quis es? Es ne Chriſtus? *Helias es tu? Propheta es tu?* Acceptaturi ſcilicet quicquid ſolo verbo dixiſſet, neq; aliud ab eo de ſe teſtimonium exigentes quam merum dictum. Tanta erat authoritas viri, vt ſibi liceret de ſe dicere quicquid vellet. Fœlicemque ſe tanto Meſſia ſynagoga putaſſet, miſera quæ de alio aſſerenti non credidit, crederet de ſeipſo: cum ſecundum illorum ſententia teſtimonium de alio quã de ſeipſo firmius ſit. O miram populi legationem, apud eos natus & nutritus fuerat patre ſacerdote notiſſimo generatus, & quærunt ab eo *tu quis es?* Tantus namque omnibus videbatur, vt vix crederetur eſſe qui erat: ſed vel Chriſtus, vel Helias, vel quiſpiam alius ex prophetis ignotus: vel forſitan cœleſtis Angelus tegmine carnis velatus. Vnde tanta Ioanni authoritas in populo? ex moribus vtique: nihil enim ita in oculis omnium commendat hominem vt immaculata vita, ſiue ſapientia, ſiue eloquentia, ſiue prophetia, ſiue ingeniũ, ſiue miracula, aut quæuis alia gratuita vel naturalia dona: non ita in cœlum efferunt

Cur Ioannes tam auſteram duxit vitam.

Matth. 3.

Singulis dat conſilia.

Matth. 3.

Mar. 6. Luc. 9. Matth. 14. Ioan. 1. Ioan. 1.

Ioan. 8.

esserunt hominem, vt probata virtus & ingenua opera. Ioannes quidē, vt euang listainquit, *nullum fecit signū*, sed neq; signis quidem indiguit, qui enim ex operibus ita in populo clarus erat, non indigebat signo exterius commendari, quinimo quicquid in eo erat, si rectè inspicis signum est. Quid enim in illo vacat à miraculo? conceptio, sanctificatio, ortus, puericia, sermo, victus, habitus, & omnis vita eius. Reliqua institutio miracula erant non modica, si notentur. Quid ergo à Ioanne signum requiris? totus ipse signum est, sed neque illius testimonio miracula profuissent, sed obfuissent, maxime. Qui enim vel sic absq; signis & miraculis gētem illam sui æmulatricem ab opinione qua ipsum vt Christum habebant arcere vix poterat? Qui prodigiorum illustraretur insignibus? inuitum vtique prouissent in Christum, & qui verus Christi testis aduenerat, falso Christus haberetur in populo. Atque ita eius miraculis populus ille non doceretur, sed deluderetur. Miro itaque sapientiæ Dei artificio factum est, vt Ioannes sine signo Christum signis innumeris coruscantem populo testificaretur: vt & signorum claritate Ioannis de Christo testimonium fulciretur, & falsa de Ioannæ populi opinio tolleretur: ne inde scilicet Christi fides detrimentum pateretur vnde debuit in sui exordio coalescere. De magnitudine ergo & dignitate Ioannis & magnitudinis eius causa, & ratione hactenus diximus: nunc eius de Christo testimonium referamus. Quærentibus enim quis esset, nihil aliud de seipso respondit, quam *vox sum in deserto clamantis, parate viam Domini*. Voce verbum proditur: quia ergo verbum Dei gentibus prodere venerat, vocem se esse rationabiliter asserebat; quantus hic est qui illius est vox, cuius verbum Christus est? Ad ripam ergo Iordanis positus vitæ omnibus consilia dabat; properantibus vero ad se populis & summa eum attentione & veneratione audientibus, & supra modum eius vitam doctrinamq; admirantibus, inter documenta salutis natum nunciat redemptorem. Quid (inquit) ô gentes ad me in desertum tam audaces properatis? quid hunc miramini homuncionem? *Medius vestrum stat quem vos nescitis, ipse in Spiritu sancto & igne baptizabit vos; qui post me venit, & ante me factus est, cuius non sum dignus corrigiam calceamenti soluere, cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum: paleas autem comburet igne inextinguibili.* O si sciretis eum, ô si agnosceretis quantus est hic qui latet inter vos. Hæc & similia Ioanne coram omnibus proclamante populus stupebat mussitantes adinuicem: quis inter eos lateret, cui tantus vir tale testimonium perhiberet. De Domino enim Iesu tunc nulla erat in populo suspitio magnitudinis, sed vir simplex habebatur & rectus, & hoc à paucis de facie cognoscentibus eum. Sic ergo huiusmodi præconio suspensos eorum animos detinebat Baptista egregius, donec mysterium proderetur. Sed nunc te quæso Baptista, si tantus in populo vires, cur tu habitas in deserto? Cur eius consortia fugis? Cur non te illius ministerio tradis? O miram Dei dispensationem, quanta vi Ioannes in solitudine detinetur. Quam valida catena ligatur, ne Christi Domini colloquio & consortio frueretur: spiritus eum in solitudine detinebat, ne videlicet non tam veritatis zelo quam amore personæ testimonium præstare videretur. Sumus enim natura cuncti propensiores in eos quos diligimus laudatores, & amor nimius sæpe non sinit cernere rectum. Ne hoc igitur quispiam de Ioanne præsumeret, à Christi consortio spiritus mandato separatur. Grauior hæc erat obedientia cilicio, grauior inedia, grauior omni asperitate, quam fustinet in deserto: grauissima pœnitentia etiam pro Christo carere Christo. Hanc tamen à Spiritu sancto consolationem acceperat, quod ad se in desertum opportuno tempore traheret Christum, perspicuoque monstraret signo,

Ioannes.

Ioannes ipse signum est.

Isa. 40. Luc. 3.

Ioan. 1. & Mar. 3.

Matth. 3.

vt ſuper quem videret ſpiritum deſcendentem & in eo manentem, illum eſſe agnum Dei Chriſtum agnoſceret. Nam Ioannes de facie non agnoſcebat eum: quia licet in vtero matris ad illius præſentiam exultauerit, poſtmodum autem iam eum de facie neſciebat? quem ab infantia non viderat. Itaque vt inter alios eum dignoſceret, ſpiritus egebat indicio: hac ſpe longo tempore in ſolitudine detinetur, velut alter Simeon expectans quando Chriſtum ſpiritus proderet illi. Aderat ergo dies illa cum diuino placuit numini orbi manifeſtare ſeipſum, & grandi multitudinis theatro concionante Ioanne. Ecce procul per deſerta *venit cunctis gentibus deſideratus, præ filiis hominum ſpecioſus*, qualis ſponſus cum videndus obuiam procedit ſponſæ, inſpectum procul ſpiritu monſtrante Ioannes agnoſcit, exclamat hilaris, ſubitoque gaudio perfuſus *indice protenſo* voce ſonora. *Ecce* (inquit) *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ecce vitam noſtram, ecce quem quærimus Redemptorem. Hic eſt de quo ſæpius dicebam vobis, quia *poſt me venit & ante me factus eſt.* Hæc clamans Domini veſtigia tenet, humilisque proſtratur ad pedes, & lachrymis prægaudio fuſis ſumma cum veneratione ſalutat. Quid tunc dixerit, quid etiam fecerit, quia ſcriptura non loquitur: ego dicere non præſumo. Quo tamen putatis ſoluitur gaudio? quo intus amore liqueſcit ad Chriſti præſentiam tam longo videndi eum deſiderio preſſus? Stupet caterua ſimul ſupra modumque miratur attonita ad ignoti pauperis pedes, tantum iacere prophetam, quis (inquiunt) hic eſt? Tanto quis dignus honore? Eiusque ſoliciti nomen ſciſcitantur & genus innata etiam vultus Chriſti grauitas & grata venuſtas, fidem oraculo faciebat. Sed humilitatis magiſter tanto ſubleuatus honore ſupplicis ſui non dedignatur baptiſmate ablui: non quod baptiſmate indigeat, ſed vt ipſe magis abluat aquas ſacretque eas, & vim generandi tribuat ipſis.

Ioannes Chriſtum de facie non agnouit. *Luc.1.*

Agge.2. *Pſal.44.* *Matth.25.*

Ioan.1.

Tunc voce parenti pater intonuit, columbina quoque ſpiritus effigie inſtet illi: quo ſigno diſcernere Chriſtum idem ſpiritus promiſerat ante. Sed ſignum ſuum præueniens ſpiritus interiori mentis radio Ioanni præmonſtrauit: quem poſtmodum ſenſibili ſigno oſtenſurus erat. Hoc teſtimonium Chriſto ad Iordanis ripas Ioannes exhibuit: quod quanti momenti fuerit ad fundandam fidem, res ipſa demonſtrat: ſiquidem huiuſmodi teſtimonio populus ille præuentus, dum ſequentibus ſignis de Chriſto firmatur opinio, relicto Ioanne caterratim glomerantur ad Chriſtum. Miraculum enim oraculo & oraculum miraculo fidem fecerat: tantaque populi concurrentis ad Chriſtum frequentia fuit, vt ſæpius neque cibum ſumere ſineretur. Diſcipulis autem Ioannis zelantibus pro magiſtro, quia eo relicto populus ad alterum feſtinaret, quaſi proprio ſeipſe teſtimonio defuiſſet. Quid (inquit) pro me zelatis amici? Quid meam ſic gloriam æmulamini? O quam aliter à me ſentitis, quantum à meo ſenſu diſtatis. *Qui de terra eſt de terra loquitur, qui de cœlo venit ſuper omnes eſt: illum oportet creſcere, me autem minui. Qui enim ſponſam habet ſponſus eſt, amicus de ſponſi voce gaudet:* amicus ſum non ſponſus, paranymphus ego ſum: & quid niſi connubia quæro? Nunc gaudium meum impletum eſt, nunc præ lætitia totus exulto, quia ſponſa nouit ſponſum, quia iungitur illi: hoc ſemper volui, hoc ſemper egi, hoc ſemper optaui, hæc mea gloria, hæc corona mea, hæc mea magna lætitia ſola: nunc me fœliciter ortum æſtimo, nunc non in caſſum me viuere puto: quia deſtinatum opus perfeci, quia iniunctum mihi munus impleui, quod optabam video, quod quærebam conſequutus ſum, lætus nunc à vita diſcedo, liceat nunc domine liceat deſerere vitam, vt præcurſor tuus fiam limbo, ſicut extitit mundo. Sed neque ſolum in illo populo, ſed toto terrarum orbe Ioannis teſtimonium fidem firmat: nam vbique

Matt. *Ioan.1.* *Ibidem.* *Phil.1.*

per

per Euangelium diuulgatum est. Quis enim Euangelistarum hoc prætermisit? Quis non statim in Euangelicæ narrationis exordio de Ioannis testimonio meminit inter alia enim de Christo testimonia? Hoc non modicum est: non quod Christus ab homine, aut per homines indiguit commendari: *ego* (inquit) *ab homine claritatem non accipio, sed potius præsto*: habeo testimonium maius Ioanne, lux clarificati non indiget, imo potius omnia in luce clarescunt. Sed propter tenebras (vt diximus) hic in lucis testimonium missus est. Maius autem ipse à luce testimonium accepit quem dedit. Quæ namque maior Ioannis gloria, quam quod à Christo Domino laudatus est? Non carptim & in transcursu, sed à proposito & sermone protento. *Quid* (inquit) *existis videre in desertum arundinem vinto agitatam? hominem mollibus vestitum*: Nonne prophetam? imo dico vobis *plusquam prophetam*, hic est enim de quo scriptum est, *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam*. Angelus à Christo ex prophetæ vaticinio nuncupatus est. Quid amplius ad eius gloriam addi potuit? Sed adiecit adhuc cum asseuerationis nota contestans. *Amen dico vobis non surrexit maior inter natos mulierum Ioanne Baptista*. O magnum virum qui tantum & à tanto præconium promeruit laudatore, cui Deo teste, nullus in orbe ab initio præferendus. *Non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat*. Meo iudicio hæc maxima Ioannis magnitudo censenda, quod à Deo sic laudari promeruit. Plus multo Ioannes accepit quam dedit testimonii pondere victus succumbit in lucis testimonium venit, sed magis ipse à luce clarificatus est. Simile quoque Petro Apostolo quandoque contigit, qui dum dixisset Domino, *Tu es Christus*: statim audiuit, *& ego dico tibi quia tu es Petrus*. Testi suo vicem reddidit. Dominus non parem, sed incomparabiliter maiorem: non quod maius sit esse Petrum, quam esse Christum, sed quia longe præstantius est à Christo quam à Petro commendari. Sed post tantum præconium de Ioanne quid sequitur attendite, *Qui minor est* (inquit) *in regno cœlorum maior est illo*. Quanta est illa gloria fratres quo tendimus: vbi omnium minimus, Ioanne omnium maximo sapientia, puritate, virtute, perfectione, maior est: status ad statum, decoris ad decorem, puritatis ad puritatem nulla est comparatio in vita præsenti. Quisquis maximus habetur ad illam fœlicitatem comparatus, velut infantulus reputatur. Quis Paulo maior? Sed quid ait de seipso? *Cum essem* (inquit) *paruulus loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus*: vbi Paulus paruulus est, quis dicere audebit vir sum ego? Quæ hic per fidem scrutamur: claro intuitu videbimus ibi. Quæ hic addiscimus cum labore, ibi reuelata facie contemplabimur. Non enim erunt volubiles cogitationes nostræ ex alio in aliud redeuntes, sed vnico intuitu omnia videbimus. *Festinemus ergo fratres ingredi illam requiem*, vbi vere magnus est quisquis etiam in ea minimus est. Non mihi cura est Deus meus quamtus futurus sim apud te in regno tuo, sed hoc magis curo & exopto, vt de regno tuo sim. Quia si ad domum tuam pertineo qualiscunque fuero magnus ero, *In manibus tuis sortes meæ*: ficut volueris ita fac. *Vnam tantum petii à te, & hanc requiram, vt inhabitem in domo tua omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluntatem tuam*, & fruar suauissima præsentia claritatis & gloriæ tuæ: in qua cum Patre, & Spiritu sancto viuis & regnas Deus benedictus in sæcula. Amen.

Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Ioan. 1. & Ioan. 5.

Luc. 7.

Ennius Ioannus.

Matth. 11.

Malac. 3. Matth. 11. Marc. 1. & Luc. 7.

2. Cor. 10.

Matth. 16.

1. Cor. 3.

2. Cor. 3.

Heb. 4.

Iob. 30. Psal. 26.

DEO GRATIAS.

DE IOANNE BAPTISTA.

Concio II.

THEMA.

Ille erat lucerna ardens & lucens. Ioan. 5.

NON est mihi consilium hodierna die laudare Ioannem, ille per se satis laudatus est, & ex nostra laude nihil illi accrescit gloriæ; post illum talem ac tantum Baptistæ prædicatorem quis audeat de Ioanne facere sermonem? Si Tullius vel Demosthenes in laudem Cæsaris panegyricum fecisset, post illos quis de eodem sermonem facere præsumeret? Ioannes laudatus non à Tullio, sed à Domino redemptore; non breuiter & in transcursu, *Matth.6.* vt Petrus & Nathanael, vt Centurio, & Cananæa, sed ex proposito ad hoc facto sermone *quid existis videre in de-* *Ioan.1.* *sertum? Ecce plusquam prophetam!* Angelum, & super omnes homines præ- *Matth.8.* fert? Quid amplius potest dici de Ioanne? etiam si totum cœlum & tota terra *Matth.15.* simul voluissent laudare Ioannem, non esset ei tanta gloria. Quanto maius est *2.Cor.10.* laudari à Deo, quam ab Angelo, *non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Sufficit Ioanni ad omnem gloriam, quod talem habuit laudatorem; non itaque intendo laudare Ioannem, sed ponere eum vobis ad imitationem; hoc enim vtilius est, quam laudare sanctos, monstrate eorum vitam & virtutes, vt eos imitemur; vel si non, saltem humiliemur & confundamur. Vnde Dominus *Ezech.43.* ad Ezechielem; *Fili hominis ostende domui Israel templum, vt confundantur ab omnibus iniquitatibus suis, metiantur fabricam & erubescant ex omnibus quæ gesserunt.* Non hoc de templo materiali dictum est; nam quæ consequentia, aut consonantia est, vt videntes templum confundantur & metientes erubescant? non de templo illo Salomonis *2.Cor.6.* materiali, sed de templo spirituali loquitur. De quo Apostolus. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Præcipit itaque Dominus Ezechieli, & prædicatoribus proponere, & ostendere populo Dei templa illa magnifica sanctorum, vt videant eorum vitam & conuersationem, ardorem & fidem, metiantur fabricæ longitudinem, altitudinem, latitudinem cordis eorum: mensuras illas gratiarum, donorum virtutum, bonorum operum & meritorum eorum, & confundantur & erubescant à talibus parentibus degenerasse, quod tam longe sunt ab illis. O quanta confusio nostra est præcedentium sanctorum considerare sanctitatem, quales pontifices illi, quales sacerdotes, quales religiosi, quales Christiani, & quales nos quasi formicæ, & quasi locustæ sumus illi comparati. Vnde sicut legitur, quando populus apprope inquaret terræ promissionis, misit Moyses duode- *Num.13.* cim exploratores qui explorarent terram illam: qui reuertentes terruerunt populum dicentes, *Vidimus monstra quædam, filiorum Enach, de genere giganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamur.* Populus peregrinus in deserto, hic est populus Christianus exul à patria tendens per desertum sæculi ad terram promissionis exploratores, prædicatores, qui per contemplationem debent ascendere in supernam illam gloriam, & inde magna nuncia deferre populo. Hoc eorum officium, *Phil.3.* hæc vita Apostolus ait. *Nostra conuersatio in cœlis est*, quis ergo ascenderit & merita sanctorum qui ibi morantur vobis narrauerit: quid aliud potest dicere, nisi vidimus monstra quædam bonitatis & sanctitatis gigantes potentissimos opere & sermone? quibus comparati nos qui aliquid esse videmur in populo quasi locustæ videbamur. Compara doctores, prædicatores nostri temporis ad Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, quid sunt nisi locustæ? Compara religiosos ad sanctum Benedictum, Franciscum, Bernardum, Dominicum, quid sunt nisi locustæ? Compara Christianum *Luc.14.* populum ad illum populum, locustæ vide-

videbuntur. Vnde audita eorum magnitudine, merito populus turbatur, & confunditur. Quod si hoc fecit consideratio vitæ sanctorum etiam minimorum qui sunt in cœlo, quanto magis vita Ioannis Baptistæ, qui inter eos fuit quasi Lucifer inter stellas, qui ex Domini testimonio, omnes sanctos vita, & meritis & sanctitate præcelluit? Ostendam ergo vobis hodie templum illud magnificum sacratissimum Spiritus sancti quod fabricauit sibi in vtero cœpit habitare in eo, & nunquam per totam vitam recessit ab eo, nunquam peccato aliquo expulsus est ab eo: hunc ostendam, vos fratres metimini fabricam, & erubescite, & confundimini. Veniant superbi qui tam anxie quærunt honores sæculi & fauores, qui inani hac gloria & vento delectantur: metiantur fabricam, videant templum, videant hominem solitarium in eremo inter bruta, inter feras, inter tigres, & scorpiones commorantem, separatum ab omni hominis consortio: videant & confundantur fauorem hominum perquirere. O quam longe erat à perquirendo fauore & gloria hominum, qui neque eorum consortio dignabatur, veniant auari qui tam solicite & cum tanto labore vanas sæculi diuitias quærunt, videant templum, metiantur fabricam, videant hominem sine domo, sine lecto, sine foco, sine vinea, sine hæreditate, sine supellectili, sine seruitio, nudum ab omnibus quæ mundus iste habet; & confundantur ridiculas has diuitias sic anxie desiderantes: veniant quoque gulosi, qui tot dapibus saginãt sua corpora escas vermium futura, videant templum, metiantur fabricam, videant hominem non comedentem, nec bibentem. Sic ait de illo Christus: *nam locusta non est cibus humanus*, vt ait Bernard. quænam comestio locustarum? & erubescant tam amplas habere mensas, tot ferculis refertis corpori cui locustæ sufficiunt. Veniant delicioſi, qui splendidis vestibus vtuntur, qui mollibus vestiuntur, qui totum fere patrimonium in vestibus & ornatu suo & vxorum expendunt: videant templum, metiantur fabricam, videant hominem vestitum pallio cilicino asperrimo, ex pilis camelorum confecto, cuius gestatio tormentum maximum erat, hominem inquam tenerrimum, nobilissimum filium pontificis continue gestantem super se cruciatum, nam quocunque se vertebat vestis illa corpus exasperabat: videant & confundantur sic molliter tractare corpora sua. Denique veniant carnales, qui voluptates carnis & sæculi delitias quærunt, videant templum, metiantur fabricam, videant hominẽ in antro morantem, terra nuda cubantem, frigoribus, niuibus, pluuiis, & tempestatibus, & solis calor ibus expositum: omni solatio conuersationis, omni oblectamento vitæ nudatum, die ac nocte in Dei laudibus labotantem. Videant & confundantur fœditas terrenæ voluptatis perquirere, & delitias porcorum tam perdite amare. Fili hominis ostende domui Israel templum, metiãtur fabricam & confundantur ex omnibus quæ gesserunt. O hominem natum in gloriam & in humiliationem & confusionem omnium hominum. Quæ bonitas, quæ sanctitas, quæ virtus, quæ puritas, quæ iustitia vitæ Ioannis comparata non perdit fulgorem & amittit nitorem? omnis sanctitas prophanitas, omnis puritas immundicia, omnis pœnitentia indulgentia, omnis religio dissolutio videbitur, si Ioannis perfectioni comparetur. Et sicut diei claritas sydera, sic Ioannis vita aliorum sanctorum merita obscurat. Vita eius non erat humana, sed angelica: erat quidem homo sicut & nos, sed mihi videbatur hominis nisi effigiem & colorem habere: totum quod agitabat, quod volebat, quod desiderabat, quod agebat, totum erat angelicum. Vnde merito à Domino saluatore, iuxta prophetiam de ipso factam, non homo, sed Angelus nuncupatus est: *Ecce ego mitto Angelum*, nam Angelus vita, Angelus conuersatio-

Luc. 1.

Proponitur omnibus S. Ioannes imitandus.

Matth. 11.

Luxus taxatur.

Malach. 3.

Eius vita nõ hominis sed angeli potius fuit.

uersatione, Angelus oratione, Angelus contemplatione, Angelus puritate: monstrum quoddam, prodigium sanctitatis sic factus ex deliberatione Dei & consulto ad hominum humiliationem, ad ostendendam Dei potentiam: vt monstraret quid posset puro homini conferre. Ad ostendendam hominis capacitatem: quid homo capiat, si ei à Domino conferatur cui videtur collatum & infusum quiquid capax est genus humanum, citra Dominum & matrem eius, qui cum deitate consortium habuerunt: nam ille Deus est, illa genuit Deum. Sed hæc omnis eius sanctitas necessaria ei fuit ad implendum locum suum, officium suum, & dignitatem suam; Dignitas enim eius talem sanctitatem exigebat, neque enim minus erat officium quam persona, quod officium attendite. *Fuit homo missus à Deo.* Quanta excellentia: de quo alio dicitur homine nisi de filio Dei? *hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine:* grande miraculum vt monstraret lucem mundo, & nonne lux per se nota est, & omnia in luce clarescunt? Quis potest lucem manifestare? erat ne ille maior lux? *Non* (inquit enim) *non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.* Si non erat ille lux, quomodo lucem prodebat mundo? *Erat* (inquit) *lux vero, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* & ipsummet Ioannem, hanc lucem missus est Ioannes manifestare, quomodo hoc? *Lux* (inquit) *in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt,* non erant capaces tantiluminis. Incensa est candela ardens & lucens cui assuefierent, vt possent inspicere veram lucem. Sic enim homines diutissime occlusi in carcere obscuri solent ad lucem solis cæcutire, donec assuefiant ad lucem candelæ: quomodo enim homines illius sæculi tenebrosi, obscuri, idololatræ, pleni vitiis & erroribus possent ad veritatis angelicæ lucem aspicere, nisi prius assuefierent ad doctrinam Ioannis tolerabiliorem? Tota quippe Ioannis doctrina, prædicatio & baptismus præparatio quædam fuit, & præludium ad legem euangelicam, nec solum præparare hominem venit, sed & dare testimonium de lumine, & aperire mundo magnum illud & ineffabile incarnationis sacramentum, & digito demonstrare Messiam, *vt omnes* (inquit) *crederent per illum*, missus est Apostolus vniuersalis & doctor mundi: non ad dandam salutem: sed ad dandam scientiam, id est, notitiam salutis plebis eius, & parare Domino plebem perfectam. Christus venit ad operandam salutem, Ioannes ad dandam scientiam salutis, vt omnes credant per illum. O magnum officium & mundo valde necessarium. Quid enim profuisset ipsa redemptio, si non crederetur? quid prodest Iudæis, Paganis, Gentilibus passio Christi? Christus (inquam) missus est redimere, Ioannes dare notitiam & ostendere fidem redemptionis, & Redemptoris: post Christum Ioannes mundo vtilissimus & necessarius. *Vnde propter hoc* (vt inquit Augustinus) *solius Ioannis natalis dies celebratur post Christi natalem: at nullius alterius Sancti, non solum quia inter sanctos solus natus est sanctus, & sine peccato, sed quia eius natiuitas plus mundo conducit quam omnium sanctorum natalitia.* Venit ergo dare testimonium de lumine: sed quid facies, ô Ioannes? quomodo pandes mundo admirabile illud sacramentum abscondium à sæculo verbi incarnati? si rationibus, supra omnem rationem est: si exemplis, nullum est, neque erit simile super terram: si scripturis, non adeo apertæ sunt, vt per eas possit constare. Quid ergo facies? supra captum hominum admirabile est sacramentum Deus homo. Quomodo implebis officium tuum? videns ergo quia non erat vnde faceret fidem hominibus, fugit ad eremum, elegit vitam aspertimam, vitam altissimam, vt vitæ excellentia fidem faceret testimonio vt quod persuadere hominibus non poterat ratione, persuaderet authoritate:

Ioan. 1.

Ioannis & eius præludium fuerit ad legem euangelicã.

Luc. 2. Ibidem.

Ioan. 5.

Simile.

Sacramentum incredibile.

tate: cui dedit Deus inter hominem tantam authoritatem, quantam nullus hominum vnquam habuit in mundo ex sola vitæ sanctimonia. Denique populus iste Iudæorum illum pro Messia voluit habere, facta super hoc ad eum solenni legatione & gloriatus fuisset de tanto Messia, si ille acquieuisset. Vnde Dominus post verba thematis ait, & *Ioan. 5.* *vos ad horam voluistis exultare in lumine illius?* sed quid ille ait? ô stulti, & insipientes, me vultis pro Messia? O quantum distat inter me & vestrum Messiam: magnus vobis videor, *medius vestrum stetit, quem vos nescitis, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamenti.* Ioannis ergo testimonium mundo nunciatum in sola vitæ illius sanctitate innitebatur, non in ratione, non in scriptura, non in aliquo miraculo. *Ioannes enim nullum signum fecit*: Petrus asserebat Christum si non credebatur, suscitabat mortuum: Paulus similiter prædicabat *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*: Ioannes nullum signum fecit, quia non in signo sed in virtutis eius magnitudine testimonium eius cõsistebat: credendum ei erat, quia ipse dicebat, eius autoritas sufficiebat. Qualis ergo vita requiritur ad rei, tã admirandæ & incredibilis faciendam fidem? quod Deus homo est, quæ omnem hominum superat intellectum, grandis autoritas requiritur quia quod dicitur admirabile est & super omnem fidem, sicut ait Dominus per Prophetam. *Ecce ego facio opus quod nullus credet, cum narrabitur*, & ad grandem authoritatem habendam grandis vitæ sanctimonia habenda est. Videris forte quod officium eius vita non erat inferius, sed bene impleuit: vnde propter hoc Ioannes nullum signum fecit, quia non indiguit, vita sufficiebat. Totus ipse miraculum, non opus erat Ioanni aliquo pignore, aliqua ratione, aliqua probatione, sufficit ad omnem fidem quod Ioannes dixit Sed vnde obsecro tanta sublimitas in Ioanne? vnde? quia erat lucerna ardens, & lucens, ex ardore charitatis, ex lumine cognitionis, hæc duo ad tantam sanctitatis excellentiam illum sublenauerunt. Habebat mentem illuminatissimam & fulgidissimam, habebat oculos claros, & videbat aperte futuram æternitatem vitæ futuræ. Diuitias & sublimitatem videbat vitæ præsentis, breuitatem & vanitatem, *& quod sub sole non est nisi vanitas vanitatum, & omne illius*? sed quid ille ait? ô stulti, & *omnia vanitas*. Nihil videbat sub sole dignum amari, aut desiderari, considerabat quia hospes & peregrinus erat in mundo cito transiturus: & ideo quasi non videns, neque aspiciens transibat per mundum: omnia sæculi blandimenta vt stercora reputabat, neq; dignabatur ea videre. O si videremus, ô si hæc aspiceremus, quomodo contemneremus omnia. Neque solum habebat lucem cognitionis, sed etiam habebat ardorem charitatis, totus flagrabat amore diuino, totus ardebat vt Seraphim. Considerate fratres quãtus erat ardor in pectore huius sancti, qui neq; eum vel ad momentum alicui rei intendere sinebat, neq; loqui, neq; legere, neq; comedere: nullum ei officium, nulla occupatio in deserto, vespere, mane, nocte, meridie, indesinenter laudabat Dominum, gratias agebat, contemplabatur, ardebat: & dum magis contemplatur, magis ardebat: totus fixus oculis in cœlum, totus absorptus in Deum semper intendit, nunquam fastidit, non lassatur, non quiescit, & cum semper hoc facit, semper incipit, semper sitit, semper esurit. O ardorem seraphicum, ô vitam cœlestem, qualis est illa beatorum, non vno, aut duobus annis, sed 25. annis in hac continua contemplatione & ardore mentis perseuerauit, donec necessitas charitatis & implendi officium ad quod venerat, eum de eremo eduxit ad Iordanum, & mundo manifestauit. Videbat enim se tam Deo obligatum, quod totum illud tempus, & quicquid agebat, & modicum videbatur, & quasi ex nihilo reputabat. O si vnam scintillam huius ignis haberemus. Vnde nobis fratres tanta

Ecclesi. 12. *Hebr. 11.* *Phil. 3.* *Sæpe laus Dei in ore ipsius.*

Matth. vlt. *Hebr. 1.* *Ioan. 10.* *Totus Ioannes miraculum est.*

tanta miseria, tanta tepiditas? vtique ex cæcitate & frigiditate. Non est iam ardor charitatis in mundo, ille ignis qui super Apostolos è cœlo descendit iam extinctus est, in cordibus hominũ totus refrixit, congelata sunt corda, nõ reperies, neque in sacerdotibus, neque in religiosis tantillum ardoris spiritus: ignis ille versus est in aquam crassam concupiscentiæ & cupiditatis, sicut in libro Machabæorum legitur; Apostoli transmigrantes in cœlum, ignem in ecclesia reliquerunt, & reuertẽtes aquam crassam inuenient. Non est qui accendit hunc ignem, & si in aliquo est scintilla spiritus, non est qui eam sufflet, vt excrescat. In lege veteri præceptum est sacerdotibus, vt ignem sanctum foueãt in altari perpetuum lignis de sylua, in figura hoc dictum est officium nostrũ est fouere documentis, exemplis, ignẽ istum in cordibus fidelium excitare calorem. Grandis sylua relinquitur nobis à Christo, sylua creaturarum, sylua scripturarum, sylua exemplorum sanctorum, sylua beneficiorum inexhauribilis, ex quibus scinderemus ligna ad istum focum. Hic est enim ille ignis, de quo Dominus ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat?* hoc volo, hoc iubeo, hoc commendo vobis sacerdotibus, vt semper ardeat hic ignis in altari meo, corde scilicet fidelium. Sed ô quanta desidia, quanta negligentia, quomodo obsecro accendet ignem in altero, qui in seipso friget? quomodo exibunt de pecto e frigido verba flammantia? quomodo inflammabit qui non ardet? *Ioannes erat candela ardens & lucens*, lucebat aliis, quia ardebat. Bernard. *Non ait lucens & ardens, sed ardens & lucens, non ardor ex luce, sed lux ab ardore.* Qui vult proximo lucere, prius ardeat in seipso necesse est: sunt tamen qui lucere cupiunt potius quam ardere, sed nõ facient, non est vera lux quę non nascitur ex ardore. Triplicia enim sunt genera hominum. Quidam lucent & non ardent, quidam ardent, sed non lucent, quidam lucent & ardent: primi sunt hypocritæ qui solam exteriorem gloriam quærunt, lucere volunt corã Deo: similes sepulchris dealbatis, quæ exterius apparent, & intus plena sunt ossibus mortuorum. Hi aperte demonstrant quod filij sunt Luciferi, qui ideo Lucifer dictus est, quia lucere elegit potius quam ardere. Alij ardent & non lucent, hi sunt iusti, deuoti, simplices, quorum non est memoria in mundo, neque notitia: vt sunt quædam pauperculæ mulieres, & alij in angulis Ecclesiæ, sancta quippe simplicitas, sibi soli prodest. Alij sunt qui ardent, & lucent, vt sancti, perfecti, exemplares, vel doctores, qui suo exemplo & doctrina Ecclesiam totam illustrarunt: vt Franciscus, Benedictus, Augustinus, Hieronymus: de quibus Dominus: *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur*, siue exemplo doceat, siue verbo. Vnde Ezechiel in visione sanctorum animalium dicebat: *& similitudo illorum & aspectus eorum, sicut ignis carbonum ardentium, & sicut aspectus lampadarum*: quia istos sanctos viros si intus aspicias, carbones ignei sunt, si foris lampades clare totam ecclesiam illuminantes. Ioannes erat lucerna ardens & lucens in vtroque super omnes sanctos. Bernard. *de illo, ardebat, amore & de ilo lucebat, verbo & exemplo.* Hæc si placet latius exponamus Quomodo Ioannes amore Dei arserit diximus: dicamus quomodo arserit charitate proximi. Audistis fratres Ioannis pœnitentiam, rigorem, austeritatem, quare obsecro tanta austeritas in Ioanne? quæ pecca a fecerat, sanctificatus in vtero, in eremo viuens, vt talem ageret pœnitentiam? Profecto nec propter peccata mundi hanc agebat pœnitentiam, nam ait: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: nouerat quippe peccata mundi morte Domini, non sua pœnitentia expianda. Quæ causa ergo tantę pœnitentiæ? vtique sola mundi charitas, solus amor proximorum: nouerat enim illud magnum sacramentum quod erat absconditum inter homines Deus homo, nouerat

Act. 3.

2. Mach. 1.

Leuit. 6.

Luc. 12.

Ioan. 5.

Triplex genus hominum in hoc mundo inuenitur.

Ioan. 5.

Matth. 5.

Ezech. 1.

Ioan. 5.

Ioannes quomodo arserit in caritate.

Ioan. 1.

Ioan. 17.

uerat quod omnis salus & vita mundi consistebat in illo cognoscendo, nouerat se ad hoc natum & missum, vt ipsum manifestaret mundo: nouerat quam difficile erat hoc credere, & quod illud rationibus non poterat persuadere, & ideo elegit viram illam asperrimam, vt sic persuaderet sua aũthoritate, & crederent ei, & mundus notitiam salutis acciperet. Hic amor mundi, hic faciebat illum omnia tolerare libenter pro hominum salute: neque solum hoc (sed quod erat omnium difficillimum) cum sciret Christum inter homines habitare, priuauit se consortio Christi & familiaritate, & mansit in deserto, quod fuit illi magnum martyrium acerbius omni illo rigore pœnitentiæ. O quomodo sitiebat videre Christum, alloqui, gaudere, & frui eius præsentia & colloquio, quem Deum sciebat esse in carne: & tamen pro hominum vtilitate abstinebat, optans cum Apostolo anathema esse à Christo pro fratribus suis. abstinebat autẽ propter hoc, ne eius testimonium quassaretur, ne putarent homines quod amicitia & familiaritate Christi de ipso reddebat testimonium, non veritate. O quantus amor. Secundo ardebat zelo, erat enim alter Helias: sicut Dominus de ipso dixit. *Et Angelus veniet in virtute & spiritu Heliæ*; Et ita quod dictum est de Helia, potest de illo dici. Surrexit Ioannes quasi ignis, & sermo eius sicut facula ardebat: verba enim eius sicut scintillæ quædam & fulmina & fulgura, omnem duritiam cordium mollientia. Quæ namque corda duriora, quam Phariſæorum & sacerdotum, & illius regis sacrilegi Herodis? & tamen hæc penetrabat ardore suæ doctrinæ. Et tanta erat eius sanctitas & excellentia, quod etiam istos conuincebat, & trahebat ad se. Vnde de Herode ait Euangelista, *quod ipsum libenter audiebat, & audito illo multa faciebat.* Sed iam audiamus verba eius, quomodo eos tractabat: vidit venientes ad se Phariſæos, & ait, *Genimina viperarum, quis dedit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*, & ne ceperitis dicere, *patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quod potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Iam enim securis ad radicem arboris posita est, omne lignum non faciens fructum, scindetur, & ignem mittetur, cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & triticum congregabit in horreum suum, paleas autem comburet igne inextinguibili.* De quo mẽtis feruore procedere putas scintillas istas, imo carbones desolatorios? Sed & regem illum atrocem quomodo alloquitur, *non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Bone Deus, quanta authoritate, quasi iudex de tribunali seruum alloquitur, non curabat sceptrum, neque coronam, neque purpuram, neque multitudinem seruientium: quasi seruum alloquitur, quasi seruum agnouerat vitiorum & peccatorum: non blanditur, non palpatur, non per ambages admonet, Domine, potentissime rex prouide conscientiæ tuæ, sed publicum vitium publice redarguit, *non licet tibi habere vxorem fratris tui.* O feruentissimum iustitiæ zelatorem, ô prædicatorem veritatis insignem, ô si hodie tales haberemus prædicatores, qui sic vitia redarguerent, sic zelarent humanam salutẽ. Heu, heu, facti sumus *sicut canes non valentes latrare*: timeo ne sanguis animarum vestrarum de manibus nostris in die iudicii requiratur, speculatores positi sumus in domo Domini, in castris Dei nostri, & videmus gladium venientem, imo inimicos iam intra castra omnia vastantes, & non solum non excitamus dormientes, vt euigilent, sed & sub cubitis ponimus puluillos, iuxta prophetiam Ezechielis, vt securius & profundius dormitetis: & vos sic dormientes in infernũ præcipitemini pro peccatis vestris, nos quia non admonuimus, etiam post in tartara detrudamur. Omitto nunc mille alia vitia publica: certe quis toleret bestialem illam & diabolicam consuetudinem Hispaniæ nostræ de tauris exagitandis? Quid bestialius quam stimulare bruta, vt homines laniet? O dirum spectaculum, ô ludum crudelissimum. Vides fratrem Christianum subito à be-

Psal. 19.

Matt. 6.

Io. Baptistæ perfectio.

Rom. 9.

Zelus eius.

Luc. 1 & Mat. 11.

Eccles. 48.

Isa. 56.

Mar. 6.

Ezec. 33.

Ezec. 2.

Matth. 3.

Detestatio taurorum spectaculorum in Hispania.

ſtia laniari, & non ſolum vita corporis, ſed & vita animæ priuari (nam communiter in peccato moriuntur) & delectaris, & voluptatem capis? Quanto ſtudio laborauerunt ſancti doctores antiqui, Chryſoſt Auguſt Ambroſ. Hieroym, vt hæc ſpectacula atrocia, & obſcæna, & gentilica ab Eccleſia remouerent? factū eſt hoc, exploſa ſunt è tota Eccleſia, ſola Hiſpania ritum hunc gentilicum obſeruauit in diſpendium animarum, & non eſt qui redarguat & prohibeat. Ego autem etſi ſcio quod non proderit faciam quod debeo, vt animam meam liberem: non tacebo in animæ meæ & veſtrarum periculum. Itaq; denuncio vobis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod omnes qui hoc agitis, vel conſentitis, vel non prohibetis cum poſſitis, non ſolum, mortaliter peccatis, ſed eſtis homicidæ, & rationem reddetis coram Deo in die iudicii de hoc, & à vobis exigetur ſanguis omnium, qui ab illa beſtia, ſiue in arena, ſiue in itinere trucidantur: nec ſolum vos, ſed & ſpectatores non ſunt omnino tuti à mortali, quamuis eos nō audeam condemnare: tamen mihi facit de hoc magnam perſuaſionem decretū illud Auguſtin. in cap. vident homines. 86. diſtinct. vbi ſic ait. *Vident homines venatores & delectantur: ve miſeris ſi nō ſe correxerint: videbunt enim Saluatorem & triſtabuntur.* Hæc verba non videntur veniale peccatum, ſed mortale redarguere, vt liquet. O ſancte Baptiſta, hi profanis ludis tuam ſepurant celebrare feſtiuitatem, & non celebrant, ſed profanant. Nam quale eſt ſanctum virum in eremo commorantem, cilicio camelorum veſtitum, non comedentem; nec bibentem, talibus ludis, & choreis, & cibis, & potibus honorare? Scriptum eſt, *quod multi in Natiuitate eius gaudebunt*, ſed iſti gaudent, non de Natiuitate, ſed de vanitate. Quanto melius celebrat qui retruſus in Eccleſia, vitam illius ruminat, & gratias Deo agit pro tanto beneficio, quia miſſus eſt à Deo qui nobis Dominicæ incarnationis ſacramentum notum faceret & aperiret. Nam bone Deus quid eſſet ſi veniens in mundum tranſiſſet, & rediiſſet incognitus? quid profuiſſet naſci ſi nō contigiſſet agnoſci.

Exod. 3.

Cap. vident dist. 86.

Matth. 3.

Luc. 7.

DE IOANNE BAPTISTA.

Concio Tertia.

THEMA.

Secundum nomen tuum ſic & laus tua in fines terræ. Pſal. 47.

VVlgare & conſuetum eſt apud ſcriptores, tam ſæculares, quam Eccleſiaſticos, cum aliquem laudant, à nominis interpretatione, & etymologia inchoare præconium. Et in hoc argumento inter cæteros maxime Hieronymus commendatur; ſed vnde hæc conſuetudo ortum habeat, neſcio. Nam commendare quempiam de propriis actibus & virtutibus vera eſt: laudare à parentibus & progenitoribus, & genere nonnulla laus eſt, laudare à patria, & natione licet remotior, tamen laus eſt: laudare autem à nomine, adeo impertinens videtur, vt omnino non ſit laus, autridicula videatur. Non enim video quod habeat fundamētum, cum nomina cuique pro libito imponantur. Exigua ergo laus, tenuis locus, & debile argumentum ſumptum à nomine, cum malos, & bonos eodem nomine nuncupari frequentiſſime videamus. Videtur autem hæc communis hominum opinio innuere aliquid myſterii latere in nomine, & non niſi quadam Diuina prouidentia nomina hominibus imponi, & in ipſo hominis vocabulo futuræ vitæ prognoſticum quoddam & præſagium, contineri, Deo ſecrete & occulte ſic ordinante, vt ſit hominis veluti quædam tacita prophetia ipſa vocatio: quod etiam frequenter videmus accidere. Vnde in Geneſi cum Eſau de fratris ſui fraude conquereretur, *recte*, inquit, *vocatum eſt nomen eius Iacob, en ſupplantauit me altera vice.* Et nunc quoque ſæpiſſime contingit, eos, qui relicta pietate Chriſtiana filios ſuos nominibus gentiliū nuncupāt, tales inuenire filios, quales fuerunt illi quos æmulātur, id eſt impios & prophanos

Gen. 27.

nos. Neque putandum est antiquos illos patres in imponendis filiorum nominibus sic solicitari, nisi ad hominem aliquid ipsa nuncupatio pertineret. Sed quicquid de nominibus, quæ passim paruulis imponuntur (nam videtur quodammodo ad superstitionem & augurium declinare, vitam auspicari ex nomine) certe appellationes quæ non humano beneplacito, sed diuino nutu & reuelatione hominibus imponuntur, magnam cum re ipsa habere symphatiam & conuenientiam non est ambigendum. Sunt enim huiusmodi nomina propriissima & maxime consona hominibus, quibus imponuntur: vsque adeo, vt hominem liceat coniectari ex nomine. Si enim Adam ante peccatum cunctis rebus sensibilibus nomen imposuit, & nomen quod ille imposuit hoc est proprium & verum nomen illorum, sicut ait scriptura, in tantum vt non modica scientia sit rerum nomina nosse, sicut editis libris doctores de etymologia demonstrarunt: quanto magis Diuina sapientia, quæ omnium rerum principia & fines nouit, & omnium hominum exitus, & successus non ignorat: sicut propheta ait: *Semitam meam & funiculum meum inuestigasti, & omnes vias meas prauidisti*, proprio & natiuo vocabulo quem voluerit nuncupauit. Sic in Abraham Patriarcha, & in vxore Sara, & nepote eius Israel, & in Petro Apostolo: & generaliter in omnibus, quibus Deus nomina, vel addidit, vel mutauit, cuiusse cognoscimus. Quod si rē perscrutari diligentius libet à principio creaturæ vsq; nunc, nulli hominum tam solēniter, & tam celebriter nomen impositū est, sicut Ioanni Baptistæ: hoc enim nomen, non à patre, non à matre accepit, sed à Deo impositum est ab Angelo promulgatū, de Cœlo allatum, à patre auditū, à matre prophetatū est. Vnde Angelus ad Zachariam, *Vxor tua pariet filiū, & vocabis nomen eius Ioannem*. Ac si dicat: non tibi licet iure patris pro libito nominare filium nasciturum: sed à quo accepisti filium ab illo nomen eius accipito. Nato ergo filio itur ad matrem, & multi quidem censebant eum nomine paterno nuncupandum, quibus mater *nequaquam* (inquit) *sed vocabitur Ioannes*. Vnde nosti mulier sancta, quis tibi dixit? quis tibi reuelauit? Nam Angelum non vidisti, à coniuge muto non audisti, sed à spiritu sancto didicit quod non did cerat à matito. Et quia nouum hoc & insolitum videbatur, itur ad patrem: *qui postulans pugillarem scripsit dicens, Ioannes est nomen eius*: non ait, vocetur Ioannes, sed *Ioannes est nomen eius*, id est hoc eius proprium, & peculiare vocabulum est; non ei nos nomen imponimus; quia iam à Deo accepit, habet vocabulum suum quod agnouimus, non quod elegimus. Bone Deus, quanta maiestas, quanta authoritas in nominādo patuulo. Qui ergo tam celebriter, tot miraculis, & ceremoniis à Deo Ioannes est nominatus, quis de cætero dubitet illum Ioannem, & maximum Ioannem, & si fas est dicere Ioannissimum esse, quem Ioannem Dei sapientia nuncupauit. Vnde ei verba thematis adaptamus, *secundum nomen tuum sic, & laus tua in fines terræ*, eo quod nemini dubitandum sit omnem eius vitam, ingenium, fortunam, virtutes, mores, vnico hoc vocabulo sibi à Deo impositō comprehendi. *Ioannes autem* (sicut Diuus Hieronymus ait) *Domini gratia, vel in quo est gratia interpretatur*. Nibil ergo aliud est esse Ioannem, nisi esse Deo gratum, vel acceptum, vel gratiosum, id est multiplici gratia decoratūm. Illustris profecto titulus & celebre cognomen, nulla quippe maior dignitas creaturæ, quam suo placere Creatori: Hoc ergo nobis restat differendum, vt ex eius vita & moribus probemus, hunc infantē vere fuisse Ioannem, id est Deo gratissimum, & multiplici gratia insignitum, quod ex sequentibus apparebit. Omnium donorum & gratiarum, quæ homini præstantur, aut præstari possunt, electio illa siue prædestinatio ab æterno, qua fit Deo gratus & acceptus, & ad vitam æternam destinatur, sicut prima ita & maxima est. Est quidem prima, quia ab æterno: est pura, quia nō ex meritis, est maxima, quia

Superstitionū est auspicari vitam ex nomine.

Ibidem.

Gen. 2. Adam vera nomina rebus indidit ante peccatum.

Psal. 47.

Psal. 138.

Gen. 17. Gen 31. Ioan. 1. Mar. 3.

Nulli hominū celebrius inditum nomen Ioanni.

Omnium donorum maximum prædestinatio.

immutabilis & certa, & omnium aliarũ cauſa. Varia nanque ſunt genera gratiarum; quædam vocantur gratis datæ: de quibus Apoſtolus ad Corinthios, *diuiſiones gratiarum ſunt idem autem ſpiritus. Alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ ſecundũ eundẽ ſpiritum, alii fides eodem ſpiritu, alii gratia ſanitatum in uno ſpiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum*, &c. Et hæc licet dona & maxima Dei ſunt, tamen infimum locum inter gratias tenent, pro eo quod ad Eccleſiæ vtilitatem, amicis & inimicis, iuſtis & peccatoribus, pro Dei beneplacito ſunt diſtributæ. Multi enim in iudicio dicent, *Nonne in nomine tuo prophetauimus? & damonia eiecimus? & miracula fecimus? Quibus dicet. Amen dico vobis neſcio vos.* His omnibus multo pretioſior, & melior gratia gratum faciens, quæ nos Deo amicos facit, & vita æterna dignos. Sed hæc facile amittitur, & expellitur à corde ſuperuenientis iniquitate: ſed gratia electionis, optima omnium & maxima, pro eo quod inuariabilis, & immutabilis perſeuerat, neceſſe eſt enim Dei decretum adimpleri; ſicut ipſe per Prophetam ait: *Viuo ego dicit Dominus, quia conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet*: hæc quoque prima origo, & fons eſt omnium aliarũ: ſicut ait Apoſtolus ad Rom. *quos prædeſtinauit, hos vocauit, & quos vocauit, hos iuſtificauit: quos autẽ iuſtificauit, illos glorificauit & magnificauit.* Catena hæc indiſſolubilis eſt, & quam totus infernus non poſſit infringere, ex electione vocatio, iuſtificatio, magnificatio, & glorificatio, & quicquid bonum, ſiue in præſenti, ſiue in futura vita electis confertur, ex prima illa origine gratuita emanauit. Non enim propterea Deus elegit nos, quia merita noſtra futura prænidit, ſed è conuerſo ideo ad cumulum meritorum peruenimus, quia ab ipſo electi ſumus: vt non ex nobis, ſed ex ipſo ſit noſtræ ſalutis origo. *Qui ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ*, pure gratis (quia ſic voluit, & ſic fuit placitum coram eo) ſine operum, aut meritorum reſpectu elegit *nos ante mundi conſtitutionem: vt eſſemus ſancti & immaculati* coram eo. Non *in laudem noſtram*, ſed *in laudem & gloriam gratiæ* & donationis *ſuæ*, vt eius gratia & donationis gratuita in terra & in Cœlo glorificetur, laudetur, & exaltetur. Vt qui gloriatur non in ſe, aut in merito ſuo tantum, *ſed in domino glorietur. Vt eſſemus* inquit, *ſancti: non quia futuri eramus ſancti elegit nos:* ſicut ait Auguſt. vt non ſanctitas præuiſta electionis, ſed è contra electio ſanctitatis cauſa ſit: vt non in merito noſtræ naturæ: ſed in gratia Dei ſit totius noſtræ gloriæ fundamentum. Hæc autem gratia electionis licet omnibus electis communis ſit, non tamen omnibus eſt æqualis. Quia non omnes ad parem dignitatis, & gloriæ gradum eliguntur, ſed ſecundum Dei beneplacitum. Varium in domo eius ſtatum & officium ſortiuntur, vltra & citra quem à Deo præfixum & præfinitum terminum, progredi aut egredi nemo poteſt: ſicut ait: *Beatus vir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum in loco quem poſuit*, id eſt vſque ad locum à Deo ſibi præfixum & deſtinatum: quem ſicut neque tranſgreditur, ita neque ab eo deficit. Quos Deus ad ſublimiorem, & celſiorem gloriæ ſtatum præordinauit, amplioribus etiam donis, & gratiis adiuuat, vt poſſint peruenire quo tendunt. Nam ſecundum ſtatutum finem cætera media diſponũtur: non enim deficit Deus in neceſſariis, neque abundat in ſuperfluis. Ad quantum vero celſitudinis, & dignitatis faſtigium, Ioannes à Deo fuerit deſtinatus, & quantum in Eccleſia officii & præeminentię gradum obtinuerit, aquila illa ſublimis quæ de ſacro Dominici pectoris fonte Euangelii fluenta potauit, ſatis in exordio Euangelii ſui demõſtrat, quæ poſtquam volatu celeri ineffabilis deitatis faſtigia præuolauit, ad humana deſcendens in Ioanne Baptiſta, veluti in ſublimiore culmine primo pedem ſtatuit, dicens. *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes, hic venit in teſti-*

1. *Cor.* 12.

Ibidem.

S. Tho. 1. *par. q.* 23.

Matth. 7.

Bellar. 2. *lib. de gratia.*

Gratia gratis data à peccato mortali expellitur.

Pſal. 23.

Iſa. 46.

Rom. 8.

Ad maximũ celſitudinis gradum Ioannes deſtinatus fuit.

S. Tho. 1. *pa. q.* 23.

Eze. 17. *Ioan.* 15. & 21.

Eph. 1.

Ioan. 1.

testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. O inæstimabilem dignitatem. Purus homo est, & missus à Deo dicitur. Et non (vt alii iam prouectæ ætatis) sed ad hoc creatus, ad hoc natus, vt testimonium perhiberet de lumine, id est vt magnum illud, & absconditum Diuinæ Incarnationis mysterium hominibus demonstraret. Non in Græcia, vel Iudæa, vel Italia, vel Hispania, sed toto mundo, totius orbis magister & Apostolus vniuersalis, à Deo non solum factus, sed & natus est in mundo, vt sicut lucerna splẽdens illuminaret mundum, & sicut Lucifer fulgidus ortu suo aduentantis solis gloriam nunciaret. Sic de illo Dominus in Euangelio *Ille*, inquit, *erat lucerna ardens, & lucens*. Non enim poterant tenebrosæ mentes irradiantis solis fulgorem sustinere: nisi prius fuscatam oculorum aciem lux media tẽperaret. Cogita nunc si potes huius hominis dignitatem. Filius Dei mittitur ad salutem, Ioannes ad fidem, filius Dei vt operetur salutem in medio terræ, Ioannes vt illa salus à rota terra credatur: filius Dei ad mundi vitam, Ioannes ad mundi sapientiam: filius Dei vt viuificet, Ioannes vt illuminet, *vt omnes*, inquit, *crederent per illum*. Fides vtique omnibus necessaria est ad salutem, *sine qua impossibile est placere Deo*. Vide quid mundo importet Ioannis Natiuitas: attende quantũ conferat sæculo ministerium eius, qui ad fidem mundi natus est, sine qua non est salus. Vnde merito ex omnibus sanctis, sola eius Natiuitas recolitur. Pro eo absque dubio quia alii fiunt, sed non nascuntur sancti. Ioannes sanctus natus est, & quia præ cæteris omnibus ad totius mundi communem vtilitatem natus est. Vnde merito ab omnib⁹ illa Natiuitas celebratur quæ ad omnium generale commodum ordinatur, qui ergo ad tantum dignitatis culmen præ cæteris electus est, quomodo debuit à Deo decorari, & honestari, vt officio persona conueniret? Vsque ad trigesimum ætatis suæ annum vixit ab hominibus sequestratus, soli Deo notus, brutis & Angelis associatus, vitam cœlestem in terris degens, in carne, vt extra carnem viuens homo angelicus, vel Angelus humanatus. Quo tempore quales habuerit à Deo consolationes, quæ solatia, quæ gaudia, quos feruores, quas ecstases, quos excessus: quia remotus ab hominibus vixit, penitus ignoramus. Trigesimo anno ætatis suæ factus vir pro suo solicitus officio, spiritu duce, ad ripas Iordanis baptizans, & regnum Cœlorũ annuncians publicauit se mundo: venerunt eum homines & obstupuerunt. Curritur vndique ab hominibus Iudææ populis & Ciuitatibus ad ripas Iordanis videre mundi spectaculum, & audire. Erat enim homo grauis, seuerus, constans, mansuetus, pius, prudens, quietus, ingeniosus, sapientissimus, eloquentissimus, reuerendissimus, aspectu pulcher, conuersatione gratus, moribus suauis, acer ingenio, potens eloquio; tantæ grauitatis, & authoritatis, vt vel solo aspectu cunctos mortales ad sui obseruantiam, & reuerentiam, non modo inuitaret, sed etiam cogeret sola eius visio. Acris erat iniquorum omnium reprehensor. *Lingua eius gladius acutus*, sermo eius ignis accensus, verba eius sagittæ acutæ, & carbones vastatores: vt de illo dici possit quod de Helia, in cuius spiritu venit olim. Dictum est quia surrexit Ioannes *vt ignis, & sermo eius quasi lampas ardebat*. erat enim (vt salua or ait) *lucerna ardens & lucens*, vnde potentiam & efficaciam sermonis illius, satis liquido ostendunt, paucula quædam verba eius quæ referentibus Euangelistis accepimus à Deo viua & flammantia, vt quamuis dura & emortua corda valeant suscitare: *pœnitentiam* (inquit) *agite, appropinquauit enim regnum Cœlorum. Iam securis ad radicem arbor posita est: omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur, cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam & congregabit triticum in horreum suum paleas autem comburet igne inextinguibili.* Denique tanta erat vis, & potentia sermonis illius, quod Herodes, qui erat omnium hominum iniquissimus,

Trigesimo anno publicè egit.

Descriptio Ioann.s.

Psal. 56.

Eccles. 48. Ioan. 5.

Matth. 3.

Marc. 6.

Ioan. 1. *Psal. 37.* *Heb. 11.* *Matth. 11.*

Marc.6. & truculentissimus, eum libenter audiebat, *& eo audito, multa faciebat*: vt etiam Pharisæi illi hypocritæ, inuidi, superbi, elati, qui se cunctis hominibus sanctiores & meliores putabant, acrimonia sermonis eius conuicti, & eloquii fortitudine superati, succumberent: & & confessi se peccatores ab eo baptismum pœnitentiæ flagitarẽt. Super quo & ipse Ioannes quasi admirans rei nouitatem, cum videret eos mœstos, timidos, & humiliatos ad suscipiendum ab eo ablutionem pœnitentiæ conuenire

Matth. 3. coram omni populo, exclamans ait. *Genimina viperarum, quis vos docuit fugere à ventura ira?* Si ergo vere, si pure, si sancte, & non ficte venitis, *agite fructus dignos pœnitentiæ: & nolite dicere, patrem habemus Abraham. Potens enim est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Nota dignos pœnitentiæ, vt scilicet pœnitentia flagitiis respondeat: & talis sit pœnitentiæ fructus, qualis est iniquitatis reatus. O prædicatorem egregium, ò verum & fidelem concionatorem. Non palpabat vitia, non dissimulabat peccata, non tolerabat flagitia, non assentabatur potentibus, sed regem veluti mãcipium mira quadam authoritate obiurgabat, dicens. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Non ait videat serenitas

Non blanditur Ioannes aulicorum more. vestra, attendat maiestas vestra, quia nõ videtur iustum, non videtur rectũ quod facitis, sed quasi seruum, quia vere peccati seruus erat, cum potestate alloquitur. *Non licet tibi*, &c. Pharisæis quoque

Mar. 6. ad se venientibus non blanditur, non ait placet quod agitis, iuuat quod venitis. Sed quid ait? *Genimina viperarum*, &c. O si hoc nostrum miserum, & deplorandum sæculum, vel vnum talem haberet concionatorem? Quo simili fiducia & libertate, potentum & pontificum vitia: non iniquo animo (vt Lutherus & Caluinus) sed sincere & pure, ex compassione, ex zelo ex charitate, corde vero, & paro corriperet & argueret. Væ

Isa. 56. nobis, quia facti sumus hodie in dominico grege, *velut canes muti, non valentes latrare*; atque ideo flagitia, scelera, & peccata in Ecclesia Christi inundauerunt. Talis erat sermo Ioannis *viuus,* *Heb. 4.*
efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti *Psal. 18.*
pertingens vsque ad interiora mentis, *conuertens animas,* concutiens corda, *letificans iustos, humilians autem peccatores* *Psal. 146.*
vsque ad terram, & non mirum, quoniam talem habuerat magistrum, & talem per triginta annos sequutus fuerat schola: diebus ac noctibus contemplationi, & meditationi incumbens, non in exteriori aliquo libro legens: sed sine intermissione audiens quid loqueretur in seipso Dominus Deus: & continue *Psal. 84.*
cum prophera erigens cordis sui aurem, vt audiat Deum quasi magistrum. Fa *Isa. 50.*
ctus, sicut scriptum est, *docibilis Dei* O si huiusmodi nunc sequeremur scholam *Ioan. 6.*
qui populum instruimus? ò si solicite curaremus audire in aure quod prædicaremus super tecta? *vt dies diei eructat* *Luc. 12.*
verbum, & non *nox*, id est litera mortua, *Psal. 18.*
nocti, id est animo terrenis curis obscurato *indicaret* solam *scientiam*: quæ po- *1. Cor. 8.*
tius inflat quam ædificat. Non in populi frequentia, sed in secreto eremi habitantes, & inde ad publicum, quasi scintillæ in arundine o prodeuntes. Quanto efficacior & potentior esset doctrina, *Sap. 3.*
quanto plenior & copiosior esset fructus in populo. Si enim essent *exultationes Dei in gutture* nostro, in contempla- *Psal. 149.*
tionis ocio, essent quoque vtique *gladii* *Ibidem.*
ancipites in manibus nostris, in publico suggestu *ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, ad faciendum in eis iudicium conscriptum*: & non sermo lentus ex pectore frigido, sine fructu aliquo lassaretur. *Omnis namque doctrina* *2. Tim. 3.*
diuinitus inspirata, vtilis est ad docẽdum, ad arguendum, ad corripiendum, ad eruiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus Sed ad Ioannem reuertamur: quem (sicut diximus) & vita cœlestis, & doctrina potens, & aspectus venerabilis, & rigida vestis, & inusitatus cibus, & oratio frequẽs, & terrenorum omnium contemptus, adeo celebrem, & mirabilem fecit in populo: vt non modo ipsum esse Christum

in

in lege & prophetis promissum suspicarentur, sed etiã hoc vehementer omnes cuperent, & optatent in tanti hominis bonitate, & sanctimonia, gloriantes honorabilem satis, & plurimum venerabilem toti orbi synagogam existimantes: si huiusmodi eã cõtingeret habere Messiam. Vnde inito concilio, missisq; legatis inquirunt ab eo. *Tu quis es?* nunquid Christus? nunquid Helias? nũquid Propheta? quid dicis de te ipso? Dic quodlibet, nullum à te de te petimus testimonium, quicquid dixeris credimus tibi: tua vita, tibi sufficit ad testimonium. O quomodo exultarent, ò quantum lætarentur, si respondisset Ego sum vester Christus, quam libenter eum totus ille populus susciperet; quam superbe de tãto Messia gloriaretur. Voluerunt quippe in lumine eius exultare, & in decore eius venustari (sicut Dominus ait) *sed confessus est, & non negauit, quia non sum ego Christus*, veritatem non negauit, veritatis amicus, alienum non surripuit honorem, vt proprium conseruaret. Non erat arundo vento agitata, quem enim tantus honor libenter oblatus non agitaret, nisi cum Spiritus S. gratia solidasset. Sed quid responderit audiamus. *Medius*, inquit, *vestrum stetit quem vos nescitis, venit post me fortior me; cuius non sum dignus corrigiam calciamenti soluere. Ego baptizo vos aqua, ille vos bapt. Zabit spiritu & igne.* Ac si diceret, quid miseri & cœci meo vultis splẽdore illustrari, quia homo sum terrenus similis vobis. O quanto sublimior & potentior est vester Messias, qui in medio vestrum latet: ò si eius celsitudinem, & magnitudinem nosceretis? magnus vobis videor, certe ipsũ quasi vernaculus excalciare dignus non sum: nam qui de terra est, de terra loquitur: qui de Cœlo venit, super omnes est. Mirabantur illi, & inter se mussitabant, quis nam esset ille tam magnus & tam excelsus cui Ioannes à calceis seruire indignum se fateretur? Donec quadã die ipso ad Iordanẽ coram populo prædicante Dominus Iesus solus (vt creditur) per desertum, pauper & humilis ad ipsum veniebat: quem intuens Ioannes adse venientem, Spiritu S. recognouit, & cum ingenti gaudio exultans, extenso digito proclamauit. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et ad pedes eius prostratus profusis præ gaudio lachrymis adorauit. O qua siti, quo desiderio à sua infantia cupiebat videre eum; sed detinebatur à Deo in eremo, vsque ad tempus destinatum, ne amicitia & familiaritate potius quam veritate de ipso testificari videretur. Vadunt simul ad Iordanem, & baptizato Domino, *Cœli aperti sunt super eum, & vox patris intonuit. Hic est filius meus dilectus.* Columba quoque super ipsum descendere visa est: vt non ab hominibus, sed à Deo Ioannis testimonium acciperet firmamentum: quanta gloria digito monstrare, quem signis & indiciis cæteri præsignauerunt. Propter quod merito Dominus Iesus in illo sermone quem in honorem eius coram populo fecit, eum Prophetã & plusquam Prophetam nuncupauit, vt iam nihil deesset ad plenam & consummatã laudem eius, vt qui prius ab Angelo, deinde à parente fuerat in suo ortu cõmendatus, vltimo ab ipsa quoque veritate commendaretur & laudaretur, & non communi laude, & consueta, sed qua cunctis mortalibus antefertur. *Inter natos*, inquit, *mulierum nõ surrexit maior Ioanne Baptista.* Post tam egregios oratores, quis audeat laudare Ioannem: Sileamus interim de Ioanne, ad nos nostra conuertatur oratio. Euenit nobis videre in eo, quod solet illis qui cum sint degeneres & turpes, parentum, & progenitorum suorum nobilitatẽ, virtutes & præclara gesta commemorãt: qui quo suos prędecessores amplius efferũt, eo seipsos magis vituperant, & confundunt. Fuit namq; Ioannes vitæ monasticæ, primus parens, primus institutor & inuẽtor, qui vitam hanc cœlibẽ hominibus non scripto codice, sed exemplo, & opere demõstrauit. Pudeat, pudeat laudare quẽ non sequimur. O quantum degeneramus ab illo, vbi nunc in religionibus illa puritas? illa innocentia? illa sanctitas? vbi ille deuotionis feruor: ille pœnitentiæ rigor? ille continentiæ vigor? vbi solitudo illa?

Ioan. 1. *Ioan. 1.* *Ioan. 5.* *Ioan. 1.* *Matth. 11.* *Ioan. 1.* *Ioan. 4.* *Matth. 3.* *Luc. 3.* *Luc. 7.* *Ioannes cũct's præfertur.* *Matth. 11.* *Ioannes monastica primus parens.*

Exhortatio ad Religiosos.

do illa? abstinentia illa? modestia illa? vbi vestis neglectus? mundi contemptus? iusticiæ zelus? Væ nobis, quia solum nomen vacuum religionis, tonsuram, & habitum gestamus, delicios, delicati, superbi, voluptuosi, inquieti, vagi, tepidi, sine spiritu, sine deuotione, negotiatores, detractores, deambulatores facti sumus sicut populus: non tamen sicut populus iudicandi, neque solos nos, sed etiam cunctos christicolas Ioannis vita redarguit. Quid feceras ò Ioannes? quæ peccata commiseras? quæ flagitia perpetraueras, vt talem ageres pœnitentiã? sanctificatus in vtero, confirmatus in gratia, plenus Spiritu S. mortaliter peccare non nouerat. Ad quid ergo pœnitentiæ tantus rigor? nempe quia prædicaturus erat peccatoribus pœnitentiam ptius illam in seipso operibus ostendit, quam sermonibus docuit. Ac si diceret. Attendite homines, & videte, *si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?* Si sic maceratur innocentia, vt perueniat ad vitam, quomodo iniquitas corripienda est? Si cum his omnibus *iustus vix saluabitur, impius & peccator, vbi apparebunt:* Quid fiet de nobis fratres qui quotidie peccata peccatis addimus, & ponderi nostro pondimus adiicimus, quibus nulla est cura satisfaciendi pro eis sed omnem satisfactionem futuro sæculo reseruamus? Timeo ne tãti ponderis immensitate grauati in barathrum decidamus. Non pro suis culpis, sed pro nostris Ioannes hunc rigorem pœnitentiæ sustinebat: vt nos ad pœnitentiam suo horraretur exemplo, & ad satisfactionem suo adiuuaret merito: vt illius abundantia nostram indigentiam compẽsaret. Ex hoc sanctorum superexcrescẽte opulentia grandis Ecclesiæ thesaurus conficitur, qui quotidie à summis Pontificibus in peccatorum nostrorum indulgentiis erogatur: vt quod per nos non sufficimus, eorum inuamine suppleamus. Vnde Apostolus: *ad mpleo*, inquit, *ea quæ desunt passionum Christi pro corpore eius quod est Ecclesia.* Quantum debemus sanctis; suis meritis adiuuerunt, suis sermonibus docuerunt, suis exhortationibus excitauerunt, suis precibus; modo tuentur & fouent: vt felicissimum eorum consortium in cœlesti gloria consequamur: ad quam nos perducat Iesus Christus filius Dei. Amẽ.

Ad quid tanta pœnitentia tantus rigor profuerit. Luc. 23.

1. Pet. 4.

Ecclesiæ thesaurus ex SS. meritis etiam augetur.

Col. 2.

DE DIVO IOANNE APOstolo, & Euangelista.

Concio de Amore Dei erga suos.

THEMA.

Conuersus Petrus, vidit illum discipulum quem diligebat Iesus.

Ioan. vltimo.

VAlde ponderandũ est fratres, quod Ioannes Euangelista cum tot titulis & cognominibus clarus esset, in suo Euangelio non Apostolum, non Euangelistam, non Prophetam, non virginẽ, aut alio quolibet dignitatis cognomento, sed discipulum quem diligebat Iesus, frequentius se soleat nuncupare. Existimauit enim (& merito) vir sapiens omnium gratiarum, hanc præcipuam & maximam reputandam esse, quod à Domino dilectus sit: neque posse ampliori, aut digniori titulo quempiam decorari. Quæ namq, maior est, aut esse potest dignitas creaturæ, quam factori suo placeat? & dilegatur ab eo qui fecit eam? aut quid illi amplius fauoris, & honoris conditor conferre potest, quam vt placeat illi, & in oculis eius grata & accepta sit? Det omnia Deus, multiplicet gratis, dona conciliet, accumulet beneficia, nisi amauerit, nihil dedisse videbitur. Hoc est quod omnes maxime cupimus: hoc semper præcipue optamus. Propter hoc inde fesse, & infatigabiliter tota vita laboramus; vt grati coram eo & accepti inueniamur. Hæc summa fœlicitas creaturæ. Et è contrario miseria summa, si odibilis ei existat: neque enim damnatus propter cruciatus inferni, & sempiternos ardores quos sustinet, adeo miser est, sicut propter odium quo inuisus est conditori. Hæc gratia Dei, hic amor omnium bonorum & donorum, fons & origo est. Ab hoc prædestinatio,

Summa est miseria si Deo odibiles simus.

natio, iustificatio, protectio, magnificatio, glorificatio procedit. Quicquid Deus homini confert, ideo confert quia diligit: nam si non diligeret non præstaret. Denique quod in curia facit amor regis, hoc in orbe facit amor Dei. Si quis in regno acceptus est regi, hic, & regis, & regni rex & possessor est: amor namque omnia sibi tribuit. Nam in regis corde per amorem possesso, & rex & regnum in obsequium veniunt, expectant ad ostium proceres regni, & magnates donec ingrediendi facultas cõcedatur. Dilecto omnia patent, omnia obediunt, nemo illi quidpiam in tota domo interdicere audet. Sic omnino in regno Dei si quis gratus, & amicus est Deo, omnis illi obtemperat creatura in Cœlo, & in terra. Electi dominantur propter amicitiam Dei, nihil tam difficile quod non fiat si amicus Dei hoc cupiat & petat.

Causa miraculorum dilectio est.

Inde tot miracula & prodigia passim à sanctis fieri videmus eorum voluntati obsequente natura. O quam potentes, & insignes fecit eos Diuinitatis gratia; nihil etiam eorum probitatem, & virtutem sic commendat, sicut quod à Deo dilecti sunt. Hoc namque inter amorem Dei & nostrum distare solet, quod nos bonitatem in aliis diligimus, sed eam illis diligendo minime præstamus: Deus autem quos diligit, diligendo optimos & illustres facit. Nos aliquid diligimus quia bonum est, in Deo è contrario euenit, quia propterea aliquid bonum est quia diligitur ab eo: est enim Diuina voluntas formaliter prima, & summa bonitas bonificãs (vt ita dixerim) omne quod amat. Omnis enim creata bonitas à Diuina voluntate sicut à prima bonitate dependet: & ratio hoc quoq; suadet. Nam cum nulla creatura essentialiter & intrinsece bona sit, vt est diuinitas: sicut in Euangelio Dominus ait; *Nemo bonus nisi solus Deus*, sed ab extrinseco suam bonitatem participet & recipiat, hoc est aliquid in rebus conditis esse bonum primæ & supremę bonitati esse cõforme, id est gratum & acceptum. Quod fit vt qui Deo gratus & charus est, eo ipso à priori (vt logici dicunt) bonus & iustus

Marc. 10.

infallibiliter conuincatur. Vnde ponamus exempli gratia, quod quis omnes virtutes & gratias possideat, si fieri posset vt hic Deo inuisus & odibilis esset, eo vtiq; ipso bonus nõ esset. Nam quomodo bonus est, qui summæ non consonat bonitati? aut quomodo rectus est, qui suæ non conuenit regulæ? Diuina volũtas omnium creaturarum prima regula est. *Nam Deus* (Apostolo teste) *operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ:* nos quidem omnia quæ recte agimus, secundum voluntatem consilii nostri agimus. Deus autem è contrario secundum consilium voluntatis suæ omnia operatur. In nobis voluntas consulit, & sequitur rationem: in Deo autem ratio practica diuinã attendit, & sequitur voluntatem. Quanta Diuinæ voluntatis libertas, cui omne quod placet, eo ipso quod placet bonum est. Diligat Deus, & velit quicquid voluerit omne quod ipse voluerit, eo ipso quod volitum est bonũ est: non est ibi alia petenda ratio. Vnde superfluum, & superbum, ne dicam stolidum, & curiosum videtur quærere, cur Deus velit hoc? cur Deo placeat hoc vel illud: id namq; est in prima omniũ causa petere causam, & inuestigare rationẽ vbi non est. Illi namq; optime conuenit quod Poeta ait, *sit volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.* Hæc omnia tam diffuse prosecuti sumus, vt ostẽdamus Ioannem merito in Christi dilectione gloriari, quæ virtutis eius, & gloriæ vnicum, & maximum testimoniũ esse potest. quanta est Diuinæ gratiæ celsitudo, in qua quisquis, siue innocens, siue pœnitens inuentus fuerit, acceptior inuenietur & melior. Nonnulli enim etsi peccatores, tamen ad Deum conuersi, plurimos innocentes, & iustos, & gratia & gloria, præcesserunt. Exemplum nobis sint Dauid, Matthæus, & Magdalena: nisi (vt Gregorius ait) *dux in prælio illum militẽ plus diligit: qui post fugam conuersus, fortiter hostem premit; quam qui nunquam fugit, & fortiter nunquam egit.* Quanta hinc peccatoribus fiducia, quantus stimulus, vt à peccatis resurgant. Nã si digne de peccatis pœnitere voluerint, nõ

solum amissam gratiam apud Deum recuperabunt, sed etiam parem cum sanctis & innocentibus gloriam obtinere poterunt & *vbi abundauit delictum*, post modum *superabundabit & gratia*. Dilectio itaque Dei totius bonitatis & celsitudinis causa est, & eo quisque iudicandus est melior, quo Deo inuentus fuerit gratior & acceptior. Sed quosdam Deus diligit vt nunc, & secundum præsentem iustitiam, quos tamen secundum æternam prædestinationem non diligit: non quia in Deo mutatio sit, sed quia is qui diligitur variatur. Sic enim ad præsens quibusdam gratiam suam donat, vtilis perpetuam dare gloriam non destinet, quia in gratia permansuri non sunt. Hanc diuinorum iudiciorum abyssum, & diuinæ prædestinationis profundum pelagus, nullus quamuis sublimis & excelsus intellectus penetrare poterit: nam vehementer intumuerunt aquæ illius, & non poterit transfretari. Quis enim intelligat, qua via, qua ratione cum Esau & Iacob in vno eodemque vtero portarentur: cum nihil boni aut mali egissent, maior minori subdatur: & Iacob dilectus, Esau autem odio habitus sit? *Quis* (vt ait Iob) *ordinem Cæli cognoscere potest, vt ponat rationem eius in terra?* quis discernat, cur animas pares Deus sic condat, vt vnam inserat infanti pagano & pereat, & aliam infanti fideli, & gaudeat in æternum? & inter fidelium paruulos vnus baptizetur & beatus fit, alius non expectet baptismum, & damnatus sit? Hæc, inquam, omnia Deo committenda sunt, qui voluntatis suæ arbitrio cuncta disponit. Vnde Augustinus *cur hunc accepter, & illum non, noli inuestigare, si non vis errare.* Denique huius rei qualem causam propheta reddat attende; *Saluum me fecit* (inquit) *quoniam voluit me*, sed quamuis dilectio ista ab oculis nostris abscondita sit, mirabiles tamen ad extra producit effectus. Nam quis dicere potest quanta est Dei patientia? quanta clementia? quis respectus in electos? Neque id mirum, nam charitas (Apostolo teste) *omnia suffert, omnia portat patiens est, benigna est.* Exemplo id notius fiet. Pater quispiam duos habet filios, vnum dilectum, & alterum inuisum quam vario eos modo gubernat? illum quicquid perpetret, quicquid agat, etsi furetur, etsi scorteturr, etsi voret, & consumat omnia, quamuis prauum & peruersum, patienter sustinet, & tolerat, interdum etiam à praui tate excusat. O inquit, puer est nil mirum: quod si iuuentute lasciuiat? veniet tempus & resipiscet. Solent acerbi adolescentes matuescere in virili ætate: Sinite illum, lassabitur quandoque, & expertus mala longius declinabit ab eis. Alter vero si quidpiam, vel per inaduertentiam miser commiserit, quamuis leuissimum ac tenue, die noctuque obiurgatur, increpatur, improperatur, acclamatur, statim vita indignus, & cum iniuria domo expellitur, neque est qui precibus valeat placare indignantem. Vide quid in pari filiatione dispar amor faciat. Nihil est amore patientius, nihil clementius, qui diligit nõ offenditur, aut si offenditur, celerrime placatur propter amorem. Hæc in hominibus amor tolerat, & amor Dei grauiora non tolerabit? Duo populi Israelitici primi Reges Saul, & Dauid, à Domino electi sunt ad regnum, ambo præcepto Domini vncti, ambo ex paupertate sublimati. Peccauit Saul quia non occidit quem Dominus præceperat occidendum: peccauit Dauid, quia occidit non occidendum, neque solum occidit, sed vxorem rapuit, & populum Dei opprobrio exposuit & ruinæ. Discerne nũc vtriusq; regis peccatum, & vide quanto grauius est secundum quam primũ. Venit ad Saulẽ propheta Domini Samuel, obiurgauit eum de inobedientia, confessus est peccatum, licet non recto animo dicens. *Peccaui, quia preuaricatus sum sermonem Dei* deprecat⁹ est Samuelem, quia venit scidit pallium eius, & vi retinuit eum. Neq; tamen veniam de delicto promeruit. Abiectus est à Domino in sempiternum, & in oculis eius non placuit vltra. Pro quo cum Samuel misericordia motus, preces coram Deo assidue cum lachrymis funderet, dictum est

Rom. 5.

Diligit Deus quosdam secũdum præsentẽ iustitiam, quos tamen secundum prædestinationem non diligit.

Exod. 47.

Mal. 1.
Rom 9.

Iob 38.

Psal. 17.

1. Cor. 13.
Amore nihil patientius.

Exemplum.

1. Reg. 10.
1. Reg. 11.
1. Reg. 13.
2. Reg. 11.

Bellar. 2. de gratia. S. Tho. cit. Bannes ibidẽ.

1. Reg. 13.
1. Reg. 15.

1. Reg. 15. 1. Reg. 16. est ei. *Vsquequo tu leges Saul cum ego abiecerim eum à facie mea.* Audistis rigorem & seueritatem Dei in rege præscito. Audite nunc clementiam illius in rege prædestinato. Venit ad eum Nathan Propheta, non prius palam obiurgat, sed per ænigmata significat delictum, ne verbis exasperet dilectum à Domino: Fatetur ille statim peccatum suum dicens. *Peccaui Domino,* & statim audiuit, *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris.* O celerem peccatoris pœnitentiã, & celeriorem à Deo veniam? vno verbo pœnituit, & illico placatus est Deus. Nã licet inultum peccatum Deus non dimittat, sed grauissime rex punitus est pro delicto: gratiam tamen Dei statim recuperauit. O dispar nimis iudicium in pari, imo multo grauiori peccato? O profundam Diuinorum iudiciorum abyssum? Quid dicam fratres? nonne vobis videtur iustus Dominus iniusto parenti fu sse consimilis, & sic se habuisse cum regibus, sicut pater præfatus se habuerat cum filiis? Quam merito propheta orat. *Aspice in me & miserere mei secundum iudicium diligentium nomen tuum,* hoc est, *non intres in iudicio cum seruo tuo Domine.* sed si iudicare me volueris, iudica me obsecro illo iudicio quo iudicas electos tuos qui te diligunt: iudicio (inquam) tuo, clementi, & fauorabili. *Nam si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?* Et alibi: *Viuit anima mea, & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me.* Quod si aduertere voluerimus historias sacrarum scripturarum, videre erit interdum increpationes fortes, duras, terribiles, quibus Deus in peccatores inuehitur. Bone Deus qui eas potest audire? vt est illa præuaricatricis Hierusalẽ. Et illa aduersus Oolam. *Oolibam* in Ezechiele. Interdum vero è contrario consolationes mollissimas & dulcissimas, quibus peccatoribus blanditur vt surgant: vt est illa Isaiæ ad sterilem & idololatram gentilitatem *Lætare sterilis, & quæ non paris,* &c. Quam gratum mihi nunc esset, vtrasq; ad longum recitare si tempus adesset, sed supersedeo. Sufficiat vel hoc vnico exemplo demõstrasse, quanta sit amoris Dei virtus erga electos eius. Quorum peccatis etsi ad modicum Deus aduersus eos indignatur, suamq; faciem abscondit, iratus facile tamen reuocatur ad veniam. *Nouit enim Deus qui sunt eius Et capillus de capite eorum non peribit.* Vnde Ioannes, *qui natus est ex Deo non peccat Hoc dictum est de prædestinatis ad vitam, quod non peccent omnino, sed quod peccatum ipsis non imputetur, quod vel punitur condigna pœnitentia, vel in charitate absconditur, & sicuti qua deliquisse videntur in tempore non apparent in æternitate: ex his nullus peccat, id est in peccato perseuerat, quia nouit Dominus qui sunt eius, & propositũ Dei manet immobile, generatio Dei, id est æterna prædestinatio seruat illos* Hęc Bernardus. Neq; solum eis peccata non obsunt ad damnationem æternam, sed etiam frequenter Dei beneficio non suo malo cõferunt ad gloriam. Quoniam scit Deus aliquando ex malis elicere bona. Vnde Apostolus, *diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, his qui secũdum propositum vocati sunt sancti.* Cui Augustini glossa audacter adiungit: *etiam si fas est dicere ipsa peccata.* Surgunt enim à peccatis humiliores, seruẽtiores, & cautiores, non tamen peccata defendimus. Absit, absit, *odio enim est Deo & impius & iniquitas eius,* sed Dei pietatem & misericordiam in dilectos suos prædicamus, & commendamus. Sed quid obsecro tam pulchrum, aut præclarum in creaturis, vt per se à Deo diligendum sit? Omnia quæ videmus quasi non sint, sic sunt coram eo. Quippe quia ex nihilo creata, in nihilum etiam verterentur, nisi eius protectione firmarentur. Quid ergo ex operibus quæ de nihilo fecit in oculis eius grande videri potest, vt eum alliciat ad amorem? Angeli, Archãgeli, Cherubim, & Seraphin, si per se quidem considerentur insignes & illustres creaturæ sunt: sed si ad Deũ conferantur quasi pro nihilo reputabũtur: maxime cum quicquid bonitatis, & decoris habeant, non tam à seipsis, & ex natura sua, quã ab extrinseco sortiantur: sicut mulier quæ ceruia, & purpurisso

2. Reg. 12. Psal. 8. Psal. 142. Psal. 129. Psal. 118. Hier. 3. Ezech. 23. Isai. 54.

Psal. 43. 2. Tit. 2. Luc. 1. 1. Ioan. 3. *Vide Beran. in opus de prædest.* Bern. de gratia & libero arbitrio, & serm. 23. super cant. ser. de triplici coherentia vinculorum, serm. de septuages. Rom. 8. Sap. 14. Rom. 4. *Angeli respectu Dei nihil sunt.*

depingatur, vt pulchra sit. Hac ratione satis conuincitur esse aliquid vnum, primo dilectum, in quo omnes creaturæ diliguntur. Nam per se & propter se diligi multũ est ad illas. Hoc est, verbum illud bonum, & infinite bonum, de quo
Psal. 44. in psalmo. *Eructauit cor meum verbum bonum.* In quo amor ille infinitus à patre exiens, velut in obiecto primo proprio adæquato & proportionato quiescit; & immensa illa vis amoris plenissime satiatur. Quia sicut Deus infinite dilectus, ita etiam Dei filius infinite diligibilis est. Vnde pater in Euangelio. *Hic est* (inquit) *filius meus dilectus in quo mihi complacui.* Hoc est, in ipso mihi complaceo. In ipso complacent, quæ in ipso velut in exemplari primo & perfecto sunt. In ipso cœli, Angeli, homines, & omnis creatura mihi grata, & accepta est, quæ in ipso & per ipsum facta est. Quam bene consonat Apostolus ad Ephesios dicens. *Benedictus Deus, & Pater Domini*
Eph. 1. *nostri Iesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus, in Christo sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius, in charitate qui prædestinauit nos in adoptionẽ filiorũ, per ipsum Christum, in ipsum secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ & gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem*, &c. Vides quam aperte Apostolus dicat, quod in ipso benedicti, electi, prædestinati, gratificati sumus Deo, ante mundi constitutionẽ. Nondum itaque eramus, quãdo iam in ipso gratificeramus: non propter nos ipsos cũ nihil essemus, sed propter ipsum in quo ab æterno, sicut in exemplari fuimus. Sicut enim vasa testea & fictilia, quamuis ex materia vilissima, sæpius placent propter artem: ita & in nobis ars potius quam materia placet. Propter hoc in canticis *dilectus ex dilecto*, merito nuncupatur. Et in Psalmo.
Psal. 67. *Rex virtutum dilecti*, & in Euangelio *di-*
Matth. 3. *lectus, in quo complacui.* Ad quid obsecro ista repetitio, nisi quia videlicet ipse primum dilectum sit & prima ratio diligẽdi, hoc est dilectus, in quo omnia diliguntur. Amor enim ille infinitus qui in ipso sicut in obiecto primario plenarie quiescit, per ipsum ad omnes creaturas quæ in ipso lucent abundanter diffunditur. Nam sicut sponsa quæ sponsum ardentissime diligit in ipso, & propter ipsum equum, annulum; vestem, & seruum diligit, non alia causa, neque alio respectu, nisi quia illius sunt, & ad eum pertinent: sic quoque omnis creatura quæ Deo placet, licet in seipsa placeat, *Sap. 1.* quoniam diligit Deus omnia quæ sunt, & nihil odit eorum quæ fecit secundum sapientis sententiam: non tamen ad se, & propter se, sed propter exemplar quo condita sunt. Ioannes ergo dilectus simpliciter, Christus autem dilectus ex dilecto; Vide quantum dignitatis, Ioanni accrescat, quod vnigeniti filii Dei titulum quodammodo meruit obtinere. Sponsus enim in canticis dilectus sæpissime nuncupatur: est enim pater diligens, filius dilectus, Spiritus S. vinculum dilectio. Sed iam exponamus quibus signis Christus erga Ioannem benevolentissimum se monstrauerit. Sunt enim *Quatuor indicia dilectionis Christus monstrauit Ioanni.* quatuor dilectionis præcipua indicia, scilicet secretorum reuelatio, pretiosorũ commissio, beneficiorum collatio, familiaritatis exhibitio. Nã si quis alium in veritate diligit, primo illi omnia secreta cordis reuelat, nihilque est tam secretum, quod non fido pandatur amico. Si quid celatur qualecunque sit illud, 1.
iniuria fit illi. Neque iam vnus in duobus corporibus, & animabus existimatur, sicut oportet in amicis esse. Magnũ hoc amicitiæ emolumentum est habere cum quo omnia vt tecum cõferas: deinde illi omnia pretiosa committit vitam, 2.
famam, vxorem, filios, domum, familiã, prædia, reditus, & quicquid habet, si ab esse contingat, amico gubernanda relinquit: si timet lædi non est amicus. Tertio si quid honoris, dignitatis, aut 3.
facultatis amico præstare potest, omnia in eum liberalissime & libentissime accumulat. Quarto in eius præsentia & 4.
conuersatione supra modum delectatur & gaudet. Breuis est omnis dies, & colloquium, exiguum est omne tempus ad

Ante mundi constitutionẽ benedicti & prædestinati sumus.

Cant. 5.

con-

consortium: hæc perfecti amoris indicia sunt. Vide nunc si quid horum Christus in Ioanne omiserit. Reuelauit illi secreta personæ, secreta regni, secreta domus, in illo namque ecstatico somno quando supra pectus eius in cœna recubuit, mira de illius diuinitate secreta cognouit: à quo euigilans stupendum illud Euangelii sui exordium; *In principio erat verbum & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*, mirabiliter eructauit. Qualis ac quantus Philosophus subito factus est, quoniam sublimiter supra omnem intellectum, & ventorum pennas volauit: neque fonte labra proluit caballino, neque in bicipiti somniauit Parnasso, vt sic repente Prophera prodiret: sed sancti Euangelii secreta de sacro Domini pectoris fonte potauit. O miram scholam, quæ talem repente Discipulum mundo edidit. Non sic doctus Plato, non sic verbosus Demosthenes, non sic argutus Aristoteles, de diuinis disseruit supra humanam facultatem: & supra seipsum eleuatus *velut aquila potens magnarum alarum plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri*; sicut in Ezechiele scriptum est. Domus quoque Christi, id est Ecclesiæ omnia fere, quæ ab eius exordio vsque ad finem mundi ventura sunt in insula Pathmos sub mysticis formis Domino iubente per Angelum ei reuelata sunt: in cuius reuelationis fine, cœlestis etiam Hierusalem, id est regni perpetui gloria monstrata est: neque solum monstrata, sed & descripta. Paulus Apostolus cum illam gloriam perambulasset, quæ vidisset interrogatus, nescit dicere aliud; nisi, *vidit arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Ioannes vero vidit, & scripsit. Taceo nunc inæstimabilem illam personæ Christi gloriam quæ illi monstrata est in monte Thabor. Taceo tristitiam illam vsque ad mortem in horto, tunc amico prolatam. Taceo personam proditoris in cœna soli prodità, quæ quanti fauoris & amoris signum extiterint dicere non est opus, res ipsa præse fert, pectoris ergo sui domus quoq; & regni secreta illi reuelauit, & arcana sui cordis aperuit. Sed quam pretiosa illi commiserit audiamus. Pendebat in cruce moriturus, & vnde venerat rediturus, disposuit testamentum electis suis, patri spiritum, Ecclesiæ corpus, peccatoribus sanguinem, latroni regnum, militibus vestes, Petro Ecclesiam, Apostolis paracletum, electis chrismata liberaliter distribuit: aderat ibi dilectus quid sibi legaretur expectans. Quid tibi ô dilecte legabo? quid in vltimis dabo tibi? *Ecce mater tua*; hæc omnium quæ possideo charissima & pretiosissima gemma, hanc tibi trado, hanc dono. Et ad matrem conuersus. *Mulier* (ait) *ecce filius tuus. Et exilla hora accepit eam Discipulus in suam*, exultans & gaudens, quia talem sibi hereditatem eius Dominus reliquisset: vere funes ceciderunt ei in præclaris, & hæc eius hæreditas præclara est sibi. O magnum dilectionis indicium, suo loco apud matrem substituit eum, & pro se in filium virgini reliquit eum. Huic gratiæ quid amplius addi potest? neque putemus vacua illa Saluatoris verba fuisse, neque enim defuere viri pii & docti, qui asserierent non sola æstimatione humana filiũ reputari potius quam esse, quales lex, & adoptio solet filios procreare: sed eum qui verbo suo cuncta creauit de nihilo, potuisse (aiunt) filium facere de non filio: quod si potuit & fecit. Non enim dixit, habeto eam in matrem, sed asseruit, *ecce mater tua*. Sit hæc pia opinio & religiosa, ego illi meam non astringo fidem. Mater ergo illius est, non lege, nõ natura, sed gratia. Vnde & merito *exilla hora accepit eam Discipulus in suam*, sciens quia vere est, quam veritas suam dixit. Impressit in hoc verbo Dominus statim cordi virgineo, amorem quendam materorum, in Ioannem fortiorem & ardentiorem, quem soleat matribus natura tribuere. Vt scribus etiam Apostoli reuerentiam filialem in Virginem inseruit, qualem nullus filius natura habet in matrem. Atque ita sicut dicendo, *hoc est corpus meum*, verum corpus suum fecit ex azymo: sic etiam dicendo hic est filius tuus, amore filium fecit ex cognato, non tamen natura, sed gra-

Psal 88.
Ioan. 19.
Ibidem.
Psal. 15.
Opinio autoris.
Matth 16.
Mar. 14.
Luc. 22.
Ioan. 13.
Luc. 1.
Psal. 17.
Exec. 17.
2. *Cor.* 12.
Matth 17.
Matth. 26.

gratia: altiori tamen modo quam lex & adoptio filios efficere queat. Iam ex hoc intelligere licebit, quantæ fœlicitatis & gloriæ fuerit tot annis post Domini ascensionem cum Virgine commorari, eam sicut filius alloqui eius decora præsentia, & iucundo colloquio tam familiariter frui, eius magisterio imbui, eius exemplo & moribus instrui. O vere egregium Discipulum, qui post Christum Dominum talem promeruit habere præceptorem. Quid ab ea non didicit? quid non ab ea impetrauit. Omnia quæ à filio suo in familiaribus locutionibus ipsa audierat, in Ioannem sicut in filium libentissime transfudit: vnde merito super omnes Euangelistas spiritu & intellectu volauit. Nam si vna huius Virginis salutatio Baptistam in vtero tanta gratia perfudit; quid putas in Euangelista tam diuturna conuersatio fecit? Si grande fuit apud Elisabeth tribus mensibus Virginem commorari: quantum erit tot annis apud eandem Virginem domo versari? Benedixit olim Deus Obededon, quia in domo sua arcam Domini recepisset: & Ioanni quomodo putas benedixerit, qui Virginē Theotocon tot annis apud se habuit? Hæc (vt existimo) omnium gratiarum maxima fuit, hoc maximum & præcipuum amoris indicium, quanquam & in aliis nihil omisit Christus quod dilecto suo non donaret. Omnium quippe dignitatum titulos, omnes gratias & honores quos per alios domus suæ famulos, & officiales sparsim diuisit, in hoc vno plenius accumulauit & aceruauit. Hic Apostolus, Propheta, Euangelista, Martyr, Confessor, Virgo, Doctor, cognatus, amicus: si quid aliud in Ecclesia dignitatis, & gratiæ est, totum perfectissime possidet omni honore, & dignitate in domo Dei sublimatus est, omni gratia & virtute decoratus. Quod si aliorum quilibet vno solo titulo in Ecclesia Dei præclarus & magnus est: quid de isto dicendum, qui simul omnibus pollet? neque de martyrio quispiam dubitauerit. Non enim Ioannes morti, sed mors Ioanni defuit in martyrio. Postquam enim in dolium feruentis olei pro fide Christi missus est, sibi eum Dominus conseruauit à morte: quid minus quam si moreretur fidelis athleta promeruit. Vere, sicut illi Dominus ante promiserat, calicem Domini bibit, & sine morte martyrii meritum gloriam obtinuit, & martyrum aureola in Cœlo coronatus est. Dixit illi Christus, sicut in Euangelio hodierno audistis, *quod sic eum vellet manere d nec veniat*: non quia non esset aliquando moriturus, sed quia non esset per gladiū in gloriam transiturus: Domino illum ad Ecclesiæ suæ solatium & suorum magisterium, vsque in senectam & senium conseruante. Familiaritatis vero insignia, quanta illi Christus ostenderit legentibus Euangelia in promptu est videre. Si quos ab aliis segregabat, si quos præcæteris ad occultiora negotia deligebat, vnus ex tribus Ioannes erat: hic iuxta ipsum recumbebat, hic ipsum comitabatur quocunque ibat. Denique Petrus Apostolorum princeps, & Ecclesiæ pastor, proditoris nomen interrogat per Ioannem non audet ipse petere, sed dilecto innuit vt petat: sciens, quia nihil illi præ amore negaturus esset Christus. Quod euidentius familiaritatis indicium? Sed illud omnium supremum & maximum, quod coram omnibus in cœna vltima supra pectus eius recumbere ausus sit. O miram audaciam? nō audet Baptista sacrum Domini verticem contingere. Magdalena cum timore & tremore pedes tangit, Thomas nisi iussus manum non mittit ad latus: Ioannes dilectus, non iussus, non petita venia, cōfidenter recumbit super Domini pectus. Amor fecit hoc, est enim supra modum audax dilectio. Videas aliquando pusillos tenerrime dilectos à matribus carū pectora ora, facies, oculos audaciter cōtingere, super gremiū voluari amplexari capita, capillos spargere, velamina tollere, ceruices contundere, super illas iactare seipsos omnia audent, omnia sibi putat licere amor. Non vtique sacrū Domini contingere pectus Ioannes auderet, nisi fiduciam illi præstaret amor, qui latebat in pectore. Sed & illud quo-

Luc. 1.

Ibidem.
1. *Paral.* 13.
2. *Reg.* 6.
Id est, Dei mater.

Omnes gratias in Ioannem contulit Christus.

Familiarissimus fuit Christus Ioanni.
Psal. 70.
Matth. 17.
Luc. 8.
Matth. 26.
Ioan. 13.
Ibidem.
Matth. 3.
Luc. 7.
Ioan. 20.

Matth. 20.

Matth. 16.
Ioan. 18.
Matth. 16. &
Mar. 14.
Ioan. 19.

que

que mirandum, quod cum in passione cæteri omnes fugissent, & solus Ioannes & Petrus cum Domino remansissent: Petrum toties ministri Satanæ quærendo infestant, Ioannem vero nullus interrogat. Astat in palatio, astitit in Prætorio, adest etiam patibulo, lachrymatur, dolet, gemit, palam magistri sui mortem deplorat: & nullus eum interrogat, quid ploras? nullus criminatur dicens, discipulus es, amicus es, fautor es? Si dixeris, quia erat Christi propinquus, & nunquid hoc omnes nouerant? Si dixeris, quia erat notus pontifici, & nunquid hoc omnibus constabat? Mira vtique amoris dispensatio fuit, vt terribilibus Domini sui cruciatibus dilectus adesset, & calicem passionis ad pedem Crucis cum dilecto potaret (Christo Domino sic disponente) vt nemo illi obsisteret, nemo contradiceret, vt vel ex hoc Ioannes agnosceret quia cum in vita dilexisset illum, in morte amplius dilexit eum: amor enim in fine maxime cognoscitur. Vnde & hanc ipsam dilectionem, quam illi Dominus semper ostenderat, etiam cum ipse Ioannes à vita discederet, amplius illi demonstrauit. O mirabilem viri sancti exitum? cum iam senex, & plenus dierum, mortis suæ diem adesse cognouisset, conuocat discipulos, populum in Epheso ad Ecclesiam suo nomini dedicatam congregat, sepulchrum aperiri iubet, & ingressus, ibi nõ quasi moriturus, sed quasi discessurus populum deuotissime alloquitur. Admonet cunctos fidem quam ab ipso audierat, firmam seruare, pacem tenere, inuicem diligere, mundum contemnere, erga suos prælatos obedientiam & reuerentiam custodire. Admiratur populus, quorsum ista tenderent rei exitum expectans: cum ecce subito de Cœlo lux fulgentissima, tumulum circumfulsit, cunctorũq; oculos nimio fulgore perstrinxit, quæ cum ibidem aliquantulum permansisset: postmodum cunctis videntibus disparuit, accurrẽteſq; ad tumulum, nihil ibidem inuenerunt, nisi scaturiens manna, quod longo postmodum tempore, ibidem velut ebulliens arena fontium scaturire visum est. De Apostolo autem quid factum sit, omnino nescitur: quidam existimant quod sicut Enoch rapuit eum Dominus in Paradisum, & ibi hodie viuat cum Helia & Enoch: ita vt legis naturæ scriptæ, & Euangelicæ vnus, vsque in finem mundi testis reseruatus sit: alii mortuum eum fatentur, sed subito surrexisse, & cum corpore in gloria sublimatum fuisse: ita vt post Christum & virginem, hoc dilecto priuilegium concessum sit, vt generalem resurrectionem non expectet. De quo quamuis beatus Hieronymus anceps extiterit, audacter tamen asseuerat eum à dolore mortis tam extraneum fuisse, quam à corruptione carnis inuentus est alienus. Sed quicquid sit de hoc vnum indubitanter asserimus, eũ quem tot titulis & virtutibus in vita Christus tam mirifice decorauit, potioribus & altioribus beatitudinis suæ bonis cum virgine gloriosa, quam illi reliquit matrem remuneraturum, si adhuc viuit: aut remuneratum esse, si vita defunctus est, in cœlesti gloria. Quam nobis concedere dignetur, *qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris, in sanguine suo*, Iesus Christus Dominus noster, pius & misericors & verus Deus, cui cum Patre, & Spiritu sancto est honor, & gloria, potestas, & imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

Ioannes adhæsit Christo vsque ad extremum vitæ spiritum. Ioan. 18.

1. Reg. 1.

Exitus S. Ioannis.

Gal. 2. & Apoc. 1.

DE IACOBO APOSTOLO.

Ad Equites commendatarios.

Concio.

THEMA.

Dic vt sedeant hi duo filii mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram tuam in regno tuo. Matth. 11.

MAter Ioannis & Iacobi accessit ad Dominũ petitura pro filiis, & flexis genibus coram eo tacebat, erubescebat enim petere, quia arrogantem & ambitiosam supplicationẽ afferebat. Vidẽs aũt illã Dominus, sic hærentem, erubescẽtem, ait illi. *Quid vis?* Et illa. *Domine, dic*

Psal. 87.

dic vt hi duo filii mei, &c. Sed vnde ista sancta mulier habere potuit regni suspicionem? Dominus pauper, humilis, in laboribus & ærumnis, nullus fastus, nulla pompa, nulla erat regni apparentia: forsan ex hoc, quod prædixerat Christus se tertia die resurrecturum? Sed nō videtur hoc, quia Lucas ait, *& ipsi nihil horum intellexerunt*, ideo aliter dicendū, quod cognouit ex hoc, quia licet apud populum varia esset opinio de Domino an esset Christus? tamen in schola eius, & apud domesticos hoc credebatur pro certo. Vnde quidam illorum post resurrectionem dixerunt: *nos autem sperabamus, quod ipse erat redemptutus Israel*. Et hoc apud omnes Iudęos erat receptum, & notissimum, quod Christus futurus erat rex; sicut scriptum est in psalm. *Ego autem constitutus sum rex ab eo, super Sion montem sanctum eius*. Et iterum, *dominabitur à mari vsque ad mare*. Et sic, quamuis tunc esset humillimus & pauperrimus, existimauit mulier, quod quādoque mutato statu esset regnaturus. Et sic habito cum filiis consilio, decreuit petere supplicationem illam: *quoniam* (sicut ait Chrysostomus) *petere tu negligentia reprehēdetur, quando de dantis misericordia non dubitatur*. Vnde inter se (vt creditur) cogitauerunt & consiliati sunt, dicentes. Hoc quod petimus iustissimū est, nam inter fratres nostros condiscipulos, nullus nobis debet præferri. Hæc enim prærogatiua præeminentiæ, quam petimus, si iure propinquitatis cuiquam debet alicui nullus propinquior: si ex amicitia, & gratia, nullus familiarior: si ex seruitiis, nullus superior; si ex merito, nullus nos præcedit. Non est ergo vnde nobis negetur tam iusta petitio. Præueniamus, ne forte alius præueniat nos. Dominus audita petitione cōuersus ad filios, nouerat enim quod mater à filiis esset semmissa, ait. *Nescitis quid petatis*. temporalis regni præeminentiam quæritis? non sum temporaliter regnaturus: *regnum meum non est de hoc mundo, ne scitis quid petatis*, in regno meo nullus sedet. Scriptum est, *milia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei*. Nullus sedet, qui sedere voluit, dicens; *sedebo in monte testamenti, in Lateribus Aquilonis*, præcipitatus est in æternum. *Nescitis quid petatis*, A me, qui cum in forma Dei essem exinaniui memetipsum formam serui accipiens, factus mūdo magister humilitatis, & pauperratis exemplum; qui inter latrones in Cruce cum summo opprobrio sum moriturus: vt statim ante prædixeram. A me (inquam) omnium hominum infimo & nouissimo temporalem gloriam quæritis? *nescitis quid petatis*. Stulta nimis & inconsiderata est ista vestra postulatio, & ambitionis plena. Erratis, erratis: quicunq; à Deo temporalem gloriā, fauores, & diuitias, & opulentiam anxie quærunt, nesciunt quid petant. Venit Christus in mundum, vt doceret contemnere, & tu instanter petis? O cum quāto feruore ista petuntur, & quam tepide spiritualia. Sed (inquit) ex quo mecum regnare vultis, *potestis bibere calicem, quē ego bibiturus sum*, & sicut vultis consortes esse gloriæ, poteritis ne participes esse ignominiæ? Dicunt ei. *Possumus*. Laudandus certe animi generosi impetus: sed non minus ignorans, & inconsiderata resp onsio, quam fuerat ipsa petitio. O quam parum potest humana fragilitas; *Non sumus* (inquit Apostolus) *sufficientes cogitare aliquid à nobis tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*; & isti interrogati de morte, statim respondent, possumus Chrysost. *Christus bibiturus calicem trepidat, & angitur vsque ad mortem, & vos tam facile potestis bibere calicem?* Iam non miremur si illi qui habitant in curia regia, desiderent fauorem & principatum, ecce isti Apostoli, & inter Apostolos primi optarunt, & petierunt. Quis tā sanctus & iustus, vt hac macula non tangatur? Chrysostomus in homilia: *Multos inuenias diuitias contemptisse, & delicias non cupisse: sed qui honorē, & gloriam refutant, paucissimos*. Ecce isti mundū reliquerunt, & omnia quæ habebant: longe erant ab omnibus voluptatibus, & diuitiis, & tamen quærebant gloriæ principatū: vltima omniū congressio, cum ambitione est, postquā omnia

Luc. 18.

Luc. 24.

Psal. 2.

Psal. 71.

Phil. 2.

2. *Cor.* 3.

Luc. 2.

Parum potest humana fragilitas.

Ioan. 18.

Dan. 7.

Relinquitur à multis mundus quoad diuitias, non tamen quoad gloriam.

omnia viceris, postquam omnia superaueris, de ipsa vitiorum victoria, nouum tibi nascitur bellum cum vana gloria. Paulus in Cœlum conscenderat, & paradisum deambulauerat, & tamen cum hac bellum gerit: vnde ait *Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus*, &c. Et quid de hominibus miramur caducis? *Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem.* Quid enim præcipitauit Luciferum de Cœlo, nisi ambitio? *Asce dam* (inquit) *supra astra Dei, & exaltabo solium meum*, &c. Et hominem quid deiecit de Paradiso? non sola gula, sed magis ambitio. Nam licet Eua viderit pomum quod esset pulchrum, non tamen hoc sic mouit, quam illud quod dixerat ei serpens: *eritis sicut dii* &c Ex illo tunc hæreditarium nobis hoc vitium ambitionis relictum est. Prob mundi lethalis honos, quomodo fascinas homines, quã male decipis mortales! Quid est enim gloria hæc nisi ventus, *vanitas vanitatum, & omnia vanitas!* Quod homines quærant diuitias & delicias nihil mirum: sed ad quid ventus iste gloriæ & opinionis? si totus mundus te supra cœlũ laudet & admiretur, quid inde? quæ vtilitas? Si tu miser es in carcere, quid tibi prodetit illa laudatio? & tamen bone Deus, quid non sustinent homines pro ista gloria? quos labores, quos sudores, vt acquirant dignitates & fauores? Non aliud quæramus exemplũ Ecce cũ dominus dixisset *potestis bibere calicem*: statim sine hæsitatione responderunt: *Possumus*; omnes labores, omnes sudores, tormenta, & mortem sustinebimus, dum modo tecum regnemus. Diuitias quas cum tanto sudore acquirunt & tam dilectas, & salutem, & vitam: si casus honoris se offerat, omnia libenter exponunt pro modico vẽto. O mirabilis, imo miserabilis fascinatio. Quantum Deo displiceat ambitio in casu Angeli & hominis punitione satis liquet. Vnde cum dominus videret suam scholam isto vitio infectã, quid putatis sentiebat? Nam non solum nunc, sed & sæpius legimus eos in Euangelio de hoc vitio notatos: nam ecce dominus propinquus erat passioni, & obliti passionis domini sui de principatu litigabant. *Orta est enim contentio inter illos, quis eorum videretur esse maior*, & quis relinqueretur vt maior. O quãta imbecillitas? quid sentiebat dominus moriturus, pro illis de hac cõtẽtione.

Audiamus igitur quomodo curauit: quomodo respondit Primo namque reprobauit petitionem eorum, dicens. *Nescitis quid petatis*, stulta est hæc vestra postulatio, ô stulti à me, qui cum essem filius Dei, in tanta gloria humiliaui meipsum, formam serui accipiens in paupertate, & labore, & sudore, viuens inter labores, in cruce moriturus, à me gloriã mundi petitis? à me dignitatem mundi requiritis? O gentem stultissimam. Apostolus. *Si in hoc mundo tantum sperantes sumus in Christo: miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Videant nunc qui ad ecclesiam pro honoribus, pro reditibus, pro negotiis & diuitiis currunt: ne sibi similiter respondeatur, *nescitis quid petatis* O quam anxie istavana quæruntur & petuntur? cum quibus lachrymis & instantia? & quæ vera & spiritualia bona sunt quam frigide, quam tepide. An non stultitia à Christo crucifixo, pendenti inter latrones, tam anxie honores & gloriam petere? Iacobus ait, *petitis & non accipitis eo quod male petatis, adulteri, an nescitis quia amicitia huius mũdi*, &c. Hæc omnia cum moderamine petenda sunt, si ad nostram salutem & Dei seruitium profutura sunt, & iudicio Dei relinquenda, nos enim quid nos oporteat orare nescimus, & sæpius petimus cum instantia, multa ad nostram condemnationem. Dixit dominus olim Salomoni, cum esset puer, vt peteret quod vellet, grandis misericordia à tanto domino, qui tanta poterat præstare: ille petiit sapientiam, videns quod regni gubernacula possideret. Placuit Deo petitio quia vere grandi sapientia opus est ad regimẽ tantorũ populorum. Sed vere si omnino sapienter petiisset melius petiisset. O domine ex quo datur optio, peto te ipsum, à te nihil aliud volo præter te. Quanto sapientius pater eius petebat, *vnam petii*

1. Cor. 11. — Ibidem. — Iob 4. — Isa. 14. — Gen. 2. — Eccl. 18. — Luc. 22. — Philip. 2. — 1. Cor. 15. — Spiritualia frigide petuntur. — Iacob. 4. — Rom. 8. — 3. Reg. 3. — Psal. 26.

à domino, & hanc requiram, &c. Primo itaque petitio reprehensa est, quod non sapienter peterent. Secundo, proposuit illis difficultatem suæ petitionis, dicēs: *Potestis bibere calicem?* &c. mecum regnare vultis, poteritis mecum quoque calicem passionis bibere? Si vultis participes esse gloriæ, oportet vt sitis & participes pœnæ, nam regnum sine calice non dabitur. *Ego* (inquit) *dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi pater*: non facio vobis iniuriam, nec enim plus vos amo quam me diligit pater. Et quomodo domine disposuit tibi pater? *Oportet* (inquit) *pati Christum, & ita intrare in gloriam suam* per mortem, per crucem, per passionem. Bernard. *Christus non intrat in gloriam suam, nisi per passionem, & tu intrabis in gloriam alienam sine cruce? Non fiet* (clamat Apostolus) *fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quasi compatimur, & conregnabimus*. Iam ex hoc fratres agnoscite nostrum errorem qui per delitias & diuitias ad regnum cœleste ire putamus. Quid enim minus hoc quærit Christianus quam paganus, vt abundet omnibus sæculi deliciis, & gaudiis? O stulte dilectissimis discipulis, & cognatis Christus, non dat regnum sine calice, imo petentibus de calice interrogat, & dabitur tibi? Quis vnquam sanctorum sine calice tribulationis venit ad regnū? Vide Apostolos, vide Martyres, vide Virgines, vide Anachoritas, omnes per magnas tribulationes introierunt in regnū Dei. Vnde cum Ioannes Apostolus vidisset eos in gloria, & interrogasset Angelum, *qui sunt isti, & vnde venerunt?* Dictum est ei: *hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione*. Et tu putas quod tibi soli dabitur priuilegium, vt in delitiis viuens regnum cœlorum possideas? nō credas, erras erras, non fiet istud. Non potes hic, & illic gaudia possidere, non potes duplicē paradisum obtinere. Audi quid dominus dicat diuitibus *Va vobis diuites qui habetis hic consolationē vestram, quia non habebitis ibi*. Vnde & alteri diuiti dictum est. *Recordare fili, quia accepisti*, &c. O quanta deceptio filiorum hominum, & heu non sentitur vsque in finem, omnes quærimus prosperitates, & fauores, & gaudia sæculi ad nostram perniciem. Attende quid dicat Gregorius. *Continuus successus rerum temporalium æterna damnationis indicium est*. Vnde Psal. *Ab altitudine diei timebo*, & è cō trario tribulationes, & persecutiones, & ægritudines pati, signum est amoris & prædestinationis. Vnde istis Apostolis petentibus regnum, pro magna mercede responsum est. *Calicem meum bibetis?* Sic ipsi putabant, nam *ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*. Et Apostolus. *Vobis* (inquit) *datum est, non solum vt in ipsum credatis, sed etiā vt pro illo patiamini*: magna gratia est de Christi regis calice bibere. Vnde Iob. *Quis mihi det vt desiderium meum audiat omnipotens?* hoc signum amoris, hoc indicium æternæ hæreditatis: si me hic fecerit consortem sui calicis, ecce nudus sum, ecce plagatus, ecce in sterquilinio, sed maiora paratus sum sustinere pro ipso, si ipse disponat: vt participes fiam regni cœlorum. Notandum autē quod Deus multos habet calices, scilicet gloriæ, misericordiæ, iustitiæ. De his Psalm. *Calix in manu domini vini meri, plenus mixto, & inclinauit ex hoc*, &c. Primus vini meri, nulla est mixtio mali, plena satietas, plena fœlicitas, plenū gaudiū, & ideo ebrietas & calix meus inebriās, quā præclarus est: nā hic non inebriat, quia mixtus est, consolationes, & tribulationes mixtæ dantur. Psal. *Secundum multitudinē dolorum meorū in corde meo*, &c. Apostolus. Quia sicut abundant tribulationes pro Christo, ita & consolationes in Christo, *incinauit ex hoc in hoc*, nunquam diu durat vnum sine alio, *visitas eum, & subito probas: veruntamen fœx eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ merum*. O fœces amarissimas? & quis sufficiet explicare? Referri solet de quadam visione sancti viri qui vidit animam damnatam sedentem & diabolos propinantes calicem fœtidū, quæ omnibus modis recusabat bibere, sed coacta est, & statim bibit, per oculos, & per nares, & aures, prodierunt flā-

mæ

Reprehensio petitionis.

Luc. 22.

Luc. 24.

1. Tim. 1.

Nemo coronatur nisi qui certauerit.

Apocal. 7.

Luc. 6.

Luc 16.

Psal. 25. *Qua signa sint prædestinationis.*

Act. 5.

Philip. 1.

Iob 31.

Deus diuersos habet calices.

Psal. 74.

Psal. 22.

Psal. 93.

2. Cor. 1.

Psal. 74.

Iob 7.

Exemplum.

mæ ignis ardentis. Siue vera sit visio, siue non, talis est certe calix ille Dei, quo damnati potantur. Quicũque ergo de calice puro vult potari, prius bibat de mixto, alias non dabitur ei: imo si postea datur grandis miseria est. Non attenditis quid dictum est istis Apostolis? *Calicem meum bibetis, sedere autem: non est meum dare vobis*: pro me (inquit) patiemini certe, sed postquã acerrimã mortẽ passi fueritis, non est meum dare vobis, dabitur forte vobis regnum cœlorum. Videte quale est regnum quod petitis. O domine & post mortem talẽ adhuc ponis in dubio? vtique, nam multi mortui sunt, & passi pro Christo (vt videbatur) martyrium, & non acceperunt: sicut Augustinus ait de hæreticis, mortem subeuntibus pro Christo vt putabant, sed falso, qui non sunt saluati, quia extra ecclesiæ vnitatem non est salus, & *quia sine fide impossibile est placere Deo*: & adducit illud Apostoli ad Corinthios. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, &c. Et quomodo habet charitatem qui nõ diligit, imo dissipat vnitatem?* O magnum & egregium medicum? quomodo reprimit petentium ambitionem, regnare mecum vultis, poteritis mori pro me: *Dicunt possumus*. Cum ergo mortem passi fueritis, forsitan dabitur vobis, si vobis paratum est à patre meo. Sic iterum cum peterent ab illo. *Quis putas maior est in regno cœlorum?* accepit paruulum & posuit in medio, & ait. Quæritis de maioi? videte, an intretis illuc, *nam nisi conuersi fueritis*, &c. O quomodo humiliabat? Et iterum, cum venissent gaudentes, ait. *Videbo Sathanam de cœlo cadẽtem*. Quasi dicat: Ecce Sathanico morbo laboratis, videte ne cum illo similiter pereatis. Sed quamuis ad reprimendam eorum ambitionem; & ad nostram eruditionem taliter respondent; credimus eorum petitionem concessisse, & in regno cœlesti inter sanctos eis præcipuum locum dedisse: qui enim sic familiares fuerunt in vita, credendum est eos etiam superiores cæteris fusse in gloria: ad minus in hoc regno cœlorum, id est, ecclesia, petitionem illorum impletam videmus. Nam Ioanni sedes data est in Asia, quæ est ad dexterã Hierusalem: & Iacobo in Hispania, quæ est ad sinistrã partẽ. Quanta gloria nostræ Hispaniæ? quanto fauor à Deo talem recepisse patronum, vnum ex tribus charissimis Dei. Grandis fauor domine, quod sic æstimasti eã, & quod tanti est apud te in fine mundi posita: non enim sic eam æstimasses, & tanto patrono dotasses, nisi grandis futura esset. Nam licet prius barbara & rustica, in ea tamen fides tua pura, & cultus tuus vsq; in finem permansit. Ecce Achaia, Ægyptus, India, Asia, Græcia, omnes peditæ sunt: & ex prouinciis Christianis multæ infectæ, Hispania maxime seruat fidem illæsam meritis & patrocinio huius sanctissimi Apostoli. Nam quale est talem habere patronum in curia cœlesti? Etsi aliquando capta est ab infidelibus, tamen eius patrocinio liberata est: vnde legitur in historiis Apostolũ visibiliter aliquãdo in bello apparuisse. O quantus honor debetur ab Hispania huic tanto patrono? Vere hoc festum cum omni gaudio & exultatione celebrandũ esset in Hispania sicut Pascha: quia nostrũ maxime est: eius meritis putamus hunc ordinem militarem ad tantum gloriæ fastigium peruenisse. Quis nãq; ordo in toto orbe illustrior, cuius prior Carolus V. Imperator est? Quid amplius potuit ascẽdere? Vere sicut granũ synapis cœpit & creuit dignitate & gloria super omnia olera. Sed vellem vt sicut Illustrissimus est omniũ dignitate, sic esset obseruantia & religione. In hoc enim, vt verum fatear, multũ decidit à primordio: iam n. de religione modica est cura, sed de solis reditibus cura est. Dicite mihi, quid plus habet commendatarius quã miles laicus? vel quam antea habuit? nisi quod recitat Pater noster, & in tribus paschatibus cõmunicat? Quæ religio? quę modestia? quæ temperantia maior in domo, in familia, in mẽsa, & in cæteris cum tota domus eius, vt monasterium esse deberet? imo nec recordatur quod religiosus est, sed omnino sic viuit vt sæcularis, cum omni fastu & pompa & deliciis. Vere si scirctis obligationem forsitan non acciperetis re-

Iacobus Hispania patronus.

Laus Hispaniæ

Heb. 11.

1. Cor. 13.

Matth. 18.

Luc. 11.

Marc. 4.

dnus: quod si etiam attendamus ad finem huius ordinis, altissimus est. Nam cum aliquæ religiones sint institutæ ad hospitium peregrinorũ, aliæ ad redemptionem captiuorum, aliæ ad eruditionem populorum, aliæ ad exemplum hominum, aliæ ad vacandum contemplationi, vester ordo institutus est ad defensionẽ fidei. Vitas vestras deuouistis Deo, ad moriendum pro fide *maiorem charitatem nemo habet, quam &c.* Non opus est quod vocetur commendatarius ad bellũ. nam ex professione tenetur, propter hoc reditus dantur. Bernardus ad milites templi. *O fœlix militia quæ semper fuit victoriosa, omnino insuperabilis: nam si vincit, quanta gloria, si moritur, quanta gloria: maior est victoria.* Quid enim defuit illi vt esset martyr, si pro hoc solo militauit vt fidem à paganis defenderet? Recordamini ergo fratres vestræ militiæ, zelate honorem Dei & fidei defensionem, quem professi estis curãtes: vt cum apparuerit rex vester, sicut boni milites ab eo debitum militiæ stipendiũ recipiatis in gloria: ad quam nos perducat Iesus Christus. Amen.

Ioan. 15.

1. *Petr.* 5.

DE VNO MARTYRE, HOC est, de Sancto Adelesino. Conc.o, qua ratione sancti regantur à Deo.

THEMA.

Iustum deduxit dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei.
Sapientiæ 10.

PRopheta regius, modum quo Deus sanctos & electos suos in via salutis dirigit, breui sermone in seipso describit, dicens. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit:* tali enim ac tanto rectore, quid mihi deesse potest? quando errare potero à veritate directus? Illi me totum tradidi gubernandum, ipse meos actus & affectus disponit, ipse meos dirigit gressus, ipse ductor, ipse via, ipse currus, & auriga meus. *Scio cui me credidi, & certus sum* quoniam nihil impediet, nihil obsistet, quin ipso rectore, & moderatore perueniam quo tendo, & obtinẽa quod desidero. Sed insinua nobis, à propheta sancte, vnde eius moderamina nosti, & qua te regat arte, quaue ratione moderetur edisserere. Attendite fratres, quam mirifice, quam sapienter, quam succincte percurrit, quæ neque longo possent tractatu finiri: *in loco pascuæ ibi me collocauit, super aquã refectionis educauit me, animam meam conuertit,* &c. Decẽ gratias sibi collocatas enumerat, ex quibus liquido cognouit, quia Deo cura est de ipso, & quod illius moderamine gubernetur. Prima est quod *in loco pascuæ ab eo collocatus sit,* id est, quod in ecclesia Dei in medio populi fidelis, vbi fidei pabulo aleretur, ex parentibus fidelibus progenitus fuerit. Grandis profecto & pura gratia, neque enim antequam esset promereri potuit, vt tanto beneficio donaretur. Omnium animarum conditor Deus, pro suo arbitrio, & secundum cõsilium voluntatis suæ cuncta disponens: hanc embrioni ex fidelibus, illam embrioni ex infidelibus, id est, corpusculo in ventre matris organizato, pro suo libito animam destinat, neque dicere ei quispiam potest, cur ita facis? Quãti vero momenti ad salutem, & vitam æternã consequendam, hoc sit, quia omnibus liquet, dicere non est opus. Iam vero ex parentibus fidelibus genitus sic erat, vt melius ei esset non fuisse: vtpote filius iræ, natus in combustionem, & cibum ignis, nisi in alteram formam reficeretur. Formatus ergo in animam viuentẽ, reformatus est in spiritum viuificantem, in similitudinem terreni Adam, progenitus in cœlestis similitudinem, aqua salutari regeneratus est. Hoc est quod ait, *super aquam refectionis,* id est, regenerationis *educauit,* id est, refecit, & reformauit *me.* Hæc secunda gratia est, quod videlicet, in vtero (Deo conseruante) nõ fuerit aborsus, & in partu ipso protegente non fuerit suffocatus, sed Dei dono ad baptismum regenerantem peruenerit. Postmodum vero, annis infantilibus transactis cum ad boni & mali discretionem peruenisset, abire cœpit vias distortas

Decem gratiæ collatæ Dauidi

1.

Eph. 1.

Animæ rationales à Deo corpori vsui secundum vnamquamque dentia ordinẽ infunduntur.

Rom. 9.
Marc. 14.
Ephes 2.
Isai. 9.
2. *Cor.* 15.

Genes. 2.

Tit. 3.

2.

Galat. 6.

Psal 22. *Deo rectè regubernatus non errat.*

Ioan 14.
4. *Reg.* 4.
2. *Tim.* 1.

tas post malitiam cordis sui, appetitus effrenes, & carnis desideria stulte perficiens: siquidem omnis sensus *& cogitatio hominis, in malum prona est ab adolescentia sua*: sed respexit eum dominus ex alto, & miseratus errantem illius animã conuertit: ne videlicet fallaces & fugaces vmbras sequeretur, & in vitiorũ præcipitia laberetur. Hæc tertia gratia est, qua scilicet Deo illuminante, relicta nequitia, *viã veritatis elegit*. Sed quid prodesset bene eligere & male prosequi? qui ergo dedit velle bonum, dedit etiam perficere. Vnde sequitur Psalm. *Deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum*. Parum erat Deo, viam iustitiæ demonstrare, nisi dignaretur etiam ambulantẽ dirigere. Vnde (sicut propheta Hieremias ait) *non est hominis vt ambulet, & dirigat gressus suos, sed à Deo gressus hominis dirigentur, & viam eius volet*. Hæc quarta gratia est, Deum habere in via sua rectorem, & directorem, quod quantam fiduciam ei præstiterit, attendite. *Nam etsi ambulauero* (inquit) *in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*. Fœlix qui tali comite poterit gloriari, non est vnde timeat errorẽ, qui veritatem habet, sui itineris directricẽ. Sed nunquid forsitan ô propheta non cades, non offendes, non à recto itinere deuiabis? quis ita viator securus est, vt non timeat mala? Errare (inquit) forsitan potero, sed si deuiauero, *virga tua baculus tuus ipsa me consolata sunt*. Hæc quinta gratia est, correctionis scilicet, qua Deus electos suos subleuat à peccatis, insigne profecto amoris indicium, corripit enim filium quem diligit. Væ miseris quos in peccatis consenescere permittit: hæc grandis ira Dei, & post infernum secunda, cum peccator pro suo libito peccare permittitur, *vt qui in sordibus est sordescat adhuc*. Vnde sicut idem propheta alibi ait, *exacerbauit dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non quæret*, & miseri sæpius pro hac impunitate & licentia, stulte Deo gratias agunt: cum deberent potius cũ eodem propheta rogare. *Ad te domine clamabo, ne quando sileas, aut taceas à me*: nam si tacueris, si dissimulaueris, *assimilabor* vtique *descendentibus in lacum*. Vnde Augustinus, *nihil infælicius fœlicitate peccantium*. Hanc sequitur sexta gratia spiritualis refectionis, de qua ait. *Posuisti in conspectu meo mensam* doctrinæ, scilicet, in scriptura sacra *aduersus eos qui tribulant me*, quamuis hæc mensa ad salutarem refectionem dominici corporis congruentius referri possit: sicut ait Chrysostomus, *sicut leones flammas spirantes, sic terribiles diabolo discedimus*. Hanc sequitur septima gratia deuotionis quæ affectum impinguat, & ad omne opus bonum virtutem roborat. *Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quam præclarus est*? Hæc facit non sentire laborem, hæc alacrem reddit viatorem, & facilem ad currendã viam: sicut scriptum est. *Assument pennas vt aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient*. Hæ sunt rotæ agiles, quas secum rapit spiritus, quocunque ierit, quas vocauit volubiles: quia oleo spiritus vnctæ erant, vnctio enim sacta cordis nostri grauissimam rotam ad omne bonum agilem reddit & mobilitat. Fœlix cuius caput oleo isto frequentissime impinguatur, sed *calix ille* fetuoris *inebrians quam præclarus est*. Hoc est vltimum quod in hac vita desiderari potest, quando non sola deuotionis vnctione animus impinguatur, sed potenti chatitatis vino, extra se rapitur, & inebriatur. Hoc est vinum illud nouum, quod nõ mittitur in vtres veteres: de quo beatus Iob. *En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas confregit: sed spiritus pertransibit in illo, & non subsistet, & non agnoscet amplius locum suum*. Heu, heu, transit spiritus, & nullum in anima relinquit vestigium, post ardẽtem deuotionem, & feruentissimam ecstasin, in priorem relabitur algorem, quasi nihil omnino transisset: *misericordia autem domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum*. Hęc transeunte spiritu, non deserit, sed firma eos protectione tuetur. Hoc est quod ait, *& misericordia eius subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ*. Gratia

Gen. 8. Psal. 32. 3. Psal. 118. Psal. 22. Hierem. 10. Psal. 36. 4. Psal. 12. Ibidem. 5. Heb. 12. Apocal. 12. Psal. 10. Psal. 27. 6. Psal. 22. 7. Psal. 18. Isai. 40. Ezech. 10. 8. Matth. 9. Iob. 32. Psal. 102. Psal. 102.

enim Dei, & misericordia in sanctos eius, & respectus in electos illius: vnde & *Psal. 23.* *absondet eos in absondito vultus sui, à conturbatione hominum, & à contradictione linguarum* Hæc firma Dei protectio & solicitudo. De qua alibi ait. *Psal. 30.* *Dominus solicitus est mei* dormientes & vigilantes iustos custodit, ne à maligno lędantur. *Psal. 39.* O bone Iesu, quantas à te gratias & bona accepimus ignorantes, quotiens nobis nescientibus, aut etiam dormientibus, mille peccatorum offendicula tollis, mille laqueos infringis, mille pericula remoues. Quotiens in malum post delicias currimus anxie quærentes & procurantes obtinere plurima, quæ tuam nobis sedula pietate auertis, quia nobis noxia & mortifera sunt, quotiens hanc tuam erga nos prouidentiam postmodū agnoscētes clamamus. Gratias tibi domine, quia obstitisti, quia impedisti, quia non licuit quod nocituri erat. Post diutinam cum Angelo luctam, grandis ille athleta Iacob, illucescente mane, dimittere non vult obluctātem angelum, nisi benedixerit ei, & tu si quandoq; donatum tibi fuerit, hāc luctam experiri, cum iam spiritū neruis omnibus retinere nequiueris. obsecrato eum, vt relinquat saltem benedictionē & protectionem hāc, quæ tecū maneat, & tecum laboret, & ab omni malo te defendat. Sed quid est, quod ait, *misericordia eius subsequetur me*, cum alibi dicat, *Deus meus, misericordia eius præueniat me*? Non est vtique contradictio neq; repugnantia: præcedit enim, & sequitur nos Deus: præcedit monendo, sequitur ordinando: præcedit inspirando, sequitur conseruando: præcedit inclinando in id quod bonū est, subsequitur quod bene actum est, dirigendo atq; disponēdo: homo n. proponit, & Deus disponit. Multæ domine misericordiæ tuæ, sed ex tam multis, aliquæ præcedūt, nōnullæ sequuntur. Nos quod ab æterno elegisti, quod in ecclesia tua statuisti, quod baptismi lauacro abluisti, nos hęc misericordiæ tuæ domine & similes prędecedunt nos: quod vero post peccata cōuersos suscepisti, quod pœnitentibus indulsisti, quod quærentibus apparuisti, quod vocantibus respondisti, & ad bona conantibus optatum finem præstitisti, hæ misericordiæ tuæ domine, & similes subsequentur me, omnibus diebus vitæ meæ. Sed illa omnium suprema & maxima misericordia & gratia tua domine: de qua sequitur, *& vt inhabitem in domo Domini, in longitudine dierum*: sed in quanta longitudine, *beati qui habitant in domo tua domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* in æternum, & in sæculum sæculi. Hic finis, hic portus quo Deus electos suos dirigit & dirigēdo perducit. Hic vitæ terminus, hæc laborū præsentiū quies. Audistis fratres, modū quo Deus iustos suos dirigat per vias rectas? Obsecro vos per misericordiā Dei, permittite vos regi ab eo, illi vos ipsos committite gubernando: ne sitis rebelles lumini & gratiæ Dei. Nolite resistere, imitamini illum qui dicebat: *factus sum vt iumentum coram te*, vt scilicet pro libito tuo dirigas & deducas me, quocunq; placuerit. Tu sessor, & ego equus: tu auriga, & ego currus: tu gubernator, & ego nauis. Quænā est obsecro hæc proteruia? quæ superbia & cerui x tua ò anima mea, vt Deo creatori & factori tuo resistas, & domino tuo nolis esse subiecta? Disce obedientiam à brutis, & à tibi subditis subiectionē, iumentorū tuorū esto discipula, vt subdita sis. Quāta beneuolentia tibi seruiunt cuncta? quanta subiectione tibi omnia parent? qua facilitate & alacritate, pulcherrimus tibi subditur equus, furens & spumans, tenues nō rumpit habenas, gracili loro, licet potentissimus, ducitur quocunq; libuerit. Sed & cornutus bos patiēter aratra suffert, astat humilis obliganti domino, impositumq; iugum, obedientissime portat. Vides equarū & vaccarum, amplissimos greges, paruulo custode, deduci pro libito, adaquari eas, & iterū remittit ad pascua, quo zelo, qua diligētia, qua solertia, domū tuam, & pecora tua, canes custodiūt tota nocte latrātes peruigilant, vt lupos & fures arceant: quod si quispiam clausura introire prędsumserit, irruunt vt leones in eum, & seipsos obliti,

Multa pericula à nobis tollimur.

Gen. 32.

Sapien. 9.

Psal. 58. *Quomodo misericordia præueniat & sequatur.*

Psal. 118.

Ephes. 11. *Ephes. 5. & Tim. 3.*

Psal. 22.

Psal. 83.

Sapien. 10.

Psal. 72.

Brutorum animalium erga homines obedientia.

obliti, neq; gladiis, neq; fustibus, ire obuiam timent, vt commissa custodiāt. Discę (inquā) à subditis obsequiū, & à seruientibus seruitutē, neq; tu fecisti ea, nonà te creata sunt, & tamē quia placuit cōditori subiicere ea tibi, sic obnixe obtemperant dominanti. Quanto amplius tu Deo creatori tuo obedire subiicique debueras, à quo tibi omnia subdita sunt. O ceruicem durissimam, ò superbiā execrandam: vt nolit opus artifici suo parere, & creatura infirma, suo subiici cōditori? Agnoscunt bruta superiorē vim, in rationali natura, & non itidem rationalis homo agnoscet in natura diuina? Brutum homini regendum se cōmittit, & non itidem faciet homo Deo? Vnde

Psal. 61. Psal. 61. *Nonne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum: nam & ipse Deus meus, & salutaris meus, susceptor meus.* Quasi dicat. Nonne pro his omnibus merito subiicietur & seruiet ei? Fœlix qui se illi per omnia tradidit gubernandum, quis dicere potest cum Apostolo? *Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Christus*: qui non tam ratione quam

Gal. 2. spiritu Dei ducitur, sicut equus dirigitur à sessore. Quid enim aliud viros sanctos, nisi equos ingenuos dixerim, qui bus aduersus dæmonum phalāges Deus fortiter prælietur? De his propheta Ab a-

Abac. 3. cuch cap. 3. *Qui ascendis super equos tuos, & quadriga tua saluatio.* Zacharias propheta cap. 1. Exercitum pergrandem e quorum vidit, quorum nullus alius erat sessor, nisi Deus, sequentium virtū quendam sedentem super equum rufum inter myrteta, id est, Dei filium, in humano corpore, passionis suæ sanguine rubricatum. Quis enarrare sufficiat quanta & quam mirifica Deus operetur quotidie in sanctis suis? Qualis equus Paulus, quo sibi Deus orbem subegit ac pedibus suis strauit. Qualis Petrus, quo Romani Imperii fastigium, in fidei obsequium subiugauit. Videas quandoque potentissimum sompedem phaleratum, ostro insignem & auro, incessu, & gestu de dominus sui insidentia tumescentem, & veluti gloriantem. Quid mirum si glorietur sanctus quem insidet & inhabitat Deus? *Millia* (inquit) *latantium dominus in eis*: reprobi autem damulis indomitis, aut vagantibus onagris persimiles sunt: teste Iob cap. 11. qui de lasciuienti ac lubrico viro ait. *Quasi pullum onagri liberum senatum putat*, id est, nulla teneri lege, nulla subiectione arctari: sed sibi omnia licere quæ vult. Quis vnum quempiam ex istis domare, quis ei vnquam iugum imponere potuit, nisi Deus? De his Psalm 31. *In chamo & fræno maxillas eorum constringe qui non approximant ad te.* Fræno & onere domantur bestiæ: sic Deus quandoque peccatores infrænare solet, multoq; ægritudinum, persecutionum, laborū onere deprimere, vt benignum sessorem suscipiant, & onus eius leue & suaue sustineant. Sic in Isaia legimus. *Laude mea infrenabo te, ne intereas.* Sed iam quibus viis dominus suos, in viam salutis dirigat, ostendamus: neque enim vna & eadem via, omnes electi pergunt in gloriā: sed alius sic, alius sic. Omnes tamen vias domini, in duas psalmographus colligit, dicens. *Vniuersæ viæ domini, misericordia & veritas*: his duabus misericordia scilicet & veritate, in terram promissionis desideratam tendit omnis sanctus. Aut enim misericordiæ operibus incumbens, cum Martha solicite seruit, aut sola veritatis contemplatione contentus, ad pedes Iesu cum Maria quiescit. Prima, via secularium: secunda, monachorum, vnusquisq; viam quam elegit sequatur & teneat: sicut scriptū est. *Teneo quod habes, & in qua vocatione vocatus est quisque, in illa permaneat*: nā qui sæpius mutat viam, de via in viam sæpius transiēs, dum omnes perlustrat per nullam earū vadit. *Væ peccatori qui duabus viis graditur*, ait Salomon, quotiens diabolus, festinantibus viatoribus illudit, vt viam bonam quam sequuntur dimittant, & viam aliorum ambiant. Qui choro vacat amabit pulpitum, & qui populis prædicat, chori quietem desiderat, qui pro domino in fratrū seruitio laborat, orationis otium cupit, & qui hoc otium sequitur, laborantium fructū exoptat: & ita fit vt dum inuicē æmulātur, &

Psal. 67.

Psal. 31.

Matth. 11.
Isai. 48.

1. Cor 2.
Psal. 24.

Luc. 10.
Ibidem.

Deus mirifica operatur per suos sanctos.

Aporal. 2.
1. Corinth. 7.

Eccles. 9.

Vnusquisque vt amquam elegit sequatur.

quod

quod alterius est vnusquisque ambit, quod suū est remissius exequatur. Grandis delusio fratres, & quæ sub pietatis prætextu, festinantes viatores valde retardat. Quod si duabus viis in eandem ciuitatem eundum non est, quam stultū est velle vno & eodem itinere oppositas ciuitates adire: sicut multi secularium faciunt, qui sic vias cœlestis Hierusalem ambulare cupiunt, vt terrenæ Babylonis itinera non relinquant. *Via Domini* (sicut Bernardus ait) *via recta, via pulchra, via plena, via plana.* Rectæ sine errore, quia ducunt ad vitam; pulchræ sine sorde quia docent munditiam; plenæ multitudine, quia totus iam mundus est intra Christi sagenam; planæ sine difficultate, quia donant suauitatem. Vere semita iusti recta est, impii autem in circuitu ambulant semper euntes, & nunquam proficientes. Cui nam assimilabimus eos? similes sunt iumentis circumtrahentibus aquarias rotas, in tectis oculis, perpetuo labore fatigatis, neque ab eodem interim curriculo discedentibus. Vnde Psalm. 11. *Domine pone illos vt rota.* Quam pulchra sit via iustitiæ, quā plana, quam grata, quam iucunda, delectabilis atque desiderabilis, solus nouit qui per eandem vadit. Vere *pax multa diligentibus legem tuam* domine, *& non est illis scandalum*: via autem impiorum difficilis, sicut scriptum est, *Contritio & infœlicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt.* Et iterum: *Lassati sumus in via iniquitatis ambulauimus vias difficiles, & non nobis illuxit lumen, Sol non ortus est nobis.* Miseri & infœlices, quia cum suauitate, paradisi gloriam obtinere potuerunt & elegerunt potius vias duras, quæ ducunt ad incendium. *Deduc me domine in via tua, vt ingrediar in veritate tua*: ad tuam enim veritatē pertingere, nullo modo potero, nisi te rectore, spiritus tuus bonus ille deducet nos in terram rectam. Illum domine mitte de cœlis, à sede magnitudinis tuæ, qui nos per varias huius pelagi syrtes, & innumera pericula dirigat, & in optatum portum deducat. *Emitte* (inquam) *lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa quippe deducent, & adducent nos in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua,* ad iucundam, gratam, desiderabilem, & inæstimabilem visionem gloriæ tuæ. Quam nobis præstare digneris, per Iesum Christum dominum, & redemptorem nostrum, qui tecum & cum Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Ezech 18. *Osee* 14. *Matth* 7. *Matth.* 13. *Isai.* 26. *Psal.* 11. *Psal.* 82. *Psal.* 18. *Psal.* 13. *Sapien.* 5. *Psal* 85. *Psal.* 142. *Sapien.* 9. *Psalm* 42.

DE VNO MARTYRE CONcio altera hoc est, de Diuo Romano.

THEMA.

Et firmabitur in illo, & non flectetur, & continebit illum, & non confundetur, & exaltabit illum apud proximos suos. Ecclesiastici 15.

PRopheta Dauid late prosequitur piā quandam ecclesiæ, & sanctorum martyrum quærimoniam, quasi deserantur à Deo. Vnde sic ait. *Deus auribus nostris audiuimus, patres nostri annunciauerunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis*, fauores & beneficia quæ præstitisti eis, magna & ingentia. Quomodo tractaueris Abraam, Isaac, & Iacob famulos tuos quomodo dilexisti eos, & benedixisti eis: similiter Moysen, Iosue, & cæteros antiquos patres, quam potentes & claros in omnibus fecisti eos? Audiuimus magnalia quæ fecisti in Ægypto, portenta quæ operatus es, quomodo occideris primogenitos, siccaueris aquas, submerseris currus, & populum tuum manu potenti eduxeris. Sed & cum in terram promissam induceres eos, *manus tua gentes subuertit, & plantasti eos, afflixisti populos, & expulisti eos*: neque quidem hæc potentia populo infirmo & inermi attribui potest. *Non enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos: sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis.* Audiuimus etiam quomodo iam plantatos protexisti, quomodo fouisti eos, ne à nationibus lederentur.

Psal. 45. *Psal.* 105. *Psal.* 43. *Psal.* 104.

Nolue

Psal. 104. *Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari: qui tetigerit vos,*
Zachar. 2. *tanget pupillam oculi mei. Tu ipse es rex meus & Deus meus, qui mandas salutem Iacob.* Ipsemet es quem ego colo, veneror, & adoro. Quænam ergo ista mutatio? quænam ista desertio? quomodo nunc populo tuo mutatus es in crudelem? Hæc quidem omnia & ampliora pro famulis tuis, illo in tempore feciſti: *nunc autem expuliſti nos, & confundiſti*
Psal. 43. *nos, & non egredieris Deus in virtutibus noſtris: auertiſti nos retrorſum poſt inimicos noſtros, & qui oderunt nos, diripiebant ſibi: dediſti nos tanquam oues eſcarum, & in gentibus diſperſiſti nos: vendidiſti populum tuum ſine pretio, & non fuit multitudo in commutationibus eorum. Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationẽ, & deriſum, his qui in circuitu noſtro ſunt. Poſuiſti nos in ſimilitudinem gẽtibus, commotionem capitis in populis*, neque ſatis viſum eſt hoc in conſpectu tuo. Parum fuit ſanctis martyribus tormẽta crudeliſſima ſuſtinere, ſicut oues in macello laniari: ſicut in hiſtoria eccleſiaſtica ſub Licinio Imperatore factum legimus. Cum enim iam carnifices laſſati eſſent, & præ nimia crudelitate iam tædio afficerentur, diutius torquendo martyres eos lanionibus tradiderint: vt in macello velut porcos, & arietes laniarent, & membratim diuiſos, piſcibus in eſcas ponto proiicerent. Parum (inquam) fuit illis pro te ſuſtinere tormenta, niſi quoque pudorem, & verecundiam nuditatis, in populis portarent. Publice enim mulieres in plateis nudæ ſuſpendebantur, diebus integris ſpectaculum contumeliæ in populis ſuſtinentes, omnibus
Ibidem. irridentibus, & exprobrantibus nuditatem. Hoc eſt quod ait: *tota die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me, à voce exprobrantis, & obloquentis à facie inimici, & perſequentis.* Gaudebant, & exultabant ſuper eos
Psal. 34. dicentes: *Euge, euge, viderunt oculi noſtri*, inſultabant eis quaſi ſacrilegis, nec erat quid eis reſpondere poſſent præ confuſione, quia nullus eis è cœlo videbatur adiutor. Neque quidem pro peccatis hęc omnia patiebantur, intra ipſos tamen erat, qui eos confortabat, ne deficerent in tormentis, & ad pias quærellas eos incitabat. Vnde ſequitur: *hæc omnia venerunt ſuper nos, neque obliti ſumus te, & inique non egimus in teſtamento tuo, & non receſſit retro cor noſtrum. Si obliti ſumus nomen Dei noſtri, & ſi expandimus manus noſtras ad Deum alienum*, non pro peccatis, non pro ſceleribus noſtris quaſi latrones, adulteri, vel homicidæ, hæc omnia patimur: ſed propter te, propter nomen tuum Deus, & gloriam tuam, propter honorem tuum, fidem, & dilectionem tuam. *Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.* Propter te hæc omnia ſuſtinemus: & tu domine obliuiſceris nos in finem? *Vſquequo dormis: vſquequo dormitabis? exurge, quare obdormis domine? Exurge, & ne repellas in finem, quare faciem tuam auertis? obliuiſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ. Quoniam humiliata eſt in puluere anima noſtra, conglutinatus eſt in terra venter noſter. Exurge domine adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum.* Quotiens putas hunc pſalmum, hanc orationem, & piam quærimoniam cum lachrymis, & ſingultibus, ſancti patres, Pontifices, & clerus in montibus decantabant cum eccleſiis dirutis in ſubterraneis foueis latitantes, diebus, & noctibus coram domino deplorarẽt. Quo dolore, qua afflictione, quibus lachrymis coram Deo hæc omnia perſonabant. Mirabantur ſupra modum, quod Deus iuſtus, & bonus, qui ſuperioribus temporibus ſynagogæ tam pie, & benigne ſeruos ſuos tractauerit, nunc in exordio naſcentis eccleſiæ cum propter carnem aſſumptam, fauorabilior populo ſuo merito putaretur: è contrario eos in manus perſequentium deſeruiſſe videretur. *Sed ô altitudo diuitiarum, ſapientiæ,* Rom. 11. *& ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius?* Non erat illa deſertio, ſed fauor ingens: non obliuio, ſed ardentiſſimus amor: ſic enim expediebat illis, ſic fieri oportebat. Non eſt Deus perſonarum acceptor, ſed temporum conſiderator: prio-

Martyres inſtar porcorum mactati ſunt.

Ephes 6. & Rom 2. & Col 3.

ribus enim temporibus, cum mundus adhuc puer, & populus domini imperfectus erat: pius dominus, quasi mater teneros paruulos, sic homines munusculis, & ludicris ad se trahebat. Ditabat suos & in omnibus prosperabat, vt cæteri homines, idololatræ, cupidi, lubrici, & ambitiosi: vel hoc fauore ad eius cultum, & seruit um allicerentur: si non amore iustitiæ, saltem cupiditate lucri: vt videlicet dicerent populi apud se: seruiamus Deo optimo, qui sic suos seruitores, & cultores honorat, & custodit. Postmodum vero mundo iam dominico aduentu illuminato, & perfecto, Spiritu S. in visceribus hominum infuso: viros iam consummatos, & doctos, puerorũ ludicra non decebant, sed magis bellantium arma, vt strenue agerent, & egregie militarent: vt vel sic quid dominicus aduentus mundo profuisset, populis innotesceret. Et certe valde aliud est, munusculis, & donis in domini cultum retineri, & tormentis, & morte non posse ab illo quomodolibet separari. Vide quid profuit Deus in terris: vide quid hominibus contulit maiestatis aduentus. Itaque viros iam perfectos, grandia pro Deo agere oportebat, vt latens in eis Spiritus S. virtus cunctis hominibus pãderetur: item oportuit ita fieri, vt quid Deo mundus deberet apertius innotesceret. Dominicam enim passionẽ, clauos, flagella, irrisiones, sputa, spinas, nuditatem, opprobria, mortem aliud est è pulpito referre, aliud equuleo sentire. Potauit eos dominus calice suo, vt agnoscerent quam ipse amaritudinem e bibisset, quid pro eorũ peccatis in cruce sustinuisset: & quo magis beneficium agnoscerent, eo ardentiori affectu, gratias pro illo referrent. Et quidem quamdiu Deus pro omnibus dolores passiones, persecutiones, & mortẽ passus non est, hæc ab hominibus minime postulauit. Sed postquam hæc omnia sustinuit, quid mirum si seruus patiatur pro domino, quod dominus pati pro ipsomet seruo dignatus est? quid multum si seruus domini sui vestigia sequatur? imo mirũ si non sequatur. *Non est* (inquit) *seruus maior domino suo*, si me persecuti sunt, & vos persequentur. *Ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi pater meus*: nõ facio vobis iniuriam, via qua me duxit pater, ego duco vos: neque enim amplius diligere debeo seruum, quam pater suum diligat filium. *Oportuit pati Christum, & sic intrare in gloriam suam*, quanto magis famulos, vt in regnum intrent alienum? Hæc porta domini, iusti intrabunt per eam, non dedignetur iustus intrare cœlum per portam crucis, per quam ingressus est dominus. Hæc est enim voluntas Dei, vt accipiat vnusquisque crucem suam, & sequatur eum. Nouit quippe, qui optime nouerat quid in seruis suis esset virtutis, subtrahere eis occasionem illius exercendæ, qua possent, & in mundo clarius emicare, & in cœlo perpetuas sibi coronas acquirere. Quam glorioſi, quam illustres ex hac fortitudine sua facti sunt inter homines, quantum sibi coram gentibus laudis, & gloriæ acquisierunt. Si Stephanus lapidatus, Laurentius assatus, Sebastianus sagittatus, Vincentius laniatus non fuissent, in obscuro forsitan perpetuo remansissent: neque vlla memoria eorum in ecclesia modo esset. Thesaurus absconditus nullum foras misisset fulgorem. Iob in sterquilinio clarior fuit, quam in sceptro, & isti in equuleo clariores, quam in diaconatu. Sed quid de laude hominum loquor? ad gloriam illam cœlorum magis intuendum est. Bone Deus quæ vox, quæ poterit lingua retexere, quæ & quanta tuis martyribus munera præparasti? quis eorum gloriam atque lætitiam enarrare sufficiat, hoc vnum dixerim. Si in cœlicolas liuor cadere aliquo modo posset; certe angeli pacis sanctis martyribus inuidere poterant, quoniam nullus angelus pro Deo assatus, nullus excoriatus, nullus lapidatus est. Quid enim amplius pro Deo facere potuerunt, quam exponere vitam pro illo, à quo eã prius acceperant? quomodo putas lætantur? quomodo exultant modo cum hæc omnia considerant? quomodo beatificant ignes, gladios, vngulas, flagella, cruciatus quos passi

Act. 10.

Simile.

Luc. 24.

Psal. 119.

Matth. 16.

Martyres clariores effecti per tormenta.

Act. 7.

Grandia pro Deo agere oportebat.

Eccles. 20. & 41.

Iob 2.

Ioan. 13.

passi sunt, per quos ad tantæ beatitudinis fastigium peruenerunt. Quomodo gaudent, quia in manus laniantium pie deserti sunt: quantum nollent tũc fuisse adiutos. O glorioſam nimis martyrũ militiam, ò honorabilem sanctorũ militum triumphum? quam celebres, & illustres in cœlo, & in terra fecit illos breuissima passio. Hi enim Christo domino retulerunt mortem, quam pro omnibus passus est. Soli eius calicem potauerunt, soli quod vltimum omnium, & difficilimum est, pati scilicet, & mori incredibili charitatis feruore, suo domino contulerunt. Propter quod merito ab illo præter cæteros sanctos, aureola mirifica decorantur. Vides certe, quia non erat illa desertio, prout tunc videbatur: non fuit crudelitas, sed ingentissima pietas, quod pro Christo domino laniati sunt. *Matth. 10*

Simile. Sicut enim vasa aurea, & argentea, cum ab aurifice conflantur, tunduntur, vstulantur, & poliuntur: si humanum sensum haberent conquererentur vtique de tormento, & tamen postmodum in abaco fulgentia, de suo fulgore, & pulchritudine lætarentur, & conflatorio suo quod eis non pepercisset, immensas gratias agerent: sic de martyribus sentiendum est. Fuit etiam eorum confessio ecclesiæ Dei, quam maxime necessaria: inde enim maxime adaucta est, vnde minui putabatur. Occidebatur vnus, & plurimi viuificabantur. Fides tormento attrita, velut granum synapis, in plures suum fundebat vigorem, atque ita draconi astutissimo illudebatur, vt proprio laqueo caperetur, & vafricie sua populum Dei quem abolere nitebatur augeret. Sed & fides, spes, charitas fidelium, quantũ roboris, & vigoris, ex hoc martyrum agone susceperũt? Quis nunc de fide, & Christiana religione audeat disputare, quæ tot millium testium sanguine firmata est? Quis vitæ futurę præmia non credat, aut non speret, pro quibus tam atrociter laniari tot martyrum millia consenserunt. Nunquam enim (vt Gregorius ait) vitam hanc cunctis dilectam tam alacriter expoſuissent, nisi esse aliam lõge meliorem firma definitione sentirent. Charitatis autem quale in eis exemplar, nobis propositũ est: quis erat feruor amoris in eis, quibus mori pro dilecto modicum videbatur. Disce Christiane ab istis amorem, disce fiduciam, disce fidem, hanc martyrum scholam sæpius frequentato, vt & amare, & amoris virtutem addiscas. Intellige quid pro Dei gloria sustinere debeas, vt quem diligis non offendas. Hi namque ne vel duobus digitis coram simulacro thura iactarent, ne vel vini modicum libarẽt, ad aram, & reliquum effunderent coram ea: exuti, & laniati se potius permiserunt, quam ex corde in peccato consentirent, quam ex animo retrocederent à Deo, qui neque ad id solo exteriori signo perpetrandum tam atrocibus tormentis, & dira morte induci potuerunt. Quid nos miseri dicturi sumus in iudicio, qui tam leuiter à Deo separamur? qui Dei gratiam, & amicitiam pro nihilo pendimus? quibus non equuleus, sed nummus sufficit ad offensam? quã merito coram istis damnabimur, quorũ tam eximia virtus, neque morte superata est. Forma charitatis nobis nobis proposita est, quam sequamur, sed & fortitudinis, constantiæ, patientiæ, mansuetudinis, humilitatis, cæterarumque virtutum omnium exemplar in illis emicuit. Quis de cætero superbire audeat? quicquid pro Deo sustinuerit, quicquid egerit, quid enim est totũ quod agimus si minimo istorum agoni comparetur? In his Christianissimi normam, & totius regulam religionis, in his vere Christi, Euangeliq; philosophia descripta est, quãquis imitari voluerit, optata proculdubio beatitudine perfruetur. Sed væ miseris nobis si post tot martyrũ exempla, post tot sanctorum documenta, post tot gratiarum adiumenta perire contingat. Et quidem Iudæo aliqua in iudicio forsan poterit esse excusatio, quia in illo tempore natus est, quando in vmbra, & non in luce viuebatur, quando & vita difficilis, & caliginosa dies erat. Pagano similiter: quia illi non illuxit dies, sol non ortus est ei, nunc autem post solem ortum, & diẽ serenam, post scripturas, post tot du-

Maxime necessaria fuit Ecclesiæ confessio martyrum.

Matth. 13 & Luc. 13.

A Iudæo & Pagano excusatio aliqualis affiri poterit.

Sap. 5.

ces, & præceptores, poſt claram, & apertam notitiam veritatis, nunc (inquam) poſtquam via ſalutis, tot hominum millibus præeuntibus, ſic coram oculis trita, & ſtrata eſt, quiſnam excuſationis locus Chriſtiano relinquitur, ſi oberrat? Fœliciſſimum quidem fuerit hoc tempore naſci, quando lux veritatis palam mundo illuxit, ſi veritatem, bonitatemque ſequamur: ſin minus infœliciſſimũ & miſerrimum, & ad noſtræ damnationis cumulum maxime conferens. Quoniam in medio lucis hallucinati ſumus, & quaſi in tenebris, ſic palpauimus in meridie. Vnde dominus in Euangelio. *Seruus neſciens voluntatem domini ſui, & non faciens plagis vapulabit paucis: ſeruus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens plagis vapulabit multis.* Sed quid de noſtris temporibus dicam? Redierunt fratres priora ſæcula, & iterum ad ſuam infantiam, in vltima ſenectute deuolutus eſt mundus. Iam ſine munuſculis nemo ſequitur Deum, non eſt qui gratis accedat ad altare eius, ſicut Apoſtolus conqueritur. *Omnes quærunt, quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti.* Vbi hodie zelus? vbi fortitudo martyrum? quis hodie ſic zelat gloriam Dei? quis ita diſcrimini ſe obiicit propter Deum? Quanta hodie fiunt in congregationibus, in cõſiſtoriis, in capitulis, contra Deum, & bonos mores, & publicam vtilitatem: nemo eſt qui ſe opponat, nemo eſt qui reſpondeat, & præuaricatoribus vel ſolis verbis obſiſtat. Nemo pecuniæ ſuæ patitur ſuſtinere iacturam, nemo audet contriſtare maiores, ſatis ſe feciſſe putat, ſi ipſe non facit, ſi non dilapidat, ſi non eſt particeps in crimine, & iniquo conſilio non iungitur ſceleratis. Noli obſecro domine Ieſu, noli hoc tempore probare nos ne appareat quid habes in nobis. Quid enim putamus fratres, ſi hodie in populo Chriſtiano aliqua ex priſcis illis perſecutio naſceretur? ſi aliqua illius ſæculi eccleſiæ tempeſtas ingueret? Creditis, non inueniret Deus fidem in terra. Qui minora non ſuſtinemus, quomodo ſortaremus maiora? Et qui in modico fideles non ſumus, quomodo eſſemus in maximo? Nõ ſuſtinemus propter Chriſtum iniuriam fratrũ quomodo ſuſtinetemus torméta tyrannorum: Non toleramus iacturam pecuniæ, quomodo toleraremus diſcrimina vitæ? Ex Germaniæ facto experimẽtum aſſumite, quam grandis, & vaſta prouincia vnius homuncionis dolo, à veritatis, & certæ fidei tramite, deuiauit, populus alioquin grauis, & nobilis, cui propter illuſtrem, & ſingularem fidem Chriſtiani populi imperium, aduerſus infideles, & barbaras gentes, à ſummis Pontificibus olim conceſſum eſt, quam exiguo momento, heu quam facile in errorem peſtiferum declinauit: & magna ex parte ſubuerſus eſt. Omnes eius perditionẽ, & ſubmerſionem audiſtis: Dicite quot Epiſcopos, quot monachos, quot prædicatores, & rectores eccleſiarum, in tam vaſto populo, laniatos, diſcerptos, combuſtos, enumeraſtis, qui falſitati obſiſtentes palmam martyrii ſortirentur? Quis contra peſtilentem errorem, publice in platea clamauit? Quis vſque ad ſanguinem contradixit? Quis pro fide catholica, vel leue diſpẽdium tolerauit? Qui obuiare debuerant, hi ante omnes non tam forte erroris, quam libidinis gratia ſubuerſi ſunt. Hi primi oblatam coniugii licentiam contra ius, & fas, cõtra fidem, & votum, ardentiſſime ſuſceperunt. Bonus ille monachus eſt viſus, qui etſi non reclamauit, tamen coniugẽ non admiſit. Quam longe aliter beatus Romanus deuotiſſimus, & fideliſſimus fecit, qui audito Aſclepiadis ſacrilegi crudelis aduentu, populum Dei ad eccleſiam conuocauit, & firmiter in fide perſiſtere, cunctos admonuit: itrumpẽtiq; tyranno in faciem obſtitit, ſic eum mira feueritate alloquẽs, quaſi ſeruum, quoniam vere diaboli mancipium erat. Stupefactus Præſes magnanimitatem, & fortitudinem viri ſancti, equuleo ſuſpendi iubet, flagriſq; toto corpore laniari, neque tamen ſic efficere potuit, vt ad eum, vel ſaltẽ mitius loqueretur. O admirandam viri conſtantiã, tormentis variis, non ſolum non frangitur, vt iudici conſentiat, ſed neque flectitur, vt miteſcat:

Germania à via veritatis declinauit, quia nullus ſe primum fortiter hæreſi oppoſuit.

Laus Romani.

Iob 5. & 12. & Deut. 28. Luc. 12.

Phil. 2.

Ezech. 13.

Luc. 18.

Luc. 16.

scat: Sic iudicē ab equuleo, sicut à prætorio reum alloquitur. O monachum, ò si nunc, vel vnum talem monachum haberemus. Iratus iudex, linguam ei radicitus præscidi iubet: vt vel sic elinguis conticeat, & ipse iniuriam non sustineat, sed neq; linguecidio veritas Dei rescindi potuit. Mirandum prorsus stupendumq; prodigium, elinguis disertius eloquitur, & os lingua vacuum à veritatis confessione euacuari non potuit. Simile quidam alibi de quibusdam martyribus scriptum legimus, qui linguis radicitus euulsis, longo postmodum tempore, coram omni populo, per varias ecclesias cunctis admirantibus loquebantur: eratque Christicolis omnibus iucundissimum, hiantia ora, linguis vacua, & laudibus plena, videre, quorum vnus in lubricum carnis postmodū lapsus statim obmutuit, & infectus à vitio, gratiam quam propter confessionis virtutem à Deo acceperat miser amisit: vt vel ex hoc facto videamus, & quam nemo ab hac peste debeat esse securus. In quam etiam confessor insignis post linguecidium labi potuit, & quantum eius fœditas Deo displiceat, qui propter illā confessorum suum gratia concessa indignatus priuauerit. Sed ad nostrum martyrem redeamus. Quam vere illi aptata sunt nostri prothematis verba: *& firmabitur in illo, & non flectetur: & continebit illum, & non confundetur, & exaltabit illum, apud proximos suos.* Parū fuit Deo illum continere, ne forsitan caderet, & confunderetur: parum illum sicut alios martyres ab idololatriæ, & apostasiæ crimine liberare, vt nullis cruciatibus, nullis terroribus, fidem quam acceperat, dicto aut facto, quomodolibet desereret, aut negaret: sed sic in illo firmatus, sic in medio cordis eius stabilitus est: vt neque minis, neque tormentis ab illa animi serenitate, & authoritatis rigore flecteretur: sed quasi blandiē-tem, sic cruciantem despiceret carnificē. Vnde, & merito hic apud proximos suos exaltari meruit, vt eius virtutem, & passionem, perpetuis futuris temporibus, in iubilo, & laude mater ecclesia decantet: & postmodum homine æterno, coram patre, & angelis suis hæreditauit illum dominus Deus noster in beatorum requie. Quam nobis concedat idem dominus, decor, & fortitudo martyrum, cui cum patre, & S. S. est honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Elinguis Romanus loquitur.

DE VNO MARTYRE, Concio Tertia.

THEMA.

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Matth. 16.

MAgnum beneficiū à domino Deo nostro fratres, quia salus nostra, & vita, in nostra potestate constituta est: vt si quis velit tantam possit gloriam obtinere. Ita psal. inquit *Anima mea in manibus meis semper. Reliquit enim Deus hominem in manu consilii sui,* ostendens illi viam vitæ, & viam mortis, vt quam ex illis voluerit sequatur: & sua voluntate, & arbitrio, aut bene viuat, & remuneretur, aut male agat, & puniatur. Non sic huius mundi gloria, non sic honores huius sæculi, & diuitiæ in nostra potestate sitæ sunt, quoniam vana, & inutilia bona sunt. Quæ autem magna sunt in nostra posuit potestate, & ita volentibus adest Deus, vt nemo de seipso conqueratur, si amiserit illa. Quo ad illa ergo beatitudinis ingentia præmia, pares nos fecit altissimus ac æquales: nulla est in hoc differentia potentissimi regis, & fœdissimi Æthyopis, diuitis, & pauperis, nobilis, & ignobilis, neminem excludit à sua gratia, & amicitia Deus. Sic Æthyopem acceptat sicut regem, non dedignatur abiectissimos hominū habere amicissimos. Grandis hæc clementia, gradis benignitas conditoris. Vnde Apostolus Petrus. *In veritate comperi, quia non est acceptor personarum Deus*: omnes animæ hominū coram eo pulchræ sunt, & decoræ, etiamsi corpora in oculis hominum vilescant, homo enim attendit quæ foris sunt, & Deus intuetur cor. Hoc

Psal. 118. Eccles. 15.

Act. 10.

1. Reg. 16. est quod in themate ait. *Si quis vult venire post me*, omnes inuito, neminem abiicio, cuiuscunq; sortis, status, vel conditionis existat, siue Iudæus, siue Græcus, siue Latinus, siue Indus, siue Hispanus, siue Gallicus sit: siue senex, siue puer, siue diues, siue pauper, siue nobilis, siue ignobilis, siue pulcher, siue turpis. Quicunque voluerit esse mihi amicus: si venerit ad me, *non eiiciam foras*. Quanta pauperum in hoc consolatio, quanta diuitum admonitio. Gaudeant pauperes, & abiecti, quia coram domino diuites sunt si volunt: audiant diuites, ne contemnant seruos, quos in gloria fratres esse cognoscunt, & forte habituri sunt superiores præstantioresq;. *Si quis ergo vult venire post me*, neminẽ cogo, neminẽ abiicio, suo hoc arbitrio, & voluntati relinquo, non accepto coacta seruitia, neminem patior mihi seruire inuitum Sed sicut scriptum est. *Voluntarie sacrificabo tibi*, nolo vt aliquis baptizetur inuitus, nolo vt quispiam cogatur ad sacra, qui voluerit gratuito spondeat, & dedicet se. Contra parentes, qui hodie inuitas filias moniales faciunt: sed quid obsecro domine seruienti promittis? qualia famulis stipendia proponis? an gratis, & sine præmio seruiemus tibi? nonvtique. Attẽdite stipendia, attendite seruitia, *abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*. O puritas euangelicę doctrinæ, ò syncerita legis Christi, quam longe est ab omni suspicione mendacii. Attendite quid Christus quærat à seruitoribus suis, videte qualia iniungat officia, mortificationem, & crucem Non blanditiis ad te allexisti homines, ò bone Iesu, non promissionibus vacuis attraxisti, promittens illis solatia, & gaudia, voluptates & opes huius sæculi, ad labores, ad persecutiones, ad asperitates, & mortes aduocasti eos: non bello cogens sed verbo monens. Non sic alii, nõ sic, quid mirum si breui tempore, dimidium post se orbem pessimus ille Mahometus conuertit, laxando fræna vitiis, & voluptatibus, perfruendi licentiam dando, non verbo, sed gladio inuitos cogendo. Tu autem domine non sic: sed quid ais? *Si quis vult venire post me*: inuitas, non trahis: vocas, non cogis: allicis, non impellis: neque enim homini suam vis præripere apud te meriti dignitatem, quia gratis & spontaneus obedierit tibi. Sed iam quid sequentibus se iniungat audiamus. *Abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*. Tria hæc in quibus omnis euangelicæ doctrinæ summa consistit. *Abneget semetipsum*, id est, deponat id quod est, vt meretur esse quod non est: rem in spem commutet, & præsentia futuris commuret: & abiiciat id quod habet, vt possit obtinere quod cupit. Arduum hoc nimis, & supra communem hominis facultatem, nisi in illius adiutorio nostra fulciretur infirmitas. *Ratio enim* (vt inquit Ambrosius) *quamuis excelsa virtus futuris præsentia commutat*: nam vt in ecclesiaste legitur. *Melius est videre quod cupias, quam desiderare quod nescias*. Sed quid non aggredietur homo in verbo tuo bone Iesu? quid non audeat sola tua promissione firmatus? *Cœlum quippe, & terra transibunt, verba autem tua non transibunt*. Vnde ptalm. *Sustinuit anima mea in verbo eius*. Et iterum. *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras* Hoc solo verbo tuo domine martyres laniati sunt, hoc solo verbo horribilia tormenta passi sunt. Propter hoc verbum tuum sponte coram populis, *distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ludibria, & verba experti sunt, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus*. Quanta martyr hic gloriosus sustinuit in verbo hoc, quæ etiam audire horret auditus. O vera fides illorum temporum: quæ non solo verbo, sed tormento confirmatur: cui ad manus semper erat examen, quo verus à ficto discerneretur auditor. Hic exercebatur doctrina, ibi lucta: hic magisterium, ibi exercitium, hic instituebatur verbo fidelis, ibi probabatur tormento, tunc apertissime in oculis omnium apparebat, quis verus huius verbi fuisset auditor;

Ioan. 6.

In tribus consistit euangelica doctrinæ summa.

Eccl. 6.

Psal. 118.

Matth. 24. Psal. 126. Psal. 16.

Heb. 11.

Christus suis seruitoribus crucem & mortificationem proponit.

tor: *abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Non satis est tibi, ò Christiane abnegare teipsum, nisi etiam crucem tuam tollas, non sufficit abiicere quod delectat, nisi etiam amplexus fueris quod cruciat. Abiice gaudia sæculi, & omnia corporis blandimenta contemne, & abnegasti te. Sed hoc amplius à te Christus requirit, vt scilicet pro eius amore labores sustineas, iniurias toleres, famem, sitim, nuditatem, anxietates, dolores, & si opus est etiam mortem atrocissimam patiaris. Hæc est crux, sine qua nemo militat Christo. hæc enim eius militiæ signum est, sine hac Christi militiæ nullus ascribitur: hoc signo dux ipse signatus est, hoc etiam signatur & miles. Qui crucem spernit, Christi militiam abiicit: non ergo Christi militibus se vlterius iungant, omnes enim hoc signo signati sunt. *Tollat* (inquit) *crucem suam*, nam meam non poterit, grauissima est enim, & ponderosa, & quam nullius puri hominis humerus portare sustineat. Non meam iniungo, sed tollat suam, leuem, facilem, portatilem, & quæ non virili humero, sed manu sola portari queat. Sufficit mihi, vt qualemcunque crucem subeat hoc solo contentus sum. Non peto sanguinem à te ò Christiane miles, non vlcera, non tormenta, non spinas, & verbera, quæ pro te ipse passus sum: age pœnitentiam pro peccatis tuis, & sufficit mihi. Ieiuna, plora, vigila, affligе modicum carnem tuam, & satis est. Leuis est ista crux, & quis eam negligat? quis de eius pondere merito conqueratur? Si meam imponerem sustinere vtique debuisses: debes enim mihi vitam tuam, quoniam pro te exposui meam. Sed melius tecum ago, *tolle crucem tuam*, & satis est mihi, non tibi durum videatur verbum crucis, non tibi videatur iniustum, ego pro peccatis tuis onera crucis sustineo: O peccator, & tu qui perpetrasti, tu qui commisisti, videns ridebis, & lætaberis? neque huius tanti oneris participem fieri dignaberis? Non (inquam) te mihi bonum Cyrenæum exhibebis, vt vel à tergo, exiguam crucis meæ portionem sustineas? Quænam tementas ista? qualis impudentia hæc? *Et sustinui* (inquit) *qui simul mecum contristaretur & non fuit, consolantem me quæsiui, & non inueni.* Esset enim mihi in hoc agone hoc non modica consolatio, si eum pro quo sustineo hæc omnia, adiutorem, & non irrisorem haberem, si vel modicum mecum pro suis sceleribus peccato. contristaretur, & suas meis lachrymas dignaretur adiungere: non quod ad redemptionis opus, indigeam socio, non quod mea crux nõ sufficeret mundo. *Torcular calcaui solus*, & ad omnia peccata delenda, solus superabundo: sed quia hoc rectæ iustitiæ ordo deposcit, vt nemo saluetur inuitus, nullus coronetur indignus. Qui fieri meæ consors passionis renuerit, tollat ergo crucem suam, qui non negligit meam, fiat particeps tormenti: qui cupit particeps esse regni, ipse tollat, non expectet, vt sibi imponatur ab aliquo. Exemplum dedit nobis ipse saluator: de quo Ioannes inquit. *Exiuit Iesus baiulans sibi crucem*, non enim expectauit, vt imponeretur sibi à milite: sed viso salutis ligno, vt fortis athleta lætus arripuit. & tu miles Christi similiter facito: tolle crucem tuam libenter, [illegible]hende salutis disciplinam, præueni iram domini, & anticipa in humilitate vindictam: fac ipse iudicium de teipso, priusquam fiat à Deo: valde enim refert ad salutem sustinere dolorem, an accipere, patienter portare inflictam à Deo pœnam, an libenter assumere pro peccatis pœnitentiam, exiguus dolor sponte susceptus, grauissimo præstat tormento violenter tolerato: aliud est enim patienter tolerare quod imponitur, & aliud libẽter subire quod amatur, patientia bona est, sed inuito præstantior spontanea pro peccatis pœnitentia. Sed forte inquies, & vbi ego hanc inueniam crucem? imo vbi non inuenies eam, quocunque te vertas præsto tibi crux erit si Euangelium obseruas: omnis enim vita Christiani (Augustino teste) si secundum Euangelium viuitur, crux est. Vnde Apostolus. *Qui Christi suæ, carnẽ suam crucifixerunt cum vitiis,*

Christi crux tua.

Matth. 27.

Psal. 68.

Isa. 63.

Quomodo tollenda.

Ioan. 19.

Psal. 118.

Sponte sumenda.

Gal. 5.

&

& concupiscentiis. An non crux quæ confixam detinet carnem, ne post suas concupiscentias vadat, & ne pereffluat in deliciis? qui enim crucifixus est quocunque vult verti non potest: sic est omnis caro domino crucifixa. Claui autem quibus configitur, tres sunt, amor, spes, timor. Firmissimus clauus amor, quo munus iusti configitur, ne operetur iniqua. Beatus qui hoc clauo configitur, qui non tam spe gaudiorum, aut timore tormentorum, sed ne dilecto displiceat, tota vita abstinet ab illicito. Hunc qui nondum consequutus est, saltem configatur spe, inclinet cor suum ad *faciendas iustificationes*, & abiiciendas iniquitationes suas, *propter retributionem*. Quod si nec hunc habet ad manus, saltem clamet cum propheta. *Confige timore tuo carnes meas*, & pedes meos, *ne vagari incipiam post greges sodalium meorũ*. Quod si quis huiusmodi clauis, iam mundo crucifixus est, satagat etiam, vt mundus sibi crucifigatur: vt dicere possit cum Apostolo. *Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Sed adhuc restat ei aliquid quod adimpleat, scilicet, & sequatur me: hic enim perfectionis est cumulus, & sine hoc, neque duo priora sufficiunt ad salutem. Quis enim nesciat Philosophos illos antiquos, & gymnosophistas, amore sapientiæ, seipsos, & sua omnia abnegasse, renuntiasse sæculo, vitam in eremo duxisse, laboriosissimas cruces spontaneæ toleralse, vt se totos sapientiæ manciparent, sed viam vitę nescientes, æternam vitam non sunt cõsequuti. Heu miseros, *errauerunt in solitudine, & in inaquoso: & viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt, sed errantes à via deseperierunt in Endor*. Tu solus ò bone Iesu, oriens mundo sicut sol, viam salutis hominibus demonstrasti: sicut scriptum est. *Notas mihi fecisti vias vitæ*. Quas vias, nisi puritatem, innocentiam, sanctitatem, castimoniam, humilitatẽ, & charitatem? his enim itineribus peruenitur ad æternam vitam, si via ipsa quæ Christus est non ignoratur. Sic ipse de se ipso ait. *Ego sum via*, qui autem hanc viam ignorat frustra currit, quia sine via currit. *Videte fratres, ne quis vos seducat*, ne quis per inanem prophetiam & scientiam, huius mundi vos auertat à via ista: *si quis vobis aliud euangelizauerit præter id quod accepistis* (vt Apostolus inquit) *etiamsi angelus de cœlo, anathema sit*. Hoc dixerim propter nostri temporis illusores, & pseudomagistros, quibus iam diu sua damnatio parata est, quia dominicum gregem dispergere non verentur. Sequimini Christum, ò fratres, nolite viam patrum vestrorum deserere, sanctorum virorum, *quorũ nomina scripta sunt in libro vitæ*, & quos iam diu regnare cum Christo, veraciter, & fideliter agnoscitis. Ita dico vobis hos imitamini, hos sequimini, illorum dictis, & sensibus adhærete. Si quis aliter docet, tanquam à peste declinate ab eo, quia subuersor est, & Antichristi membrum. Fugite nouitates istas *doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci*; sed in veritate quam ab vberibus didicistis, firmiter state: Lucifer enim ideo cecidit, non quia veritatem non agnouit, sed quia in veritate non stetit. Sed vnde non stetit, nisi quia præcedere voluit non sequi, ducem se exhibere maluit quam sequacem? Si creatorem suum sequeretur, nõ vtique deciperetur: & ideo dominus postquã crucem indixerat adiungit. *Et sequatur me*: sequatur (inquã) non præcedat, non fugiat. Vnde & Bernardus, inquit, *quidam Christum fugiunt, quidã præcedunt, quidam sequuntur, sed non assequuntur: quidam sequuntur, & assequuntur*. Fugiunt à Christo illi, de quibus Psalm. ait. *Maledicti qui declinant à mandatis tuis*. Et iterum. *Ecce qui elongant se à te peribunt*. Præcedunt hi qui magistrorum sententiis suas præferunt, quorum imaginem tenuit Petrus Christo inconsulte cõsulens, *Absit à te domine*. Cui dominus: *vade post me Satana*, quid præcedis? Quo nomine sic acriter increpatus est, vt nouerint cuius membra sint, qui philosophico supercilio nõ sequi spiritum domini: sed anteire suis sectibus in ecclesia conantur. Sequuntur autem Christum, sed non assequuntur, qui post ipsum euntes in via claudicant:

Simile.

Clauis tribus caro domino crucifigitur.

Psal. 118.

Ibidem.

Cant. 1.

Gal. 6.

Psal. 106.

Psal. 82.

Luc. 1.

Psal. 115.

Quibus itineribus ad vitam æternam peruenitur.

Ioan. 14.

Ephes. 5.

Gal. 1.

Luc. 10.

Heb. 13.

2. Ioan. 4.

Iohan. 8.

Psal. 118.

Psal. 72.

Matth. 16.

cant: de quibus Apostolus. *Remissas manus* (inquit) *& dissoluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris, vt non claudicans quis erret.* Et Elias propheta clarius. *Vsquequo*, inquit, *claudicatis, in duas partes.* Vere post Christum claudicat fidelis, qui duplici affectu & corde, modo sequitur Christum: modo sequitur mundum, quibus Apostolus clamat: *Purificate corda vestra.* Duplices animo hi non assequuntur, quia eodem Apostolo teste, *vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.* Sequuntur autem & consequuntur, qui viam humilitatis eius, dorso mentis affectu persecuerantes imitantur. Vnde dominus. *Qui mihi ministrat, me sequatur*, id est, me imitetur. Quo fructu? *Vbi sum ego* (inquit) *ibi sit & minister meus.* Veniat, qua veni, & perueniet quo perueni: & sequatur me inquit non præcedere iubeo, non noctu, graua & importabilia more pharisæorum hominibus imponо, & ipse neque digito ea tangere volo, non velut pellimus ille Moyses tus, qui bibacissimus ipse, suos a vino abstinere districte præcepit: sed quæ asperum præcipio, ipse præcedo. Quis enim domine crucem suam tolleret, nisi tuam prius ipse tulisses? Vnde Augustinus: *parum erat*, inquit, *dominum martyres monere verbo, ipse adhortatus est exemplo.* Præcessit ipse, secuti sunt multi, non modo viri sed & mulieres & virgines, & pueri. Mira res, admirandumque prodigium tenerrimæ virgines, quæ ad folium arboris pauere solent, crudelia & insolubilia tormenta passæ sunt, tortoribus ipsis admirantibus, & obstupentibus supra sexum, & supra naturam mutasse fœminas sanctas. Vnde tanta virginibus audacia? nisi quia ad tolerandas passiones, & vincendas iniurias viam illis fecerat qui transierat, sicut scriptum est. *Viam fecisti equis tuis in aquis validis, in luto aquarum multarum*: vere equis robustissimis, quibus insides, & in quibus terribiliter insultans hostium cuneos potentissime deijcis. Omnis iustus equus est Dei, hoc est iustus sine Deo, quod equus sine sessore, calcari, & freno, in eis potentissime agis, calcat spiritus, & frænum continentia est. Vnde & apud Zachariam exercitum equorum legimus, & militem nullum: quia in omnibus illis solus militat Deus. His ergo equis tuis fortissimis, tu domine viam aperuisti in aquis multis tribulationum, & in luto aquarum multarum multiplicium persecutionum, vt illæ si transirent, & non infingerentur in limo profundi qualis equus martyris, qua potens, quam fecundus, quam audax, quomodo *exultat audacter* (vt ait dominus) *quomodo in occursum pergit armatus, contemnit pauorem, neque cedit gladio feruens & fremens sorbet terram, & citra ad vim buccinam dicit, Vah.* Vnde talia audis est dominе cui quia tu insidebas? Tenebas, tu ducebas, te gubernante & imperante superauit, te fugum ducente triumphauit, & adepta est coronam gloriæ. Quam etiam nobis præstare digneris qui solus omnia potes benedictus & gloriosus, cum patre & spiritu sancto sit honor & gloria, per cuncta sæculorum. Amen.

Heb. 12.

2. Reg. 18.

Iacob 1.

Ioan 12.

Matth. 23.

Virginum constantia in martyrio.

Hab. 2.

Similes.

Zach. 9.

Psal. 68.

Iob 39.

Psal. 2.

Matth. 11.

SANCTVS SEBASTIANVS MARTYR, & eodem thema.

Concio Quarta.

QVis legat hæc? Nemo Hercule nemo, vel duo, vel nemo, vt poeta ait. asperum enim nimis & frigidum videtur esse quod sonuit. *Abscinde se, vellat errores folium*, quando primo prædicatum est verbum hoc? an non tunc reges terræ & principes cum populis conuenerunt in vnum, dicentes. *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum*; iugum vt eis videbatur graue, iugum importabile, iugum quod neque fortes ceruix, portare sufficiat. Hoc ne est Domine Iesu, quod diu ante promiseras clamans in plateis Hierusalem: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue*: nunc autem mortificationem & crucem hominibus

indicis. Certe iugum suaue abnegare seipsum, & onus leue tollere crucem, & exponere vitam: quis hæc hominũ vel audire sustineat? quid mirum si carnalis mundus tam anxie curat tale à se abiicere iugum, & repellere pondus? Quam verum est quod in spiritu de te prædixerat psalmographus. *reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Vere ferrea virga hæc lex tua domine, & durissima. Non mirum si vas à testea sic ipsam à principio formidabat. Sed nunquid in dictis tuis contradictio? absit ab homine tanta blasphemia, quomodo ergo cum suaui iugo hęc consonant verba? Audite fratres quoniam magnum latet hic sacramentũ, cũ dominus de corporis sui mysterio loqueretur in populo: *multi etiam ex discipulis eius scandalizati abierunt retrorsum, dicentes. Durus est hic sermo, & quis poterit eum audire?* Interrogauit Apostolos Dominus. *Nunquid & vos vultis abire?* Respondit pro omnibus Petrus *Domine quo ibimus? verba vitæ æternæ habes*, nonne attenditis duritiam? illi dixerunt, *Durus est hic sermo*: Petrus ait, *verba vitæ æternæ habes*, quam opposita sunt hæc. Bernardus. *Ita dico vobis fratres, vsque hodie cum loquitur Iesus, quibusdam manifestum est, quoniam verba eius spiritus & vita sunt, & propterea sequuntur illum: alii dura videntur, & miseram alibi quærunt consolationem: non est itaque in verbis eius pondus sed audientium aures aggrauatæ sunt, & ideo grauia præcipere illi videtur Iesus: & tamen in veritate præcepta eius gratia non sunt.* In auditoribus ergo hęc varietas est nõ in verbis. Vnde Apostolus. *Verbũ crucis pereuntibus quidem stultitia est: his autem qui salui fiunt*, id est nobis *Dei virtus est.* Vasculis testeis, lex eius ferrea videtur, sed non sic argenteis & aureis. De hoc eundem Psalmistam audi. *Lex domini immaculata est*: sequitur *desiderabilia super aurũ & lapidem preciosum multum, & dulciora super mel & fauum.* Et alibi. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua domine, super mel ori meo:* vnde ergo ferrea lex eius dicatur, attende *Virga* (inquit) *æquitatis virga regni tui*, æquitas ista ferrea est: non à se, sed animis curuis, quibus propter curuitatem, aspera nimis & dura æquitatis commensuratio est. Vel ideo æquitas ferrea dicitur: non quia dura, sed quia ad omnem iniquitatem inflexibilis est. Non est igitur põdus in iugo, sed in peccato: non est lex tua grauis domine, nisi carnalibus & iniquis hominibus: iustis autem & rectis, suauis supra modum, & dulcis. Sed quænam, inquies, potest esse dulcedo in cruce? aut qualis suauitas in labore? Hic sapientia est, hic latet secretum quod mũdus ignorat, quod nullus nisi expertus cognoscit: *vir enim insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget.* Hæc crux blanda, crux dulcis, crux suauis & deliciosa: crux non crucians, sed oblectans: non onerans, sed subleuans: non deprimens, sed deliniens. Mira res & penitus incredibilis, nisi viuo suaderetur experimento labor sine labore: onus sine onere, iugum sine pondere: quomodo hoc? Ignoro penitus quomodo, sed ita ita est: scio, non modo, non laborioſum est laborare, pro te ò bone Iesu, sed & suauissimum & deliciosissimum: labores namque vertuntur in panes, sicut scriptum est. *Labores manuum tuarum quia manducabis*, & cruciatus vertuntur in delicias, summa opulentia paupertas Christi, & summa gloria contumelia pro Christo. Miraris si summa sit in labore requies, in æstu temperies, in cruce solatium, ipsa causa pro qua hæc omnia tolerantur, eorum naturam in contrarium vertit vt nihil magis sapiat, quam quod secundum se insipidum est. Hæc causa amaritudinem in dulcedinem, iniuriam in laudem, laborem vertit in requiem: vt sit amaritudo dulcis, iniuria honorabilis, labor suauis. Nouerat hoc ipse dominus, qui contemnentibus pro se patrem & matrem, vxorem & filios, & reliqua mundi huius, centuplum promittebat cum persecutionibus in hac vita. Quid iam hæsitare potes super hoc, si veritatis ore ipsa etiam persecutio, pro præmio repromittitur operanti? nũquid etiam in ciuili amicitia hoc ex parte non inuenitur, v. gratum nimis sit & dulce

Psal. 2. *Psal. 4.* *Ioan. 6.* *Ibidem.* *Isa. 6.* *2. Ioan. 5.* *1. Cor. 1.* *Psal. 18.* *Psal. 11.* *Psal. 93.* *Psal. 127.* *Marc. 10.* *Simile.*

dulce laborare pro amico? quanto ergo amplius pro Deo? Crux vncta non cruciat, sed oblectat, & Christi iugum si quid habet ponderis inunctum spiritus oleo computrescit: sicut propheta
Isai. 10. prædixerat. *Computrescet iugum à facie olei.* Vnde & in dedicatione templi, cruces in parietibus formatæ oleo liniuntur: vt noverit templum viuum domino consecratum, non perhorrescere crucem, quam vnctio sacra delinit: non enim iam de cætero grauat crux vncta, quoniam asperitas eius vnctione lenitur. Nolite ergo fratres formidare, nolite terreri à facie verborum Christi, quia vere præcepta eius, & verba spiritus & vita sunt: & sicut diximus, non modo, non amara sunt; sed & iucundissima, & omni suauitate plenissima. Multi ignorantes hoc secretum, ex pusillanimitate discedunt à Christo, qui si experiri sustinerent, facile huius rei deprehenderent veritatem. Fugiebat quõdam magnus ille Moyses à facie sibilantis colubri. Sed dominus ad eum. *Apprehende* (inquit) *caudam eius. Apprehendit, & statim versus est coluber in virgã.* Quid fugis ò Christiãne? quid times à facie crucis? non est serpens deuorans, sed virga sustentans. O pusille apprehende, & videbis; quamdiu enim eam non apprehenderis, experiri non poteris, serpens videbitur extra manum, sed in manu virga est. Virga deuorans Magorum virgas, virga mare rubrum exiccans & diuidens, virga petram percutiens, & riuos aquarum educens. Quam magnus fructus in cruce, crux ista venenatas carnis passiones deuorat, feruentem concupiscentiam siccat, in mediis æstuantium cupiditatum fluctibus viam aperit, per quam exules & peregrini, in optatam patriam deducantur. Hæc procellosum humani cordis mare tranquillat, hæc Ægyptios currus & equites, id est, appetitus carnis effrænes lachrymarum aquis inuoluit, hęc portenta omnia Ægypto peccatorum facit: per hanc & dura peccati seruitus tollitur & vera gratiæ libertas inuenitur; per hanc denique electus Dei populus Ægyptiacam oppressionem euadit, & beata potitur requie cœlesti Hierusalem introductus. O crucem amabilem, ò crucem iucundam, ò crucem desiderabilem, per quam solam patet ingressus ad regnum. O potentissima *clauis Dauid, quæ aperis & nemo claudit, claudis & nemo aperit,* aperis cum ades, claudis cum abes. Quis ergo audeat de te conqueri, in qua omnis nostra salus & vita consistit? aut quæ potest esse asperitas in te, quam non delineat tanta vtilitas intellecta? Sed esto, grauis sit & importabilis crux, quid ad te ò homo? non tu eam portaturus es, sed gratia Dei tecum. O domine aggraua iugum, auge dilectionem: *charitas enim omnia suffert, omnia sustinet,* nihil amori difficile, nihil importabile, nihil graue, amor crucem leuificat, laborem dulcorat. Attende super hoc in libro Regum insignem figuram. Olim cum Heliæus propheta, filios prophetarum hospites habuisset, puer eius inscius amarissimas in ollam colocynthidas misit, quibus
Exod. 4. gustatis, clamant omnes. *Mors in olla vir Dei.* Venit propheta immisit farinulam, & omnis illa amaritudo in dulcedinem versa est. O apertissimam huius rei figuram? puer iste imperitus Adam, olla, caro, colocynthidæ, labores, & ærumnæ, has peccato suo, puer hic insipiens misit in naturæ ollam, vnde post peccatum statim dictum est ei. *In sudore vultus tui vescêris pane tuo. Mors in olla vir Dei,* non est qui eam gustare audeat, donec magnus è cœlo propheta venit, gustauit ille amarissimas colocynthidas ollæ, & amaritudine experta, immisit è cœlo spiritus farinulam, & colocynthidas dulcorauit. Iam non est qui gustare pertimeat, omnes vineæ operarii auidissime colocynthidas deuorant post farinulam. Vide Apostolos à conspectu concilii flagellis laniatos, cum gaudio prorumpere gloriantes, *quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliã Martyres opati.* Vide operariorum, id est, martyrum *probria in de-* *runt.*
cateruas ad colocynthidas istas veluti *liciis habue-* ad delicioſas epulas properãtes. Vide ex omni ætate, & sexu, & cõditione, viros, fœminas, virgines pueros; in vinea pro-

Exod. 7.
Exod. 14.
Exod. 17.
Similc.
1. Cor. 15.
1. Cor. 13.
4. Reg. 4.
Gen. 3.
Act. 5.

phetæ, id est ecclesia, auidissime colocynthidas glutientes. Quanta auiditate martyr iste glorioſus ad has epulas properabat, quam auide glutiuit iniurias, dolores, tormenta, bibens ſubſannationem quaſi aquam, non pertimuit amaritudinem, quia è cœlo receperat vnctionem. Non vtiq; ſic amariſſimas colocynthidas beati martyres deglutiſſēt, niſi è cœlo farinulam in eorum ollam, id eſt mentem, magnus ille propheta miſiſſet. *Exemplum.* Hæc è cœlo deuotionis & amoris farinulam receperant quondam operarii Claræuallis ſub Bernardi regimine, qui vſque adeo in laboribus, vigiliis, ieiuniis, & aliis ordinis aſperitatibus lætabantur: vt hanc ipſam ſpiritualem delectationem ſuſpectam haberent. Ita namque delectari in aliquo perhorrebant, vt etiam ipſas ſpiritus delicias declinarent. Quos virille ſanctus cum ab hoc errore compeſcere non valeret, conuocato Epiſcopo, ſibi amiciſſimo & doctiſſimo, illius authoritate & eruditione compeſcuit. Potenti enim eloquio demonſtrauit, inimicum eſſe gratiæ Dei & ſpiritui ſancto reſiſtere, qui collatam ſibi ſpiritus dulcedinē recuſaueriſ. Quam longe erant iſti ab illa quæ temonia (quā in principio propoſuimus (quando laſſarentur iſti de crucis grauedine, qui ſic expertas eius delicias recuſabant. Verſi ſillis fuerat vtique ſerpens in virgam, quoniam abiecta formidine, viriliter eū cauda tenuerant; & nos quoque fratres, ſi dominicam crucem amplecti voluerimus, eius delicias guſtare poterimus. Eſt autem in viro perfecto, non vnica tantum, ſed duplex crux, carnis ſcilicet & ſpiritus: crux carnis maceratio & pœnitentia eſt; crux ſpiritus zelus animarum & compaſſio afflictorum. Attende in Paulo hanc duplicem crucem. *In labore* (inquit) *& ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate*, ecce primam. Audi nunc alteram præter illa quæ intrinſecus ſunt, *inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omniū eccleſiarum, quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Hac itaque duplici cruce, corpore & ſpiritu crucifixus domino complacebat. Fœlix qui conuerſus ad Deum, carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifixit; ſed beatior ille qui longo pœnitentiæ vſu, moleſtias iam carnis ignorans zelo cum Helia zelat pro domo Iſrael. Qui dicere poteſt cum propheta. *Super inimicos tuos tabeſcebā, perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi.* Non eſt aſcenſus ad ſecundam crucem, niſi per primam, neque enim pro aliis zelare poteſt, qui ſibi ipſi non ſufficit, neque aliis condolere, qui habet quotidie in ſeipſo quod doleat; nam à puritate animæ zelus naſcitur animarū. Stultus zelus, videntis feſtucam in oculo alieno, & trabem in ſuo non deprehendentis; non zelat iſte, ſed calumniatur: non proximo compatitur; ſed in proximum malignatur. Eſt quoque altera crux non domini, ſed diaboli, qua filii huius ſæculi quotidie configuntur, crux laborioſa, crux acerba, crux intolerabilis, crux mali latronis; habet enim ſuos martyres diabolus, qui etiam dicere poſſunt illi. *Quoniam propter te mortificamur tota die* An non martyr auarus, qui diebus ac noctibus in congregando luto laborat? An non martyr iuperbus, cui omnis alienus honor & gloria cruciatus eſt? An non martyr lubricus, qui libidinibus exæſtuans, fœtidiſſimo paſcitur cœno? Quanta iſti pro lucris, pro honoribus, pro delitijs tolerant? quantas patiuntur iniurias? quas ſuſtinent pœnas? Vnde pſalmographus horum bene conſcius clamat *Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta*; ac ſi dicat. Nolo pœnam conſideres, ſed cauſam; nolo quod patior attendas, ſed propter quem patior, acerbiora enim iſti pro mundo ſuſtinent, quam ego pro te ſuſtineam. Neque me magnitudo laboris, ſed laborandi cauſa commendat; *martyrem enim* (vt Auguſtinus ait) *non facit pœna, ſed cauſa*; & hæc ipſa cauſa (vt diximus) in martyre, labores tollit, quæ inducit. Non ſic in huius ſæculi cruce, quæ ſine omni refrigerio cruciat. Neque enim ſpes vlla ſalutis in ea, ſed necis & inferni, crudelis labor, cuius ſtipendium

Gal. 5.

3. Reg. 19.

Pſal. 138.

Matth. 7.

Pſal. 45.

Pſal. 42.

Rom. 6.

Duplex crux viri Dei.

2. Cor. 11.

Ibidem.

Iob 4. pendium mors & perpetuus labor est. Nam (vt inquit Iob) huiusmodi carnales seminant hic labores, & metent eos in futurum: non simplices quales in semine, sed auctos & multiplicatos in segete. Non potest vita ista mortalis sine cruce transigi, quocunque te vertas laborandum est. Nonne ergo melius pro Deo pati & regnare, quam pati pro mundo & ardere? Nonne glorioſius est Christi crucem portare cum stipendio vitæ, quam crucem Zabuli cum mortis dispendio? Vtinam hoc omnibus innotesceret, vt innotescit sanctis. Vtinam fratres sciretis cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum in cruce Domini: vt toto eam corde & ardore mentis amplecteremini. Sed nolo vt quispiam, propter hæc domini Saluatoris verba ad eam se existimet, & sui & omnium quæ possidet abdicationem obligari, quam religiosi in sua professione facere consueuerunt. Consilio hoc monetur, non præcepto indicitur, nõ sic abnegare seipsum & tua necesse est ad salutem: sed sicut Apostolus admonet, dicens. *Reliquum est, vt qui habent vxores tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mũdi*, &c. Mundum enim & ea quæ mundi sunt abnegabit qui eo ad necessitatem vtitur non ad voluptatem. Cæterum si quis perfectus esse cupit, hic facto expleat quod corde tenebat, sed grãde opus abnegare seipsum: nõ n. valde magnum est abnegare quod habes, sed valde multũ est abnegare quod es. Quomodo fiet hoc? non enim ex toto abnegat semetipsum, qui voluptatibus se abdicat, si sua adhuc iuris manet, vt faciat quod voluerit: illud enim potius est carnem & sensum abnegare, quam se. Quid est ergo abnegare seipsum? vtique, abnegare quicq id est in seipso. Sunt autem in homine tria, sensus, intellectus, voluntas: hæc omnia oportet perfecte renuntiare perfectum. Sensus & caro renunciatur, cum eis omnis voluptas, & superfluitas interdicitur. Hoc facit continentia, abstinentia, castitas. Intellectui renunciatur cum proprio iudicio relicto, ex integro fidei obsequio mancipatur: vt Apostolus monet. *Captiuantes* (inquit) *omnem intellectum in obsequium fidei.* 2. Cor. 10. Altissima hæc renunciatio & acceptissima Deo obedientia, quando id quod in nobis sublimius est, illi fidei perfecte subiicitur. Restat voluntas, cui tunc abrenũciamus quãdo in omnibus & per omnia id volumus, id cupimus quod Deũ velle cognoscimus, voluntatem nostram diuinæ voluntati per omnia conformantes, nihil neq; temporale, neq; spirituale quærentes, nihil petentes, nihil optantes, nisi quod Deo nobis dare placuerit. Sic in tribulatione, sicut in prosperitate gaudentes: vita in humiliatione, sicut in exaltatione lætantes: & ex animo cum propheta dicentes. *Domine Deus, tu figulus meus & ego lutum.* Isai. 64. Quasi dicat, de me facito quod libuerit, qui huiusmodi est seipsum omnino expulit à seipso, vt habitet in illo Deus. Cessit Christo & recessit à se, vt ingrediatur in illo Christus, vt dicere possit cum Apostolo. *Viuo ego, iam non ego, sed viuit in me Christus*: angustum enim est cordis stratum, & vtrunq; capere non potest. Exi ergo tu, & ingredietur in te Christus: ipse te melius reget, melius q; disponet, sicut auriga currum, ipse te ducet & adducet in montem sanctum domini, & in tabernacula cœlestis gloriæ. Quam nobis ille præstare Psal. 71. dignetur, cui est honor & imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

Voluntas nostra diuinæ conformis esse debet.

Ephes. 5.

2. Cor. 7.

Gal. 2.

Deo gratias.

DE MVLTIS MARTYRIBVS, hoc est de Duis Cosma & Damiano, Concio de militia Christiana, & triumpho martyrum.

THEMA.

Qui vicerit dabo ei sedere in throno meo, sicut ego vici & sedi cum patre meo in throno eius. Apocalyp. 3.

EX sententia beati Iob, *militia est vita hominis super terram*, & vita nostra omnis status militantium est. Valla- Iob 7.

ti sumus inimicis vndiq;, & præsentem intentant omnia mortem. Noluit quippe Deus noster gloriam suam gratis donare nobis omnino sed vt bello & Marte expugnaremus eam: vt qui fortiter vinceret, merito suo coronaretur, & qui turpiter succumberet, perpetuo seruitio manciparetur. Clamat Apostolus. *Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit.* 2. Tim. 2. Quocunq; te vertas, & quomodocunq; viuas, bellum tibi paratum est, siue iuuenis, siue senex, siue pauper, siue diues, siue nobilis, siue rusticus fueris, non deerit tibi pugna continua. Infœlix vita laboribus plena, in qua neque die vna in pace viuitur. Et quare miseri concupiscim⁹ te? Vno certamine superato aliud nascitur, & vix vnam euasimus pugnam, cum deterior alia exoritur: itaq; nõ diu licet sine discrimine viuere. Propter quod idem sanctus aiebat. *Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea,* Iob 6. quando scilicet discinctus thorace corporis huius, nemo me iam molestet, nemo infestet: sed perpetua requie & pace quiescam. Quanto agonizãs certamine psalmographus exclamabat? *Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo,* Psal. 55. id est, caro *tota die impugnans tribulauit me*, neque sola caro: nam *conculcauerunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes aduersum me,* neque in tribulatione solum, sed acrius in prosperitate. Vnde sequitur. *Ab altitudine diei timebo*: tunc enim periculosius inuador, sed latenter & fraudulenter: *inhabitabunt enim & abscondent in atrio* Ibidem. corporis huius, & inde *calcaneum meum obseruabunt* simpliciter ambulantis, *narrauerunt enim vt absconderent laqueos, & dixerunt Quis videbit eos* Psal. 63. tam absconditi sunt. In hoc itaque pauimento, veluti in campo constituti, durissimam militiam quotidie agimus, expectantes donec dissoluatur tabernaculum corporis huius, & spiritus liber prodeat in vitam si vicerit, in mortem si victus occubuerit. Est autem nobis non vnicum, sed multiplex bellum, quoddã extra nos, aliud intra nos, aliud supra nos. Et (vt Apostolus ait) *foris pugna, & intus timores.* A foris praui homines nos infestant, quibus quicquid bonum & sanctum est displicet supra modum. Neque enim *potest esse conuentio lucis ad tenebras, Christi ad Belial, filii ancillæ cum filio libera.* 2. Cor. 6. Vnde necessarium est, *vt omnes qui pie volunt viuere in Christo, persecutionem patiantur,* Gen. 21. & tanto atrocioriẽ, quanto seculum magis declinat ad finem. Quotidie namque homines deteriores fiunt, & ad malitiam procliuiores existunt, propter quod indies pugna nostra atrocior fit: sed hanc pugnam patientia & humilitate facile superamus. Est alia eo periculosior, quo intimior, bellũ videlicet intestinum & continuũ, *quo caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem,* ac veluti duo illi paruuli in matris suæ vtero: ita in vno eodemque supposito, duo isti homines interior & exterior implacabiliter decertant. Bone Deus quam contumax & præfracta contentio, si vnus superat, deplorat alter. Itaque continue plorantem sustinemus, aut spiritum, aut carnem: tanto tædio fatigabatur ex hoc certamine Apostolus, vt coactus sit exclamare. *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Rom. 7. Tribulato & multis persecutionibus cõtrito patriarchæ Iob de Dei seueritate pia querimonia conquerenti: idem dominus respondit. *Memento belli, & non vltra addas loqui:* Iob 40. ac si diceret ei. Quid de hac tribulatione causaris, quæ cæteris multo mitior est? Memento quia atrociorem ex hoc pugnam euasisti: tribulatio enim hæc carnis tuæ acerbiorem periculosioremque eiusdẽ tentationem exclusit. Namq; (vt Augustinus ait) *inter omnia certamina Christianorum, duriora sunt prælia castitatis, vbi continua pugna & rara victoria.* Sicut ergo bellum ciuium intestinum, quam inimicorum exterum acerbius & periculosius est: ita hæc pugna multo periculosior, & grauior priore est. Sed tertia grauissima omnium, qua non iam cum carne, sed cum antiquo serpente pugnamus, qui astutia & malitia sua omnium hominum superat virtutem. Iob 41. Non est enim potestas super terrã, quæ

2. Pet. 1. *Nostrum bellum multiplex est.* 2. Cor. 7. Gal. 5. Gal. 5. Genes. 25. Simile.

ei

ei valeat comparari, antiquissimus, astutissimus, exercitatissimus est, latenter irrepit, & inuisibilem nobiscum pugnam agit, eo vtique periculosior quo occultior. Ipse enim videt nos, & minime videtur à nobis cuius ferocitatem spiritus sanctus mirifice describens, ita inquit. *Per gyrum dentium eius formido, corpus eius, quasi scuta fusilia, & compactum squammis se prementibus, sternutatio eius, splendor ignis, & oculi eius, vt palpebræ diluculi. De ore eius lampades procedunt, sicut tedæ ignis accensæ, de naribus eius procedit fumus sicut ollæ succensæ, atque feruentis, halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore egreditur,* &c. *Cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit, neque hasta, neque torax: reputabit enim quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum æs non fugabit eum vir sagittarius. In stipulam versi sunt ei lapides funda, quasi stipulam æstimabit malleum, & deridebit vibrantem hastam. Sub ipso erunt radii solis, & sternet sibi aurum quasi lutum,* &c. Cum tali hoste nobis bellum est, & quis obsecro ei posset resistere nisi Deus eius potentiam infregisset? (Compensato tamen nobiscum agone luctatur, neque quantum potest nobis nocere permittitur.) Ad huius draconis spiritualem congressum non quilibet ex media plebe & inermis eligitur: sed perfectus & ingenuus, qui in præcedentibus præliis strenue pugnando victor euaserit: post mundum enim calcatum atque deiectum, post carnem edomitam & in seruitutem coactã, nouus insurgit cum dracone conflictus, tanto terribilior, quanto posterior. Talis erat athleta ille fortissimus qui de seipso dicebat. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, rectores tenebrarum harum.* Qui enim minore multo carnis certamine superatur, quomodo cum huiusmodi hoste confligat? Apud Romanos in agone non quilibet, sed strenuus & exercitatus athleta admittitur ad certandum, sic quoque ad spirituale certamen non nisi perfectus admittitur. Hunc libenter hostis aggreditur, hunc hostiliter inimicus inuadit, quẽ enim timeat, qui neque ipsum Christum aggredi veritus est? *qui sic factus est vt nullum timeret: absorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam quod Iordanis influat in os eius.* Esca enim eius electa, nam sicut piscator auidus & peritus, grandiores pisces minoribus contemptis, attentius inescat; ita diabolus perfectis quibusque auidius insidiatur, vt pereant. Quid ergo faciemus in tanto periculo constituti, cum impares illi simus multo amplius quam cuneus pigmeorum ad exercitum gigantum? Quid, inquam, nobis reliquum est nisi leuare oculos nostros in montes, & petere auxilium à domino qui fecit cœlum & terram? Qui enim sibi fidens de sua virtute præsumit, ipse se suis hostibus prodit: *qui vero habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur*, id est, qui confidit in Deo, protegetur ab eo. Si namque terreni principes, reos ac miseros ad se fugientes, regia benignitate tutantur: quando illa maiestas deseret afflictos confugientes ad se, maxime cum ipse tuteiam promiserit, dicens: *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum?* Nostra est culpa fratres si perimus, quia defensorem nostrum inuocare negligimus, sicut quidam apud prophetam merito exprobratur. *Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed speranit in multitudine diuitiarum suarum* Quanto prudentius agebat, qui Deo suo innixus aiebat? *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quẽ timebo? dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? dum appropiant super me nocẽtes, vt edant carnes meas, qui tribulant me inimici mei: ipsi infirmati sunt & ceciderunt, si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum; si exurgat aduersus me prælium, in hoc ego sperabo.* Et iterum. *Et si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Veruntamen quia inter tot hostium cuneos constituti, neque sic à nobis Deus inuocandus est, vt dormiamus, sed pro nostra vtili agen-

Iob. 41. V. 5. Insignis descriptio Dæmonis.

1. Cor. 9.

Ephes. 6.

Simile.

Iob 41.

Iob. 40.

Psal. 120.

Psal. 113.

Psal. 90.

Simile.

Ibidem.

Psal. 51.

Psal. 26.

Psal. 22.

agẽdum est quicquid possumus. Pro salute nostra piissimus ac clementissimus saluator, non ignorans imbecillitatem nostram, & hostiũ fortitudinem, atrocẽque nobis tota vita pugnam parari, ne perirent electi (propter quos tam viriliter ipse pugnauerat) remedia nobis contulit aduictoriam, scilicet, artem militarem, arma victricia & fortissimos duces; quorum monitis & exemplis, aduersantium incursus & stratagemata superemus. Ars militiæ Christianæ euangeliũ est, in quo Christi militibus, & præliandi modus, & forma traditur superandi. Longum esset nunc sigillatim referre, quibus nos regulis & documentis, veluti tyrunculos rudes, hæc ars imbuat ad cõgressus, animet ad conflictus, & in bello cum serpente fortiter durare perdoceat, quæ victoribus præmia, quæ victis supplicia proponat, vt persistere in agone Christi milites persuadeat. Armis etiam insuperabilibus nos instruxit, neq; simplicibus quidem, sed multiplicibus ac variis: quibus iaculorum ictus illæsi recipiamus, donis, scilicet, gratiis & virtutibus. Et his triplicibus naturalibus acquisitis, & infusis, vt aduersus triplicẽ hostis incursum, triplici nos armatura munirer. Hæc sunt illa arma potentissima in quibus Apostolus gloriatur dicẽs. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia à Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi, & in promptu habẽtes vlcisci omnem inobedientiam. Cum impleta fuerit vestra obedientia:* his nos armati alio loco admonuit, dicens. *Induite vos armaturam Dei vt possitis stare aduersus insidias diaboli, induti loricam iustitiæ, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Ecce quibus armis Christi miles armatur ad pugnam, quibus si bene vtatur (Deo auxiliante) perueniet vtique ad victoriam. Quales vero duces militibus suis Christus præfecerit, quis enarret? illorum fortitudinem & agones durissimos quos passi sunt, dicere quis sufficiat? Martyrũ namq; constantiam, & tolerantiam in perferendis suppliciis (sicut Eusebius Cæsariensis octauo historiæ ecclesiasticæ libro fert) nisi vidisset, nemo crederet: multo enim acerbiora & atrociora eorum fuerunt supplicia quam narrantur. Feruebat in eos odio vniuersus orbis, totisq; viribus gentem Christianã eradicare moliebatur, quasi rebellem, superstitiosam, sacrilegam, maleficam, pestilentẽ, diis & hominibus inuisam. Quia igitur hoc diis & principibus maxime placere, prouinciarum præfecti, & reliquum omne vulgus existimabat, quicquid in eos crudelitatis & atrocitatis exercebatur sanctum & meritorium ab omnibus reputabatur. Sic enim dominus Apostolis suis ante prædixerat. *Veniet* tempus, *quando omnis qui interficit vos, arbitrabitur obsequium se præstare Deo: Erat ergo studium per singulos* (sicut idem Eusebius refert) *nouum genus inuenire supplicii, & ille iudex rectus & bonus habebatur, qui contra eos nouum aliquid reperisset.* Pro libito absque vllo legis, & rationis moderamine crudelitas exercebatur in illos, & erant expositi omnibus volentib' pro libito inferre supplicia: & si quod aliquis perocium excogitans nouum genus supplicii detulisset, licebat inferre. Hæc erat iudicum maxima & præcipua cura, quomodo eos aut tormentis interimerent, aut sacrificare compellerent. Ad hoc vero obtinendum & exequẽdum, quicquid humanitatis, quicquid pietatis in eis naturaliter inerat, penitus exuebant. Omnibus belluis & serpentibus atrociores immaniores q; effecti, pœnitebat eos, quod vita hominum tam fragilis esset ad sufferenda supplicia: ideoq; vt plusquam belluinam possent explere crudelitatem, non eos statim gladio aut incendio interimebant: sed paulatim applicabantur supplicia, impia pietate vitam differentes, vt crudelius interimerent. Primo itaque fustibus, virgis, flagris, scorpionibus plumbatis, diutius verberabantur loris districti vel funibus appensi. Deinde

Ars militiæ nostræ euangelium est.

Duces Christiani strenui.

Hora. Ioan. 16.

1. Cor. 10.

Ephes. 6.

Descriptio tormentorum.

Trochlea instrum ntũ est ad subleuanda & demittenda põdera aptum quale olim in torcularibus, nunc ex ligno vel ære in puteũ hauriendæ aquæ gratia vtimur, poleam Hispane dicimus.

de vngulis ferreis toto corpore exarabantur, lanceolis pungebantur, lampadibus adurebantur, trochleis discerpebantur, pectinibus laniabãtur. Post hæc ad renouandum dolorem, eorum vulnera sale & aceto perfricabantur. Reducebantur iterum ad carcerem, vt ad noua sufferenda supplicia conualescerent, & iam inualescentibus noua adhuc supplicia parabantur. Aliis oculi effodiebantur, aliis nares fœtidissimo vulnere amputabantur, exungulabãtur alii, aut manibus & pedibus truncabantur. Alii plumbo, pice, oleo, resina liquitis, per omnia corporis membra perfundebantur: & cum iam diræ immanitati supplicia deessent, neque saciata crudelitas, ad vltimum ignes, cruces, bestias, sagittas, gladios, præcipitia crurifragia, aliaq; mortis horrẽda genera, lassati potius quam satiati homines adhibebant. Vnde (sicut idem Eusebius, in eodem libro refert) sicubi vicinæ duæ arbores inueniebantur, inflexis contra se inuicem ramis, eisque singulos pedes martyrum obligantes: subito ramos quos vi inflexerant relaxabant: qui cum ad situm suum naturali impetu referrerẽtur, discerptis, dissecatisq; visceribus, auulsa secum membra rapiebant. Quid hac immanitate crudelius? Neque tamen cum vita crudelitas eorum finiebatur: sed etiam post mortem inrelicta cadauera, immani[a] excandescebant, ponẽtes (sicut scriptum est) *mortalia seruorum tuorũ, escas volatilibus cæli & bestiis terræ.* Inhumatis enim corporibus, si quis occulte vel per noctẽ pietate aut religione permotus, sepulturam tradere ausus fuisset, suppliciis similib[a] necabatur. Vnde crudelia spectacula vbiq; terrarum, in ciuitatibus & populis cernebantur, cum laniatis corporibus sepulturæ beneficium impendere auderet nemo, nisi qui simile spectaculum ipse fieri non formidaret. Erat quoque alterum certaminis genus minus quidem crudele, sed non minus graue, quod ab amicis & cognatis quotidie patiebantur, parẽtes enim eorum, vxores, filii, fratres, cognati, & amici, scissis vestibus, euulsis capillis coram eis miserabiles eiulatus cũ lachrymis emittebant, obnoxie deprecantes obsecrantesq;: vt parcerent sibi, parcerent filiis, parcerent cognatis, parcerent denique tam funesto dolori omnium suorũ, qui cum ipsis pariter tristitiæ immensitate mortem obituri videbantur, vnoq; gladii ictu, & vna ceruice iugulandi omnes, paterent Imperatoribus, thurificarent diis, id enim si piaculi quippiam haberet, ipsos supra se recipere, facileq; postmodum pœnitentia & sacrificio expiari posse. Hæc iterum atque iterum audire nolentibus, replicantes obtundebant ora precibus, & lachrymis, rigentia pectora molliebãt. Quem obsecro impugnatio hæc atrocissima non deuinceret? quem tam importuna infestinatio non superaret? hinc pœnæ, inde preces: hinc dira supplicia, inde lachrymosa spiria, destinatum animum immutare conabantur, vt desisteret à victoria. Sed ò plusquam humanam virtutem, ò heroicam fortitudinem, ad hæc omnia immobiles & insensibiles, quasi lapides Christi milites persistebant, oculisq; in cœlum defixis, quid circa eos agebatur videntes nõ videbant, & audientes non attendebant. Sic enim eorum animos & viscera omnia diuinus ille ardor & coronæ cœlestis auiditas incenderat, sic omnes sensus & mentem optatæ beatitudinis, iam iam instãtis hiatus desiderium occupauerat: vt leuia omnia viderentur & prope nulla, ad immensum illud gloriæ pondus quod expectabãt: & ad perpetuam illam requiem, quam optabant. Qualia Deus his tuis militibus præmia præparasti? quid illis dedisti qui pro tuo amore talia certamina subierũt? Si enim eis qui præsentis sæculi bonis, commode & honeste vtuntur, & inter medias mundi delicias, & diuitias modeste versantur, æterna gaudia repromittis, illis qui & se, & omnia sua propter te tã fortiter & tam alacriter exposuerunt, quid obsecro daturus eras præmii? Quid sumus fratres, aut quæ est religio nostra, si ad istorum militum fidem, & potentiam comparetur? Satis nos fecisse putamus si neminem læsimus, neminem fraudamus,

Psal. 78.

2. Cor. 4.

Genus alterum certaminis à parentibus inferebatur.

2. Cor. 7.

neminem occidimus, si in pace, & quiete fidem illibatam tenemus, si Euangelio credimus, si dominica præcepta seruamus. In illo tempore Christianæ religionis nitor & decus emicuit, tunc veri Christianissimi gratia internitebat: quãdo non de moribus & virtutibus, sed de fide & religione, apud homines quæstio erat, quando fides non solis operibus, sed sanguine & morte iuranda erat. Et quidem poterat Deus absque huiusmodi contradictione in cordibus hominum fidem suam plantare: poterat (inquam) quod post trecentos circiter annos fecit in Constantino, facere in Tyberio, Adriano, Traiano, vel alio quouis illius temporis Imperatore Romano. Sed non decuit ecclesiæ suæ gloriam tãtorum martyrum defraudari triumphis, nunc aperte cognoscitur, quia non decuit, quamuis tunc multis non probatio, sed defectio videretur. Talibus decebat Christianitatis primordia gestorum signis confirmari: tales etiam oportuit exercitui Christiano duces præferri, quorum virtutem reliqua omnis militia imitaretur si posset, admiraretur si non posset. Eiusmodi fuerunt hi quorum hodie triumphum sancta veneratur ecclesia Cosmas & Damianus fratres, medici clarissimi, viri sanctissimi, martyres glorioſi. Si enim eorum agones perlegeris, inuenies ea quæ supra diximus ex maxima parte, alacriter pro Domino pertulisse. Primo enim verba, deinde ignes, lapides, sagittas perpessi, cum insensibilis creatura creatoris sui famulis honorem & reuerentiam exhibens non noceret, solus rationalis homo irrationabiliter sæuiebat. Igatis manibus & pedibus in mare proiecti sunt. Sed eripuit eos dominus, ignibus traditi sunt, sed sicut tres illi paruuli in medio ignis, Christo domino victori laudes, & gloriam decantabãt, donec confusi hostes, gladio rem agere decreuerunt. Hos vobis imitandos proponimus medici, horum exempla sequimini: qui non tam scientia quam gratia ægrotos curabant. Si enim tanta esset apud vos cura ægroti, sicut cupiditas nummi, desperato medicinæ remedio perficeretis aliquando oratione, quod non perficitis arte. Sic faciebant hi, quorum animos timor domini possidebat: vnde qui corporibus medicari solebant, animarum medici facti sunt. Sanctitate ua, martyrium promeruerunt, duplici gloria laureati. Et quia sancti sunt, & quia martyres sunt, sufficiebat eis ad æterni præmii gloriam consequendam fides charitate formata, virtus martyrii superaddita est, vt supra modum fierent glorioſi. Vnde in canticis cum sponsa à dilecto suo describitur, ita legimus. *Dentes tui sicut gregis tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus & sterilis non est inter eas.* Dentes ecclesiæ martyres sunt, quibus in eius corpus omnis gentilium populus, veluti cibus quidam mãsus & traiectus est. Cum enim omnia ossa igne consummantur (Plinio teste) soli dentes hominum eius virtuti resistunt. Qua dentium persistentia fortitudo martyrum aptissime designatur, hos comparat gregibus tonsuram ascẽdẽtibus de lauacro, quã pulchre, quam mirifice. Leua in cœlum oculos tuos, & vide innumeras martyrum animas, tũc temporis corporibus sicut velleribus exutas atque deiectas, propriiq; cruoris lauacro purificatas montem domini ad cœlestia pascua conscendere, & intelliges nihil hac comparatione consonantius quæ tam dissona videbatur. Omnes gemellis fœtibus, quia duplici fructu coram angelis Dei coruscant, vitæ scilicet, sanctimonia & martyrii tolerantia, vtrinque splendidæ, vtrinque beatæ, sterilis non est in eis, quia & sibi & nobis, vtroque, pietatis scilicet & virtutis, triũpho mirifice profuerunt. *Nos* itaque fratres *tantam habentes impositam nubem testium* (sicut hortatur Apostolus) *deponentes omne pondus & circumstans nos peccatum per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes*, non solum in sanctorum martyrum glorioſam militiam, *sed in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, atque in dextera sede Dei sedet. Recogitate*, inquam,

Reddit ratio quare Deus non tempore Tyberii & aliorum Imperatorum ecclesiam suã patefecerit, sed tempore Constantini 300. annis post.

Dan 3.

Cant. 4.

Hominũ dentes maxime resistunt igni.

Hebr. 12.

Ibid.

Heb. 12. inquam, *eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum cõtradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis*, neq; sanguis quidem hodie à vobis, sed virtus exposcitur. Quãdo pro Christo tolerabit angũstias, qui pro illo nequit refutare delicias? Christus dominus proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, & momentanea confusione contempta, perpetuo iam ad dexteram Dei sedet. Hæc eadem vos recogitate, hæc eadem vobis proponite, similiter pugnate vt similiter sedeatis: fidelis est enim qui repromittit in themate. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut ego vici, & sedi cum patre meo in throno eius* Et rursus ad patrẽ ait: *Volo pater vt vbi ego sum ibi sit & minister meus* Quantus honor, quanta maiestas astantibus circũquaq; cœli principatibus & potestatibus, in eodẽ throno sedere cum rege. *Millia millium ministrabant ei & decies centena millia assistebant ei.* Nullus sedebat, & victor vermiculus de terra sedebit? Sedebit vtique, non quia hominem victorem cunctis angelis in gloria præferamus (nam & ipsi in prœlio cum draconc sine sanguine victores fuerunt, *ea lex etiam est mẽsura hominis & angeli*) sed quia iusto Dei iudicio, hæc sanctis martyribus prærogatiua conceditur, vt sedeant & diiudicent gentes, sicut ab eis indigne pro domino diiudicati sunt. Propter quod in Euangelio ait. *In regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.* Si hunc honorem, si hanc gloriam continue præoculis haberemus, nulla vtique pugna nobis grauis, nullum discrimen difficile videretur. Obliuio in causa est, vt torpeamus ad omnia. Tolle præmiũ, quis pugnabit? tolle stipendia, quis militabit? Grandia suis militibus in præsenti dominus stipẽdia donat, grandiora præmia in futurum promittit Et tamen (sicut quidam ait) raros inuenit appetitores. Quotiẽs in Apocalypsi hæc præmia repetit? Si forte prõuocet ad optandum, *vincenti* (inquit) *dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei. Vincenti dabo manna absconditum & calculum candidum*, &c. *Qui vicerit faciam eum columnam in templo Dei mei, qui vicerit dabo ei sedere mecum*, &c Bone Deus quis tales ac tantas repromissiones contemnat duce sic exhortante? quis torpeat? Quãuis hæc ipsa repetitio præter hanc desiderii excitationem (quam diximus) aliquid aliud mystice designare videatur: septupla enim repetitio septem illius gloriæ quam expectamus, conditiones insinuat. Prima est vitæ interminabilis perpetuitas: hæc designatur prima promissione, cum dicitur, *vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei*: quoniam illius ligni esus vitam perpetuat, iuxta illud, *ne forte comedat de ligno vitæ, & viuat in æternum.* Secunda est securitas ab omni malo inferno & morte: hæc designatur secunda promissione, cum dicitur, *qui vicerit non lædetur à morte secunda.* Tertia est inenarrabilis suauitas, quam gustat beatus: hæc designatur tertia promissione, cum dicitur, *vincenti dabo manna absconditum*, id est, dulcedinem ineffabilem, *& calculum candidum*, id est, fulgorem corporis eximium, *& nomen nouũ*, id est, filiationis Dei titulum gloriosum. Quanta conditio est iudicandi præsidẽdiq; authoritas: hæc designatur quarta promissione, cum dicitur, *qui vicerit dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea*, reges enim cœlorũ propter virtutem constituti sunt sancti, & dabo illi stellam matutinam, id est, visionem Dei claram, quæ omnium promissionũ maxima, & præcipua est, quoniam ab illa sicut à fonte profluunt omnes aliæ. Quinta conditio est immunitas ab omni labe peccati: hæc designatur quinta promissione, cum dicitur, *qui vicerit sic vestitur vestimentis albis*, cui adiungũtur aliæ, videlicet inscriptio in libro vitæ, & cõfessio corã patre & angelis eius. Sexta conditio est securitas, nõ amittendi perpetuo beatitudinem illam quã possident: hæc designatur sexta promissione, cum dicitur, *qui vicerit faciam*

Ibid. *Apo. 3.*

Gloriam quã expectamus conditiones septem sunt.

1.

2.

Gen. 3.

6.

Apo. 2. *Psal. 2.*

4.

Apo. 3.

5.

6.

Heb 10. *Apoc. 3.* *Ioan. 17.* *Dan. 7.* *Apo. 12.* *Matth. 19.* *Apo. 2.*

sione, cum dicitur, *qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei*, ecce stabilitatem, & foras nō egredietur amplius, ecce securitatem. Septima conditio est honor & authoritas inenarrabilis in illa ciuitate opulenta, & republica generosa: hæc designatur septima promissione, cum dicitur, *qui vicerit faciam illum sedere mecum in throno meo*, &c. Ecce fratres mei præmium, ecce gloriam quæ nos expectat, quid graue aut difficile videri potest ad talem ac tantam beatitudinem consequendam, breuis pugna & æterna corona. *Momentaneum* (inquit Apostolus) *& leue tribulationis nostræ, æternum supra modum in sublimitate gloriæ pondus operatur in nobis*, æternum supra modum in sublimitate pondus quotiens repetit, vt attingat, sed valde deficit ab illo quod gestit. Vere pondus, quod omnino nequeat portare quiuis angelus aut homo beatus, nisi fulciatur à Deo. Impetum namque illius torrentis voluptatis à throno Dei, & agni rapidissime erumpentis, mentes q; illas beatas sublimiter inuadentis: nulla virtus creata sustinere posset, nisi ipsemet fons, vnde ille scaturit, eas mirabiliter stabiliret, ne fierent extra se, quamuis raperentur supra se. Si enim vna illius dulcedinis gutta ab illo torrente, in mē tem hominis stillata nunc eam totaliter inebriat, & in ecstasim rapit, quomodo inundantes eius fluctus & rapidam vim in sua origine sustinere posset? Vnde Iob. *Si continuerit aquas omnia siccabuntur, si emiserit eas, subuertent terram.* Hāc vobis gloriam fratres proponite, hanc quærite, hanc desiderate. Hæc sit vobis anchora firmissima, inter medios maris æstuantis fluctus, hæc tutissimum præsidium inter hostium irruentium tremēdos conflictus. State cum propheta super custodiam vestram, & figite gradum in munitionem, non retrocedentes velut pusillanimes, sed sicut fortissimi milites semper ad priora & potiora, extendentes vosmetipsos, donec perueniatis ad brauium supernæ vocationis, & propositam vobis honoris & gloriæ immarcessibilem coronam. Quam nobis cum sanctis suis donare dignetur dominus virtutum, & ipse rex gloriæ Christus Iesus, cui cum patre & Spiritu S. est honor & gloria, in sæcula sæculorum. Amen. *Psal.23.*

Deo Gratias.

7.

2. *Cor.* 4.

Psal. 35.

Iob 18.

Hab. 2.

Phil. 3.

DE EISDEM MARTYRIBVS Cosma & Damiano, Concio altera de tribulationibus.

THEMA.

Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos dominus. Psal. 33.

FRequenter vobis fratres prędicamus hanc materiam tribulationū quam vtilis, & necessaria nobis sit, & ita expedit: nam quoniam quotidie eas patimur, quotidie egemus firmari & animari ad eas perferendas. Quis in hac vita caret tribulationibus? quocunque reuertas, quomodocunque viuas, in quocunque statu, non tibi deerunt tribulationes. Quid enim longa dies homini, nisi longa malorum colluuies? longi patientia carceris? Ætas longior etiam illis quos diuites, & fortunatos vocatis, si corda eorum inspiciatis, inuenietis ea tristiora nocte, & nigriora carbone. Multis enim curis & anxietatibus premuntur diuites, & omnes, præcipue tamen iusti in hac vita vexantur. Apostolus. *Omnes qui pie volunt viuere in Christo persecutionem patiuntur*: non solum quia ex odio & nequitia mali eis nocere curant, sed etiam quia (vt ait glossa) *ipsa malorum conuersatio & communicatio, quam fugere nequeunt, persecutio est.* Nā intolerabile est videre nequitiam, & inordinationem malorum, iuxta Psalm. *Vidi prauaricantes & tabescebam*, & comaxime tempore, quo magis Deo propinquare volumus, maior instat tribulatio. Nam & Pharao, quando populus è seruitute illius exire procurabat, tunc maxime vexabat filios Israel, ita diabolus eos qui peccati seruitutem abiicere curant, maxime tunc vexat. Vt ergo non deficiamus in tribulationibus, neque propter eas à recto itinere deflectamus, diui-

2. *Tit.* 3.

Psal. 118.

Exod. 5.

diuinæq; legi negligentius inseruiamus, de eisdem afflictionibus cõtionem iam nunc habere instituimus. In qua duo faciemus Primo, de fructu tribulationum tractabimus. Secundo de fiducia quam debemus habere in Deum, quod de omnibus his nos dominus liberabit iuxta thema.

Propositio.

In magnam admirationem rapuit olim philosophos, sed & nunc homines sæpe solicitat, quid sit quod mundus iste tam ordinatus, creatus sit à Deo. & homo, propter quem conditus est in suis operibus, tantam habeat inordinationẽ. Si enim vertis oculos ad omnes creaturas, & vniuersum hoc sensibile, quantam in eis artem, ordinem & sapientiam intueberis, sicut in horologio temperatissimo, in temporum successione, in fructuum productione, in omnium animantium sustentatione. Si autem inde oculos ad humanos actus conuerteris, quanta in eis confusio? quanta inordinatio, quanta peruersitas, & malitia? quanta perturbatio & permutatio rerũ. Qui sursum esse deberẽt deorsum sunt, qui regere deberent, reguntur, qui regi, regunt in tormentis sunt, in delicijs, qui in deliciis sunt, in tormentis: boni affliguntur valde, mali vltra modum recreãtur. Bone Deus? quis non tantam confusionem perhorrescat & oderit? Herodes ille sacrilegus per iocum Ioannẽ Baptistam occidi iussit. Lyũas ille pessimus tyrannus Cosmam & Damianum sanctissimos viros afflixit & occidit. Stupet Chrysostom & indignatur super hoc & tragico prope furore excandescens clamitat. *Vbi lex? vbi fas? vbi ratio? vbi Deus? Domine, aut vides, aut non vides. Si non vides, quomodo regis? si vides quomodo permittis? Si non vides, vbi est prouidentia tua? Si vides, vbi est iustitia tua?* Vsque adeo mouit hæc difficultas antiquos philosophos, vt ne dicerent Deum iustum, & bonum talia permittere, elegerunt potius Dei præscientiam & prouidentiam negare. Videbatur eis difficillimum & blasphemum dicere quod Deus domum tam iniquam & inordinatam regeret & disponeret. Propter quod elegerunt potius dicere, quod Deus mundũ ordinatissimum regat, sed homines sibi ipsis regendos reliquerit, & aut nesciat, aut non prouideat actus humanos: sicut Boetius eorum sententiam recitans, ait *Omnia certo fine gubernans, hominum solos respuis actus debito rector cohibere modo*, vt Iob. *Circa cardines cœli perambulat, nec nostra considerat.* Et Psal. *Posuerunt os suum in cœlum, & lingua eorum in terram transijt, & dixerunt quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso.* Hoc (inquam) dixerunt, quia non poterant reddere rationem: quomodo Deus iustus, rectus & bonus, tantam in rebus humanis permitteret confusionem. Et ideo (vt dixi) maluerũt diuinam negare prouidentiam, quam eius lędere & offendere iustitiam. Sed vt Iob consequenter adiungit, *quorum sententia procul sit à me.* Absit absit tanta blasphemia, vsque adeo ad Deum pertinet omnia regere, & prouidere, vt si aliquid ab eo nesciretur, vel non disponeretur, non esset Deus. Quid enim est Deus, nisi vniuersalis dominus & gubernator omnium? quomodo non erit gubernator eorum quorum fuit opifex & creator? aut quid in rebus potest legem, & iurisdictionem sui conditoris subterfugere, & ab eius dominio excipi. Vnde contra hos Psal. clamat. *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite, qui plantauit aurem non audiet?* &c. Grãdis ergo error & blasphemia est dicere diuinam negare prouidentiã. Sed nobis restat respondere eis, quomodo diuinam potest manuetem iustitiam, ne in similem vel maiorem blasphemiam incidamus, dicendo quod Deus tanta mala faciat, vel fieri consentiat: aut quod pius est, amator & fautor sit malorum (sicut alii multo deterius blasphemauerunt) de quibus conqueritur Deus per Malachiam, dicens. *Laborare fecisti omnipotentem in sermonibus vestris: & dixistis, in quo eum facimus laborare? in eo quod dicitis, omnis qui facit malum bonus est in conspectu domini, & tales ei placent. Aut certe vbi est Deus iudicij?* quasi dicerent, aut Deus mundum non iudicat, neque gubernat, sicut primi philosophi dixerunt

In humanis maxima confusio est.

Mat. 6.

Iob 22. Psal. 72. Iob 22. Psal. 93. Caluinus. Mal. 2. Deus non mala facit, neq; ea fieri consentit.

runt, aut si gubernat: vtique qui sic malis fauet, amator malorum est. Vsque adeo hæc difficultas, sanctissimos viros, & illuminatissimos prophetas mouit, vt diuinorum iudiciorum abyssum admirantes, & diuinam sapientiam perscrutantes, quasi tantam molem difficultatis dissoluere non valentes, à Deo huius secreti rationem poposcerunt cum ipso Deo super hac re disputãtes. Vnde Hieremias. *Iustus quidem tu es domine, si disputem tecum, verumtamen iusta loquar ad te, quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui prauaricantur, & iniquè agunt, plantasti eos, & radicem miserunt, proficiunt, & faciunt fructum*, &c. Hoc idem propheta Dauid in Psalmo. *Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde.* Quasi dicat, Domine de tua bonitate & rectitudine ego non dubito, hoc pro certo habeo, quod iustus & rectus es, neque de hoc quasi dubitans disputo, sed à te iusto & bono rationem inquiro. Vnde sequitur. *Mei autem pene moti sunt pedes* &c. Et beatus Iob. Disputare (inquit) cum Deo volo, *nunquid contra hominem disputatio mea est? vt non merito debeam contristari: Attendite, & obstupescite, & superponite digitum ori vestro, & ego quando recordatus fuero pertimesco, & concutit carnem meam tremor.* De quo beate Iob? de quo turbaris? super quo contremiscis? Sequitur. *Quare impii viuunt? subleuati sunt? confortatique diuitiis, semen eorum permanet coram eis? propinquorum turba, & nepotum in conspectu eorum, domus eorum securæ sunt & pacatæ, & non est virga Dei super illos. bos eorum concepit & non abortiuit, egredi uitur quasi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus*, &c. Sed & propheta Habacuc, non iam quasi disputans, sed quasi indignans audacius cum Deo loquitur. *Vsquequo vociferabor vim patiens, & non saluabis? quare respicis contemptores, & taces conculcante impio iustiorem se, & facis hominu quasi pisces maris, & quasi reptilia non habentia ducem?* Super hoc Hieronym. *Vides quam temeraria vox sit, & quodammodo blasphemantis, creatorem suum ad iudicium prouocare, & vas fragile aduersus figulum cur tale, vel tale facturum sit disputare.* Vides certe quantæ difficultatis fuerit apud prophetas hæc quæstio, super qua Deum consulere, & interrogare præ nimia admiratione & stupore cogebantur: propterea quod diuinam prouidentiam negare impium erat, & diuinam offendere iustitiam ex alia parte perhorrebant. Sed qualiter prædictam quæstionem per spiritum Dei soluerint, attendamus. Psal. *Existimabã vt agnoscerẽ hoc labor est ante me, donec intrem in sanctuarium domini, & intelligam in nouissimis eorum.* Quasi dicat, in nouissimis impiorum ibi intellectus est: & solutio quæstionis quomodo in nouissimis soluatur hæc quæstio. Iob de eadem. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt.* Attendite iustitiam, attendite æquitatem, agnoscite quoque diuinã prouidentiam. Non est enim minor Dei prouidentia in actibus humanis, quam in cæteris, sed est occultior & mirabilior. Namque cætera omnia quæ à solo Deo reguntur, ordinata sunt, nimirum illa eximia sapientia & ars mirifica est, res pessimas & inordinatissimas regulare, & ordinare, & in ipsa humanorum actuum confusione, ordinem inuenire, & in ipsa iniquitate, æquitatem, & in ipsa fœditate, pulchritudinem facere: vt potentior sit Deus ad ordinandum, quam homo nequissimus ad deprauandum Exemplum. Si quidam pictor imaginẽ pulchram faciat, non mirum, sed si alio deturpante & fœdante omnem illam deformitatem in pulchritudinem reducat, illud mirificum & egregium. Et quidem in tanta humanorum actuum turbatione & confusione, ordinem inuenire, & vbi non est ratio, rationem ponere, altissima sapientia est. Latet ergo in rebus humanis diuina prouidentia: sed ibi maior est & excellentior, sed eam etiam aliquando nvita hac inspicimus ex parte. Nam sæpius Deus, & in hac vita reprobis debitam reddit retributionem, & rete texant & capiantur in eo, & fodiant foueam, & incidant in eam. Tamen perfecte nõ intelligitur, nisi in nouissimis

Hie. 12.

Psal. 72.

Iob 21. *V.* 4.

Hab. 12.

Isa. 45.

Psal. 72.

Iob 21.

Prouidentia Dei est in actibus humanis.

Psal. 7.

uissimis corũ ibi multo notior est, quando post momentaneam delectationem, ad incendium perpetuum perducuntur. Ibi satis patet, quod præterita prosperitas non fauor, sed furor Dei fuerit contra illos. Si ergo solam hanc vitam inspicias, & eam solam attendas, insolubilis videbitur ista quæstio & inexplicabilis, sicut philosophis visa est: qui eam solã attendebant, sed si tempori æternitatem adiungas, & vtranque vitam simul annectas, hanc scilicet temporalem & quæ sequitur perpetuam, ibi inuenies solutionem. Nam quid obsecro mirum, si is qui perpetuo arsurus est in inferno, hic ad momentum lætari & gaudere permittatur, & viuere pro libito suo finatur? Aut qualis est ista prosperitas quæ gemitus germinat sempiternos? Malis dicitur. *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Quasi dicat. Lætamini, exultate vt vultis, nam cito plorabitis, sicut alibi. *Et vlciscimini, sed nunc cito reddam vobis vltionem, super caput vestrum.* Satis mihi temporis restat ad vltionem de vobis. Similiter & è conuerso, quid mirum si illi quibus paratum est gaudium sempiternum, hic ad momentum tribulentur, imo hoc eis ad iucunditatem expedire cognoscitur. Solemus nanque cum magnum & præclarum conuiuium amicis parauimus, eos aliquandiu ante prandium detinere, vt esuriant & melius eis pretiosa cibaria sapiant: sicut in vulgari prouerbio dicitur. *Quies quæ laborem sequitur grator est, hoc enim habet malum boni, vt bonum ipsum iuxta positum magis illustret:* sic Deus qui æternum dilectis suis conuiuium præparauit, hic eos ad modicum prius esurire, & indigere permittit: vt postea exultantes dicant. *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti: annis quibus vidimus mala transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Vnde Gregorius super Iob. *Non ita mirum est quod mali in hac vita prosperentur, & boni affligantur, sicut esset è conuerso si boni prosperarentur & mali affligerentur. Quid enim mirum si ciues huius Babylonis, & filii huius sæculi in suauitate & patria gaudent, & exultant, & peregrini & exules in ista tur & affligantur?* Si de mundo esset is (ait dominus) *mundus quod suum est diligeret, propterea odit vos mundus, quia non estis de hoc mundo.* Neque hoc diuinæ iustitiæ aduersatur (vt philosophi putauerunt) imo quam maxime consonat. Nam quis ita malus est, vt aliquod bonum aliquando non fecerit? & quis ita bonus, vt aliquando non peccauerit? Cum ergo ad diuinam & perfectam iustitiam pertineat, vt nullum bonum maneat irremuneratum, aut malum impunitum: consequens est, vt cum illa bona impiorum in futuro non sint remuneranda, remunerentur hic, & similiter illa peccata iustorum puniantur hic, ne puniantur in futuro. Neque hæc est inordinatio, sed maximus & perfectissimus ordo. Si enim malis semper male esset, bona eorum sine præmio manerent, & si bonis semper bene esset, mala eorum impunita relinquerentur, & hæc esset maxima iniustitia & deordinatio in vniuerso. Vide etiam quam male conuenit iustis prosperitas in hac vita, si enim alicui homini afflicto, tristissimo, vulnerato, in carcerem coniecto, quispiam cantilenas, & facetias, & iocos diceret: nonne vexaret eum amplius & torqueret musica illa in luctu? Sic iusto peregrino, & in carcere posito, qui diebus ac noctibus non cessat à lachrymis, & fletu ex mundi huius & vitæ tædio, ex patriæ cœlestis desiderio, ex periculi timore, ex carnis grauissimæ odiosissimo onere, adhibere ei honoriculos, & diuitiunculas, & vanas istas delicias, & ludicra mũdi tædiosum esset & importunum. Vnde Iob. *Quare misero data est lux, & vita his qui in amaritudine sunt, qui expectant mortem, & non venit, & quasi effodientes thesaurũ, gaudent vehemẽter cum inuenerint sepulchrum.* Videtis certe, non esse defectum diuinæ prouidentiæ, neq; notam diuinæ iustitiæ: non esse contra Dei sapientiam, aut contra ordinem, vt mali prosperentur, & iusti affligantur in hac vita: imo hoc esse æquissimum, iustissimum & ordinatissimum: namq; hoc esse ad malorum fauorẽ, & iustorum odium:

Luc. 22.
Luc 6.
Deu 3.
Abd. 1.
Ezec. 9.
Psal. 89.
Psal. 65.
Ioan. 15.
Iob 3.

dium: imo è contrario esse contra malos iram Dei, & erga iustos amorem & fauorem. Si enim non expediret iustis hic tribulatio, cum Deus sic eos amet & diligat, vt filios non eos permitteret affligi, sed vt hoc fiat lucidius & apertius. Ostendamus modo, quot & quantas vtilitates iustis afferat tribulatio, & quantum eis expediat tribulari, & quamuis innumeræ sint istæ commoditates, septem tamen ex sacris doctoribus colligimus. Nam tribulatio corrigit deuios, excitat tepidos, purgat impuros, illuminat cæcos, perficit bonos, coronat pios, firmat dubios. Hos tribulationis fructus sigillatim prosequamur. Primo tribulatio corrigit deuios, nam in prosperitatibus post vitia nostra effrænati, imus in præcipitium: si Deus non infrænaret nos tribulationibus & flagellis, quo tenderet nostra licentia? Psalm. *In chamo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Quantos emendauit, & correxit acerbitas tribulationis. Non opus est antiqua perquirere exempla. Psalm. *Conuersus sum in ærumna mea, dum configeretur spina.* Filius ille prodigus, nisi fame & necessitate compulsus, ad patrem non rediisset, si datæ ei fuissent porcorũ siliquæ quas volebat: vtique vitulum saginatum in paternis laribus non gustasset. Vnde dominus ait. *Ego sepiam viam tuam spinis, ibis post amatores tuos, & non apprehendes eos, & dices reuertar ad virum meum priorem, quia mihi melius erat tunc quam nunc.* Secundo excitat tepidos, nam cum omnia prospere eueniunt nobis, remissi sumus, & nimio torpore dissolumur. Non est deuotio, non spiritus, non oratio, neque feruor, neque lachrymæ: vero cum aduenit tribulatio statim excitamur, clamamus, oramus, in lachrymas prorumpimus obsecrantes dominũ vt liberet nos. Psalm. *Sicut sagitta in manu potentis, ita filii excussorum*, id est, affectus & desideria tribulatorum, à quibus Deus pulùerem sæculi virga tribulationis excutit. *Tribulationes enim calcaria sunt, quæ faciunt nos currere ad Deũ*: sicut Gregorius ait. Mala quæ hic nos premunt, nos ad Deum ire compellunt. Et Psal. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt*, è contrario prosperitates detinent nos: nam sicut luto sic infigimur in eis. Psal. *Infixus sum in limo profundi*: Deus itaque electos suos non vult ab istis vanitatibus detineri, sed quod omnia eis amara sint, & male succedant, & eos afflictent: vt dum ab omnibus repelluntur, ad Deum recurrant: & dum iste mundus aduersatur, futuram vitam requirant. Et hæc grandis misericordia Dei est, exemplum in Absalon & Ioab, quem cum vocaret, & nollet venire, iussit seruis suis, vt eius segetes comburerent: & tunc venit ad eũ indignans & clamans. *Quare hoc feci sti?* Et ille. *Vocaui* (inquit) *& noluisti venire, combussi segetes tuas, vt venires.* Tertio tribulatio purgat impuros, non solum à peccatis, sed & ab affectibus mundanorum, exemplum in ægrotis qui solam cupiunt sanitatem: non iam honores & delicias, &c. Est enim tribulatio sicut ignis purificans electos, & auferens ab eis omnem scoriam & puluerem, & excoquens eos velut argentum & aurum, sicut per Isaiam dicitur. *Ego conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum*, &c. Quam nitidos, claros, puros, pellucidos, tersos, splẽdidos reddit sanctos tribulatio: exemplum, sicut vasa aurea, & argentea, si haberent sensum quando conduntur, & incendunturab artifice suo, conquererentur, sed postea ei gratias agerent pro suo decore: ita & sancti licet sentiant Dei flagella, postea lætantur, & Deo gratias agunt, nec solũ purgat, sed examinat, & probat: nã eodem igne quo purificatur argentum, palea comburitur. Tribulatio quæ purificat electos, euertit impios, nam in tribulatione positi iracuntur, blasphemãt, indignantur, & furiunt, sicut damnati in inferno. Vnde Apostolus. *Fundamentum aliud nemo potest ponere*: vnusquisque videat quid super ædificat, vtrum *aurum, argentum, vel lapides pretiosos, an fœnum, lignum, & stipulam, vnius cuiusque opus quale sit, ignis*, scil. tribulationis, *probabit:*

Septem vtilitates tribulationis.

1. *Psal.* 31.

Ibid.

Luc. 15.

Oseæ 2.

2. *Psal.* 126.

Psal. 15.

Psal. 68.

2. Reg. 14. 3.

Isa. 1.

Simile.

1. *Cor.* 3.

bit: si cuius opus manserit mercedem accipiet, si cuius opus arserit, detrimentum patietur. Tribulatio ostendit virum, non potest homo agnosci donec tangatur: plures apparent argentum, & cum probantur sunt paleæ. Psal. *Proba me domine, & tenta me.* Est hic lapis lydius vbi perfectiones videntur cuiusque. Præterea tribulatio illuminat, non enim agnoscimus nos in prosperitatibus, credimus quod pro Deo poterimus multa pati, & cum Petro dicimus, *Paratus sum tecum, siue in carcerem, siue in mortem ire,* & decipit nos cot nostrum: nam postea neque leues iniurias pro domino sustinemus. Quomodo enim sustinebit verbera, qui non sustinet verba? Grandis hæc vtilitas agnoscere se. Apostolus. *Qui se existimat aliquid esse, cũ nihil sit*: sæpius, & alios redarguimus impatientiæ, & accusamus: & nos cum tangimur debiliores sumus. Non solum autem illuminat oculos ad cognitionem sui, sed & ad cognitionem vanitatis huius sęculi, nam in tribulatione se delusos aspiciunt ab omnibus fauoribus mundi: nam qui non est tentatus, quid nouit? Isaias. *Sola vexatio dabit intellectum auditui.* Insuper perficit bonos, scilicet in virtutibus, nam præbet materiam exercendæ virtutis. Tolle tribulationem, vbi patientia? vbi mansuetudo? vbi humilitas? fortitudo, fiducia, tolerantia? Bernar. *Sicut stellæ nocte fulgent, & non in die, ita virtutes in aduersitate, & non in prosperitate splendent.* Exemplum in Iob. Quantis virtutibus præditus erat, sed latebant donec venit tribulatio, quanto illustrior fuit in sterquilinio, quam in solio. Deinde coronat pios: nam (sicut ait Apostolus) *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Vnde Ioannes in Apocal. Vidit multitudinem pulcherrimam, & plebem nobilissimam: & ait ad angelum *Qui sunt hi, & vnde venerunt.* Cui angelus. *Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione:* nam tribulatio auget meritum, & ex consequenti coronam. Proh quanti faciunt nunc Cosmas, & Damianus fuisse passos verbera, & tormenta quæ pro Deo pertulerunt? ò quanta eis gloria? quantus honor? quam immensa lætitia de tam insigni victoria? quantus honor creaturæ, ex posuisse pro Deo esse, quod ab eodẽ acceperat creatore? hoc nostræ naturæ maximum priuilegium, hæc sanctorum martyrum gloria, in hoc præ cæteris gloriãtur. Vnde in resurrectione corpora eorum quodammodo apparebunt pulchriora, quia sacris illis stigmatibus veluti carbunculis, & adamantibus decorabuntur. Nam sicut dominus in sua resurrectione, cicatrices reseruauit: ita & in sanctorũ corporibus, ad decorem, honorem, & gloriam remanebunt. Quis sanctorũ martyrum lætitiam, & gloriam valeat cogitare? Si enim is qui calicem aquæ frigidæ pro Christo dederit, recipiet à Deo mercedem: qui sanguinem suum totum pro ipso fuderunt, & tam acerbam mortem laniati sustinuerunt, quanta gloria afficientur? Vnde ecclesia merito canit, *Quæ vox, quæ poterit lingua retexere?* &c. Fœlices medici, qui sic sua corpora curauerunt, non poterimus eis dicere, medice cura teipsum, non solum sibi, sed & aliis vitam æternam doctrinæ suæ medicamẽto contulerunt: occasione enim medicinę dum corpora medicamine curabant animas potius salutari verbo viuificabant, & sic totum hominem sanũ reddebant. Erant enim animarum potius medici quam corporum, prædicatores potius quam curatores, audiant medici, & sequantur, propterea namque dominus in omni statu, & conditione voluit sanctos eligere, vt nullus excusetur de statu suo. Fuerunt reges sancti, & milites, & medici, pauperes, & diuites, vt discamus, quia in omni statu, quiuult potest esse perfectus. Habent medici vnde valde proficiant, si pauperes curent cum charitate, & solicite visitent, & cõsolentur, & gratiam quam eis dominus dedit curandi, & sapientiam in eos exerceant. Nec solum hoc, sed etiam quod à diuitibus accipiunt conferant ex parte saltem egentibus, quæ pręclara eleemosyna est coram Deo. Denique firmat dubios, hoc enim signum diuinæ prædestinationis, & amoris est, si à do-

Psal. 25. *Simile.* 4. *Luc. 22.* *Gal. 6.* *Isa. 28.* 5. *Simile.* 6. *Act 14.* *Apoc. 5.*

In resurrectione corpora pulchriora apparebunt propter stigmata. *Simile.* *Mar. 10.* *in Hymnis.* *Io. 7.* 7. *Apoc. 3.*

mino tribulamur. Apocalyp. *Ego quos amo, arguo, & castigo.* Et Apostolus ad Hebræos. *Non est filius quem non corripit pater, quod si extra disciplinam estis cuius participes sunt omnes, ergo adulteri estis, & non filii*, id est, adulterini, & non legitimi. In hoc Deus nobis amorem ostendit, quia nos conformat imagini filii sui, & sanctorum suorum. Quis enim magis tribulatus, quis magis afflictus in hac vita mortali quam Christus? aut quis electorum sine tribulationibus vixit? Apostolus. *Sicut socii passionum estis, ita & consolationis eritis.* Et iterum. *Fidelis sermo & omni acceptione dignus*, quia si compatimur, & conregnabimus, si in hac vita participes tribulationum erimus, in alia participes gaudiorum, & si hic participes pœnæ, ibi erimus consortes gloriæ. Gaudeamus igitur fratres, cũ in varias tribulationes inciderimus, sustinete patienter imo libenter gratias agite, viriliter state non deficiatis, certi quia Deus non odit, imo potius diligit vos. Petrus. *In quo exultabitis modicum nunc, si oportet contristari in variis tribulationibus, vt probatio fidei vestræ*, &c. Postea *exultabitis lætitia inenarrabili*, & glorificata, momentaneum enim est, quod cruciat, æternum est quod delectat. Apostolus. *Momentaneum enim hoc, & leue tribulationis*, &c. Hic etiam dominus liberauit vos sicut promisit. Psalm. *Quia non relinquet dominus virgam peccatorum*, &c. Iterum, *Non dabit in æternum fluctuationem iusto*, imo in ipsis vos consolabitur. Psalm. *Secundum multitudinem dolorum meorum*, &c. Apostolus. *Quia sicut abundant passiones*, &c. Iob. *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum*, quoniam subsequetur summum bonum in gloria, ad quam nos perducat Iesus Christus dominus noster.

Amen.

* * *

Heb. 12.

Rom. 8.

2. Cor. 1.
1. Ti. 1.

Iacob. 1.

Ephes. 3.
1. Pet. 1.

2. Cor. 4.

Psal. 124.

Psal. 54.

Psal. 93.
2 Cor. 1.
Iob 5.

DE MVLTIS MARTYRIBVS,

Concio alia, hoc est, de Diuis Quirito, illiusque matre Iulita. De vtilitate tribulationum.

THEMA.

Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni. Apocalyp. 7.

SI oculis clatis, veluti ex alta specula errores filiorum Adam considerare voluerimus, dolebimus valde: & vix poterimus continere lachrymas de tam misera cæcitate. Quis non doleat videndo tantam multitudinem, cum nimio labore, & fatigatione, & anxietate suam quærere perditionem, & mortem? Quid est enim quod totus mundus inquirit, quid est quod anxie procurat, nisi prosperitatem, abundantiam, & gloriam temporalium? viuere in deliciis, & solatiis, abundare diuitiis, frui temporalibus bonis: Hæc est omnis fœlicitas mũdanorum, in hac procuranda totus fere mundus desudat, & hac fœlicitate quid infœlicius, & quid hac prosperitate deterius? Grandis misericordia Dei, quod homines non assequuntur quod inquirunt, nam sic dæmonibus essent deteriores. Quanta mala facit prosperitas, & abundantia? Prosperitas facit hominem obliuisci Dei & sui, prosperitas facit eum superbum, prosperitas facit eum leuissimum, & mundanum, prosperitas facit vitiosum, & inertem, prosperitas facit eum contemptorem proximorum, & crudelem, prosperitas facit hominem brutalem, & insensatum, prosperitas facit hominem obliuisci futuræ gloriæ, & mortis, & inferni, prosperitas replet hominem vitiis, & peccatis vsque ad summum. Da mihi hominem rectum, & bonum cui omnia succedant ad votum, breuissimo tempore fiet quasi brutum, vel quasi dæmon. Quis melior, quis sanctior, quis sapientior Salomone in sua iuuẽtute? cui Deus dono tantam infudit sapiẽtiam? cui tantam dedit deuotionem

Magna diligentia inuanitatibus & miseriis acquirendis adhibetur.

Salomon sapientissimus factus est carnalis.

ctionem, & ſpiritum, vt librum canticorum ſcriberet, qui omnium librorũ veteris legis ſpiritualiſſimus eſt, qui propter nimiam ſanctitatẽ, & puritatem, idida, id eſt, dilectus Domini vocabatur. Hic tantus vir ſuccedentibus proſperis, ex nimio luxu, & abundantia temporaliũ, ſuper omnes homines factus eſt carnalis, vtpote, qui domi greges habebat mulierum quaſi greges caprarum: & in tantam deuenit miſeriã, & ſtultitiam, vt idololatra fieret, & idolo Moloch tẽplũ conſtrueret, & ſacrificia offeret. Quem non deterreat tanti hominis precipitiũ, & tam miſerabilis lapſus? Simile contigit Sauli regi, & quotidie euenit pluribus, qui dum erant pauperes boni erãt, & probi: poſtea vero arridente fortuna, facti ſunt peſſimi. Vnde Dauid enarrans mala quæ proueniunt ex proſperitate, & carentia tribulationum, ait. *Mei autem pene moti ſunt pedes, pene effuſi ſunt greſſus mei, quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns, quia non eſt reſpectus mortis eorum, & firmamentum in plaga eorum, & labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate, & impietate ſua prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum tranſierunt in affectum cordis, cogitauerunt, & locuti ſunt nequitiam, iniquitatem in excelſo locuti ſunt: poſuerunt in cœlum os ſuum*, &c. Quanta mala ex abundantia, & proſperitate, & ex tribulationis defectu. E contrario autem, quid eſt quod mundus magis horret, & fugit, & timet, quam tribulationes? & tamen in hac vita nihil homini vtilius, nihil ſalubrius. Quanta bona accumulat tribulatio? quot vtilitates conciliat?

1. *Vtilitas Tribulationis ex eo quod expergefaciat hominem à ſomno.*

Primo tribulatio expergefacit hominem à ſomno, & veluti quadam manu excitat à peccato, aperit oculos eius, & illuminat, vt videat ignominiam, & fœditatem ſuam, & grauitatem peccatorum ſuorum agnoſcat, & corrigat vitam ſuam: ſicut ſcriptum eſt. *Sola vexatio dabit intellectum auditui.* Quantos vidimus in fœce peccatorum quaſi profundo ſomno ſopitos, tribulationis vehementia excitatos, correxiſſe vitam, mutaſſe mores, in alteros tranſiſſe viros, & ex peccatoribus in ſtudioſos, & probos fuiſſe permutatos. Secundo, tribulatio humiliat hominem, & domat, & facit eum depoſito ſuperbiæ tumore, manſuecum, humanum, pium, & tractabilem. Nam qui ſuccedentibus proſperis veluti equinus hinnulus, nimio furore ſpumabat, & fremens, ac frendens alios morſibus, & calcibus lædebat, & turbabat, tribulationis aſſiduæ pondere preſſus, & ægritudinis frequentis vexatione perdomitus, de cætero quiete viuit: ſicut Hieremias ait. *Caſtigaſti me domine, & eruditus ſum, vt inſuetus indomitus.* Tertio, tribulatio hominem, à vitiis, & concupiſcentiis, & vanis ſæculi deſideriis purificat, & ab eo puluerem vanitatis excutit. Sicut enim veſtes diu apothecis incluſas, & à tinea corroſas, vel nimio puluere reſperſas, aliquando virga percutimus, & ab eis vermes, & puluerem percutientes excutimus: ſic Deus homines nimio luxu, & abundantia corruptos, illecebroſis appetitibus veluti vermibus corroſos, vanitatis, & cupiditatis puluere fœdatos, tribulationis virga, excuſſa vanitate, & carnalibus deſideriis extinctis purificat. Nihil enim ſic omnia hominis vitia, & vana deſideria, noxias cupiditates, & flagrantes carnis cõcupiſcentias extinguit, & mortificat, ſicut tribulationis acrimonia quæ veluti abſinthii poculo, omnes animæ vermes intus viſcera eius corrodentes, ſua amaritudine inficit, & interficit. Conſidera hominem in tribulatione conſtitutum, & vide quam longe eſt ab omnibus voluptatibus, & vanitatibus, & illecebris. Nulla tunc concupiſcentia titillat, nulla vanitas eleuat, nulla eum delectatio mulcet. Quam liber eſt à iocis, & ludis, & cæteris vaniſſimis deſideriis. Totus dolore occupatus triſtitia abſorptus, ſic omnia mũdi gaudia, & oblectamenta deſpicit quaſi mortuus. Placet hic inſerere Ioannis Chryſoſtomi perpulchram conſiderationem de domo luctus, & de domo coniugii, quam more ſuo luculentiſſime in quadam homilia proſequitur, dicẽs. *Et ſi vultis duas*

5. *Reg.* 11.

1. *Reg* 13. & *infra.*

Pſal. 72.

Iſai 28.

Hier. 31.

Simile.

Simile.

In signis S. Chrysost. descriptio domus luctus & tripudii.

domus describamus, hanc quidem nubentium, hanc vero lugentium, mente vtramque ingrediamur. Videamus vtra melior, inuenietur enim lugubris sapientiæ plena, nuptialis autem plena confusionis. Nam turpia verba, incompositus visus, incompositiores locutiones, & vestitus, & incessus deformitate plenus, verba multa fatuitatis, & stultitiæ plena, & aliud omnino nihil nisi risus omnia, & derisio, quæ sunt illic. Non nuptias dico absit, sed quæ sunt in nuptiis, tunc natura debacchatur, bruta pro hominibus fiunt præsentes, hi quidem, vt equi hinniunt, hi autem vt asini calcitrant, multa effusio, nihil studiosum, generosum nihil, diaboli pompa, cymbala, & tibia, & cantica fornicationis, & adulterii plena. At non ita illic vbi luctus, omnia compositæ, multa requies, silentium multum, correctio multa, inordinatum nihil, nihil incompositum: si quis aliquid locutus fuerit, omnia sunt philosophiæ plena: & id quidem mirabile, quod per illud tempus, non modo viri, verum, & familiares, & mulieres sapienter agunt. Talis enim est luctus natura, vt videatur lugentem consolari, plurima vero totius philosophiæ plena loquuntur. Quarto tribulatio conuertit hominem a peccatis, & reducit ad Deum, & facit hominem redire ad cor, & diuinam misericordiam postulare: sicut scriptum est. *Conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina.* Facit etiam hominem timere Deum, & reuereri, & desistere à peccatis, & clamare ad Deum, & diuinum adiutorium postulare: sicut dicitur in psalm. *Clamauerunt ad dominum cum tribularentur.* Et iterum: *In tribulatione mea inuocaui dominum.* Quinto, auocat hominem à desiderio huius vitæ, & facit cogitare de morte, & desiderare cœlestis patriæ tranquillitatem. Vnde cum Helias persecutionis anxietate fatigatus, sederet sub iunipero, petiuit animæ suæ, vt moreretur, & ait. *Sufficit mihi domine, tolle animam meam, neque enim melior sum, quam patres mei.* Et quotidie id ipsum contingere solet fatigatis, & tribulatis, vt supplicent humiliter Deo, vt de præsentis vitæ miseria eos eripiat, & à præsenti sæculo soluat. Sexto hominem exercet, patientiam probat, meritum auget, propter quod Apostolus. *Gaudemus* (inquit) *in tribulationibus scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio vero spem.* Septimo dat fiduciam gloriæ consequendæ: diuiti enim auaro dictum est: *Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris*, signum enim est diuinæ acceptationis, sicut scriptum est. *Ego quos amo arguo, & castigo.* Et Apostolus. *Quis est filius quem non corripit pater*, & è contra, prosperitas huius vitæ reprobationis indicium est, sicut ibidem Apostolus ait. *Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri, & non filii estis.* Et Gregorius. *Continuus successus rerum temporalium, signum est damnationis æternæ.* Multas alias vtilitates confert nobis tribulatio, propter quod dominus sanctos, & electos suos, semper in hac vita pati voluit tribulationes, sicut ait psalm. *Multæ tribulationes iustorum.* Et iterum. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & malas*, &c. Vide à principio mundi, & perlege catalogum sanctorum, & non videbis aliquem sine tribulatione vixisse. Vide Abraam amicum Dei, Iacob, Ioseph, Moysem, Iob, Dauid, omnes prophetas, & in nouo testamento, Apostolos, Martyres, Confessores, omnes per multas tribulationes introierunt regnum Dei. Vnde Ioannes cum per reuelationem vidisset sanctorum gloriam, & ciuitatem sanctam Hierusalem (sicut ipse ait, *vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum*, &c.) quæsiuit ab eo vnus de senioribus, dicens. *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & vnde venerunt?* Et ille ait. *Domine mi, tu scis*, gloriam, & fœlicitatem eorum video, sed qui sunt, aut vnde venerunt, penitus ignoro. Et ait illi. *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna*, vides gloriam?

6. *Rom. 5.* 7. *Luc. 16.* *Apoc. 3.* *Heb. 12.* *Ibidem.*

4. *Psal. 51.* *Psal. 33.* *Psal. 70.* *Nullus vnquã sine Tribulatione vixit.*

5. *Psal. 106.* *Psal. 17.* *Apoc. 7.*

3. *Reg. 19.* *Apoc. 7.*

riam? vides candorem? O si scires cum quanta tribulatione illum promeruerunt? Nullus est illorum quos stolis albis induros vides, qui non mille passus sit in mundo angustias, & tribulationes. Ecce hoc dictum est Ioanni. Væ cæcitati, væ stultitiæ, & errori nostro, qui per delicias, & solatia ad illorum societatem peruenire putamus, qui sine pugna, & victoria coronas speramus, cum scriptum sit. *Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit.* Vnde vt ait Chrysostom, *Similes sumus mulieribus, & pueris sedentibus in theatro, aspicientibus, mirantibus, laudantibus certantes & prælientes in agone, & non descendentibus in prælium.* Quam ridiculum, quam stultum est, si finito agone petamus coronas, postulemus brauium, qui omnes labores fugimus, qui nullam pugnam sustinere curauimus, sed solemus nos excusare, quod sumus debiles, fragiles, infirmi, & delicati. Propter hoc ad confusionem nostram obicit nobis hodie sancta mater ecclesia, non Petrum, aut Paulum, non viros Apostolos robustissimos, sed sanctum Quiritum puerum, & matrem suam, martyres glorioſos, vt videamus eorum martyria, & confundamur, quod neque puerum, nec mulierem fragilem imitemur. O spectaculum dignissimũ. Non valde miror Petrum crucifixum, Stephanum lapidatum, Bartholomæum excoriatum, viri erant Spiritu sancto pleni, robusti, & fortes. Sed quam glorioſum videre puerum tenerrimum, & delicatum, lanatum flagellis, exaratum vngulis, mille tormentis discerptum, quasi leprosum plagis vlceratum, & inuictum. O egregium triumphum quo in puero de mundo, & diabolo triumphasti? In hoc puero tuam domine potentiam, & fortitudinem ostendisti, in hoc te Deum esse monstrasti. Quam verum est quod ait Apostolus. *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Ecce diuina virtus in puero infirmo, quantam ostendit fortitudinem, quam mirabilem potestatem, quale etiam spectaculum fuit videre matrem filii dirum agonem spectantem, exhortantem, laudantem, gaudentem. Videt filium laceratum, & exultat: videt morientem in tormentis, & gaudet. Vbi materna viscera? vbi parentis pietas? vbi amor matris? vbi naturalis illa compassio filiorum? O potentissima charitas Dei omnia viceras, omnia absorberas, sic namque totum cor illius mulieris occupauerat Dei amor, vt oblitam naturæ faceret, nullumque in ea locum compassionis relinqueret. Duplex in hac matre martyrium colimus: prius enim fuit martyr in filio, quam in corpore suo: non sic admiror quod dolores proprios tolerauit, sicut quod de filii doloribus exultauit. Tales sunt, quos Ioannes vidit amictos stolis albis, & palmas manibus tenentes, tales qui cum angelis coram agno stantes clamabant. *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & agno.* Non ibi vidit aliquem delicatum, non aliquem voluptuosum, non aliquem ex his, qui sericis induuntur, qui dormiunt in lectis eburneis, qui in amplissimis domibus habitant, qui opulentissimis dapibus vescuntur quotidie, ac noctes in ludis, & voluptatibus consumunt. Sed de his quid scriptum est? *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Sed iam propter quid dominus sanctos suos in hac vita sustinere voluerit tribulationes, audiamus. Decem super hoc rationes ponit beatus Chrysostomus in homilia prima, quarum aliquas nunc breuiter perstringemus. Primo ad humiliationem, ne de donis, & gratia Dei superbiant, tanta enim donorum, & fauorum, & consolationum cœlestiũ gratia in eorum cordibus inundauit, vt nisi contrapositis tribulationibus, & infirmitatibus firmarentur, nullo modo posset in humilitate persistere. Vnde Apostolus. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Hoc est enim *appendere aquas in mensura* (vt ait Iob) sic gratias tribulationibus cõtemperare, *ne obruant possidentem.* Secundo ad purificationem, vt eos scil. ab omni temporaliũ amore, & desiderio purificent. Sicut enim conflator aurum, & argentum in fornace ab

2. Tim. 2. Simile.

Duplex martyrium colitur in Iuita.

Apo. 7.

Iob 21.

Rationes assignantur quare Deus suos in hac vita non voluerit à tribulationibus immunes.

2. Cor. 12. 1.

1. Cor. 1.

Iob 28.

2.

omni plumbo, & scoria purificat, vt ex eo vasa pulchra, pretiosa, & admiranda conficiat: sic Deus quasi aurum in fornace electos suos in hac vita probat, vt eos in cœlesti palatio splendidos, & rutilantes, quasi vasa pretiosa in mensa sua constituat. Et sicut armamentarius armaturam rubigine, & ferrugine fœdata oleo vngit, & ferro polit, & quasi speculum fricando, nitida ac clara reddit: sic quoque dominus sanctos suos ocio torpentes, intus spiritu sancto vngit, & foris tribulatione tergit, vt ab omni terrenæ cupiditatis rubigine, & mundanæ affectionis ferrugine purificet. Tertio, ad meritorum, & virtutum cumulum. Nam quantis eos meritis, & virtutibus dominus probasset, si tribulationibus non eos exercuisset? quo pretio putas darent modo sancti martyres in cœlo tormenta, & martyria non sustinuisse? O quomodo beatificãt gladios, & ignes quos passi sunt? ò quantas Deo gratias agunt? quales exultationes, & lætitiæ laudes emittunt, laudantes, & benedicentes eum, qui per dolores, & afflictiones, ad tantam eos gloriam sublimauit. Voces eorum in psalmo considera. *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala* Et iterum. *Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Quarto, ad eorum illustrationem in hoc mundo, & vt eos nobis relinqueret in exemplum. Nisi enim sanctum Iob tribulationibus pulsasset, virtus quæ in eo intus latebat non emicuisset, & nisi sanctum Quirum tormentis expoluisset, quantus in eo fortitudinis thesaurus latens non apparuisset, atque celebres, & clarissimos coram toto orbe sanctos, tribulatio facit quale in eis nobis dominus patientiæ, fortitudinis, & tolerantiæ exemplum præbuit, vt scilicet imitari non pigeat quod celebrare delectat. Granum piperis, & synapis, nisi confractum, & emolitum fuerit, quid intus calloris, & vigoris latet non apparet. Quinto, ad alterius vitæ persuasionem cum enim videamus sanctos Dei amicos, qui pro Deo in hac vita talia passi sunt, & semper afflictos, & vexatos nullam operis sui mercedem in hoc mundo recepisse, aliam esse vitam in qua laborum suorum retributionem accipiant, non ambigimus. Quid enim? Paulus semper *in laboribus*, semper *in periculis* semper (sicut ipse ait) in tribulationibus, & *mortibus frequenter* pro Deo: vllam pro tantis sudoribus ab eo mercedem accipiet? Vbi ergo est Dei iudicium? Hoc argumento facile suadetur aut Dei prouidentia non est, aut certe alia vita est. His & aliis rationibus satis innotescit, quanto Dei consilio, & prouidentia, electi Dei in hoc mundo semper affligantur. Sed forte dicet aliquis, nonnullos sanctorum magnas sustinuisse tribulationes notissimũ est, sed tamen de aliis non videtur. Nam plures in pace & tranquillitate vixerunt, & non per crucem, sed per deuotionem, & eleemosynas delicias spirituales, ascẽderunt ad gloriam. Sed si hoc ita est, quomodo ait Ioannes de omnibus, *hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione*? Quomodo ait Apostolus, *qui pie volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur*? Pro hoc aduertendum quod duplices sunt tribulationes, quædam corporales, & exteriores, aliæ spirituales, & interiores, & istæ secundæ maiores sunt quam priores. Primas frequenter passi sunt iusti, sed multo frequentius secundas, quas tamen mundus ignorat. Sunt autem multæ huiusmodi interiores tribulationes, scilicet, compunctionis, tentationis mundanæ, conuersationis, æmulationis, dilationis. Prima spiritualis tribulatio iustorum est, continua compunctio peccatorum, sentiunt namque peccata valde & plus ploraut, & dolent de leuibus, quã alii de mortalibus. Quia enim valde diligunt Deum, horrent etiam leuiter illum offendere: & quia valde diligunt mundiciam cordis, valde dolent, & tristantur, quia eam prout volũt propter humanam fragilitatem obtinere non valent. Ex quo nascitur secũda tribulatio tentationis, nam omnem malam inclinationem grauissime sustinent, & fit eis intolerabile tormentum pondus carnis: videntes enim aliam legem

Sap. 3.

3.

Psal. 89.

Psal 65.

4.

Simile

5.

2. Cor. 11.

2. Tit. 3.

Duplices tribulationes inueniuntur corporales & spirituales.

Spirituales autem sunt multiplices.

1.

2.

Rom. 7.

legem in membris suis repugnantē legi mentis suæ, & captiuantem eos sub lege peccati: fatigantur, & dolent plurimum exclamantes cum Apostol. *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Exterius quoque multas patiuntur tentationes, quia totus mundus fit eis tentatio, quia contradicit eorū proposito, & intentioni. Vnde Gregor. *Tot habet iustus tentationes quot habet mundus voluptates.* A dæmonibus quoque grauissime tentantur, nam mundanos non curat dæmon, quos sine tentatione possidet: sed (sicut ait propheta) *esca eius electa*, propterea sanctos vehementer infestat. Tertia tribulatio eorum est conuersatio mundanorum, nam fit eis acerbum, & graue videre mala, & peccata quæ fiunt sub sole, & malorum mores tolerare, & videre contemptum Dei, & præuaricationem malorum: sicut psal. ait, *Super inimicos tuos tabescebam.* Vnde Petrus ait de Loth, *Aspectu, & auditu iustus erat habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.* Quarta tribulatio est æmulationis, & zeli, quando scilicet, vident pauperes oppressos, & afflictos, quando vident plurimos Christianos pereuntes, & labi in peccata: sicut Apostolus ait, *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* sunt enim pii & misericordes, & tristantur de malis proximorum valde ex nimia compassione. Vnde psal. *Zelus domus tuæ comedit me.* Quinta tribulatio est dilationis gloriæ: nam sicut Dei præsentiam cupiunt, ita & dissolui, & esse cum Christo, sentiunt huius vitæ exilium, & est eis valde molestum viuere, dicentes cum prophe ta. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus? quando veniam: quando apparebo? quando introibo in tabernaculum admirabile vsque ad domum Dei?* Fœlices qui sic tribulantur, qui huiusmodi sentiunt amaritudines. Has mundus non sentit: longe enim sunt à cordibus mundanorum, has sentire, donum Dei est. Quis enim propter Dei absentiam fatigatur? quis desiderio videndi Deum vexatur? quis incolatum vitæ huius grauissime portat? cui vita præsens amara est, quem proximorum afflictio torquet, quem Dei proximique zelus excruciat, qui animarum salutem cum lachrymis, & dolore zelat? Rarus est homo, qui has tribulationes experiatur, & sentiat. Anima autem iusti, his amaritudinum flammis, veluti in fornea fartagine assidue frigitur. Vnde propheta *Ossa mea sicut in frixorio confixa sunt*, donec nobis dominus has spirituales amaritudines sic gestare, vt eas ad æterna gaudia cœlestis patriæ peruenire mereamur. Vbi cum patre, & spiritu sancto viuit, & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Ibidem.

Hab 1.

3.

Psal. 138.

2. Pet. 2.

4.

2. Cor. 11.

Psal. 68. & Ioan 2.

5.

Phil 1.

Psal. 41.

Psal. 119.

Ex psalterio Romano, vbi nos legimus ossa mea, sicut cremium arue runt, seu & Hieron. versio habet quasi quod frigitur.

Deo Gratias.

DE DIVO AVGVSTINO patre nostro, pontifice, ac doctore ecclesiæ. Concio prima.

THEMA.

Sicut sol refulgens, sic iste refulsit in templo Dei. Eccles. 50.

DVo in primis dicēda mihi esse offerunt, quanam ratione solis nomine Augustinus intelligatur, & quomodo mundo illuxerit. Vt sicut Dionysius ait. 5. cap. de diuinis nominibus, *inter omnes creaturas corporeas, nulla est Deo ita similis, & in qua Deus ita lucet, vt est sol.* O quam insignis, quam illustris, quam decora creatura sol? Quid est omnis corporalis pulchritudo, solis pulchritudini comparata? qui præ nimia eius pulchritudine videri se nō permittit, in hoc quoque Deo similis, *qui lucē habitat inaccessibilē.* Pulchritudo eius omnia pulchrificat, eius virtus omnia viuificat, sol corporeo mundo præsidens, ex alto omnia corpora disponit, oīa gubernat, oīa viuificat, oīa illustrat oīa conseruat. A sole pendent oīa, fouentur omnia, gignūtur omnia, nutriuntur omnia, sole recedente omnia siccantur, sole ascendente oīa nascuntur. Attende in hyeme fac ē terræ, de formē aridam, sterilem, sine germine, sine virore, sine fructu. Aduentāte sole

Ti. 6.

A sole pendent omnia.

sole, quanta varietate vestitur, quanta venustate decoratur. Sol igitur mundi huius sensibilis, & corporei gubernator est, & dispositor, ac veluti quidam corporum Deus, cuius lumen, & virtus à supremo cœlo, vsque ad infimum pauimentum, omnia replet omnia plena sole. Hoc igitur est sol, suo modo, corporibus, quod Deus est omnibus. In sole enim Deus hominibus se depinxit, in eo se figurauit, vt esset in eo quodammodo visibilis inuisibilis Deus. Quid enim est sol iste corporeus, nisi simulacrũ quoddam, & effigies increati luminis, & speculum nitidissimum quo Deus mortalium oculis præsentatur? In eo diuinitatis vnitas, personarum trinitas lucet, in eo Dei maiestas, virtus, potentia, immẽsitas, æternitas, decor, sapientia effigiata cernuntur. Quæ enim Dei perfectio hominibus attingibilis non lucet in sole? Vnus Deus, vnus sol, in vna essentia tres personæ, in vno sole vna substantia, & ab vna substantia tres formæ, lux, splendor, calor; splendor à luce, calor à luce, & splendore. Quid personis diuinis accommodatius? vbi non solum personarum proprietas, sed etiam earum origo designatur. Ibi enim sicut in diuinis, vnum ab vno, & vnum à duobus, quæ similitudo in tãtum procedit, vt in sacris voluminibus nomina istarum formarũ diuinis personis accommodentur. De patre dicitur *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.* De filio dicitur, *qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Et alibi. *Candor est lucis æternæ.* De spiritu sancto dicitur in Euangelio. *Ignẽ veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat?* Ecce lucis, splendoris, caloris, personis diuinis attributa vocabula. De diuinis quoque perfectionibus si libet sigillatim percurrere, quid miraris Dei immensitatem omnia replentem? Ecce sol (vt dictum est) suo lumine, virtute, & influentia, totum orbem à summo vsque deorsum perlustrat, & replet. Quid miraris Dei æternam immutabilem inuariabilemque substantiam? Ecce sol tot millibus annis conditus, per tot sæcula immutatus perseuerat, tam nouus, tam splendidus sicut die qua creatus est. Miraris in creatoris natura æternitatem, cum creata natura tantæ perpetuitatis, & immutabilitatis capax existat. Similiter quid mirum si Dei virtute omnia foueantur, & sustentẽtur, cum id faciat in corporibus virtus solis? quid mirum si omnia dependeant à conditore, cum ad sensum omnia ista inferiora dependeant à sole? sol suo lumine omnia pulchrificat, & Deus sua gratia omnes spiritus humanos, angelicosque decorat. Sol corporei luminis fons est, & origo, à quo omnia cœlestia lumen recipiunt, & Deus simpliciter omnes intellectus illustrat, sine cuius lumine ita tenebrosus, & obscurus est omnis intellectus, sicut orbis sine sole. In solis lumine omnia obscura clarescunt, quid ergo mirum si omnia pateant conditori? simili modo, si per alias deitatis perfectiones discurras, inuenies eas in sole veluti in quodam speculo tabulaq; depictas. Pictura ergo quædam Dei est sol (vt diximus) & latibulum in quo Deus latet, sicut scriptum est. *In sole posuit tabernaculum suum.* O homo ibi latet, ibi absconditus est Deus tuus intellectu solem penetra, & intus reperies quem requiris: luminis enim increati velamen est lumen illud creatum. Non potes ergo excusari homo, si Deum tuum non diligis si non colis, & times, quia ipsum non videris, & quia gloriam, & decorẽ, & maiestatem eius nõ agnoueris. Quocunque te vertas, vbique in suis creaturis tibi occurrit Deus, vbique in operibus suis fulget, vbique cernitur. Non Deus absconditus est, & obscurus, sed interius, tibi desunt oculi: quoniam *cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Dies & nox tibi prædicant scientiam, neque tibi relinquitur excusationis locus, quod eorum non audieris voces, nõ capias idioma, non enim sunt loquelæ, neq; sermones quorum non audiantur voces eorũ. Græcis Latinis, Barbaris, Æthiopibus, Indis, cunctisq; nationibus, clara voce personant: *quoniam ipse fecit nos, & non ipsi nos,* Deiq; maiestatem, æternitatem, poten-

Psal. 28.

Deut. 6.

Pictura Dei est sol.

Psal. 18.

1. *Ioan.* 1.

Hebr. 1.

Sap. 7.

Luc. 12.

Ibidem.

Psal. 99.

potentiam, sapientiam, plenitudinem, bonitatemq; apertis sermonibus mortalibus denunciant: *ita vt sint inexcusabiles.* Neque adeo barbarus est, aut rusticus quispiam, vt non iuste damnetur si tantam maiestatem tamque conspicuã non dilexerit, non coluerit, non timuerit. Quod si illi inexcusabiles sunt, quid nos dicturi sumus, qui vltra librum naturæ tot libros, tot scripturas, tot prophetas recepimus, quibus non solum vocibus creaturarum, sed proprio sermone per seipsum locutus est Deus, locutus in sanctis *locutus in filio.* Vtinam vel saltẽ librum istum creaturarũ legere disceremus, & nõ velut irrationalia iumẽta, creaturas has in sola superficie videremus. Mundus n. iste sensibilis, non solũ in ministerium, sed & in magisterium hominibus datus, vt in visibilibus istis inuisibilia discant, & in sensibili mundo inuisibilem mundi conditorẽ perlegant: sunt enim corporeæ istæ naturæ incorporearum veluti quædam vmbræ. Vnde Bernardus. Mundum istum sensibilem, librum cõmunem catena ligatum appellat, vt in eo sapientiam legat quicunque voluerit, sicut solent esse in ecclesiis cathedralibus breuiaria promiscuæ multitudini exposita catenulaque apprensa. Potest quoque non incongrue mundus iste visibilis puerorum chartis comparari, in quibus prima literarum rudimenta discimus, & in quibus ex literis syllabas, ex syllabis dictiones musitantes cum labore componimus. Postmodum vero iam lectores effecti chartula elementaria, & abcdatia inuoluta, copiosioribus assueti voluminibus, solo aspectu primoq; intuitu cuncta perlegimus. Ita omnino, ita sumus in hoc mũdo veluti paruuli in schola, vbi quisque quamuis doctissimus paruulus est. Quis doctior, quis sapientior Paulo? & tamen de seipso ait: *Cum essem paruulus, sapiebam vt paruulus; loquebar vt paruulus,* præsentis vitæ statum designans. Deciptæ sunt nobis à magistro nostro in hac mundi pagina, literæ pulcherrimæ, literæ, quas discamus. O quam decora litera sol, quã pulchræ literæ, luna, stellæ, orbes, mare, bestiæ, pisces, arbores, homines, vniuersæq; rerum species, quas in hoc mundo, vt in puerorum pagina, digito suo cœlestis ille scriba depinxit, haiq; nobis proposuit legendas, agnoscentes adinuicemq; componendas. Ecce vobis paruulis vnam solam huius alphabeti literam. i. solem, ego quoque paruulus hodie cum tanto labore insinuo. Quod si vnamquamque literã per se addiscere tam labor osum, quid erit eas adinuicem mutuo componere, connectere, comparare: vt more lectorũ expeditorum hanc mundi faciem intellectu celeriter percurramus? Quando hoc erit? quando has creaturas expedite legemus? Nũquam enim satis bene nobiscum agitur, si eas more puerorum musitantes demorantesq; comungimus, si ex effectibus causas, & per causas effectus discurrentes, ratiocinantesq; cognoscimus. Quid enim est omnis discursus noster, & ratiocinatio, nisi quædam laboriosa literarum per intellectum compositio, quæ vulgari vocabulo delineatio nuncupatur? O quantus labor in addiscendo? ò quam modicum attingimus discurrendo? Veniet ecce tempus quando cœlum plicabitur sicut liber inuolutus, & hanc omnem literaturam in alio libro grandiori copiosioriq;, non minutes, sed solo aspectu transcurremus, & celerrime perlegemus. *Non enim erunt tunc volubiles cogitationes nostræ, neq; ex vno in aliud redeuntes* (vt ait Augustin.) *sed simplici intuitu omnia videbimus.* Nõ erit ibi discursus & ratiocinatio, nõ huius ex illo morosa deductio & argumẽtatio, sed ad simplicem intuitum omnia patebunt. O fœlix creatura cœli, quæ tanto potitur bono? nam creatura mundi non sic, sed *inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt* ruminando, discurrendoq; *intellecta conspicit.* Nec vobis hoc mirum videatur. Si enim angelicus intellectus in specie illa cõcreata vniuersali sine discursu, simul causam effectũq; videt, nequeunt ex alio morose deducit: quanto magis in illo diuinitatis nitidissimo speculo, simul omnia intellectui apparebunt? Neque erit notior causa, & minus

Mundus datus non in ministerium solum, verum & in magisterium.

Comparatio.

Rom. 1.

Heb. 1.

2. Cor. 13.

Rom. 1.

notus effectus, aut è contra. Sed omnia æqualiter ibi & causa & effectus simul videbunt & effectus in causa. Sed non per ænigma. Erimus nũc oẽs docibile Dei nõ docibiles mundi: non iã Deũ ex creaturis inuestigantes, sed creaturas in Deo planissime contemplantes. Et qui nunc imus in Deum cum fletu & labore seminantes, & per scalam creaturarũ ascendentes, tunc venietis à Deo in creaturas, cũ gaudio portantes manipulos nostros, totã ipsam scalam celerrime descẽdentes, & hoc super filium hominis per quem modo ascendimus, & tunc descendemus. Non lætamini fratres, non præ gaudio rumpimini super tanto bono? Hæc nos expectat fœlicitas, hęc nos gloria manet. Cito videbimus, cito gaudebimus, cito omnes euademus docti à Deo, cito cessabit oĩs ista occupatio pessima, quam dedit Deus filiis hominum, vt exerceantur in ea in vita mortali, ne otiosi defluant in vitia: ibi qui maioris fuerit meriti, doctor apparebit, & antelibit sapientia Platonem doctissimum vetula sancta, & fiet quod scriptũ est. *Tunc videbis & affluas, & mirabitur & dilatabitur cor tuum & delectabitur* in crassitudine anima vestra. Ibi in omnia quæcũque desiderat anima vestra plenissime inuenietis & apertissime cognoscetis: hæc assidue cogitate, hęc animo die noctuq; versate, his in meditationibus vestrã expendite vitam, *beatus enim qui ex istis desiderium suum impleuerit, non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta*, in illa (inquã) arctissima porta, qua exeuntes ab hac vita, aliã ingrediemur vitam, in qua exaduerso truculentę bestię astant accusantes nos, in his quæ ipsis instigãtibus perpetrauimus. Vere nõ confundetur qui modo talibus liquoribus suorum desideriorum vascula impleuerit. De his hactenus. Sed quorsum tam multa de sole? nempe vt nouerimus solis vocabulo, solum Deum proprie spiritualiter nuncupari, sicut in sacris literis sæpius reperimus nominarum: vt est illud prophetæ, *Orietur vobis timentibus Deum sol iustitiæ*. Et illud sapientię, *Sol non ortus est nobis*. Et illud Psalmi, *Super eccidisti, & non viderunt solem*. Et alia similia quæ sparsim per scripturam leguntur. Neque tamen absonum videatur quod in themate glorioſus pater Augustinus sol ecclesiæ nuncupatus sit, quod Christo domino tãtummodo videtur conuenire. Solent enim iusti (maxime sapientes) solis vocabulo in sacra scriptura et alii designari, non improprie: vt est illud apud ecclesiasticũ, *Homo sensatus permanet vt sol, stultus vero vt luna mutatur*. Vbi sapiens comparatur soli, & stultus lunæ. Et quis sensatus nisi iustus? & quis stultus nisi peccator? An nõ stultus, qui pro modico temporali lucro, æternum commutat regnũ? & pro momentanea voluptate, atrocissimis perpetuisque seipsum suppliciis mancipat, & vendit? qui cum facile posset moderari passiones suas, vt illis satisfaciat, Deum, animam, famam, gratiam, gloriam sempiternã amittit, & in abyssum sulphuris, & ignis ardens, videnſque seipsum præcipitat. Est ne aliquis adeo stultus qui huiusmodi contra seipsum faciat? Hic ergo stultus vt luna est: iustus vero sensatus vt sol, propter tres solis & lunæ differentias. Lux enim solis est propria, plena, fixa. Lux lunæ è contrario, aliena, vacua, & varia. Simili modo est in iusto, & peccatore. Lux enim iusti propria est, de suo lucet, iustus non in aliena luce gloriatur, non in progenitorũ virtute, & nobilitate, non in magistratuũ dignitatumque honore, non in diuitiarum opulentia, non in possessionum & hæreditatũ copia, non in copiosa splendidaque familia: sed in propria virtute & opere gloriatur: nec alienam lucem quærit cui supperit propria, secundum Apostolicum consilium. *Opus suum probet vnusquisque & tũc in semetipso tantã habebit gloriam, & non in altero*. Stultus vero mundanus, quia in seipso obscurus est, alienam vnde potest lucem, vt fulgeat hominibus mendicat. Est etiam iusti lux plena, sicut solis, quoniam vndequaq; perfectus est, peccatoris autem lux vacua, dimidiataq;: non enim ex omni parte lucidus est, sed ex vna parte lucida, ex altera obscurus. Da mihi hodie

Ioan. 6. *Psal. 119.* *Genes. 28.* *Ioan. 1.* *Eccles. 1.* *Isai. 60.* *Psal. 126.* *Malach. 4.* *Sapient 5.* *Psal. 57.* *Galath. 6.*

Iusti in sacris literis solis vocabulo insigniuntur. *Eccles. 27.*

Luna inconstans peccatori similis.

Rari homines lucidi vndiquaque.

die hominem vndequaq; lucidum, vere rara auis in terris, rarus homo qui non habeat aliquam partem tenebrosam. Luc. 11. Quidam est castus, sed iracundus, alius mitis, sed lubricus, alius quidem & mitis & castus, sed superbus, alius mitis, castus & humilis, sed cupidus: denique nemo sine crimine viuit & rarissimus est qui de hac lucis plenitudine gloriari possit. & cui solis vocabulum possit adaptari. Quod si quis est, ad modicum tempus est, non per vitam totam vt sol. Luna etiam aliquando plena est, sed cito ab illa deficit plenitudine: sol vero nunquam, ita iustus & perfectus in luce permanet fixus, constans & immobilis, peccator vero instabilis est Qui etiam si ad tempus toto conatu & proposito vitia detestatur, virtutesq; amplectitur, sed statim post modicū deficit, & inconsuetas tenebras mētis inconstantia, quā ex peccato contraxit, deuoluitur, sicut Thren 1. scriptum est: *Peccatum peccauit Hierusalem, propterea instabilis facta est.* Si igitur (vt dictu n est) quilibet iustus sensatus, in ecclesia Dei propter rationes supra dictas, sol nuncupari potest: quanto amplius tu, ò pater amplissime Augusti ne, qui non solum vitæ sanctitate, sed etiam miro sapiētiæ tuæ fulgore, Christi ecclesiam, luce propria luce plena, luce fixa irradiasti? Si enim sapientia lux est, quis in Ecclesia Dei ita lucet vt Augustinus? A sole omnia astra lucent, ab Augustino omnes qui post ipsum fuerunt doctores sapientiæ lumen accipiūt: ipse vero propria luce lucet, quam à nullo hominum, sed à solo Deo accepit. Nullo enim tradente, nullo magistro cunctas didicit disciplinas. De lucis autē huius plenitudine hoc dixerim: Pollent quidem in ecclesia plurimi variis donis, alius deuotione, alius paupertate, alius humilitate, aut castitate, alius 1. Cor. 12. alia gratia gratis data quacunque. *Diuisiones enim gratiarum sunt*, neque sanctus dici potest qui in aliqua virtute, vel gratia non extitit insignis. Est enim sanctus insignis iust⁹. Sed quod est sapiētię proprium scripturas intelligere, penetrare sacramēta, nosse mysteria innodata dissoluere, obscura propalare, & similia. Hoc sibi iustissime vendicat Augustin⁹, hæc pars Augustini, in hac sapientiæ luce, sicut sol omnia astra, ita cæteros oēs (post Apostolos) superat Augustinus. Et merito ad alios in ecclesia, in hoc quasi sol ad sydera comparatur Apud Danielem legimus, *eos* in ecclesia *fulgere sicut firmamentum, doctos vero qui ad iustitiam erudiunt sicut stellas in perpetuas aeternitates.* Qui vero sapientia & doctrina cunctos alios antecellit, cui existimas illum comparādum fore nisi soli? Etenim intellectus acumine, ingenii perspicuitate, disputandi acrimonia, in ueniendi copia, diffinendi subtilitate, monstrum quoddam in natura fuit Augustinus, qui humanæ intelligentiæ terminos itrad aut. Deo visus est transcendisse; vir intellectu (vt quidam ait) & sapientia prope diuinus. Vides igitur quam proprie, quam ex æquo illi verba thematis adæquantur quasi sol refulgens, sic iste refulsit in templo Dei.

Augustinus comparatur soli.

Dani. 12.

Monstrum Augustinus dicē dus est ratione acuminis.

Sed ostendamus iam nūc, quomodo refulsit in templo Dei, sicut in principio propositum est. Omnis sanctus in ecclesia Dei, est veluti quoddam luminare lucens in caliginoso loco, & veluti clara stella ignorantiæ nostrę tenebrosam noctem illuminans. Sic enim Apostolus ait. *In medio nationis prauæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo.* Neque solum qui doctrina pollent, sed etiam qui sanctitate vitæ præeminent, luminaria sunt. Grandis prædicator iustus in populo, etiamsi taceat, opera illius clamores sunt, plus namque prodest virtus visa quam audita, & Christus in sanguine figuratus plus mouet, quam sermone descriptus. Non ergo sola sapientia lucent homines, sed magis vita. Vnde quatuor modis aliquis in tēplo Dei lucet, scilicet, fide, sapientia ita, regimine. Ista sunt quatuor luminaria, siue quatuor fenestræ in templo Dei, à quatuor eius angulis totum templum illuminantes. Fide lucent in ecclesia Dei martyres, qui eā sanguine suo plantauerunt, sapientia doctores, vita cōfessores, regimine pontifices. Omnibus istis qua-

Quomodo S. P. fulserit.

Philip. 2.

tuor modis glorioſus Auguſtin⁹ in templo Dei refulſit: ideoque ſi ille qui vno iſtorum modorū in eccleſia fulget ſanctus eſt, quantus erit hic pater Auguſtinus, qui omnibus iſtis fulſit? Vnde vt ſummatim de illo dicam quod ſentio. Omittamus nunc ſanctitatē & gratiam (*ſpiritum enim ponderator eſt dominus*) & temerarium eſt in hoc ſanctos adinuicem comparare. Iudicet Deus qui notauit Auguſtini ſpiritum & ſanctimoniam, ſed quod nobis poteſt innoteſcere vnus ipſe excellenter obtinuit martyrum fidē, confeſſorum ſanctitatem, doctorum ſapientiam, prudentiam pontificum, quæ ſi ornare ſanctos Dei ſufficiunt ſingula, quanto magis ſufficient omnia? Quantum obſecro refulſit ſi le? quantum fidei contulit Auguſtinus? Martyr enim in illo oppido vel ciuitate vbi patiebatur fidem credentium cōfirmabat, ait Auguſtinus doctrina ſua fidem, nō in vno oppido, ſed in toto orbe defendit. Vnde ſicut maioris meriti eſt defendere fidem ſanguine quam verbo, ita etiam maioris commodi eam in orbe quam in vrbe. Neque etiam Auguſtinus defuit martyrio, ſed magis martyrium defuit Auguſtino, ſæpius namque vitam pro fide apud hæreticos expoſuit, niſi Deus aliter diſpoſuiſſet eius vitam cuſtodire, quia ſcil. plus doctrina quam morte populo Dei profuturus erat. Oppugnata eſt enim eccleſia (vt idem Auguſtinus inquit) prius à leone in tyrannis, & deinde à dracone in hæreticis: nec minor fuit hæc draconis perſecutio, quam leonis: ſed quomodo victus eſt leo in martyribus, ita & victus eſt draco in doctoribus. O quam grauiſſima fuit Auguſtino pugna cum iſto dracone? quam acerrimus extirpator extitit hæreticorū? Quis enim ita defendit fidem vt Auguſtinus? quis tot libros compoſuit contra hæreticos? qui s omnibus modis differendo, prædicando, ſcribendo, conuictos ab eccleſia hæreticos expulit vt Auguſtinus? O firmiſſimam eccleſię columnam? ò magnū fidei propugnaculum? Merito proinde ab eccleſia malleus hæreticorū nuncupatus eſt. Hic eſt ille vir, quem Ezechiel propheta vidit in culmine templi funiculo & calamo omnem illius magnifici templi fabricam metientem. *Ecce* (inquit) *vir cuius aſpectus quaſi ſpecies æris, & funiculus linteus in manu eius & calamus menſurę in manu eius, & menſus eſt*, &c. Quod licet ad literam de Chriſto intelligendum ſit, qui doctrinæ funiculo, & paſſionis merito, omnes eccleſię ſtatus & animas menſurauit: *vnicuique enim noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti*, ſicut Zachariasinquit, *adequauit Deus gratiam gratię illius*: tamen poteſt ad Auguſtinū accommodari. Hic namque vir cōſtantiſſimus, fortiſſimus, & robuſtiſſim⁹ aduerſus hæreticos extitit, æreuſq; aſpect⁹ illius propter prædicationis ſonitū: non aliter enim quam apoſtolica quædā tuba in Dei templo ita perſonuit, vt in omnem terram exierit ſonus eius. Dextera funiculum cementariorum tenebat, id eſt, euangelicam doctrinam, qua mēſus eſt omnes ædificii parietes, egrediēs lapides, & inæquoſos malleo æquabat, faciens omniū fidelium intellectus concordare funiculo: & ſecundum euangelium vnanimiter ſentire, diſſonantesque redigens in obſequium fidei. Quid ais ò Arri? quid ſentis de fide? *Tres* (inquit) *ſunt perſonæ, & tres eſſentiæ*. O Arri multum egrederis funiculum, redi ad regulam, inſpicere Euangelium: *Ego & pater vnum ſumus*: & in Apoſtolo: *Vnus Deus, vna fides* ſcriptura ſic dicit: quomodo ergo tu Deum multiplicas in eſſentia? Et tu Sabelli, quid ſentis de Deo? *vna* (inquit) *eſt eſſentia, & vna perſona*. O hæretice multum deficis à funiculo, redi ad regulam. In Euangelio quomodo legis: *Ego & pater vnum ſumus*? non ait ſum, ſed *ſumus*, pluralitas ergo eſt in diuinis. Et Ioannes in epiſtola. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo*: quomodo igitur tu inquis vnus ſolus eſt? Diſcordas vtique à funiculo. Et tu Manichee, dicta tuam de Chriſto ſententiam: *Chriſtus* (inquit) *verus Deus, ſed non verus eſt homo*. O hæretice, multū excedis fidei perpendiculū, fateris in Chriſto Dei maieſtatem, oportet te ēt in illo confiteri hominis infirmi-

Prouerb. 16.

S. Auguſtinus obtinuit martyrum fidem, confeſſorum ſanctitatē, Doctorum ſapiētiam, prudentiam Pontifſum.

Eccleſia varie afflicta.

Auguſt. hæreticorum expugnator.

In Ezechiele figuratus.

Ezech. 40.

Ephes. 4.

Zachar. 4.

1. Cor. 12.

Ioan. 10.

Ephes. 4.

Ioan. 10.

1. Ioan 5.

firmitatem: redi ad regulam, quomodo legis, *Verbum caro factum est*, Et Apostolus: *Factum ex muliere, factum sub lege*, & Psal. *Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus?* Conuincunt te ista testimonia, non concordaris funiculo. Et tu Ebiõ, quid sentis de Christo? *Christus* (inquit) *verus homo, sed non verus Deus.* Tu quoque ò hæretice, multũ deficis à funiculo, redi ad regulam, inspice scripturam, *Dominus meus & Deus meus.* Et iterum ad filium. *Thronus tuus Deus in seculum seculi.* Et iterum: *Hic est verus Deus.* In hunc modum magnus iste doctor ædificii lapides ad mensuram recti reddebat, discordantes malleo percutiens, id est, hæreticos argumento cõuincens. Lapides vero solutos, extra ædificium sparsos non metiebatur funiculo, qui enim fidem non recipit, hic neq; scriptura conuinci potest. Omnis autem lapis per baptismum in ecclesiæ ædificio super fundamentum firmum, id est, Christum, fundatus, si funiculo scripturæ commensuratus à fide deuiat potest argumenti malleo percussus, ad rectam lineã reduci, si in sententia pertinax non est. Funiculus ergo rectissimus & infallibilis, quo omnis intellectus mensuratur scriptura est. Ad hũc omnes aliæ scripturæ, omnes scientiæ, omnes hominũ inuentiones commensurandæ sunt: & quæ non conformant proculdubio falsæ sunt. Ad hunc etiam funiculum rediguntur omnes reuelationes, omnes apparitiones quæ fiunt in ecclesia, & quæ non conueniunt huic funiculo non quidem reuelationes, sed illusiones dæmonum æstimandæ sunt. Isaias de hoc ita inquit. *Et cum dixerint ad vos quærite à phytonibus, & à diuinis qui stridunt incantationibus suis: nunquid non populus à Deo suo requirit visionem pro viuis & mortuis ad legem magis & ad testimonium: quod si non dixerint iuxta verbum hoc non erit eis matutina lux.* Attendite vobis fratres mei, ne forte ab isto perpendiculo varietatis. Ecce proh dolor, quot ab hoc funiculo discordãt hodie proprio sensui adhærentes, Germania quondam fidelissima, hodie vniuersa hac peste subuersa est. Cauete vobis ne seducamini fallacia serpentis à simplicitate quæ est in Christo Iesu: *sermo enim hæreticus vt cancer serpit.* Fugite nouitates, *doctrinis variis & peregrinis, nolite abduci* Legite sanctorum libros, his adhærete, hos sequimini, sensum catholicum & antiquum, quẽ à patribus accepistis, nolite deserere. *In tantum enim* (vt ait Bernardus) *sensus iste communis ecclesiæ æstimandus est, vt etiã si aliud Hieronymus, vel Augustinus sentirent non esset sequendus* Attendite Apostolum comminãtem. *Si quis vobis aliud dixerit quam accepistis, etiam Angelus de cœlo, anathema sit*: doctrina sanctorum non solum intellectum illuminat, sed & voluntatem inflammat, est n. spiritu Dei plena. Non sic aliorum doctrina, quæ & si aures eloquentia mulceat, non tamen cor accendit. Nolite etiam discutere quę vobis credenda ab Ecclesia proponuntur. Relinquite hoc Episcopis, relinquite Theologis, ipsi tractent mysteria, ipsi discutiant, qui effuse rationem omnipotenti sunt reddituri. Vos tãtum simplicem adhibete sensum, & firmum: hoc n. est vnde multi periclitantur, quia scil sine literis fidei sacramẽta discutiũr. Quid ad te attinet ò miles, ò agricola, ò mercator disputare de fide? Qui senuit in schola theologica cum timore loquitur, & tu audenter asseris quæ tibi videntur? Intende officio tuo, relinque alienũ, ad te nõ spectat hoc. Attẽdite super hoc figuram in libro Numerorum. *Tabernaculũ* (inquit) *fœderis, & Sancta Sancto rum ingredietur Aaron & filii eius, & depositio velo inuoluẽt arcam testimonii, &c. Cumq; inuoluerint Aaron & filii eius sanctuarium & omnia vasa eius: tunc intrabunt filii Caath, vt portent inuoluta, & nõ tangent vasa sanctuarii ne moriantur, &c.* Vasa sanctuarii quæ intra vela non sunt, scil thuribula, morsariola, cyathi, crateræ, candelabrũ forcipes, & emunctoria. Hæc sunt fidei sacramenta, scil incarnationis passionis, & resurrectionis, quę fidei velamine velata sunt. Hæc à sacerdotibus tractãda, aspicienda; sunt, quibus *datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Illis igitur permitti-

Ioan. 1. Galath. 4. Psal. 86.

Ioan 10. Heb. 1. Psal 44. Hierem. 10.

1. Cor. 3.

Isa. 8.

Germania à funiculo deuiat.

2. Cor. 11.

2. Tim. 2.

Heb. 13.

Galath. 1.

Heb. 13.

Notent hoc tẽpore Germani qui in omni loco rum quouis audacter de fidei mysteri s perperã agunt

Numer. 4.

Ibidem.

Luc. 8.

mittitur ingredi Sancta Sanctorum, discutere mysteria, de fide differere, scripturas exponere, fidei quæstiones absoluere, legis secreta rimari, populus autē qui per Caarbitas, & Gersonatas, & Merarithas designatur, caueat ne aspiciat, neq; tractet, sed sicut illis proponuntur à sacerdotibus inuoluta, ita portent. *Nō reuelent* (inquit) ne forte spirituali morte moriantur, à fidei veritate diu si, nihil enim tenerius, nihil facilius, quam humanus sensus facile variat à vero. In aliis enim pecoris quæ voluntate sola committuntur, aut ope re, palpabilius est quod agitur. Sunt enim concupiscentiæ carnales, & iræ, rixæ, inuidiæ, & auaritiæ, qui appetitus satis à nobis perceptibiles sunt cum adsunt, non sic in intellectu. Facile enim pro vero falsum accipitur, & leuiter sensus deuiat à vero. Proinde in hoc maior custodia adhibēda est; vbi maius imminet periculum, & quia quisquis timere debet ne forte sit in spiritu eius dolus. Ideo authoritati ecclesiæ firmissime adhæreat, id animo fixo profitens, quod ecclesia docet & tenet. Sed de his hactenus. Hæc in dicta sunt vt quantum scripturæ S. deferendū sit honoris & authoritatis agnoscamus, quæ omnium humanorū intellectuum proposita est regula & mensura. Hæc est perpendiculū in dextera Augusti ni, quo templi Dei parietes singulos demetitur, calamus vero mensuræ quo omnes ædificii partes metiebatur, philosophia moralis est, qua omnes ecclesiæ status instituit. Erat n. sapiētia diuina humanaq; instructus & apprime eruditus, quę per funiculum & calamum designātur. Nullaq; fuit templi Dei pars quam iste doctor hoc calamo non metiretur, portas, limina, vestibulum, fenestras, porticus, atria, à summo vsq; deorum, nihil non mensum reliquit. Omnibus enim ecclesiæ statibus viuendi regulam dedit, pro omnibus libros composuit, pro virginibus librum de virginitate, pro viduis librum de vera viduitate, pro coniugatis librū de bono coniugali, pro monachis librum de opere monachorum, pro mulieribus librum de honestate mulierum, pro clericis, canonicorum regulā. Vnde in præfatione canitur: *clericos docuit, laicos monuit, deuios in viam veritatis reduxit, cunctorumq; conditionibus salubriter prouidendo tuam in hoc mari nauiculam Augustinus prouide gubernauit.* Neq; solum fidei contulit Augustinus, eam ab hæreticis defendendo, sed eo amplius eā fidelius exponendo. Quis enim in exponendis scripturis vigilantior? quis in discernendis mysteriis eruditior? quis in enodandis quæstionibus disertior? Fides namq; vsq; ad tempus illud, magis virtute quam claritate pollebat. Erat enim quodammodo adumbrata, non solum erroribus hæreticorum, sed etiam verbis & eloquentia catholicorum, quib⁹ magis cura fuit culte & ornate, quam distincte loqui. Ac proinde quid in qualibet fidei materia sentiendum esset, non tam erat in aperto. Sed Augustinus primus cœpit catholicas veritates enucleare, digerere, dilucidare, distinguere, atq; in scholasticam formam redigere, docēs quid in quolibet fidei mysterio sentiendum, quid ad obiecta respondendum esset. Vnde ex scripturis colligendus locus ad roborandum. Denique si quid de fide distincte sentimus, aperte dicimus, audenter asserimus, id totum Augustino debemus. Ipse enim theologiæ (quam scholasticam vocant) formam primus inuenit, quem imitati sunt Magister sententiarum, Alexander de Ales, Sanctus Thomas, Sanctus Bonauentura, Scotus, Ricardus, & cęteri scholastici doctores, quorum scripta ad fidei sapiētiam plurimum fidelibus profuerunt. Plurimum etiam hæreticis obstiterunt, cuius rei apertum indicium ex hoc accipitur, quod antiqui doctores in pluribus à vero fidei tramite, pia licet intentione, in suis scriptis deuauerunt (vt in ecclesiastica historia Eusebius refert) nam eorum scripta Deo forte propter hoc disponente, non extant. Nondum enim discussa erant fidei mysteria & ecclesia tunc persecutionū fluctibus agitata, defendendæ quam exponendæ fidei magis erat intenta. O sydus maximū Augustine pater, quantum ecclesiā Dei

tua

Maior custodia in intellectu adhibenda est quam in sensu. *Psal 31.*

Augusti. patris nostri opera eximia.

Ecclesia.

Primus omniū catholicas veritates enucleauit.

tua ſapientia irradiãs illuſtraſti, qua ũ tua præſentia errorum tenebras effugaſti? nunc enim te authore, te magiſtro, ita omnia ſunt lucida, vt errare non poſſit, niſi qui ex induſtria velit hallucinari. Eſt enim (vt mihi videtur) in eccleſia Dei ſchola theologica velut quædam area, in qua ſcripturarum meſſes feruntur, comminuuntur, & ventilantur, excuſſaque palea rethorici ornatus; limpidiſſimum veritatis frumentum excutitur, ſegregaturq;, quod tamen ſine palea dominicis iumentis, id eſt ſimplicibus fidelibus in doctrinæ præſepio non eſt apponendum: tum quia non ita ſapit, tum etiam quia non ita affectus animæ nutrit. Camelis vero incutuis, id eſt, hæreticis mundum veritatis frumentum proponimus, ne dum eloquentiæ palea conditur, intus cum grano erroris lolium occultetur. Sed de his hactenus. Patet (ni fallor) ex dictis quantum hic doctor fide refulſerit in templo Dei: tunc cætera proſequamur. Refulſit quoque dignitate & regimine, fuit enim fideliſſimus & prudentiſſimus Antiſtes, conſtitutus à Deo ſuper *familiam ſuam, vt det illis in tempore* ſpiritualis *tritici menſuram*. Duo ſunt quæ in eius pontificatu notatu digna videantur. Primo, quod viuente Epiſcopo eiuſdem diœceſis Epiſcopus ordinatus eſt, licet inuitus: quo ideo factum fuit, quia ſanctus ille Epiſcopus Valerius ſenex, ſui gregis zelator eximius, vſque adeo timuit, ne ad alterum Epiſcopatum raperetur Auguſtinus, vt ſe viuente ipſum Epiſcopum fecerit ordinari: tantus erat animarum zelus, tanta ſubditorum ſalutis fames. O miram ſolicitudinem? ò feruentiſſimam charitatem? Da mihi hodie Epiſcopum, qui coepiſcopum non eo deſideret ſed ſuſtineat, etiam ſi ſenio deficiat & coadiutore indigeat. Hoc tamen quaſi indecẽs eccleſiæ, poſt ſe in aliis fieri prohibuit Auguſtinus, nequæ nos factum laudamus, ſed zelum, ſed humilitatem, ſed ſolicitudinem Epiſcopi ſancti, & ſuffice ẽ etiam Auguſtini. Eſt quoq; aliud non minus mirandum in hoc Pontifice glorioſo, quod cum tot tantiſq; ſuſcepti oneris ſolicitudinibus premeretur, illi tamen ad tantam librorum congriem conſcribendam tempus non defuit. Quando obſecro meditabatur quod dictaret? quando meditata dictabat? quando meditata dictataque populo publice proponebat? quando recitabat? quando dormiebat? quando comedebat? quãdo populum ſuper negotia iudicabat? vix n. diuturna vnius hominis vita ſufficeret ad libros eius perlegendos, & valuit ipſe inter tot negotia ad eoſdem conſcribendos. O hominem capaciſſimum, ò virũ cœleſtis gratiæ plenum, qui (vt videtur) velut Apoſtolus quidam, non præmeditabatur quid poſtea dictaret, ſed inſpirante Deo intus in aure cordis, cõtinuo audiebat quod foris populos doceret verbo, & poſteros informaret ſcripto. Quem idcirco contemplationis ociũ ab animarum regimine nõ retardabat, quia ipſam regendi artem à Deo, in ipſa contemplatione diſcebat. De ſanctitate vero & religione illius quod fuit tertium, loqui ſuperuacaneum extimo. Lingua enim eius manifeſtum facit ipſum, & ſcripturæ eius ſpeculum ipſius eſt. Qualis eius fuerit vita cernite in eius doctrina, videte eloquia ſancta, pura, ignita, deuota, mellifiua, & agnoſcite *quod ex abundantia cordis os loquatur*. Neq; enim qui ita loquitur vt Auguſtinus aliter viuere potuit quam Auguſtinus. Cuius talia ſunt eloquia vita diſcors eſſe non poteſt. Quænam obſecro mater, paruulo vteri ſui filio, quem gremio fouet, tam tenere loquitur? ita verbis applaudit, oculis arridet, geſtibus exhilaratur vt Deo ſuo, redemptori ſuo, Ieſu ſuo Auguſtinus? Vere mel & lac ſub lingua eius, mel ſpiritus, & lac doctrinæ. Spiritus enim tuus dominetur in eo velut mel dulce dulciora ſuper mel & fauum ex ore illius deprompſit eloquia, & niſi quia ſermonis longitudinem pertimeſco, illius nunc plurima dicta proponerem, ex quibus aperti liqueret quo dicitur. Sed ſatius iudico vos ad eius ſoliloquia, meditationes, cõfeſſiones, & alia opuſcula remittere, in quib. ex labiis eius ſermo ignitus fauo dulcior, lacte ſuauior, balſamo pretioſior, mira copia

Matth. 24.

Matth. 26.

Matth. 12.

Pſal. 118.

Vide Cornelium Lancelotum in vita S. Auguſtini Antuerpiæ edita 1616.

Humilitas Valerii.

S. Auguſtini ſanctitas apparet ex libris editis.

pia distillat. Quantum illi cõgruit quod
48. de Helia scriptum legimus. *Surrexit* Augustinus doctor in ecclesia *quasi ignis, & verbum eius quasi facula ardebat*: ardebat vtique extrinsecus sermo, & animus flagrabat interius. De religione vero res in aperto est singulas religiones fundasse gloriosum fuit alis Augustinus vero nõ vnius vel alterius, sed fere omnium tunc
Religiosissimus dator extitit: nam præter Eremitarum & Canonicorum (sed das religiones, quæ ab ipso nuncupantur cæteris fere omnibus viuendi regulam dedit: ipse namq; primus, vel inter primos religiose viuendi modum & regulam fratribus edidit, quem imitati sequentes fundatores ac patres religionum singulas ediderẽ: regulamque illius velut optimum vitæque religiosæ documentissimam suis filiis contulerunt (paucis exceptis qui regulas proprias ediderunt) atque sub illius decreto cum suis gregibus Deo viuere tutius quam proprio instituto sanxerũt. Quod ad monachum plus facit regula quam cucula omnes isti tam numerosi monachi merito huius patris filii nuncupandi sunt, atque ita eum omnes vti patrem sequantur ac veneretur. O gloriosum stipitẽ vnde surrexit tam multa sylua ramorum, ò speciosam radicem à qua tam numerosa progenies pullulauit. Videtur ne tibi in templo Dei fulsisse, profuisseq; in domo Dei, qui tot in ea
Eccli. 50. plantas ex se ipso produxit? Merito profecto de illo in epistola canitur, *& quasi plantatio cedri in monte Libano, sic circa illum steterũt, & omnes filii Aaron in gloria sua*. De hoc fœcundissimo stipite satis commode exponit quidã illud Isaiæ.
Isai. 58. *Eris quasi hortus irriguus & sicut fons aquarum cuius non deficient aquæ, & ædificabuntur in te deserta sæculorum, fundamenta generationis & generationes suscitabis, & vocaberis ædificator seminum auertens semitam iniquitatum*. De quo latius
Patet acumen ingenii lib. 1. conf. in alio sermone, ne vos modo nimia lõgitudine onerem. Quarto refulsit doctrina & sapientia. In hac enim (vt diximus) cunctos ecclesiæ doctores excedit. Vnde ingenii eius admirandum acumen ex quatuor apparebit. *Primo.* Primo, quia (vt ipse de se asserit) omnes liberales scientias sine magistro didicit. *Secundo.* Secundo, quia tantæ facundiæ fuit, vt in singulis libris alius à seipso videatur Augustinus, adeo enim copiosus extitit in scribendo, vt singulis libris accommodatum dederit stylum, adeo vt non ab eodem à quo alius videatur pectore processisse. In libro enim Trinitatis stylus *Qualis eius fuerit stylus.* argutus, subtilis, disputatorius: & in libro de ciuitate Dei stylus latior, diffusior, historiæ magis consonus: in expositione scripturarum stylus disertus & planus: in epistolis elegans, in sermonibus submissus & communis, leuatur quando vult super aera: repit quando vult inter vestigia. O copiosum sapientiæ flumen, fœcundius Nilo, & Danubio redundantius? ò vasculum sapientiæ capacissimum? ò immensum diuinorum secretorum pelagus? ò quem te memorẽ patrẽ Augustinum? omnis laus inferior te est. *Tertio.* Tertio patet vis ingenii eiusdem, ex librorum tanta multiplicitate & multitudine, tot sunt enim vt vix legi possint, tam varii sunt, vt non ab vno, sed ab vniuersitate videantur conscripti, sic in eis Diuina sapientia lucet, vt humana quoque sapiẽtia supra modũ fulgeat, & eloquentia polleat. *Quarto.* Vltimum quoq; ingenii testimonium, hoc est præstantissimũ, quod ita conspicue in tanta nebula veritatẽ intuitus est, & ita eam in tanta sylua errorũ discussit: vt cum in hoc ipse omnium primus exuerit, vsque hodie post tam longũ tempus id teneat id sequatur Ecclesia & fidei schola, quid Augustin. decreuerit. Mirũ in rebus tam arduis, tam difficillimis, ita veritatẽ penetrasse. Vnde ad ipsum Augustin. Volusianus sic scribit. *Legi Dei deest quod Augustinus non intelligit.* Quod tamen dictũ ita mira humilitate reiecit, vt in scriptura sancta se tyronem diceret, & nunc cœpisse se asserat. Possem hic plurima de ipso adducere sanctorum testimonia, in quibus eius sapientiam admirantur, nisi timerem videri aut nimius laudator, aut longior concionator. *Elegium S. Vincentii.* De illius sapientia exponit S. Vincentius illam insignem Zachariæ visionem de candelabro aureo, *Zach. 4.*

quam

quam in sequentibus exponemus, pro nunc præsenti sermone finem facientes nunc tam fulgentissimum Ecclesiæ solem deprecemur, vt qui tam mira nos sapientiæ suæ claritate irradiauit, sua quoque nunc protegat oratione: vt doctrinæ illius adhærentes, & vestigia illius sequentes, illuc perueniamus, quo ipse peruenit, illic habitemus, vbi ipse cum suo Domino regnat & commoratur in sanctorum gloria. Ad quam nos perducat sol ipse iustitiæ Iesus Christus Dominus noster filius Dei, & non Virginis, cui est honor & imperium cum patre & Spiritu sancto, in sæcula sæculorum Amen. Deo gratias.

DE DIVO AVGVSTINO PATRE NOSTRO, PONTIFICE, & DOCTORE ECCLESIÆ.

Concio secunda.

THEMA.

Dedit illi Dominus cor ad precepta & legem vitæ, & disciplina docere Iacob testamentum suum, & iudicia sua Israel. Eccl. 45.

Cordis donum habere qui dicantur, & qui sint excordes.

MAgnum donum Dei fratres donũ cordis. Sunt namque quidam hominum, penitus ex cordes, insensibiles, & stupidi velut arborum trunci, quorũ vita animalis penitus & sine sensu est. Hos Propheta, in vanum accepisse animam intellectiuam denunciat, quia videlicet eam omni affectu rationis vacuã ociosamque custodiunt. Talis erat Ephrain, cui per Prophetam dicitur. *Factus es Ephrain velut columba seducta nõ habens cor.* Talem se deplorat apud psalmographum peccator, dicens. *Oblitioni datus sum, velut mortuus à corde.* An non mortuus à corde cui ad omne bonum affectandum, optandum, exequẽdum, penitus deest cor? Qui huiusmodi est, & si carne viuat, corde tamen mortuus est. Væ misero qui dum viuit moritur, & in carne viua mortuam gestat animam, cuius vita non iam hominis, sed bruti vita censenda est. His Dominus per Prophetam loquitur, dicens: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, &c.* hoc est, cor vestrum durum, aridum, insensibile & obstinatum, reddam sensitiuum, tenerum, & spiritualibus impressionibus aptum. Quam ingens beatitudo? quam amplæ diuitiæ fertilitas cordis. Sicut enim in agris, alios quidem steriles, & vberes cernimus, qui modico sati semine amplissimas reddunt fruges, alios vero aridos & steriles, qui quantacunque cura colantur cultori suo vix semen duplicatum reddunt: sic etiam in humanis cordibus euenit vt alia affectibus, & actibus, laudabilibus abundent, ac veluti fontes viui, bonis motibus scaturiant, alia autem quantumuis culta, & doctrinæ frumento diligentissime seminata, nullum aut desiderii cælestis, aut alterius cuiuspiam boni motus exhibeãt fructum. De quibus Apostolus luculentissime, & disertissime tractans, ad Hebræos inquit. *Terra sæpe venientem super se, bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo, proferens autẽ spinas ac tribulos reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem.* Hæc autem fertilitas aut sterilitas cordis, ex custodia aut negligentia mandatorum Dei sæpius accidere solet. Vnde per Isaiam Dominus: *Vtinam (inquit) attendisses mandata mea, facta fuisset quasi flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris, & fuisset quasi arena semen tuum, & stirpes ventris tui vt lapilli eius.* Quod verbum (vt opinor) non tam ad generationem prolis, quam ad fœcunditatem cordis referendum est, quã Ezechias propter peccatum amissam, in suo cantico amarissime deplorat, dicens: *Generationem meam ablata, & conuoluta est à me, quasi tabernacula pastorum*, generatio, inquam, mea quæ de corde meo ex meis visceribus, intra me progignitur

Ezech. 37.

Heb. 6.

Sterilitas cordis ex negligentia mandatorum Dei oritur.

Isa. 48.

Isa. 38.

gnitur, & in animæ meæ vtero sponte scaturit, hæc ex peccato meo ablata est à me & à malitia mea sterilis factus sum amissa spiritus vbertate. Vides quam aperte mandatorum obedientiæ vbertas promittitur, & per eorum negligentiam eandem auferri. Attende adhuc in Psalmo hoc ipsum apertius *Quoniam, inquit, circumdederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem: multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me.* Quã clare iacturam cordis à peccatorum multitudine prouenisse conqueritur. *Cor meum*, inquit, *dereliquit me.* Et alibi in libro Regum idem Propheta. *Inuenit, inquit, seruus tuus cor suum, vt oraret te, precando reperit.* Peccandi ergo assiduitas auferri cor, & stupidam ad omne bonum animam reddit, sterilemque & imagini mortuæ quàm simillimam quæ habens oculos non videt, & aures non audit, & suis naribus non odoratur. Est namque hæc iusta à Domino retributio peccatorum, vt qui affectibus animæ male vtitur, inuitus amittat eos, & qui rationalis homo esse noluit, insensibilis statua merito suo fiat. O seueram nimis iudicis vltionem, formidandumque Diuinæ animaduersionis iudicium! Væ miseris qui quo insensibiliores sunt, vt hanc in se Dei vltionem agnoscant eo miseriores miserabilioresque redduntur: si qui vero hanc insensibilitatis pœnam, in semetipsis persentiunt, his mors ipsa, hac animi stupiditate tolerabilior est. Sicut enim Adam Diuini mandati præuaricatione, totus penitus in alterum versus, & mutatus est omnino in vitium alterum: ita etiam spiritualis homo assiduitate peccandi, à seipso degenerans in belluam vertitur, cui si prioris status vllus in eo relinquitur sensus, permutatio hæc omni animaritudine amarior multo est, amissamque fœlicitatem tota vita implicabiliter deplorat. Solet etiam nonnunquam hæc insensibilitas in quibusdam, ex diuinæ gratiæ contemptu prouenire, merito namque priuantur donis cœlestibus, qui ea aut despiciunt, aut ignorant. Quibus vsque adeo Diuinæ consolationis munera vilescunt, vt ea etiam experta pro vilissimis voluptatibus carnis commutare non vereantur. In hos Apostolicum illud dirigitur, *impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam.* Id est per pœnitentiam in priorem statum gratiæ reuocari, rationemque difficilis reuocationis assignans subiungit. *Rursus crucifigentes in semetipsis filiũ Dei, & ostentui habentes*, hoc est qua à filio Dei spiritui gratiæ immanem inferunt contumeliam, delicias spiritus lubricis voluptatibus postponentes, & Paradisi flores odoratos, degustatosq; pro vilibus porcorum siliquis commutantes, quos si experti non essent, huiusmodi contemptus non ita imputaretur ad culpam. At quia gustauerunt & contempserunt, reatus eorum manet. Horum typum gesserunt, qui post degustatum è Cœlo manna Ægyptios pepones, & cucumeres, ollasque carnium poposcerunt, delicatissimum ac dulcissimum cibum à Deo sibi præstitum nauseantes: quorum desiderium attulit eis Dominus, & non sunt defraudati à desiderio suo: *sed adhuc esca in ore ipsorum, & ecce indignatio Domini super eos.* Quos enim eius carnium nequiter oblectauerat, plaga Domini atrociter vastabat. Sic omnino, sic huiusmodi spiritus contemptoribus euenire solet, vt vacuati spiritu, libidinibus repleantur, post quas acutissimos peccatorum aculeos, atrocissimosque conscientiæ remorsus, & amariissimos tota vita sustineant: vt sic tormentorum magisterio discant, & quid boni sibi ipsis perdiderunt, & quid mali contra Dominum commiserunt, illius munera contemnentes. Quorum amissio (vt diximus) eo irrecuperabilior est, quo ex eorum experientia, & sensu maior in contemptoribus

Psal. 39.

1. Reg. 7.

Psal. 113.

Ex diuinæ gratiæ contemptu insensibilitas prouenit.

Heb. 6.

Luc. 15.

Num. 11.

Psal. 77.

ptoribus ingratitudo conuincitur. Caueant sibi igitur & pertimescant, quibus datum est ad mensam Domini sedere dapes cœlestes animo degustare, suauitatem spiritus Deo largiente sentire, ne post gustatas Paradisi delicias, retro ad contemptibiles Ægypti huiusmodi cepas, & futiles carnalium voluptatum pepones respiciant. Ne vindicante Deo, aut serpentum venenatorum morsibus lanientur, aut sicut vxor Loth in salis statuam conuertantur, & bestiæ lambant eos. Audiant Christum in Euangelio idipsum misericorditer præmonentem, & terribiliter intonantem his qui in agro dominico versarẽtur, ne redeant retro. *Memores* (inquit) *estote vxoris Loth.* An putatis quia ociose, & frustra hoc factum est, vt mulier illa respiciens retro in statuam, neque qualemcunq;, sed in salis statuam verteretur? & non potius vt futurorum sæculorum cunctis hominibus fieret terroris exemplum, & huiusmodi præcauendi criminis perpetuum sæculis monimentum. Si enim Iudaico more, nudam historiam consideres, quid habet consonantiæ, vt egressis ab incendio tam districte præcipiatur, ne respiciant post tergum? imò potius contrarium rationabile videbatur, vt mandaretur eis sistere in regione: nec à prospectu Ciuitatum discedere, donec completam vindictam inspicerent, quam de sceleratis hominibus sumeret Diuina iustitia, vt qui testes fuerant criminis, testes essent etiam vltionis. Vt quid non respiciant, propter quid non attendant mortem acerbissimam quam euaserunt? horribile incendium quod effugerunt? flagitiorum vindictam, Diuinæ iustitiæ vltionem? quænam huiusmodi præcipiendi ratio? quæ causa mandandi? Neque enim facile (fragili præcipue mulierum sexui) videbatur huic tam seuero obtemperare mandato. Quid enim? mundus post tergum ardet, flagrant elementa, fulgurant nubes, resonant tonitrua, terra dehiscit, regio deuoratur, mœnia corruunt, ciuitates obruuntur & in tanto discrimine non vertunt caput? Quænam virorum constantia, ne dicam mulierum huiusmodi poterit implere mandatum? & tamen terribili vltione præuaricatio vindicatur, & inaudita sæculis pœna mulctatur, vt statua fieret fœmina, quæ huiusmodi iussionem transgredi, ignis timore non timuit, neque lapidis statua, sed salis: vt ex ipso facto liqueat magnum in hac vindicta latere misterium. Sicut enim exusta Pentapolis perpetuis futuris temporibus, criminis nefandi reis in exemplum, ita etiam statua facta mulier Diuinæ gratiæ contemptoribus in perpetuum relicta est monimentum: ne videlicet similia faciant, & similem vltionem incurrant. Ad nos ergo fratres, ad nos pertinet hæc parabola, quos ab huius sæculi nequam flagranti incendio, & libidinum æstuantium igne sulphureo, Diuina bonitas misericorditer liberauit: statuens in loco spatioso pedes nostros, vt ad montis Domini fastigia conscendamus. Nobis (inquam) tam durum spectaculum propositum est, vt illius exemplo formidemus, non modo redire, sed etiam respicere vnde discessimus. Si enim talis est pœna retro respicientium, qualis erit vltio retro redeuntium? sæculi huius flagrantem libidinibus, & curis æstuantem Sodomam, Dei beneficio euasimus, vt quid eam vltra vel à remotis aspicimus? Si quis autem propriæ salutis immemor, & Diuinæ in se pietatis contemptor, retrorsum ad vanas & viles sæculi voluptates, & curas, quas reliquerat respicere non erubuerit, hanc sibi à Domino reatus pœnam nouerit destinatam, vt amisso deuotionis, ac pietatis spiritu, & emortuo corde, in salis statuam permutetur, & abyssi bestiæ lambant eum. Vtraque enim vltione dignissimus extitit, & vt spiritualis dulcedinis quam contempsit expers fiat, & vt bestiarum infernalium linguis lambendus nunc exponatur, quorum dentibus erit postmodum laniandus. Quasi enim dæmonum linguis nunc blanditer lambitur

Num. 21.

Gen. 19.

Luc. 17.

Non respiciendum nobis post tergum.

peccator, cuius virtus, & pietas, diabolicis suggestionibus sensim consumitur: deuorabitur vero, cum aperte damnabitur. Timeamus itaque mei fratres, ne simile incidamus temeritatis exemplum, & tantæ apud Deum ingratitudinis rei inueniamur. Caueamus (inquã) non modo redire, sed & respicere sæculum quod euasimus, scientes, *quia nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei*, magis autem quæ retro sunt obliti, ad anteriora solicite nos extendentes, propositum nobis supernæ vocationis brauium diligenter, ardenterque prosequamur. Fidelis enim est Deus qui repromisit quod. Dominicæ exhortationis documentum, & si semper nobis vtile fuerit, hoc tamen tempore monachis omnibus pernecessarium est, quando plures in Ecclesia monasticę religionis dissuasores subuersoresque conspicimus. En venerunt illa tempora periculosa, de quibus vaticinium nos Euangelicum præmonuit. *Surgent* (inquit) *pseudoProphetæ, & seducent plurimos, & dicent vobis. Ecce hic est Christus, illic est Christus, ne credideritis.* Nolite ire, neque sectemini in illa hora: qui fuerit in tecto, & vasa eius in domo ne descendat tollere illa, & qui in agro similiter non redeat retro. *Memores estote vxoris Loth.* O apertissimam horum temporũ Prophetiam? quid enim aliud recentiores hæretici clamant, nisi hic est Christus, illic est Christus? Non est, inquiunt, Christus in Canonicis statutis, non in Ecclesiasticis sacramentis, non in variis religionum obseruantiis, non in vsitatis Missarum sacris, non in exterioribus Diuini cultus ceremoniis, non in frequentatis horarum laudibus, non in carnium neglectis epulis, non denique in hac viuendi Ecclesiastica norma, quæ ab Apostolorum tempore vsque nunc per omnes fidelium nationes vbique terrarum in Ecclesia perseuerat. Sed ecce hic, ecce illic Lutherus ait, ecce hic Ecolampadius ait, ecce illic quisq; pro suo libito propriam viuendi formam Christi fidelibus statuit quam sequãtur: nec est ad inuicem inter se consensus: sed alius sic, alius sic ait, quomodo enim cõsentiant inter se qui à veritate discordant? O infelices Germani, *quis vos fascinauit non obedire veritati?* quis gentẽ nobilem à principio orthodoxam, tam fraudulenter, tam immaniter decepit? Vnus vos homuncio à sanctorum patrũ antiquissimis institutis, & Ecclesiæ orthodoxa fide, & probatissima viuendi norma subtraxit? *Redite* obsecro *ad cor*, & videte quia non potest errori subiacere Ecclesia Dei quam Spiritus sanctus regit, Christus disponit, & innumera sanctorum caterua decorat. Maultis ardere cum Luthero, quam regnare cum Augustino, Ambrosio, Hieronymo, Gregorio, Bernardo, & aliis, *quorũ* proculdubio *nomina scripta sunt in libro vitæ*? Quis horum religionem damnauit? quis Ecclesiastica sacramenta contemsit? Quis à sacro Ecclesiæ sacerdotio cælibatum abstulit, & alia innumera quæ vos vnius hominis suasu & tentare non erubuistis, & prosequi non pertimescitis? quid dicam vobis? Si aliis non creditis, vel Christo Domino credite, Christum ipsum præmonentẽ audite. *Cum dixerint vobis, ecce hic est Christus, ecce illic, nolite credere, nolite ire ne sectemini*, non est hic aut illic Christus: sed vbique in Ecclesia catholica, id est, vniuersali. Vt quid ergo nefaria diuerticula quæritis? vt quid de Christo quem negatis, tam multa infideliter iactatis? Si Christum prædicatis, Christũ audite. Christus ipse se negat esse, hic aut illic, id est, in priuato hæreticorum concilio, sed in Ecclesiæ Catholicæ cõmuni consensu, & vos Ecclesiam & fidem communem contemnitis? anguilos & compita quæritis? Lutherus monachos maritat, sacerdotibus connubia indicit: cauete obsecro, nolite credere, ita futurum Dominus prædixerat ne sectemini. Audite quod sequitur. *In illa* (inquit) *hora* quando, scilicet, de Christo, & fide eius varia dogmata hæretici edent: *in illa* (inquam) *hora qui fuerit in tecto, ne descendat tollere vasa*, & qui in agro similiter non redeat retro, *memores esto-*

Luc. 9. Phil. 3.

Heb. 13.

Matt. 24.

Luc. 17.

Haretici recte imitantur dictum Christi Matth. 24

Ga. 3.

Isa. 46.

Luc. 10.

Matth. 24.

Christus non est in priuato hæreticorum concilio.

Luc. 17. *estote uxoris Loth.* Quid euidentius? quid apertius? Ac si dicat: qui de Christo male sentiunt, male etiam de religione, de cælibatu, de perfectione dogmatizabunt. Cauete vobis qui in tecto perfectionis estis, id est, Ecclesiæ Dei rectores & magistri, qui ex alto perfectionis culmine, inferiori populo verbum Dei & salutis doctrinam quotidie buccinatis, quæ in aure auditis prædicantes super tecta. Cauete etiam vobis religiosi homines, qui in agro dominico die noctuque incessanter desudatis, exercentes vosipsos ad pietatem, qui orationibus, lectionibus, meditationibus, & Dei laudibus iugiter incumbentes campum dominicum & exemplo vitæ excolitis, & verbo salutis seminatis. Suadebunt namque vos (scio) subuersores illi sub Christi nomine in illa hora redire retro, relinquere religionem, spernere cælibatum, vxorem ducere, sæcularibus implicari. Nolite credere, ne sectemini, nolite descendere de tecto, tollere temporalia quæ reliquistis. Nolite redire retro ad sæcularem vitam, quam Deo vocante fugistis. *Memores estote vxoris* Luc. 17. *Loth*, videte quid ob hoc sustinuit, attendite quid propter hoc passa est, illa sit vobis perseuerandi exemplum illa non retrocedendi documentum, illa aduersus huiusmodi suasores resistendi scutum. Illam vobis proponite, illam illis obiicite, illam attendite, illam præ oculis semper habete: illa vos admoneat, illa vos doceat, ne similia agentes, similia patiamini. Ecce prædico vobis, ecce præmoneo, ecce multo antequam fiant vobis omnia prophetizo. Quam euidens aduersus hæreticos testimonium. Vtinam, vtinam illorum oculos Deus aperiat, vt videant & à tanta insania respiscant. Sed ad nostrum propositum redeamus. Dedit ergo Dominus Augustino cor, non ad negotia sæcularia, non ad temporalia lucra, non ad vanos sæculi perquirendos honores: sed ad præcepta Domini, ad legem vitæ, ad eruditionem populi. Hæ sunt diuitiæ sanctorum, hæc portio seruorum Dei, Psal. 23. *hæc pars quærentium faciem, faciem Dei Iacob.* Vnde Propheta. *Portio mea Domine dixi custodire legem tuam.* Attende igitur mirificum ordinem in prothemate, ad præcepta, ad legem, ad doctrinã, custodire præcepta, scrutari legem, docere iudicia. Sunt qui hunc ordinem male peruertunt, aut docentes quæ nõ didicerunt, aut scrutantes quæ non impleuerunt, non intelligentes, neque ea quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Non sic Apostolus. *Nihil* (inquit) *audeo dicere inter vos eorum quæ* 1. Tim. 1. *per me non efficit Christus.* Non sic Psalmographus. *Bonitatem* (inquit) *& disciplinam & scientiam doce me prius bonitatem*, deinde disciplinã, deinde scientiã: Psal. 118. bonitatem tibi, disciplinam mihi, & tuo populo sapientiam: hic rectus est ordo, sunt qui peruertant, vt diximus. Sed ô quisquis viam Domini recto optas tramite pertransire: noli transilire si vis peruenire, primo ergo omnium sit tibi cura mandati, in hoc tibi vita, in hoc tibi salus, & gloria. *Ante omnia Deum ti-* Eccl. 12. *me, & mandata eius obserua, hoc enim est omnis homo.* Quid cœlorum gyros inaniter lustras? quid secreta naturæ ociosa rimaris? quid profunda scripturarum incassum perscrutaris, & vltima tuæ tibi cura salutis? O hominum stultissime, Rom. 9. nunquid ex sapientia, an ex vita & opere iudicaberis, nunquid scrutatores legis iustificabuntur, remunerabuntur, glorificabuntur? Si mihi non credis Osee. 10. c. Prophetam super hoc audi. *Seminate* vbi legitur (inquit) *vobis ad iustitiam, & metite spẽ* sic ex versi- *vitæ, & tunc demum illuminate vobis lu-* one 70. Se- *men scientiæ.* Noli ergo præponere sci- minate vo- entiam operi, sapientiam virtuti, peri- bis in iusti- tiam gratiæ. Noli prius illuminare quã tia, vinde- luceas, prius lucere quam ardeas: sed si- miate fru- cut scriptum est. *Amandatu tuis intel-* ctum vitæ, *lexi.* Ianua enim intelligentiæ legis, ob- illuminate seruatio Dei mandatorum est. Quanta vobis lumẽ super hoc abeodem Psalmista tibi pro- scientiæ. feram testimonia. *Beatus*, inquit, *vir* Psal. 118. *qui non abiit in consilio impiorum &c.* Psal. 1. *Sed in lege Domini fuit voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Ecce Psal. 118. voluntas legis eius meditationi præponitur. *Et iterum. Beati immaculati in*

Beatitudo prima ambulare viã Domini.

Beati qui ambulant in lege Domini, beati qui scrutantur testimonia eius. Ecce prima beatitudo ambulare viam Domini; secunda, scrutari testimonia eius. Et iterum. *Retribue seruo tuo, viuifica me, & custodiam sermones tuos: reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Ecce primo viuificari se postulat ad implenda mandata, deinde reuelari, illuminarique ad sciendam legem. Et rursus. *Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum, & exquiram eam semper, da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam:* & alia innumera, quæ longum esset modo citare. Non attendis quàm aperte in horum psalmorum capitibus præfatus ordo describitur, ita vt nemini etiam ignorantissimo liceat hoc ignorare? *Dedit ergo illi Dominus cor ad præcepta* eius implenda, ad *legem vitæ* scrutandam, rimandamque, *docere Iacob*, id est, Dei populum, *testamentum suum*, id est, Euangelicam Doctrinam, *& iudicia sua*, id est, occultiora legis secreta, *Israel*, id est, viris religiosis, & Dei obsequio mancipatis. Quam aperte quatuor hæc Augustino tribuuntur? Fuit enim vir propter præceptorum custodiam sanctissimus, propter scripturarum peritiam doctissimus, doctrina insignis, & religione præclarus, Sanctitas itaq; eius, & intellectus, & doctrina, & religio, in prothemate commendantur: de quibus, si tempus adesset, per singula discurrendum erat: sed quia de tribus vltimis diximus iam circa primum modo diutius immorabimur. Congruit Augustino, iudicio meo, & consonat valde quod de sanctissimo Iob in moralibus beatus Gregorius sapienter commemorat dicens. *Vir iste licet magnus in virtutibus suus, mihi certe sublimis etiam apparet in peccatis suis: mirentur in eo qui volunt castitatis continentiam, mirentur integritatem iustitiæ, mirentur viscera pietatis: ego in eo non minus admiror confessionem humillimam peccatorum, quam tot sublimia gesta virtutum.* Hæc Gregorius. Quam optime, quam mire ista consonant Augustino: virtutes namque hic diuus cum aliis sanctis communes habuit, sed in hac suorum peccatorum confessione præ omnibus extitit singularis: cum enim teste Iob, naturale sit cunctis hominibus sua peccata celare, hic vir è contrario aduersus omnem naturæ pudorem, non modo præsentibus, sed etiam futuris hominibus nudam reliquit historiam peccatorum & quæ nos in secreto mediis parietibus, vel vni confessario pandere nimis erubescimus, hæc ille vniuerso prodidit orbi: Audistis vnquam tale? vidistis vnquam simile? quis vni populo vel hic coram omnibus in conditione suam reuelare conscientiam, sua propalare delicta, vel etiam iustus non erubesceret? quis sustineret? At sua non modo dicere, sed etiam scribere toti mundo non erubuit Augu. O stupendam hominis deiectionem! ô humilitatis ardentissimam sitim! omnibus innotescere voluit, vt despiceretur ab omnibus. Sufficiebat ei ad omnem humilitatis gratiam, in tanta gloria nolle laudari, sed ille ne quid deesset ad humilitatis cumulum, voluit etiam & contemni. Atque vt hoc plenius consequeretur miram reperit inuentionem, pudenda conscientiæ suæ omnibus patefecit, & quod aliis solet esse horribile, illi fuit optabile: Ardentius ille suorum peccatorum historiam scripsit, quàm aliis soleant gestorum suorum gloriosam historiam posteris in sui memoriam legendam relinquere: neque ambitiosus quispiam ita gloriam affectauit, sicut ille contemptum. Quantam in hoc naturæ intulit vim? quam sublimiter seipsum vicit? quam potenter de seipso triumphauit? Sed è contrario Deo disponente, accidit illi, vt vnde voluit deiici inde amplius laudaretur & verteretur in gloriam, quod disponebat ad sui deiectionem, & vnde voluit fieri contemptibilis fieret amplius admirabilis. Qualia namque post conuersionem fecerit Augustini facinora operæ pretium est agnoscere. Accusat se coram Deo, quod nonnunquam in cibo dum necessitati corporis seruit, aliquem

Quatuor verba thematis recte S. Aug. tribuuntur.

Ibidem.

Ibidem.

Iob. 31.

lib. Conf. vide.

Facinora S. Augustini post conuersionem.

quem morsum forte asse indulsit voluptati. O grande facinus! ruisus quod aliquando dum Ecclesiæ cantieis interesset, plus melodia quàm sensu fuerit oblectatus. O flagitium maximum! addit etiam aliud non minus, quod iter agēs, dum videret casu canem leporem insequentem, nonnihil in hoc fuerit delectatus. Et quod curiosè inspectauerit aliquando aranеas suis reticulis capientes muscas. Grauissima certe crimina, & confusione dignissima. Quid miraris, cum etiam pæniteat coram Deo, quod die sereno lucis amænitate fuerit oblectatus: asserens ab aliis se continere forsitan potuisse, sed à lumine, quia vbique est, omnino non posse. O inquit, quis mihi daret illam lucem? quā habebat cæcus Tobias, opera misericordiæ filium docens, & caligans oculis Isaac filios suos benedicens, & cæcus Iacob manus suas super paruulos nepotes cancellans. Hæc & similia sunt peccata Augustini Episcopi, pro his publicè veniam petit. O quam nitida, quàm pura, quàm crystallina erat conscientia, vbi istæ atomi cernebantur, quando iste aliquod mortale committeret, quā do præceptum Domini violaret quid putatis faceret? qui de huiusmodi leuissimis culpis etiam publice pœnituit? Quantum enim peccatum mortale abhorruerit, in opusculo quodam insinuat, vbi asserit peccatum mortale nō committendum omnino, etiam si necesse sit perire quicquid Deus non est. Hæc igitur Augustini tam profunda humilitas apud Deum & homines, sapientia & intellectu illum sublimiter exaltauit, quoniam *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Vnde potest de illo intelligi propheræ vaticinium, *Dedit abyssus vocem suam, altitudinem phantasiæ.* Abyssus (inquam) humilitatis Augustinus vocem Doctrinæ suę populis dedit, propter phantasiæ suæ, id est, ingenii altitudinem, quam propter humilitatem contulit illi Deus. De qua voce adhuc apertius Ioannes in Apocalypsi ita prophetat: *Vidi* (inquit) *& audiui vocem vnius aquilæ volantis per medium Cœli, dicentis voce magna, Væ, væ, væ habitātibus in terra:* de cæteris vocibus trium Angelorum qui erant tubā cāturi. Aquila hæc grādis magnarum alarum volans per medium Cœli, significari videtur Augustinus, qui scripturarū secreta sublimiter penetrauit, volant alii doctores ex latere, ille per medium. Vnde & apud Ezechielem ita legimus, *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad Libanū, & tulit medullam cedri.* Quæ omnia mire cōgruunt Augustino. Fuit enim aquila grandis perspicacitate, & volatu magnarum alarum, quia plures sub alis protegit religionis, plena plumis doctrinarum, tam sæcularium, quam diuinarum quia in vtrisque fuit apprime eruditus, & varietate dicendi: est enim adeo varius in stylo, vt non eū vnicum, sed varios existimes scriptores ex librorum phrasi. Hic venit ad Libanum doctrinæ puræ & candidæ Euangelicæ, ab errore Manichæorum & tulit medullā cedri, quia penitus diuinas scripturas, & intellexit, & exposuit. Hæc est aquila quam Iohannes in Ecclesia per medium cœli volantem in spiritu vidit clamantem, *Væ, væ, væ habitantibus in terra.* Væ (inquam) habitantibus terræ, id est, mundanis, & sæcularibus hominibus, qui huius sæculi delicias sequuntur, væ in vita, væ in morte, væ post mortem vita laboriosa, mors acerba, & post hanc damnatio sempiterna. Hæc Augustinus in libris suis & dictis, verbo, scripto, exemplo terræ habitatoribus prædicauit, hæc docuit, contemnere sæculum, & quærere Cælum. Vnde ad illum alius Propheta inquit; *Ingutture tuo sit tuba, quasi aquila super domum Dei.* Hanc aquilam sequuntur tres Angeli tubis idipsum Dei populo personantes, scilicet, Benedictus, Franciscus, & Dominicus, diuum Augustin. & tempore & vita sequentes, & eundem mundi contemptum, quem ille docuerat hominibus persuadentes. Quantus ab eis in Ecclesia fructus extiterit nō est verbo monstrare, quia in aperto res est.

Tob. 1.

Gen. 27.

Gen. 48.

Nitida conscientia S. Augustini.

Humilitas S. Aug.

1. Pet. 5.

Heb. 3. c. 2. versione 70

Ap. 8.

Ezec. 8.

Aquila cōparatur.

Oseæ. 8.

Iuuantur S. Augustinum.

S. Ben.

S. Franc.

S. Dom.

Sed

Sed Deum optimum deprecemur, vt nobis quibus tantorum partum fructus experiri concessit, concedat & imitari mores, & cum illis beatitudinis præmio frui in gloria. Ad quam nos perducat Iesus Christus Dominus noster religionis omnis author, & primus patronus, Amen. Deo gratias.

DE EODEM DIVO AVGVstino Patre nostro, Pontifice, & Doctore Ecclesiæ,

Concio tertia.

THEMA.

Ecce sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit templum.
Eccl. 40.

Triplex sacerdotium asserunt sacræ literæ. TRiplex sacerdotium legimus, in scriptura, sacerdotium legale, sacerdotium Euangelicum, sacerdotium spirituale. Et quidem ante legem fuisse apud veteres sacerdotium non dubitamus, cum de Melchisedech scriptum sit, *quod erat sacerdos Dei altissimi:* sed quale esset illud sacerdotium, quis ritus, quæ consecratio, quis modus, quis ordo non legimus. Sed neque de alio quam de Melchisedech hoc ipsum in scriptura reperimus, quamuis de prophano idolorum sacrificio scriptum sit, quod Ioseph omnem terram Ægypti excepta sacerdotali fecerit tributariam. Sunt qui dicant illo tempore sacerdotium primogenituræ fuisse annexum, atque ideo in pretio habitum à maioribus, vnde merito diserciabatur Esau quod eam pro edulio vendidisset. Sed ex sacris literis primogenitorum præeminentiam quandam in hæreditate sicut modo fit, potius quam sacerdotalem dignitatem colligere possumus: neque enim soli primogeniti offerebant thura, vel sacrificia, vel munus aliud sacerdotale exercebant quod aliis fratribus non liceret, propter quod sacerdotes dicerentur. Hoc igitur sacerdotio relicto, quoniam quale fuerit ignoramus de tribus quæ præmisimus agendum est. Sacerdotium legale cœpit ab Aaron, de quo præcepit Dominus Moysi, vt eum vngeret & sanctificaret sibi in sacerdotem cum filiis suis & tota posteritate sua & vestibus sacerdotalibus ornaret, vt esset sequester & mediator inter Deum & populum, & offerret ei thura & sacrificia pro peccatis. Quãuis enim sacrificia illius temporis essent abiecta, noluit tamen Deus ea sibi communibus manibus offerri, sed sanctificatis & mundis: tum propter reuerentiam: tum propter significationem. Vnde segregauit sibi vnam ex duodecim tribum Leuiticam in ministerium, in qua erant Aaron & eius primogeniti, Pontifices & Prælati cæteri de stirpe Aaron sacerdotes communes, reliquæ omnes fæmiliæ Leui vocabantur: Leuitæ neque solis nominibus, sed etiam officiis discernebantur. Erat namque hoc pontificis proprium, semel in anno sacris vestibus indutum, cum sanguine hirci ac sacro thimiamate ingredi sancta sanctorum, nudam videre arcam, & oblato munere orare pro populo. Hoc cæteris sacerdotibus non licebat, quia neque intra velum intrabant, neq; vestibus pontificiis vtebantur, sed aliis, neque fas eis erat arcam & propitiatorium inspicere: sed eorum munus erat offerre sacrificia, & thura in tabernaculo exteriori, orare pro populo, & laudes Domino decantare. Leuitæ autem velut acolyti, sacerdotibus in ministerio erant, ad excorianda, & lauanda, & præparanda sacrificia, & alia expedientia exequenda. Quanta grauitas, quanta maiestas pro arca lignea, & pro animalibus occidendis? Sed neque omnes filii Aaron sacerdotio fungebantur sed certis conditionibus obseruatis, si non esset cæcus, neque claudus, neque gibbus, neque lippus, neque magno, aut torto naso deformis, neque scabiosus, aut albugnem habens in oculo, aut hernioſus: sed perfectus omnino, & immaculatus, & sine vitio. Qui huiusmodi erat,

Leui. 1.

Sacerdotium legale.

Num. 3.

Leui. 16. & Hebr. 9.

Agit de his S. Tho. 1. 2. q. 102. copiose.

Gen. 14.

Gen. 47.

Gen. 25. & Hebr. 12.

Leui. 22.

Ritus consecrandi sacerdotes.

erat, lauabatur prius, deinde vngebatur oleo sancto super caput eius effuso, & extrema auriculæ dextræ, & pollice manus & pedis dextri sanguine arietis intincto, consecrabatur Domino in sacerdotem, & post hæc vestibus sacris induebatur. Hic erat ritus in consecratione sacerdotum. Integros & sine macula sibi voluit Dominus in sacerdotes consecrari, ne essent populo derisibiles & contemptibiles, sed honorabiles, & venerandi, qui exemplar vitæ & speculum in populo futuri erant: vt exterior corporis species, interiorem animæ pulchritudinem commenderet. Quam longe aliter fit modo in Ecclesia Dei. Non offertur ad sacerdotium nisi inhabilis & inutilis: si quis in filiis stupidus, ignauus, claudus, luscus, deformis, hic Domino dedicatur, Propheta clamante atque dicente: *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino.* Multa hominum stultitia, cui melius suum dabit ingenium quam ei qui dedit illud? aut in quo melius omnis vis & facultas expendi potest, quam in obsequio conditoris? Nunquid non beatius & religiosius vacare sapientiæ quam mammonæ? exerceri in sacris quam in diuitiis? in discendis, speculandis, discutiendisq; cœlestibus occupari, quam negotiis & curis sæcularib. implicari? O quantum doleo, quoties video, ingenia fortunatissima, & acutissima tam male perdita, tam miserabiliter vitiata: sed (si diuo Hieronymo creditur) hæc vitia, quæ supra commemorauimus, animorum potius quam corporum æstimanda sunt. Voluntas enim in homine non natura damnatur: in quam sententiam quoque D. Gregorius consentit. Non debet itaque Dei sacerdos luscus esse, vel cæcus, id est, ignorans, & stupidus: nam si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foueam cadent: neque claudus, id est, infirmus, & imbecillis ad viam Domini percurrendam: non gibbosus, id est, ad terrena inclinatus, & curuus: sed sicut de Iob dictum est: *vir rectus, & timens Deum.* Non lippus, id est, carnalis & fœtidus: non scabiosus, id est, carnis prurigine maculatus, nõ torto naso deformis, id est, malitiosus, malignus, versutus: non albuginem habens in oculo, id est, passionibus, & affectionibus obscuratus: quod enim est albugo in oculo, hoc est passio in intellectu. Non hernioso prauæ inclinationis pondere prægrauatus: denique nulla in eo macula, nullum vitium, qui omnium debet vitia reprehendere. Turpe enim est cum redarguit culpa censorem. Audiuimus Domine qualis debeat esse sacerdos, nunc qualis debeat esse audire cupimus. Dixisti quid non debeat habere, dicito rursus quid debeat habere vt sacerdotio dignus sit. Ego (inquit) cum foris depingam atque describam, talis sit intus, qualis exterior apparebit: ornatus corporis, cordis ornatum ostendet. Diligenter obseruate vestes, vt ex eis comprehendatis, & mores. Futurus ergo Pontifex post totius corporis lotionem subucula induatur byssina, purissima, candidissimaq; deinde tunica talari hyacinthina superinduatur, in cuius ore erunt mala granata tintinnabulis immixta, quam præcinget baltheus ex cocco, purpura, hyacintho, byssо, & auro contextus, ex quibus etiam fiet superhumerale pulcherrimum admodum pallioli habens in vtroque humero lapidem onychinum nominibus filiorum Israel insculptum, atque cælatum, cui applicabitur rationale in pectore ex eisdem coloribus, habens & ipsum duodecim pretiosissimas gemmas, cum duodecim filiorum nominibus Israel, & veritate atque doctrina. In fronte vero pontificis nomen Dei lamina aurea insculptum, & thiara connexum, vniuersam hanc pulchritudinem illustrabit: his vestibus ornatus ingredietur Pontifex sancta sanctorum, cum sonitu & strepitu cymbalorum, ne forte silenter ingrediens moriatur. Quanta mysteriorum profunditas? & quis ea poterit penetrare? nunquid de vestibus cura est Deo? Nunquam profecto Deus tam solicite

Leuit. 8.

Malach. 1.

Exod. 28. per totum cap. Descriptio miræ sacerdotũ veteris legis.

Matth. 15. Qualis debet esse sacerdos Dei.

Iob. 1.

1. Cor. 9.

& exacte omnem sacerdotis ornatum describeret, nisi magna & egregia in eo sacramenta latèrent. Vnde cum Apostolus Paulus in Epistola ad Hebræos omnia pōtificis munia de Christo Domino aptissime & conuenientissime interpretatus sit: miror cur de hoc tam mystico & portentoso ornatu, neque verbum vnum fecerit. Propterea forsitan quod moraliter potius quam allegorice totus hic vestium apparatus exponendus sit: in hoc enim exteriori & corporeo cultu, sicut diximus, interior sacerdotis Euāgelici ornatus depictus atque figuratus est, & Pontifex ille legalis gemmatus atque purpuratus, veri huius nostri sacerdotij imago quædā, & veluti pictura est, sed quomodo sit interpretandus, & aptandus non facile apparet. Multi quidem conati sunt, sed inter alios diuus Hieronymus in Epistola ad Fabiolā, satis luculenter materiam de vestibus sacerdotalibus eas diligentissime distinguēdo & exponendo prosequutus est. Cuius interpretationis modum & seriem, quantum sermonis angustia patitur arctissima methodo perstringemus. Qui igitur ad sacerdotij dignitatem promouendus est, primo aqua munda lauetur, prius purificetur à vitiis, prius omnia carnis inquinamenta detergat, imo & Leuitę iubentur, omnes pilos carnis suæ radere, id est, omnes mundi curas & solicitudines cum ad Dei ministerium assumuntur relinquere. *Nemo enim militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus vt ei placeat cui se probauit.* Deinde tunica byssina talari vestitur. Hæc est illa quæ nobis post baptismi ablutionem in Ecclesia Dei præstatur, cum dicitur. *Accipe vestem candidam & immaculatam innocentiæ, quam perferas ante tribunal Christi*, quæ merito talaris est, quia omnes vitæ actus, opera, affectus, & cogitatus amplectitur; Sed non sufficit innocentia sacerdotis, nisi adsit etiam & sanctimonia. Non sufficit ei non nocere, sed oportet quoque esse beneficum. Vnde superadditur ei altera hyacinthina sanctitatis & iustitiæ: de qua Psal. *Sacerdotes tui induantur iustitiam.* Quæ bene hyacinthina est, quia tota vita sacerdotis debet esse cœlestis, & nullum cum terrenis affectibus debet habere commercium Cœlicum nitorem Dei sacerdos induitur, vt vestis suæ magisterio discat, quia iam non in terra, sed in cœlo debet habere conuersationem, sicut Apostolus ait: *Nostra conuersatio in cœlis est*, vt sibi dictum existimet illud Euangelicum: *Ego vos elegi de mundo, & vos non estis de mundo.* In huius vestis infima ora mala grauata nectuntur, quæ granorum purpurantium ordinem & connexionem virtutum omnium moralium typum habent, quas Dei charitas perficit atque venustat, quibus aurea tintinnabula rite connectuntur, quia non solum conuenit sacerdoti pollere virtutibus, sed oportet etiam in Dei laudibus & pręconiis non esse mutum. Hoc enim opus eius, hoc munus, hoc officium ad instar cœlestium Angelorum, Diuinas laudes & sacrum alleluia, si non incessanter vt illi, frequenter saltem in Ecclesia coram Dei populo personare. Quid enim otiosius quid mōstrosius muto sacerdote qui in omnibus suis verbis & factis, motibus & operibus totus deberet esse vocalis? Sed vniuersa hæc vestium amplitudo castitatis cingulo pulcherrimo constringenda est, sine quo quantumlibet pretiosa vestis, nullum animæ potest præstare fomentum. Quid enim sacerdori decentius, quid commodius, quā decor & puritas castitatis? Sit pius, sit feruidus, sit humilis, sit deuotus, sit quidquid vis, si non est castus, nihil est, altario non congruit; Quomodo enim ad tantum ministerium sacrilegis manibus accedet, impurus & fœtidus, cum etiam astra nō sint munda in cōspectu eius? Vnde Isai. *Mūdamini qui fertis vasa Domini.* Quid dixi qui fertis imo qui estis vasa Domini, id est, sacrariū Dei, in quibus manna cœleste, & Angelorum cibus quotidie infertur atq; recōditur. Sed post hæc omnia indumenta virtutum, superhumerale imponitur vt nouerit, non solum sibi natum esse, sed omnibus.

Heb. 9. per totum cap.

Moralis applicatio nostris sacerdotibus.

2. Tim. 2.

Psalm. 131.

Phil. 3.

Ioan. 15.

Iob 25.

Isa. 52.

Hebr. 9.

Osea 4.

nibus. Et quidem quæ dicta sunt ei sufficerent ad propriam bonitatem si non esset sacerdos, sed ex quo populi peccata comedit eiusdem etiam curam sibi nouerit esse impositã. Et quod auditu quoq; grauissimum est sibi dicitur. *Si perierit homo iste, erit anima tua pro anima illius.* Vnde ad designandam pastoralem curam, aptissime nomina filiorum Israel gemmis insculpta sacerdotis humeris imponuntur, vt nouerit, quia non verbis solum & intellectu, sed exemplo & opere prodesse debet populo Dei. Hoc enim aperte designatur per hoc quod in humero & pectore populi nomina Pontifex gestat insculpta. Oportet enim rationale superhumerali nexu catenarum indissolubili colligari, vt quod ex ratione docet, hoc opere & exemplo informet, & humerus à pectore non discordet. *Inrationali autem vrim & tumim*, id est, veritas & doctrina *locantur*, quia in lege Dei peritus, & ad eam docendam idoneus esse debet, omnis sacerdos vt iuxta Apostoli decretum amplectatur eum, *qui secundum doctrinam est fidelis in sermonem, & potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Angelus enim Domini est, & legem requirent de ore eius.* Audiant nostri temporis sacerdotes, & videant an iuste an recte tempus in ludis, & venationibus expendant, quod sacris literis impendendum erat. Sed super omnia & ante omnia, ornat Euangelicum sacerdotũ pietas in Deum, zelus honoris & gloriæ eius fidei & religionis æmulatio quæ per sanctum Dei nomen summæ sacerdotis vertici prominens, aptissime designatur. Quid enim prodest si omnes virtutes morales habeat, nulli noceat, castus sit, omni sapientia & doctrina polleat, si vt philosophus, non quasi Christianus omnia ista possideat? si omnia hæc in Deum, propter quem, & ad quem sunt non referat? sine quo neq; perfectæ virtutes nominandæ sunt. Deest enim eis ad perfecte virtutis complementum, circumstãtia finis optimi, à quo omnis virtus se habet vt perfecta virtus sit, pietatis & religionis amor, hic zelus Dei, hic est qui illum virtutum omniũ decorem & ornatum, exalto perficit & coronat. Hic facit Deo gratum & placitum, quod pulchrum, & splendidum in hominũ oculis apparebat. Sine hoc nulla quantumuis magna pulchritudo est, neque cœlesti stipendio remunerabitur in futurum. Ecce vobis sacerdotem legalem, imo in sacerdote legali veri sacerdotij Euangelici formam depinximus, atque descripsimus. Talis esse debet qui in populo Dei sacerdos magnus merito fuerit nuncupandus. Talem enim describit Apostolus ad Timotheum, non signis & nutibus, vt in lege, sed aperto sermone dicens: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, nõ litigiosum, non cupidum, non neophitum.* Non tibi videntur vno ore Moyses & Apostolus mores pontificios resonare? sed stylo diuerso, ille quidem nutibus & signis, velata facie ne ab hominibus videatur. Hic autem reuelata facie, verbis apertis & nudis nucleum excutit ex cortice. O mira vtriusque testamenti consonantia? ô admiranda concordia, quam è directo se mutuo aspiciunt duo Cherubin arcam Dei, id est, Diuinam sapientiam complectentes, quomodo alas inuicem iungunt animalia sancta? vt nulla sit pennarum inter ea discrepantia, sed consono volatu diuina & humana percurrunt. Quam integre, quam perfecte hæc omnia quæ dicta sunt Diuo Augustino conueniunt? Vere per omnia sacerdos magnus sacerdotio dignissimus, omni virtute & sapientia decoratus, in cuius fronte nomen Dei sanctum emicuit. Amicus Dei, pius, deuotus, feruidus, zelator fidei, honoris Dei propugnator acerrimus. Quis ita zelauit fidem? quis in ea tuenda, augenda, explicanda, amplificanda, sic elaborauit? Vere columna Ecclesiæ firmissima, qui in vita sua suffulsit domũ, & in diebus suis corroborauit templum, qui ab oppugnatione hæreticorum

Exod. 35. *Tit. 1.* *Tit. 1.* *Malach. 2.* *Exech. 3.* *1. Tim. 3.* *1. Cor. 2.* *Ezech. 37.* *Ezech. 1.* *Quod Sanct. Augustin. vere magnus sacerdos fuerit, ex applicatione hac liquido apparet.*

rum vsque ad effusionem sanguinis totis viribus orthodoxam fidem protexit atque defendit. Quas pertulit insidias? quoties eum Deus hæreticorum manibus liberauit? O sanctissima anima quam non ignis, non gladius persecutoris abstulit, quinimo ipsa gladio spiritus, & fidei flamma hæreticorum, & infidelium monstra de medio tulit. Electus est à Domino vt esset *vas electionis*, vt Paulus, *vt nomen eius portaret in gentibus*, factus de persecutore propugnator, de oblatore prædicator, de inuasore defensor, sicut scriptum est. *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso, vt vbi abundauit delictum, superabundaret & gratia.* Olim magnus ille Samson trecentis vulpibus Allophilorum arreptis igne ad caudas earum ligato, omnes messes eorum incendit, atque vastauit. Vulpes erat Paulus, vulpes Augustinus, vulpes Dionysius, Cyprianus, Victorinus, & alij philosophi insignes, dum fidei sacramenta vafre & callide humanæ sapientiæ argutiis, & astutiæ oppugnabant, sed comprehendit eos noster magnus Samson in astutia sua, vt essent sibi in ministerium, inimicos suos, vt essent idonei ministri noui testamenti, non litera, sed spiritu, & eorum philosophiam conuertit in obsequium: nam per eam igne charitatis incenso, & fidei lumine eidem connexo, omnem gentilium & hæreticorum messes, id est, doctrinas aridas, & siccas, subito incendio concremauit. Non enim poterat eos latere quantum in illis doctrinis esset falsitatis, & stultitiæ, vtpote qui eas prius optime nouerant, & cum summo labore dedicerant atque docuerant. Vnde veluti domestici hostes, fraudes earum quas bene callebant, facile hominibus demonstrarũt. Fuit etiam in Augustin. rationalis fulgor amplissimus. Quis enim ita excelluit ingenio? quis ita valuit facundia? quis humanarum diuinarumque rerum sapientia sic effulsit, quis tot tantisque voluminibus Dei Ecclesiam illustrauit? quis Ecclesiasticos ordes sic edocuit? Mentitur, ait quidam, qui se omnia Augustini volumina legisse iactat, plus valuit ille scribere, quam nos sufficimus legere. *In diebus enim ipsius emanarunt putei aquarum, & quasi mare adimpleti sunt supra modum*, profundissimi sapientiæ putei, Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Hylarius, Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, Basilius, Origenes, Athanasius, & alij qui illa tempestate aduersus hæreticorum prauitatem in Ecclesia Dei clarucrunt (Deo sic pro illius temporis necessitate prouidente) vt sicut victus fuerat leo in tyrannis, sic etiã vinceretur draco in hæreticis. Habuit etiam superhumerale, huic rationali sic mirabiliter connexum & colligatum, vt neque cura pastoralis eum à sapientiæ studio præpediret, neque sapientiæ amor, pastoris solicitudinem imminueret. Mira res, tanta scripsit vt nihil aliud in vita egisse videretur. Sic populum Dei rexit, vt literis nunquam vacasse putaretur. Vnde in Epistola hodierna. *Qui curauit gentem suam & liberauit illam à perditione.* O si nunc tales pastores haberemus? ô si tanta eis pro commissis ouibus esset solicitudo. Iam de tunica byssina & hyacinthina non opus est immorari; quantæ enim puritatis, sanctitatis, & innocentiæ fuerit post baptismum, liber confessionum eius satis aperte demonstrat, in quo de tam minimis culpis confitetur, tam leuia peccata deplorat, vt sine grandi legẽtis cõfusione perlegi non possit. Quam nitida putas, quam crystallina erat anima illa, in qua tales atomi videbantur. Neque defuit illi malorum granatorum, & tintinnabulorum ordo mirificus: hanc enim innocentiæ, & sanctitatis tunicam, virtutum omnium & spiritualium chrysmatum multimoda varietas decorabat, quæ namque virtus, quæ gratia defuit Augustino? Si Diuina sapientia quæritur, *quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis lucet, & quasi sol refulgens in templo Dei.* Si sæcularis literatura, *quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ.* Si ingenij acumen, quasi

Act. 9.

Psal. 67.

Rom. 5.

Iud. 15.

Augustinus sicut Paulus Apost. vas electionis factus ex persecutore Ecclesiæ.

Iob. 5.

2. Cor. 3.

2. sum. tit. 10 c. 8. §. 4. S. Antoninus.

Ecclesi. 5.

Vbi supra.

Vbi supra.

Augustini doctrina cum pastoralicura cõiuncta.

Ibidem. *quasi impressus in altitudinem se extollens.* Si decor virtutum, *quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* Si charitatis ardor, *quasi ignis effulgens.* Si deuotionis feruor, *quasi thus ardens in igne.* Si fructus animarum, *quasi oliua pullulans.* Si religionis institutio *quasi plantatio cedri in monte Libano*; Si circa

Eccl.50. illum multitudo innumera religiosorum steterunt, & *omnes filii huius magni Aaron in gloria sua*, in die scilicet iudicii, quando magnus hic pater Augustinus tanta filiorum caterua vallatus, coram Deo, & Angelis apparebit, ad grandem gloriam, & coronam suam, sicut Apostolus ad Thessalonicenses ait. *Quæ est enim nostra spes, aut*

1.Thess.1. *gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum, in aduentu eius?* huic autem splendori virtutum admixtus etiam erat doctrinæ sonitus, per cymbala designatus? *Erat enim lucerna ardens & lucens*

Ioan.5. ardens virtute, lucens doctrina. Vnde

Matth.5. merito *magnus*, quia (teste Domino) *qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Verbum enim Dei*, vt in eius vita legitur, *vsque ad vltimam ægritudinem, sine intermissione alacriter, sana mente, sanoque consilio in sancta Ecclesia prædicauit, ponens ad mensam pecuniam Domini sui cum vsuris sibi retribuendam.* Et vt fidelis dis-

Luc.9. pensator famuis Domini sui distribuens triticum in mensura, donec diceretur ei. *Intra in gaudium Domini tui.*

Luc.12. *Matth.24.* Hæc de mystico & vero sacerdotio dicta sint. Aliud est sacerdotium spirituale, de quo beatus Petrus. *Vos estis genus electum, & regale sacerdotium.* Et Ioannes in Apocalysi. *Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes.* Et adhuc expressius idem Apostolus Petrus. *Ad quem accedentes lapidem viuum, & ipsi tanquam lapides viui, superædificamini in domos spirituales, in sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum.* In hoc quod ait offerentes spirituales hostias, quale sit hoc sacerdotium ostendit, id est, non legale, non Ecclesiasticum, sed spirituale, sicut sunt hostiæ quæ in eo offeruntur. Pudeat pudeat hæreticos nostri temporis, gratis hallucinari, imo gratis maligmari, neque enim mihi persuadere possum, eos non intellexisse tam apertam Apostoli sententiam, sed maligno eam ad suum prauum sensum, in Ecclesiæ contumeliam detorsisse. Hoc sacerdotio quod metaphoricum est, omnis Christianus fungitur, nemo ab hoc sacerdotio metaphorico & improprio repellitur, cuiuscunque gentis, ætatis, status, conditionis existat, siue mulier, siue vir, siue senex, siue puer, siue diues, siue pauper. Si Christiana pietate polles hoc sacerdotio sacerdos es: non leue est isto modo esse Christianum non potest absoluere alium à peccatis, qui isto sacerdotio spirituali Euangelico sacerdos non est, non consecrat dominicum corpus, non habet authoritatem, Euangelicique ministri eminentiam, non habet sacerdotalem dignitatem, exteriori ceremonia constantem, habet tamen internam imaginem, ac similitudinem quandam perfectionis sacerdotalis, vnde metaphorica sacerdotis denominatio dicta est. Agnosce quis es, res enim sacratissima est bonum Christianum esse. Nunquid non in baptismate vnctus? non chrismate sanctificatus? nonne Deo dicatus? Quid vere sanctitatis habuit sacerdos ille Mosaicus, quod non habeat, & locupletius omnis Christicola absque obice baptizatus, Deo sacratus, Deo dicatus & oblatus? O Christiane magna est professio tua, grandis est obligatio tua: si mihi non credis, Apostolum audi. *An nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus sanctus habitat in vobis? Si quis ergo templum Dei violauerit, disperdet illum Deus:* & tu dicis, cui iniuriam facio, cui noceo, si meretrici adhæreo? si fornicationibus vaco? non sum clericus, non sum monachus, non sum vxoratus, mei iuris sum, alienam vxorem non adulterio vexo, nemini facio iniuriam. Imo facis & maximam Deo, cuius templum violas, cuius sacrarium polluis, cui fidem in tuo baptismo promissam

Taxant innouatores.

Quicquid sanctitatis habuit sacerdos Mosaicus id habet omnis Christianus. *1.Cor.6.*

missam infringis. Sed iam hostias spirituales quas Deo offeras ostendam. Ante omnia carnis tuæ hostiam salutarem. De qua Apostolus. *Obsecro vos per misericordiam Dei vt exhibeatis corpora vestra, hostiam sanctam viuam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum,* nolite alia exquirere quæ mactetis, sed *mortificate membra, vestraque sunt super terram*, & quæ membra: *fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, auaritiam.* Noli hircos, capras, vitulos, arietes, emere ad sacrificium, habes intra te multimodam hostiam quam iugules, sicut Psalmus ait: *In me sunt Deus vota tua quæ reddam, laudationes tibi.* Superbiam deprime, & taurum petulcacem iugulasti, luxuriam cohibe, & hircum occidisti: odium extingue, & arietem concremasti, inuidiam dilue, & capram immolasti, huiusmodi hostiis placatur Deus, hæc illi sacrificia placent: sed cum vitia, non cum armenta iugulantur, quod si altiora sacrificia quæris ostendam tibi. Intra te habes quas Domino offeras, turturem, scilicet, & columbam, vtraque gemit, vtraque gemitum pro reatu effundit, & vere sacrificium Deo spiritus contribulatus, siue pro peccato quod commisisti, siue pro præmio quod amisisti. Si de peccato gemis, columbam: si pro exilio turturem obtulisti: quod si perfectus es & sublimioribus oblectaris, ostendam tibi adhuc hostiam mundiorem & sanctiorem. Sed quam? similam conspersam oleo, oblationem Deo acceptissimam & gratissimam, id est, orationem deuotam & feruidam, non siccam, nō aridam oris laudem, sed qualē expostulat psalmographus, dicens. *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum.* Bona similia, sed si oleo conspergatur alias insipida est, mel in sacrificio non offertur, quia omne temporale gaudium, omnis mundana lætitia Deo abominabilis est. Pudeat theatrales musicas, & sæculares cantilenas, Diuinis laudibus immiscere: non sunt Deo placita huiusmodi obsequia, abominatur Dominus mellita sacrificia, sed illas hostias amat, & quærit quas oleum sanctum, id est, spiritus vnctio cōspergit & impinguat. Hi sunt vituli labiorum, & saginati, de quibus Prophera. *Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Ista sunt holocaustia medullata Deo acceptissima, si cum incenso arietum offerantur. Denique, sicut ipse Dominus ait, *sacrificium laudis honorificabit me, illic iter quo ostendam illi offerenti*, scilicet, *salutare Dei*: nam per hanc temporalem & transitoriam, ad perpetuam & incessabilem laudem gloriæ peruenitur. Quam nobis præstare dignetur Iesus Christus Dominus noster, cui est honor, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Rom. 18.
Col. 3.
Psal. 55.
Leu. 23.
Luxuria per hircum designatur.
Exod. 19.
Leui. 3.
Leui. 3.
Vide S. Th. 1. 2. q. 102. qui de omnibus hisce rationem & litteralem & mysticam reddit doctissime.
Psal 50.
Leu. 9.
Psal. 62.
Nō immiscenda diuinis laudibus sæcularia cantilena.
Osee 14.
Psal. 65.
Psal. 49.

DEO GRATIAS.

DE DIVO ILLEPHONSO Archiepiscopo Toletano, Concio de fide.

THEMA.

In fide, & lenitate ipsius sanctum fecit illum. Eccles.

FIdes secundum Apostolum *est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Non potuit fides melius diffiniri: fides enim & quæ speranda sunt docet, & spei vim & firmitudinem præbet. Tolle fidem, & corruit statim omnis spes, nullus enim sperat quæ non credit, quicquid etiam speramus, fide magistra, didicimus. Vnde enim vitam æternam, resurrectionem, beatitudinem, & futura præmia nouimus, nisi per fidem? *Est etiam argumentum veritatum non apparentium*, id est, quæ nostri intellectus facultatem exuperant, quia in eis videlicet argumenti, & virtutem supplet, & locum tenet: nam quod in apparentibus facit argumentum hoc facit fides in non apparentibus: assensum, scilicet, & credulitatem. Si quis enim conclusionem aliquam physicam, aut mathematicam dubi-

Heb. 11.

dubiam, vel ignorat, argumento suadetur aut conuincitur vt assentiat: pariformiter si quis articulo Ecclesiæ non credit, fide id credendum quasi argumento quodam trahitur & inducitur.

Eph.2. *Est ergo fides donum quoddam à Deo menti infusum, quo intellectus ad supernaturales veritates intelligendas illustratur, & ad eas credendas mirabiliter inclinatur, & cui vt fundamento spes futurorum innititur.* Hæc intellectum velut ceram mollificat, vt superna veritate formetur. Hæc hominis animum humiliat & domat, vt veritatis obsequio se summittat. Hæc veritates supernaturales, & inattingibiles, miro quodam modo cum intellectu maritat. Mira virtus, & potestas fidei, quæ res tam dissonas atque discordes tam intimo, & forti glutino coniungit ac ligat. Vnde merito

Triplex vnio. Bernardus triplicem vnionem admiratur Dei & hominis in Christo, maternitatis & virginitatis in virgine, intellectus & fidei in Christiano. Stupendum prorsus admirandumque prodigium, vt intellectus fortius amplexetur quæ non capit, quam quæ videt & non apparentibus, quam euidentibus firmius hæreat. Neque enim pro his quæ videt mori quispiam sustineret, sicut pro his quæ credit, fides quam scientia firmior est, licet sit obscurior, & nihil mirum quia fortiori nititur fundamento: scientia enim oculo innititur, & fides oraculo, & falli oculus fortsitan poterit, aut illudi, oraculum vero non potest, fides non hominis, sed Dei testimonio, & primæ innititur veritati. Sicut ergo impossibile est Deum mentiri, sic impossibile fidem

Heb.6. fallere; non Petro, non Paulo, non cuiuis alteri Apostolo aut Prophetæ propter seipsum credimus, sed Deo qui in Apostolo loquitur aut Propheta, sicut scriptum est. *Non vos estis qui loqui-*

Matth.10. *mini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* Et iterum: *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chri-*

2.Cor.13. *stus?* Quamuis alioquin tantæ authoritatis Paulus, & quiuis aliorum Apostolorum & Prophetarum sit, vt si inter se dissentirent mundus & Paulus, citius Paulo quam mundo credendum esset. Tanta est in eius scriptis veritas, sublimitas & simplicitas. Sic enim de Magdalena canit Ecclesia. *Credendum est magis soli Mariæ veraci, quam Iudæorum turbæ fallaci.* Et cum tales fidei catholicæ testes, non tamen illis fides innititur, non inquam homini, sed veritati, non viro, sed Deo, non humano spiritui, sed Diuinæ reuelationi. Quando ergo corruere poterit, quæ tam firmum obtinet quæ supra firmam petram, id est, Dei infallibilem veritatem fundata est? Vnde Dominus in Euangelio, vt terra cœloque firmiorem esse fidem demonstraret. *Cœlum* (inquit) *& terra transibunt, verba autem mea non transibunt*, neque solum verbum, sed etiam prophetarum: nam *donec transeat Cœlum aut terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.* Quid mirum fratres si Deo credimus, cum hominibus multa credimus? Quanta dicunt homines interdum ardua & difficilia, & tamen si non credantur, indignantur grauiter, & irascuntur, quia mendaces facimus eos, & vtique si attenderis vita ista sine fide non agitur. Tolle fidem, & nulla erit hominum societas, nulla communitas, Romam non vidi, & tamen sola dicentium relatione, Romam esse non dubito credimus inuicem homines, quamuis *omnis homo mendax*, cur igi- Psal.115. tur veraci Deo, imo ipsi veritati potius non credemus? Vnde Ioannes, *si testimonium hominum accipitis testi-* 1.Ioan.5. *monium Dei maius est.* Et quid obiecto dicere potest Deus, vt non dicti difficultas, à dicentis authoritate vincatur. Credimus Imperatori etiam si difficilia asserat quia Imperator est, & Imperatoriam Maiestatem mentiri non decet, etsi grauis est assertio authoritate imperiali, aut vincitur, aut compensatur, & Deo aliquid asserenti quispiam audeant dissentire? Ar- Psal.92. dua sunt fateor quæ fides affirmat, sed si per se considerentur, nam si ad dicentis authoritatem conferantur, facilio-

Ecclesia in sequentia, iuxta ritū Colonien-sem.

2.Cor.3.

Matth.14.

Matth.5.

ra vtique

Luc. 1. ra vtique, & *credibilia facta sunt nimis.* Sicut enim non erit impossibile, ita neque incredibile apud Deum omne verbum. Olim cum Dominus coram Discipulis de suo corpore disputaret, & carnem suam se daturum hominibus in cibum polliceretur, scandalizati sunt nonnulli, dicentes. *Durus est sermo iste, & quis potest eum audire?* & discesserunt ab eo. Vnde quæso durus ille sermo visus est, nisi quia à quo pronunciaretur obliti sunt? Nam si dicentis authoritatem considerassent, nunquam vtique de illius verbo dubitassent. Quod autem fidei mysteria Deus ipse nobis reuelauerit, non vnius tantum, aut duorum, sed totius Ecclesiæ authoritate firmatur, hoc innumeris miraculis fulcitur, hoc plurimorum martyrum sanguine roboratur, vt pertinacissimus & perfacinosus fuerit, quisquis tot talibus, & tantis testimoniis fidem non adhibuerit. Adde quod ipsum lumen fidei hoc nos dubitare non sinit. At, inquies, ea quæ fides astruit, non modo incredibilia sed etiam impossibilia videntur, quod enim tres personæ distinctæ sit vnus Deus, quod in modico velamine totus Christus resideat, & similia, sensus non capit, intellectus non apprehendit. Fateor incomprehensibilia sunt, sed si Deum comprehenderes, iam non esset admirabilis. In rebus Diuinis ille vetus æstimator censendus est qui cum plurimum profecerit, modicum apprehendisse se putat, in illis si rationem quæris, non erit admirabile, si exemplum, non erit singulare. Quid enim? naturalia, & quæ præ oculis habemus intellectu difficilia sunt: & (sicut Plinius ait) *naturæ in suis operibus fides carex, & Diuina & super cœlestia comprehendere poterimus? Cuncta res difficiles* (ait Sapiens) *& non potest eas homo explicare sermone, & difficilia existimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt inuenimus cum labore, quæ in cœlis sunt autem quis inuestigabit?* Nil mirum ergo si diuina, ardua, & incomprehensibilia sunt, imo mirum si talia non essent. Quod ardua dicente Deo & difficilia credis, hoc tibi reputabitur ad iustitiam, sicut de sancto Patriarcha scriptum est. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Sed vnde reputatum est illi ad Iustitiam? Apostolum audi. *Quia contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium, & non est infirmatus in fide, neque consyderauit corpus emortuum, cum iam fere centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere, ideo & reputatum est illi ad iustitiam.* Tu igitur similiter si quæ non apparent Deo testificante credideris, reputabitur tibi ad iustitiam, videlicet quia Diuinis oraculis tuum sensum subieceris, & intellectum tuum in fidei obsequium captiuaueris. Quid enim hac humilitate præstantius? quid subiectione Deo gratius inueniri potest? vbi non corpus, sed animus Deo subiicitur, & non lucris temporalibus, sed proprijs sensibus pro Deo abrenunciatur, mens enim omnium quæ sunt in homine, sublimius & præstantius est. Hanc fide Deo subiicimus, & humiliamus: hanc fide offerimus & donamus, huic pro Deo obsistimus, & abrenunciamus: gratissimum Deo donum & acceptabile sacrificium. Si enim omnia Deo dederis, & mentem tuam non dedisti? Si omnia pro Deo reliqueris, & mentem tuam non reliqueris, quantum est quod reliquisti? Si omnia Deo subieceris, & mentem tuam non subieceris, quantum est quod subiecisti? Tunc vere Dei mancipium comprobaris, cum id quod in te sublimius erat eius fidei & seruitio mancipasti. Hæc de fidei firmitate, virtute, & merito dicta sunt: nunc de necessitate dicamus, non solum enim hominibus vtilis & proficua, sed & necessaria, & ad præsentis sæculi calamitates tolerandas, & ad sæculi futuri delicias obtinendas fides fuit. Sed vt apertius hoc innotescat, altius hoc scrutinium repetamus. Si homo in ea mentis puritate & intellectus claritate

Quæ fides astruit incomprehensibilia sunt.

Eccles. 1. Sap. 9.

Rom. 4. *Ibidem.* *Gen. 15.* *2. Cor. 10.*

rate permansisset, in qua conditus est, forsitan minus necessaria fides videretur: quamuis & tunc fides necessaria erat. Erat enim homo ante peccatum ingenuus, intellectualis, perspicax, clarus, ea mentis acie spiritualia intuens, qua nunc corporalia videt. Sed ô miserandam calamitatem, & deplorandam hominis deiectionem? postquam peccauit, illico mentis oculos amisit, & cæcus ad spiritualia factus, aperuit oculos quos non habebat, & clausit quos habebat, ex intellectuali brutalis factus est, lumine intellectus magna ex parte obtenebrato. Si enim homines quos nunc vides, & ipsummet Adam postquam peccauit eidem ante peccatum conferas, non homines, sed bruta quædam & pecora videbuntur. Intellectum habere & intellectu non vti, quantæ miseriæ est, & heu miseri non sentimus, non erat homo quod nunc est, sed longe aliud mente & intellectu, sed & corpore totus mutatus est, Quæ pulchra & pretiosa sunt angelos, scilicet, & spiritus non videmus, quæ infima sunt in rebus, ea cum brutis inspicimus. Mundum illum speciosum & pulchrum penitus ignoramus, solas has vmbratiles formas corporum intuemur. Nouit etiam hoc nescio quo lumine philosophus ille qui dicebat, *sicut oculus noctuæ ad lumen solis, sic intellectus noster ad intelligibilia naturæ*, hoc modo nunc agnoscimus, sed cum anima nostra his carneis sensibus quibus ligatur soluta fuerit, tunc videbit, tunc agnoscet quid per peccatum amiserit. Deplorat patriarcha sanctus hanc hominis cæcitatem, dicens. *Viro cuius abscondita est via, & circumdedit eum Deus tenebris.* Heu via lubrica & viator cæcus. Quid ergo huic homini qui in similitudinem pecoris degenerauit, & obscurato spirituali lumine mentis tenebras incurrerat, iam quid reliquum erat, nisi vt regatur fide, qui oculo non poterat? Sic enim cæcis pueros quosdam ductores adhibemus quibus regantur, quam cõsequens est, vt qui ad res spirituales hallucinatur adhibeat fidem. Nam quomodo viam ibit cæcus, si directori non credat? Hæc fides fratres, director noster & ductor est, hæc hominem animalem mente cæcum, via recta dirigit in salutem: hanc teneamus, hanc amplexemur, hanc sequemur, quacunque duxerit obediamus ei, non declinemus a ea, neque ad dexteram, neque ad sinistram. Cæci sumus, cæcitatem nostram agnoscamus, lumini directori in omnibus obediamus. Si enim cæcus aduersum directorem suum superbiat, & à se abiiciat, sibique fidens, ignorans, quia cæcus est libere per viam currat, offendet, corruet, præcipitabitur, & ex inflicto vulnere cogetur suam cæcitatem agnoscere, & stultitiam suam deplorare. Sic omnis qui relicto fidei moderamine, sibi confidens viam istam lubricam & obscuram, perambulare præsumit, in mille hæreses & ignorantias statim labi, & præcipitari necesse est. Hæc cæca superbia, & superba caligo omnium hæresum mater est. quia videtur sibi videre qui cæcus est. Magna Dei erga homines pietas, quia dignatus est dirigere ignorantes & cæcutientibus viam monstrare salutis, sicut scriptum est. *Notas mihi feciſti vias vitæ.* Quod fecit *multifariam multisque modis olim loquens patribus in prophetis, & nouissime loquens nobis in filio, quem misit in lucem gentium illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Hæc est lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quam qui amiserit in tenebras exteriores labi necesse est. Vnde & ipsum hortabatur, dicens. *Ambulate in luce, dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant.* Sed non potest homo viribus suis fidem istam acquirere. *Donum Dei est*, sicut Apostolus ait. *Vobis datum est non solum vt credatis in eum, sed etiam vt pro illo patiamini.* Et rursus, *Vnicuique sicut Deus diuisit, secundum mensuram fidei.* Et in Euangelio Apostoli, *Domine adauge nobis fidem*, nouerant, quippe quia illam de suo habere non poterant. Experientiam consulito quotannis credidisti, & nunc

Quæ dotes homini fuerint ante peccatũ.

Iob. 3.

Deut. 5.

Qui relicto moderamine fidei ambulat in mille hæreses labitur.

Psal. 15.
Heb. 1.
Isa. 41.
Luc. 1.
Ioan. 1.

Ioan. 12.

Eph. 8.

Phil. 1.
Ro. 12.
Luc. 17.

interdum tardior, & tepidior es ad credendum, in his enim quæ supra naturam sunt, natura assuescere nescit. Nostrum ergo est intellectum summittere, Dei esi fidei donũ infundere. Quantæ difficultatis in principio fuit, intellectus illos procaces & superbos philosophorum, & tyrannorum fidei subiugare, sed sic postmodum cordibus eorum adhæsit, vt nullis potuerit tormẽtis obliterari, quo ad imprimendum durior, eo ad diuellendum tenacior. Sic enim solent formæ duriori materia fortius imprimi, sed quis fidei vigorem enarrare, quis potestatem eius & virtutem explicare sufficiat? *Vere* (sicut Ioannes ait) *hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.* Quis enim vitæ præsentis delicias diuitiasq; contemneret, nisi alias & meliores, & permanentiores futuras firma desiderio sentiret? Quis laboribus nunc libẽter incumberet nisi futuram requiem aliquando speraret? Quis vitam hanc periculis exponeret, nisi meliorem successuram firmiter crederet? Tolle fidem, quis laboraret? quis contineret? quis abstineret? quis castitatem, & paupertatem amaret? Quid fecit martyres viriliter cruciatus & supplicia sustinere, nisi fides? quid fecit anachoritas mundo cum suis pompis, & deliciis calcato, inter bestias, & scorpiones solitariam vitam degere, nisi fides? Quid fecit virgines duro perpetuoque certamine in carne fragili, cũ propria natura luctari, nisi fides? Quid facit hodie innumeram religiosorum cateruam patentibus, & propinquis relictis, in paupertate & obedientia viuere, nisi fides? *Fide* (sicut Apostolus ait) *plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit Deo. Fide Enoch translatus est, ne videret mortem, & non inueniebatur, quia transtulit illum Deus. Fide Noe aptauit arcam in salutem domus suæ. Fide Abraham obediuit exire in locum quem acceperus erat, nesciens quo iret & demoratus est, in terra aliena in casulis habitando. Fide idem Abraham obtulit vnigenitum, in quo repromissiones acceperat cum tentaretur à Deo. Fide Ioseph moriens de ossibus suis mandauit. Fide Moyses grandis effectus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem.* Et quid de cæteris sanctis & prophetis dicam? *Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladii, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello: alii distenti sunt non suscipientes redemptionem, alii ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circumierunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.* O miram fidei potestatem, cuius vel grani synapis quantitas transferre montes sufficit in cor maris, hæc totius spiritualis ædificii vnicum fundamentum est. Hæc salutis initium, hæc vitę ianua, *sine qua impossibile est placere Deo.* Hæc vitæ nostræ currus & auriga, hæc stella splendida in vasto mari nostrum dirigens cursum. *Hæc lucerna lucens in caliginoso loco,* & lucifer clarus tenebrosam vitæ huius noctem illuminans. Quocunq; te verteris, quicquid cogites, quicquid agas, vbiq; & semper fides tua necessaria est. Aliis virtutibus pro loco, & tempore vtimur: non semper oramus, non semper ieiunamus, nõ semper vigilamus, tempus miserendi, tempus plangendi, tempus patiendi, tẽpus largiendi, *omnia tempus habent:* fidei autem tempus semper est paratum. Siue comedas, siue bibas, fides occurrit ne excedas, siue dormias, ne pigreteris siue loquaris, ne detrahas, siue cogites, ne vageris, in labore, in requie, in prosperitate, in aduersitate, siue tecum agas, siue cum alio contrahas fides vtilissima, vt peccata deuites, vt affectus moderes. Hæc verbis, & factis modum imponit, hæc inter medias inferni leges illæsos transire facit, hæc congregat sicut in vtre aquas tempestuosi maris cordis nostri. Hæc ponit in thesauris abyssos *suscitans de terra inopem, & de stercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus,*

1. *Ioan.* 5.

Sine fide nulla bona opera exercentur.

Heb. 11. *& infra.*

Ibidem.

Matth. 17. *Psal.* 45. *Heb.* 11. 4. *Reg.* 2. 2. *Pet.* 1.

Omnibus in rebus fides necessaria est.

Eccl. 3.

Psal. 32.

Psal. 112.

Rom. 8. *Heb.* 10. *Heb.* 2.

cipibus, & solium gloriæ teneat. Denique, sicut scriptum est, *iustus meus ex fide viuit.* Cui comparabimus fidem fratres? aut cui assimilabimus eam? Similis est domino qui associatus seruo suo, ad regiam pergit: ambo in via sociati vadunt ambo scalam conscendunt, sed seruus manet ad ianuam, & dominus intrans lustratur omnia: vita fides & intellectus per scalam creaturarum simul ascendunt quod enim fides astruit, hoc intellectus assentit. Fides ait omnipotens est Deus; & intellectus: & hoc inquit ego noui, nam qui talem ac tantam machinam fabricauit, vtique omnipotens est. Fides ait, sapiens est Deus: & intellectus, & ego quoque hoc noui, quia qui talem rebus ordinem imposuit vtiq; sapientissimus est. Fides ait, bonus est Deus, & intellectus, & hoc ego noui, nam qui absque necessitate & vtilitate sua, sola bonitate, tot & tantas naturas condidit, optimus profecto est. Fides ait clemens est Deus; & intellectus & hoc ego noui, quia qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & blasphemis, atque paganis, panem & vitæ necessaria tribuit, vtique clementissimus est. Fides ait æternus est Deus, & intellectus & hoc ego noui, quia cum sol iste ab eo conditus, per tot mille annos, neque modicum quidem senuerit, sed inuariabilis perseueret vtique artifex illius multo erit permanentior illo, ac proinde æternus. Sic itaque per scalam creaturarum fides intellectu sociata in Deum conscendit, sed intellectus manet in foribus, quia *quod notum est Dei manifestum est illis*, fides autem ingrediens omnia penetrat, omnia lustrat & rimatur, etiam profunda & secreta Dei. Illa totam regiam perambulat, & secretius intrat cubiculum de angelis, de eorum proprietatibus, natura, ordine, numero, ministerio disputans: quomodo assistant, quomodo mittantur, quo ordine disponantur, quomodo intelligant, quomodo in verbo omnia videant, quomodo à superioribus illuminentur, purgentur, & perficiantur. Deinde transiens vsque ad regem maiestatis rimatur occulta Dei, quomodo eius substantia in tribus personis indiuisa subsistat quomodo personæ diuinæ distinguantur, quomodo producantur, quomodo mittantur, quomodo æquentur, an distinguantur per absoluta, an per relationes, an spiritus sanctus à solo patre, an à patre & filio procedat, & ab illis tanquam ab vno principio, an tanquam à duobus. Et de personarum origine & distinctione multa perquirit. Audet etiam arcanum illud prædestinationis ingredi, & inuestigare: an prædestinatio sit æterna, an habeat causam, an imponat rebus necessitatem, an necessario implenda sit? & de occultis iudiciis & prouidentia Dei multa pertractat. O mirabilis perscrutatio? ò stupenda indagatio fides quæ de talibus tractare disserere, diffinire non veretur, quid de cæteris verebitur? quæ in talibus se intromittit, quid non audebit? Post hæc à summo se deijciens ad inferiorem abyssum quæ in ea sunt diligenter perlustrat, de inferno, de purgatorio, de limbo: quales sunt pœnæ damnatorum, quomodo igne cruciantur, quomodo purgantur animæ. An in limbo sit pœna sensus, an sit ibi lux, an pœna inferni minuatur aliquando, an cessatura sit, quæ sit grauior pœna ignis, an vermis & alia plurima de abysso differit. Nihil tam altum, nihil tam infimum, nihil tam secretum quod non discutiat fides. *Hæc attingit à fine vsque ad finem fortiter* gyrum cœli sola circuit perlustrãs quæ in cœlo, & quæ in terra, & quæ in omnibus abyssis sunt: cæteræ omnes scientiæ suas habent methodos, fides nullo periodo terminatur, sed tam de Deo quam de creaturis, sine limite diffinit. Huius typum gessit cymba illa, in qua Christo super aquas siccis pedibus ambulante Apostoli periclitabantur, omnes pelagus nauicula pertransibant, solus Christus nauigio non indiguit, sic à principio tempestuosum huius sæculi mare in fidei cymba omnes percurrimus, sine hac nullus vnquam saluari potuit, solus Christus fidem non

Simile.

Vide S. Th. 1. par. de attributis q. 3.

Ibidem q. 23.

Ibidem q. 22.

3. par. in sup q. 97. Soto. Bellar.

Sap. 8.

Matth. 14.

Cymba typum gessit fidei.

Rom. 1. 1. Cor. 1. S. Thom. q. 108. 1. par. S. Thom. 1. par. q. 26. & seqq.

habuit, quia comprehensor erat. Vnde Apostolus. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Quot sapientes, quot philosophi, quot viri prudentes, & ingenui, in hoc pelago submersi sunt, quia fidem non habuerunt: quibus si veritatis lumen illuxisset, iuxta morum suorum probitatem & honestatis zelum, magnum sanctitatis culmen pertingere posse non dubitamus. Nemo in ecclesia quãuis sanctus, quamuis excelsus, quamuis contemplatione, & intellectu conspicuus, per speciem ambulauit: sed sicut scriptum est, *in vmbra eius viuemus intergentes:* quis Paulo excelsior qui paradisum in vita mortali lustrare promeruit? hic de se, & omnibus fatetur. Quia *videmus nunc per speculum in ænigmate.* Et iterum, *Non arbitror me comprehendisse*, sed, & virgo beata per fidem ambulauit, sicut in canticis ait. *Sub vmbra eius quem desiderabam sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo:* quamuis verbum hoc ecclesiæ Dei congruentius aptari potest, quæ per totum orbem sub hac Christi vmbra protecta eius fructibus affluentissime depascitur. Quod si placet alia huius nauiculæ instrumẽta percurramus. Huius anchora spes est, quæ in foraminibus petræ, id est, Christi vulneribus defixa, naufragãtem vitiorum fluctibus cymbam immobilem retinet, ne demergat eam tempestas aquæ & desperationis abyssus absorbeat. Charta vero nauigandi quæ dicitur, siue descriptio itineris sacra scriptura est, quæ maris huius syrtes, & pericula docet. Gubernatores, doctores sancti sunt, quorum peritia ecclesiæ cymba dirigitur. Noli obsecro tu alios perquirere directores, hi spiritu Dei edocti, artem & descriptionem optime norunt. Clauus siue acus cui vniuersa nauigandi ars initur, vita Christi est: hanc continuo respice, hanc diligenter obserua. O Christico'a, si ad salutis portum peruenire desideras, remi virtutes morales sunt, & vela charitas, quę spiritus sancti vento perflata, celeri cursu nauem propellunt, velo & remo ad Christum propera, expande sinus, onera iacta, nauem alleua, vt possis cito peruenire quo tendis. Sic enim onustas mercibus naues in tempestate releuare institores consueuerunt, vt animas suas saluent. Nihil sit tibi anima tua pretiosius, si tempestas ingruit dimitte omnia, saluetur anima: quod autẽ Petrus iussus à cymba resiliit, & naufragium passus ad eandem à Christo reducitur, magnum habet absconditum sacramentum. Petrus hic erat, neq; tamen nisi iubente Christo à nauicula prosilire in pelagus ausus est. Non dubitamus fratres sanctorum plurimos aliquando Christo illustrante ad fidei culmen, ascendere, ita vt fere videantur, relicta fidei cymba, pedestres huius sæculi aquas cum Christo calcare: in qua etsi communius, tutius tamen nauigat omnis homo. Ausus nostros reprimit hæc Petri reductio, ne dum reuelationes ambimus illusionibus decipiamur. Non ergo alta sapiamus, fides securius dirigit: hanc teneamus dum sumus in via, hanc sequamur, hæc ad regem maiestatis recto tramite nos deducet, hæc regem in decore suo monstrabit. Vnde Petrus. *Habetis firmiorem propheticum sermonem cui bene facitis attendentes tanquam lucerne lucenti in caliginoso loco donec illucescat dies, & lucifer oriatur in cordibus vestris.* Illucente die non erit opus lucerna, sed auferetur quod ex parte est, vt veniat quod perfectum est. O dies clara? ô dies serena? quando aduenies? quando relucesces? quando dicemus, *sicut audiuimus ita & vidimus in ciuitate Dei nostri?* imo nunquam talia audiuimus qualia nunc videmus, non agnouimus ea, nam si agnosceremus vtique exilium vitæ tolerare nequiremus. Tunc anima mea, *tunc videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum*, quando pro fide succedet visio, pro labore quies, & pro mœrore lætitia. Audi modo vt videas, aurem inclina vt visum promerearis: credenti enim quod non videt iuste debetur vt videat quod credidit. Crede ergo, & videbis: ama, & possidebis. Sed iam grandem illam quæstionem quæ in prothemate tangitur, de iusti-

Heb.11.
Tre.4.
1.Cor.13.
Phil.3.
Cant.8.
Hie.13.
Cant.2.
Psal.6.
Spes anchoræ comparatur.
Gubernatores.
Clauus.
Remi virtutes morales sunt.
Simile.
Rom.11.
2.Pet.1.
1.Cor.13.
Psal.47.
Isa.60.
Psal.44.

Quæstio de iustitia & sanctitate quæ per fidem est.

iustitia, & sanctitate quæ per fidem est, breuiter perstringamus. Super hac enim quæstione, duo insignes Apostoli Paulus & Iacobus in suis epistolis varie sensisse videntur, sed in veritate vtriusque eadem sententia est. Quantis Paulus testimoniis astruit, quibus rationibus conuincit iustitiam, non ex lege, non ex operibus sed ex fide possideri, citans illud propheticum. *Iustus meus ex fide viuit.* Et iterum. *Quicunque inuocauerit nomen domini, saluus erit.* Et illud Geneſis. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Ex quibus & aliis Doctor gentium, fidem magnificat, exaltat, & super astra sublimat. E contrario videtur Iacobus, fidem per se solam sine operibus patui pendere, vsque adeo vt eam fidem dæmoniorum appellet. Vnde ait. *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides saluare eum? Tu credis quoniam vnus est Deus, bene facis & dæmones credunt & contremiscunt. Vis autem scire ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est. Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare?* Mirates eodem exemplo vtitur, quo Paulus ad oppositam partem, videlicet vt probet, quia non ex fide, sed ex operibus iustificatur homo. Sed (sicut Augustinus ait) perfacilis est concordia: neque enim potuit spiritus idem variis fistulis contraria personare. Paulus opera non excludit, neque Iacobus fidem, Paulus asserit hominem iustificari per fidem, sed quæ per dilectionem operatur, quam vocant formatam. Informem contemnit Iacobus, qui hominem astruit ex operibus iustificari, sed cooperante fide. Vnde ait. *Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est?* Non est in eis discordia, sed pergandis consensio. Nam neque ex sola fide, neque ex solis operibus iustificari hominem, sed per fidem operante, vtriusque sententia est. Cauendi sunt itaque in hac parte scopuli hæreticorum contrarii, ne vel in Pelagianos, vel in Lutheranos impingas, quorum primi tantum arbitrio & operibus deferunt, vt gratiam & fidem excludant, reliqui è contrario tantum fidei fauent, vt opera tollant. Medius incedat quisquis orthodoxam fidem tenere desiderat. Scimus enim, quia filius Dei *venit in mundum, saluum facere quod perierat, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Sine Christo & fide, nihil prodesse nobis poterit nostra iustitia, quæ ad Deum comparata est, velut pannus menstruatæ. Quis enim superbire audeat de operibus suis, cum nequeat coram Deo iustificari omnis viuens? Quam acriter inuehitur Patriarcha Iob in amicos similem Pelagii sententiam defendentes, & opera hominum & iustitiam efferentes, quam potenter humiliat eos? quam aperte conuincit, nullam esse hominis iustitiam, si per se diiudicetur? Vnde ait. *Vere scio quod ita sit, quod non iustificetur homo compositus Deo, si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei vnum pro mille.* Et infra. *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me, si innocentem ostendero, prauum me comprobabit: vnum est quod locutus sum, & innocentem & impium ipse consumit.* Quid clarius aliud Iob in amicos, quam Paulus aduersus tumentes de propria iustitia Iudæos protulit? De quibus ait. *Quod contemnentes iustitiam Dei, & suam volentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Vno ore, eodemque spiritu Iob & Paulus solicite monent homines, non in propria iustitia confidere non suis meritis & operibus inniti, sed Christo domino, *qui factus est nobis à Deo sapientia & iustitia, & sanctificatio, & redemptio: vt quemadmodum scriptum est, qui gloriatur,* non in sua iustitia, *sed in domino glorietur.* Disputatio ergo illa Iob & amicorum & disceptatio ista Pauli & Iudæorum in idem tendunt. Vterque hominem humiliat, vterque hominis iustitiam attenuat, vterque homines pios, fidos, & Deo subditos facit, vt discant non suis naturalibus operibus, sed Dei potius

Hab. 2. *Rom. 1.* *Rom. 10.* *Ioel 2.* *Gen. 15.* *Rom. 4.* *Iac. 2.* *Gen. 22.* *Gal. 5.* *Iac. 2.* *Luc. 19.* *Isa. 64.* *Psal. 142.* *Iob 9.* *Ro. 10.* *1. Cor. 1.* *Ibid.* *Ioan. 3.*

Ad idem tendunt disputatio Pauli & Iudæorum & disceptatio Iob & amicorum.

gratia pietati inniti: scientes, quia *nemo ascendet in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo*, id est, nisi fuerit ei, qui de cœlo descendit per fidem & charitatem vnitus, & (vt ita dixerim) incorporatus. Non tamen propter hoc, opera contemnenda sunt: opus enim hominis reddet ei, & quis *recipiet prout gessit siue bonum, siue malum, & filius hominis venturus est in mundum, vt reddat vnicuique secundum opera sua*: sed (sicut Iacobus ait) fides cooperatur operibus ad iustitiam, & ex operibus fides consummatur ad gloriam. Sic ergo volo hominem pium in Christum, vt negligens non sit ad operandum, sic solertem ad opera, vt per superbiam, pietatem non abiiciat. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem*, vtinam, vtinam, *mihi mundus crucifixus sit, & ego mundo, in* illo *mihi salus*, in illo *vita*, in illo omnis spes & fiducia est. Efferat qui voluerit merita, iactet opera, seruitia computent: *mihi certe adherere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam*. Gloriatur Apostolus in operibus suis aliquãdo, sed inuitus, sed coactus. *Insipiens* (ait) *factus sum, vos me coegistis*, quanto insipientior ego, si in meis gloriari præsumpsero? Præclara opera si fide fulciantur, alioquin nulla sunt. Denique finem quæstionis omnes pariter audiamus. *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate* non vtique in ipso sacrificio, *sed in Domino*. Hæc de fide dicta sint.

Iob 34. *2. Cor. 5.* *Rom. 2.* *Iacob 2.* *Gal. 6.* *Ibidem.* *Psalm. 72.* *2. Cor. 12.* *Psal. 4.*

De beato Illephonso nunc dicamus, quem fides non sola, sed coniuncta lenitati, cæteris q; virtutib⁹ sanctificauit, & inter electos Dei glorioſum effecit. Illo tempore fidelissimus fuit, quando inter Hispaniæ nobiles fides naufragiũ sustinebat: tunc enim aduersus filium Arriana hæresis sæuiebat, quæ diuinitatem in Christo negabat, qua hæresi per sanctum Leandrum, & Reccaredum regem eliminata, ecce aduersus matrẽ Eluidiana impudentia delatrabat, quæ perpetuam illius virginitatem ore sacrilego impugnabat. Quo zelo, quo spiritu, quo feruore, vir sanctus in secundam hæresim insurrexerit, quo animo eam ab Hispaniæ finibus eliminauerit, & perpetuo effugauerit, quis enarret? Festum indixit, librum edidit, synodum congregauit, instigauit regem, principes excitauit, populum adhortatus est, neque ab incepto quieuit, donec virginis gloria, quæ prophano errore in Hispaniæ finibus obscurata fuerat, in pristinum fulgorem restituta est. Sed ô bone Deus quam bene remuneras zelatores tuos? Quis vnquam pro te vel tantillum zelauit, quis vel ad modicum pro honore tuo sudauit, quis pro te aduersus impios vel vnum verbum respondit, qui nõ supra meritum, & vltra condignum à te fuerit remuneratus? Quomodo mirificasti confessorem tuum? quomodo sublimasti eum? quanta eum gloria decorasti. Hodiernam epistolã audiamus, ille enim succincte, omnem eius historiam percurrit. *Dilectus Deo & hominibus*, quod per quam rarissimum est, *cuius memoria in benedictione est*, in sęculum sæculi, quandiu voluetur cœlum sæculumque durabit gloria tua, ô Alphonse, nomenque manebunt, *similem illum fecit in gloria sanctorum*. Grandis honor amicis Dei charissimis annumerari, *magnificauit eum in timore inimicorum*, terribilem enim eum ac formidabilem hæreticis fecit, sicut de illo legimus, *& in verbis suis monstra placauit*. Et qualia monstra? Portentosas hæreses & sacrilegas. *Glorificauit eum in conspectu regum, & vnxit illum coram populo suo.* Quomodo in præsulem vnctus fuerit, egregiaque dignitate promotus omnes nostis, sed quomodo eum in conspectu regum, & totius populi glorificauerit, audite. Narratur de illo factum memorabile, cui aliud simile nusquam legi, coram rege Recisiundo, & toto populo in Ecclesia congregato, Leocadia virgo & martyr, ex sepulchro consurgens apparuit, & (mirabile dictu) astantibus omnibus & audientibus, Illephonso ait: *Per te Alphonse domina mea vivit*: & post modicum disparuit. Eximium

Ecclesi. 4.

De B. Illephonso elogium.

Zelosus in restituenda gloria Beatæ virginis Mariæ.

Textus insignit habet.

mium sane honorem & gloriam ineffa-
Testimonii de super allatum B. Illephonso. bilem, cœlesti nuncio coram omnibus, ita laudari. Ille vero de munere magis quam de gloria solicitus, gladium petit, & virgini velum abscidit, & vtrumque gladium & velum inter sacras reliquias reponi iubet, tam mirabilis facti perpetuum monimentum. Sed quid hoc aut quantum ad illam inæstimabilem gratiam quam promeruit, vt virgo sacra cœlesti curia commutata, nocturnis horis in sua Ecclesia ei apparere, & cum alloqui dignaretur, vestimento cœlesti induit eum, & in suum sacerdotem assumpsit eum. O Pontifex glorioſe quanto honore sublimatus, & quam abunde remuneratus es pro labore, si quid egisti pro virgine certe multo amplius ab ea susceptisti. O virgo sacra, quomodo diligis amantes te? quomodo honorificas honorantes te? Fœlix ecclesia Toletana, tantæ virginis præsentia cõsecrata, sacerrimum templum reginæ cœli vestigio subligatum, quid minus habet ab illo templo Salomonis mirifico, nisi quod filius illud, te mater sua præsentia decorauit? Fateor fratres quoties templum illud ingrediar, nescio quid in me reuerentiæ & deuotionis inuenio, cœlestia ibi vestigia impressa mãserunt, & odor quidam cœlicus spirat, qui spiritum excitat, & animum prouocat ad amorem. Sed horreo valde quia negotiis secularibus prophanatur, post omnes istos honores, post eximias gratias & fauores innumeros, expleto vitæ huius curriculo, *desiderium anima eius, tribuisti ei Domine, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum*, ostendisti illi gloriam tuam. Quam etiam nobis ostendere & præstare digneris, fidelis & verus, qui promisisti, cui cum patre & spiritu sancto est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Psal.20. *Heb.10.*

DE DIVO ILLEPHONSO Archiepiscopo Toletano Concio altera.

THEMA.

Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptiis. Lucæ 12.

DOMINVS noster Iesus Christus, cupiens nos ab aduentu suo inuenire paratos, sæpius nos admonet vigilare, ne propter somnolentiam, & desidiam perpetua illius iucundaq; societate priuemur. Quoties hoc repetit in Euangelio? quibus verbis & exemplis hoc nobis cõmendat? *Vigilate* (inquit) *quia nescitis diem neque horam* Et iterũ: *Vigilate & orate nescitis enim quãdo tempus sit.* Et alibi: *Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Et rursus: *Estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Et rursus: *Attendite ne grauẽtur corda vestra in crapula & ebrietate, & superueniat in vos repentina dies illa.* Illud quoque quod de virginibus fatuis tam multis edisserit, quę licet virgines, & vigilantes, quia tamen paratas lampades non habebant, à sponsi consortio reiectæ sunt, & hoc idem pluribus aliis locis, quę sparsim per Euangelium vbique leguntur, ex quibus aperte colligitur magni momenti rem esse, quæ tam obnixe tam frequẽter & tam solicite nobis à Domino commendatur. Nisi enim magnum emolumentum nobis hæc vigilia afferret, non quidem ad illam tam repetito & frequenti vocaremur sermone. Totum legito Euangelium & notato, nihil hoc amplius reperies nobis à Domino commendatum. Vt enim Isidorus, inquit, *in vita hominis finis quærendus est, quoniam Deus non respicit quales antea vixerimus, sed quales circa finem vitæ erimus.* Quid enim proderit famulo quod tota nocte vigilauerit, si cum venerit dominus eius,

Matth.25. *Matth.24.* *Marc.13.* *Marc.14.* *Luc.21.* *Matth.25.* *Luc.18.*

nus eius, tunc inuenit eum dormientem aut è contrario etiam si prius tota nocte dormierit, increpationem euadet si vigilans aduenientedomino fuerit repertus? Grandis grat a fratres bonus finis, & quæ vere *desursum est à patre luminum descendens*, & ideo semper nobis à domino toto vitæ tempore, dũ in hac miseriæ valle peregrinamur, ardentissime postulanda. Multum namq; ad fœlicitatem æternam consequendam refert quo quis tempore vocetur. vigilauit aliquis diu & dormiens repertus, perpetuo igne damnatur, dormiuit alius & tempore vigiliæ vocatus perpetua gloria afficietur. Quare hoc? quia vigilans repertus est. Grande secretum huius vocationis fratres, neque à nobis scrutandum, sed potius cum propheta humiliter supplicandum. *Domine non concludas me in manus inimici*, hoc est igitur quod nobis hodie tota hac lectione euangelica commendatur, quam cum Dei gratia vobis exponendam suscepimus, attentis ergo eam auribus audite, & operi memoriæq; mandate. Sint lumbi vestri præcincti, &c. Tria nobis commendantur ad finem, castitas, bonum opus & vigilia. Et quare magis castitas quam alia virtus nempe quia nihil libidine periculosius, nihil obscænius, nihil abiectius, nihil turpius, neq; vilius. Quantumcunque enim splendide, prudenter & iuste, in cæteris te omnibus geras, si carneis his momentaneis & immũdis voluptatibus demersus sordidaris, parua tibi gloria erit, nec solum inglorius, sed & stultus, ignauus, immũdus, imprudens, & inanis, inter probos reputaberis viros. Vnde dominus ab hoc vitio libidinis magis quam ab alio cauendum monet, propter tria. Primũ, quia vitium hoc generalius est. Secundo, quia pernicios ius. Tertio, quia periculosius. Ab alio enim quocunq; vitio plures reperies liberos: nõ enim omnes ad omnia inclinantur vitia, imo suum sibi quisque peculiare vendicat. Arrogans auaritia superbit, auarus sine arrogantia multotiens reperitur, multi sine inuidia viuunt, multi sine ambitione, multi sine furore: sed non ita sine libidine. Hoc virus, vniuersum fere genus humanum sic infecit, vt vix sit qui se abscondat à calore eius, præter paucos quos diuina grat a præseruat. Vnde beatus Remigius. *Demptis* (inquit) *paruulis ex adultis, propter hoc vitium pauci saluantur adeo hæc pestis in genus grassatur humanum.* Vniuersalis naturæ nostræ pernicies libido est, quam omnes faciliter accusare, pauci vitare, pauciores autem superare possunt. Est enim vitium naturæ insertum, & naturali quadam inclinatione firmatum repugnare autem naturæ difficillimum est, quis namq; sine diuino adiutorio suam poterit in hoc casu superare naturam? Vnde Cassianus *Cætera*, inquit, *vitia foris secta sunt, & leui pelluntur impulsu, quia eorum pugnam ab extra nobis inferri sentimus, vt autem libidinem, ferocissimã & indomitam belluam superare possimus, non extra nos, sed intra auxilia quærenda, magnam nobismetipsis vim inferre debemus, & intra nos sunt tela quibus ipsam fugare valeamus.* Tu tibi auxilio esse poteris fauente Deo, non in amicis, non in exercitu, non in diuitiis, non in regno confidas: quia pestis hæc naturæ intrinseca, & connaturalis est. Quare Augustinus pater. *Inter omnia Christianorum*, inquit, *certamina duriora sunt prælia castitatis, vbi continua pugna, & rara victoria.* Quo igitur vitium hoc cæteris naturalius est, eo tenacius, & quo tenacius, eo periculosius, & difficilius ad vincendum. Vnde quidam monachus septem se creditoribus à patre suo debitum relictum aiebat, & omnibus debitum persoluisse, vno excepto qui quotidianum semper exigeret à se tributum. Quod quamuis ipse de gula protulit, poterit forte congruentius ad libidinem adaptari; quia concederen ita semper peccatum est, sicut concupiscere. Et quanto pernicios ior cæteris luxuria sit, ex hoc poteris comprehendere, quia nullum secum commorari patitur bonum; nullam secum compatitur adesse virtutem. Reddit enim hominem penitus brutalem, & ad omnem spiritus motionem

Luc. 12.

Psal. 88.

Psal. 30.

Tria nobis commendantur ad finem.

Cur magis Dominus à libidine monet abstinendum quam ab aliis.

Luxuria nihil secum bonum, permanere.

motionem inhabilem ipsumque extra humanæ naturæ terminos deiicit, & prosternit. Rationem alienat: intellectum obnubilat, sensus hebetat, brutum denique facit ex homine auaros, superbos, inuidos, iracundos: plures deuotos inuenies, & licet peccatores, tamen pij, & qui in Deum & sanctos eius piam, & deuotam habeant affectionem: libidinosus vndique absorptus est in libidinem, neque Deum, neque sanctos veretur neque diligit, nulla in eo deuotionis scintilla, nullum spiritualis amoris vestigium. Totus namque à pestifero illo igne deuoratus est, nec illum quicquam præter flammas cogitare permittit: in igne solum velut salamandra nutritur. Vnde Iob de adulterio loquens: *Ignis* (inquit) *est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.* Nihil in homine quem possidet ignis hic relinquit inustum, etsi fuerit quispiam in iuuentute sua, omnium virtutum decore præfulgidus, & veluti Paradisus Dei, vernantibus vndique, & fragrantibus gratiarum liliis, dealbetur; si semel intima eius hic penetrauerit rogus, totum funditus vrit, totum absumit, totum redigit in fauillam, ex amœna Paradiso in desertum horridum, & ex angelo reducit in belluam. Fuerit forsitan peccatorum quispiam libidinoso deterior, nullus certe ad Dei contemptum promptior, nullus ad malum perpetrandum audacior, nullus ad persistendum in peccato tenacior, nullus ad colendum diligendumque Deum ineptior. Effugit omnem iniquitatem spiritus Dei, & sicut scriptum est, à superueniente iniquitate corripitur, sed ab hoc fœdo turpique contagio amplius elongatur, propterea, quod præter ipsam criminis deformitatem, annexam habeat turpitudinem quandam spiritus decori maxime contrariam. Propter quod (teste Hieronymo) prophetas Domini coniugatos tempore coniugalis amplexus, spiritus Domini non tangebat: non quia vlla ibi aderat culpa, sed quia spirituali non congruit splendori carnis obscœna voluptas. Quod si adeo spirituali aduersatur actioni, quantum existimas longe erit ab illo beatarum mentium spledore lubrica hæc & fœda contagio? fœtentem libidinibus carnem angelicis inserere quis audeat choris, iumentumque in suo stercore putridum mitentibus associare ciuibus, quis præsumat? Anima iusta & caro pudica cœlorum possidebit regnum: putrida enim caro in combustionem erit & cibus ignis. Merito igitur à regalibus veniens nuptiis Dominus, vt secum ad cœlestis gloriæ thalamum peregrinas deferat animas, non solum admonet lumbos succinctos, id est, castitate puriſſimos, quia fulgentem gemmis & auro ciuitatem luteis calcare pedibus non liceat, sicut scriptum est: *Non intrabit in ea aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens.* Et alibi: *Non transibit per te circumcisus & immundus.* Sed non solum carnis, sed etiam mentis lumbos oportet habere succinctos, sicut monet: *Succincti lumbos mentis vestræ.* Vnde Augustinus, *in mente*, inquit, *non violetur qui non vult sine causa corporis habere munditiam, castitas mentis, ab omni peccato continentia, cuius diabolus violator est.* Lumbos meritis appetitus effrænes intellige, quos timoris cingulo oportet esse constrictos, ne illicitum foris defluant in opus. *Timor enim Domini expellit peccatum*, motusque cordis impetuosos intrinsecus cohibet atque cingit. Antiquitus in lege Danieli Angelus succinctus apparuit ad mammillas, quia videlicet lex solum carnis, Euangelium etiam cordis lumbos præcinxit, nec eodem cingulo, sed lex timore, Christus amore, qui per zonam illam auream Angeli designant. Pellicea namque non aurea in lege Helias legitur fuisse præcinctus, sed quia iuxta prophetam declinare à malo non sufficit ad vitam, nisi etiam faciamus & bonum adiungit: *Et lucernæ habentes in manibus vestris*, per quas (secundum Gregorium) bona opera designantur. Via nobis tenebrosa & atra perambulanda est, via ignota

Iob 31.

Sap. 1.

Isai. 9.

Apoc. 2.

Isa. 25.

1. Pet. 1.

Eccles. 1.

Dan. 10.

Apoc. 1.

4. Reg. 1.

Psal. 30.

plena periculis, quam mille vndiq; larues bestiæ mille circumstant prædones. Lucernas igitur parare oportet, faceesq; manibus gestare lucentes, quibus insidiantium inimicorum latebræ deteguntur. Lubrica via est, & quæ facili impulsu præcipitet in gehennam, nisi interlucentibus fuerit patefacta lucernis, sed sunt qui post se istas deferunt faces, nimium stolidi, quas ante se gestare debuerant, postpositum namque lumen viam non aperit transeunti. Damnato quid proderit numerosa multitudo missarum, copiosa eleemosynarũ cogeries testamento legata, quibus in vita forsitan & peccata redimere, & gehennam euadere potuisset. Sunt etiam qui lucernas habent, sed non in manibus, sed in voto & proposito, huiusmodi autem bonis propositis infernus plenus est. Sunt etiam qui eas in manibus habent, sed extinctas, qui videlicet ita bonis operib desudant, vt peccata non deserant, non attendentes, quia bona malis permixta Deo non placeant, neq; operanti conferant ad salutem. Etiamsi mille virtutib, polleas, vnum tibi vitium sufficit ad gehennam. Habeto igitur in vita lucernas, habeto in manibus, habeto incensas, si cum sponso cupis introire ad nuptias. Sed vide ne dormientem inueniat te, cum venerit Dominus, & in aperiẽdo moram facias & damneris. Quosdam enim Dominus inuenit profundo somno grauatos, qui (nec domino pulsante) excitantur, donec perfractis foribus Dominus intrat, & in abyssum miseros detrudit, quippe sic mundialibus gaudiis voluptatibusque sopiti sunt, vt suam non præuideãt damnationem, donec eos infernus adduxit, nunc incipiunt aperire oculos cũ penitus nulla iam spectatur redẽptio, de quibus Psalmus. *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Sicut oues (inquam) fatuæ, simplices & ignaræ nõ viderunt foueam donec inciderunt in eam, vnde morti in pastum perpetuum dati sunt. Alios autem Dominus dormientes quidem inuenit, sed ad primam eius pulsationem statim excitantur, qui quoniam parati non sunt, dum moram faciunt aperire pertransit eos Dominus, & perpetuo illos carcere detrudit. Videas hos cum prima tanguntur febre, & tunc maxime cum mortis periculum auspicantur, velut à somno excitatus ad omnia festinare; tunc accelerant soliciti sua confiteri peccata, tunc restitutiones fiunt; tunc debita persoluuntur, tunc affluentes faciunt eleemosynas, tunc longam missarum seriem præmeditãtur, tunc cum lachrymis, gemitibus, & quatiendi singuli pœnitendi & operandi sibi à Domino petunt inducias. Morum & vitæ correctionem firmo vt videtur, ppposito promittentes si contingat euadere instantem quam præuident mortem gehennæq; damnationem, continuo retrocedunt. Sed de his quid Propheta dicat attende: *Multiplicatæ sunt* (inquit) *infirmitates eorum, & postea accelerauerunt, non congregabo cõuenticula eorum de sanguinibus, neq; memor ero nominum eorũ per labia mea.* Hoc est, neq; eos à suis sanguinibus peccatorum mundabo, nec ero amplius memor eorum. Beati qui cum gaudio expectantes & solicite vigilantes reperti, quos mors non contristat, sed magis iuuat, qui diu iam cupiunt dissolui & esse cum Christo, qui cum omni gaudio & lętitia aduentanti occurrunt Domino, & mira cũ alacritate suscipiunt, iniuriam quippe facit domino suo, qui cum tristi & toruo suscipit vultu. O stulte venit Dominus deducere te in cœlestes nuptias, & tu de aduentu illius tristari? & pro tanto beneficio non applaudis? inuitus conscẽdis in cœlum, inuitus deduceris in regnum? quomodo igitur quotidie petebas, dicẽs: *adueniat regnum tuum!* Nunquid non Apostolum audisti dicentẽ, redditurum sibi Dominum *coronam iustitiæ, & omnibus qui diligunt aduentum eius.* Quomodo autem coronabitur qui inuitus & plorans ducitur ad coronam? qui aduentum Domini non diligit, sed horret & timet? timet vtiq;, quia infensum dominum habet; si enim absentem non offendisset, præsentem vtique

Quomodo Lucernas oporteat gestare.

Matth. 24.

Dominus quosdam inuenit dormientes.

Psalm. 48.
Psal. 56.

Psal. 1.

Matth. 6.

1. Tim. 4.

que

que non formidaret. Hoc est fratres vnde aduẽtum Domini non diligimus, vel quia iudicem pertimescimus, quem offendimus, vel quia cœlestes illas nuptias non gustauimus, vel quia terrenis plantati delitiis, ab eis absque violentia non diuellimur. Qui enim in terra radices non habet, sine dolore rapitur ad cœlestia, sed filiorum & vxoris, temporaliumque delitiarum amor miseros in terra tenet defixos, & quoniam cœlestia diligere non nouerunt, temporalia sine tristitia nõ deserunt. Quãtum vero placeat Domino solicita hęc aduentus eius expectatio, alacrisq; susceptio, ex præmio in litera promisso cognoscc: *Beati* (inquit) *serui illi, quos cum venerit Dominus inuenerit vigilantes: amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Multum est hoc ad quodcunque famuli meritum, vt cum domino suo ad mensam sedeat, neque solum hoc, sed vt suus ei dominus succinctus ministret. Quis adeo benignus & humanus dominus, qui suis quantumuis fidelibus famulis talem præstet honorem, huiusmodi præbeat dignitatem? Qualis honor ad mensam vnam cum Deo, & cœlestibus sedere principibus. *Ego* (inquit) *dispono vobis regnum, sicut dispposuit mihi pater meus, vt edatis & bibatis ad mensam, in regno meo.* Præcinxit autem se dominus ad mẽsam istam, non ad seruiendum: sicut in cœna vltima, quando lauit pedes discipulorum suorum: tempus enim seruiendi iam transiit, non iam humilitatis seruum, sed maiestatis dominum se præbet in cœlis, & tamen quia quicquid ad illam mensam beatorum apponitur obsonij, totum ex illo refertissimo diuinitatis cellario propinatur, ideo ministrare dicitur: non quia recumbentibus seruiat, sed quia dulcissimos singulis cibos pro merito cuiusq; manu sua propinat. Ipse enim dator est in cœlo præmiorum qui dator extitit in vita virtutum, sed quomodo transiens, cum omnia bi perpetua sint, nõ facile est intelligere? Forte ideo transire per singulos dicitur, quia singulis pro merito sigillatim gloriæ obsonium ponat, neq; omnibus in communi. Transitus præterea ille non ad ipsum, sed ad discumbentes pertinet, qui sicut succcssiue ex hoc exilio ad mensam Domini transeunt, ita quoque successiue illo abundanti ferculo lætitiæ cibantur. Transire ergo per singulos dicitur, non quia ipse illis sedentibus transeat, & perueniant. Quod si ad Deum hic transitus referẽdus est, non secundum beatificum illud gloriæ poculum, quod visione claræ deitatis hauritur, sed secundum accessorium adhærentemq; alium beatitudini haustum, qui per reuelationẽ, vel illustrationem beatarum mentium degustatur, intelligẽdum est. Visio enim illa beatifica & matutina omnino inuariabilis & immutabilis perseverat, nequein perpetuum vllum recipit, aut crementum, aut decrementum in beato, licet forte per illam aliquando plura, aliquando pauciora ex creatis videantur in verbo: hoc enim beatitudinẽ essentialem non variat. *Quia*, vt inquit Augustinus, *qui te videt & alia videt, non idem beatior quia tecum alia videt.* Neque placet nunc cuiusdam Doctoris docti, sententia qua opinatur ex adiunctione animæ ad corpus propter meliorem animæ dispositionem visionem illam beatificam, non ex parte Dei, sed ex parte potentiæ post resurrectionem aliquantulum augeri. Supernaturalis enim est illa visio, & quæ non naturæ, sed meriti proportionem consequatur. Sed præter hanc beatificam visionem, & quæ in illa panduntur quædam alia occulta mysteria per supernam illustrationẽ diuinitatis, beati spiritus vespertina cognitione percipiunt, quæ non simul cunctis, sed mediis per supremos & infimis per medic releuantur. Si quidem (Dionysio authore) Angeli superiores quo ad ista mysteria, inferiores Angelos mentesque beatas illuminant, atque ita radius ille diuinitatis, per superiores spiritus transit ad medios, & per medios tandem discurrit ad infimos. Hunc existi-

Beatis quomodo Deus in cœlo ministrat præcinctus. *Luc. 12.*

Luc. 22.

Beatorum visio matutina & vespertina.

Beati illuminantur inferiores à superioribus.

mo transitum in proposito designari, cum dicitur: *Transiens ministrabit illis.* Quod si hunc largius ex scriptura velis agnoscere, prophetam audi, toto illum Psalmo mirifice describentem: *Ecce* (inquit) *quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum*, id est, cum primogenito fratre, omnes simul ad vnam in cœlestibus mẽsam discumbere nectareaque pocula simul degustare. Sed quomodo hic dulcissimus liquor, singulis propinetur ad mensam audi. *Sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius.* Caput Christi Deus, ex illo capite excelso vnctio illa dulcissima, pretiosamque balsamum, per omnes sigillatim deriuatur, primo quidem barbam, barbam Aaron: magni (inquam) illius Aaron sacerdotis, cui à Deo constitutus est propitiator in sanguine suo omnium peccatorum, qui *non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta aeterna redemptione inuenta.* Neque tamen sistit vnguentum *in barbam Aaron*, sed per omnia eius membra defluens totam illius profundit vestem, *vsque ad oram vestimenti eius*, id est, vsque ad vltimos beatorum, qui post baptismum, statim ad cœlum conuolarunt, & ora vestimenti eius ideo dicti sunt, quoniam scriptum est: *Viuit Dominus, quia omnibus his sicut vestimento vestieris.* A capite igitur illo deitatis, in barbam, id est, Christi humanitatem sacratissimam, & à barba in collum, id est, virginem Deiparam, & ita consequenter per superiora corporis membra, ad inferiora vsque defluit vnctio suauissima: donec ad vltimam *vestimenti oram*, id est, vltimum beatorum ordinem, chorumque perueniat. *Sicut ros Hermon qui descendit in montem Sion.* Hermon anathema tristitiæ dicitur, deitatem designat in quã nulla vnquam potest cadere tristitia, & à qua procul est omne tædium. Sion specula interpretatur, & cœlestem illam speculantium Deum ciuitatem designat. Rorat ergo desuper mons Hermon in montem Sion, & totum suauitate perfundit roscida, nimiaque lucis vbertate fœcundat. *Ros enim lucis, ros tuus Domine*, vt propheta inquit. Et vt clare cognoscas, quoniam de cœlesti illa beatorum mensa hæc omnia proloquitur: attende quod sequitur: *Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem & vitam vsque in seculum*, id est, vitam sempiternam. Attendisti transitum, notasti quam sublimiter dictum sit, transiens ministrabit illis, nunc cætera prosequamur. Magnum præmium hoc est, & quod somnolentum quemlibet excitet ad vigiliam, sed longa nimis quibusdam videtur vigilandi mora. Quis enim (inquiunt) toto vitæ suæ tempore sustineat vigilare? duobus vel tribus annis expectare cum patientia quispiam forsitan poterit, sed ab ineunte pueritia ad vltimos vsque canos in procinctu peruigilem esse, humanam superat facultatem. Quis sanctorum aliquando tam diutinæ expectationis affectus tædio non dormitat? Hoc est pessimum tædium quod deuotos etiam religiosos ad tempus solet fatigare, cum suspirio acclamãtes. Grandis honor, sed longa vigilia ingens præmium sed prolixa valde intolerabilis expectatio. Vnde & sanctissimus Iob etsi non tam diuturnæ vigiliæ tædio, quam longo futuræ beatitudinis desiderio fatigatus, similem prorupit in vocem, inquiens: *Sicut ceruus desiderat vmbram, & mercenarius præstolatur finem operis sui, sic ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeraui mihi. si dormiero dicam, quãdo resurgam? & rursum expectabo vesperam, & replebor doloribus vsque ad tenebras.* Sed ô vitam fallacem? ô vitam mendacem? ô quam te variam similes ad diuersos? neque vnam te cunctis exhibes, sed biformem gaudentibus & ridentibus, & huius sæculi gaudia vana sectantibus, breuissimam te demonstras, & momentaneam. Quantus vbique terrarum apud mundanos & leues homines, de tua breuitate luctus? quanta querela? laborantibus autem & afflictis die ac nocte gementibus, futuræq;

Psal. 132. *1. Cor.* 11. *Rom.* 3. *Hebr.* 9. *Isai.* 49. *Psalm.* 132. *Isai.* 26. *Iob.* 7.

cuiæque beatitudinis præmia desiderantibus, longissimam te mentiris & grandem veluti quæ concauo non claro perspicuoque speculo videaris, sed qui te claro vidit intuitu, huiusmodi præstigiis nusquam fallitur. Talis erat Apostolus ille, qui te lynceis oculis penetrans dicebat. 2.Cor.4. *Momentaneum hoc & breue tribulationis nostræ, æternum supra modum in sublimitate gloriæ pondus operatur in nobis.* Momentaneus est labor oculis perspicacibus, si ad æternitatem præmii comparetur, si autem solus & per se videatur cæcutientibus oculis longior apparebit. Noli homo attendere quid sustineas, sed considera quid expectas, transit guttatim laboris angustia, aduenientique portioni præterita cedit, at vero totum se simul animo infundet pelagus, illud incommutabilis gloriæ. Non enim sicut pœna ita & gloria, sed constans, fixa, inuariabilis, & æterna. Vbi ergo tantæ locus querelæ, multum laboremus, multum expectamus, multum sedamus? Nunquid condignæ sunt passiones istæ, quas sustines ad futuram gloriam quam expectas? Quis vnquam agricola feminandi opportunitatem reputat longiorem, si futuræ messis respicit vbertatem? Huic igitur tam pernicioso mentis tædio, dominus obuians obiicit præmium, dicens. Rom.8. *Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi.* Ac si dicat, quo diutius expectauerit largius remunerabitur, vita enim longa sicut malis mala est, ita bonis est bona: non solum quia meritis augeantur & gratia, sed quia patiens & diuturna expectatio illis multum conferat ad coronam. Neque enim paris meriti est pugnasse per annum, & toto vitæ spatio durissimi hostis sustinuisse congressum, neque defeciisse. Vitæ autem mortalis noctem dominus triplici distinxit vigilia, more eorum qui in castellis vigilias seruant, quarum prima in tenerioribus annis pueritia est. Secunda in solidioribus, inuentus. Tertia, in labentibus veternosa senectus, quæ quanto ad temporales istos sudores imbecillior, tanto ad spirituales congressus fortior inuenitur. Quamuis enim exterior homo noster quotidie corrumpitur & labascit, *interior tamen* (Apostolo teste) fortificatur magis, 2.Cor.4. *& de die in diem amplius renouatur.* Quis ergo de huius vitæ longitudine merito conqueratur, cum neque crastinum habeat diem certum? Insidiosus latro mors est & semper ad inuadendum paratus, qui nec præuideri potest, neque fugari: latro nocturnus qui sæpe dum sentitur iam penetralia tenet, acutissimo spiculo rumpit murum, & surdissima tenebra corporis perforat domum. Quod si dormientem inuenerit incolam trucidat, spoliat, & profundo puteo iactat, si autem vigilantem reperit, & dissimulat, & multo cum honore salutat. Salue (inquit) ò anima, salue legatus sum regis summi, te dominus ad nuptias vocat, noli tardare, veni, ducam te quo desideras, vt optata requie potiaris, & gaudiis perfruaris æternis. Quid hoc nuncio dulcius? quid iucundius? non solum horribilis nõ est mors, sed placida etiam amabilis vigilanti. Peccatori autem dormienti crudelis & formidabilis, omnibus eum diuitiis, quas per totum vitæ spatium cum labore quæsierat, spoliat, enecat, & in abyssum profundam detrudit. Vigilemus itaque, & non sinamus perfodi domum expectantes solicite, cum bonorum operum lucernas, dominicum aduentum, non tausemur hoc tempore tardantis domini moras. Luc.12. Qua enim hora non putamus dominus aduenier, & pro momentaneo vigiliæ labore, perpetuam nobis retribuet mercedem.

Vita nostra noctem triplici distinxit vigilia.

Beato Illephonso fideli ac prudentissimo domini seruo optime conuenit assumptum prothema. Fuit enim virgo purissimus, doctor illuminatissimus Antistes vigilantissimus, quæ tria denotantur in themate. Quodlibet horum trium per se cuilibet sanctorum apud Deum & homines miram contulit dignitatem. Quid ergo decoris & glo-

B. Illephonsus virgo purissimus.

riæ vni conferent simul iuncta? virginalis puritatis nullum alium in eo testimonium inquiramus, sufficit familiaritas, quam ad virginem Deiparam habuit, quoniam nisi virgo, virginis placere ita non posset, lucernam sapientiæ illius fulgentissimam libri eius ostendũt, quibus ecclesiam Dei suo tempore, & sequentibus sæculis, miro lumine illustrauit. *Erat quippe* (vt de Ioanne dicitur) *lucerna*, non solum lucens, *sed ardens, & lucens*: ardens amore Dei, & fidei zelo: lucens doctrinæ verbo & operis exemplo. Non erat ex eis quibus potius cura est lucere quam ardere qui lampades habentes *non sumpserunt oleũ secum*: & ideo dictum est illis à domino. *Nescio vos.* Quanta vero solicitudine in dominicum gregem vigilauerit, solicitus de ratione quam redditurus erat domino pro illo, quando reuerteretur à nuptiis, Hispania tota testis est, à quatuculentos luporum, id est, hæreticorum incursus morsusque amarissimos, miro animi vigore prędicationis latratu, procul abegit & fugauit. Hæc omnia eximiam Illephonso gloriam cœlo terraque pararunt. Sed illud eius singulare præconium, quo præ cæteris maxime decoratur, illustraturque gratia videlicet singularis amicitia, quam habuit ad virginem gloriosam. Quis enim ita virgini gratus, ita familiaris & acceptus fuit? perlege sanctorum historias, & post illum Euangelistam Domini Ioannem, nullum inuenies in hoc Illephonso parem. Is namq; à virgine impetratus, à virgine promissus, à virgine annunciatus, totum quod erat virgini se debere non ignorans, obsequentissimum se illi gratissimumque præbuit: totumque illius seruitio mancipauit, atque deuouit, à quo ne temporalium solicitudine aliqua præpediretur, monasterio se inclusit, vbi nocte dieque perpetuis virginis laudibus desudaret. Sed disponente Deo, quia id magis ad honorem virginis pertinet, Toletanæ sedis Archiepiscopus est ordinatus, in quo dignitatis fastigio data occasione hæretici cuiusdam erroris, in perpetuã Mariæ virginitatem oblatrantis, quo erga virginem zelo ferueret, magnifice demonstrauit. Namque incredibili diligentia, scribendo, docendo, declamando, blasphemantia ora cõtundens, conuocato concilio, edito libro, instituto festo, pestiferum illum errorem, ab Hispaniæ finibus eliminauit. Sed nõ vtique, sine præmio, nam primo quidẽ, publice coram omnibus astante rege, virgo Leocadia à tumulo suo progrediens, mirum omnibus præbuit spectaculum, taleque reddidit Illephonso præconium. *Alphonse per te viuit domina mea*, Quid præclarius? quid illustriu? Deinde per seipsa virgo nocte festi quod in laudem perpetuæ illius virginitatis idem sanctus instituerat, vt monstraret quantum sibi illud obsequium placuisset, publice in loco prædicationis apparens, vbi eius laudes Alphonsus solitus erat populo declamare, decora ipsum propria manu induit veste sacerdotali, qua in sacris vteretur sacrificiis. Si quid de aliquo sanctorum simile audistis dicite, ego fateor non audiui, non etsi beata Dei genitrix apparuisse aliis dicitur, sed non ita. Existimo igitur & Paulo Apostolo filium, & Illephonso matrem speciale hoc priuilegium contulisse, vt vere & visibiliter per se apparere ante horam mortis dignarentur. Quod si illum dum viueret tali decorauit stola, quali existimas animam eius exutam corpore induisse in illa cœlesti gloria quam possidet. Ad quam nos perducat ipse filius virginis Iesus Christus: cui cum Patre, & Spiritu sancto est honor & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Ioan. 5.

Matth. 25.

Scribendo & docendo defendit B. V. Mariã.

S. Leocadia de Illephonso testimoniũ.

Act. 9. & 1. Cor. 15. Illephonso B. V. conspiciendam se exhibuit.

DE DIVO MARTINO PONtifice & Confessore, Concio Prior de humilitate.

THEMA.

Quis sicut Dominus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra Psalm. 112.

HÆc differentia est inter eos qui genere ab antiquo magni sunt, & eos quos casus, vel fortuna, ex humilibus

libus magnos fecit, quod priores sicut sanguine nobiliores, ita & ingenio humaniores, humiliores que sunt, & apud omnes homines tractabiliores. Nec mirum, non enim ex hoc suæ magnitudinis iacturam timent quam tot sæculis in progenitoribus fundatam radicatamque conspiciunt: alii autem quasi aduentitiam, & nouam in sua humiliatione periclitari pertimescunt, facilique posse ab hominibus contemni, nisi in alto proprię reputationis se contineant. Videas hos elatos, tumidos, austeros, & inaccessibiles, supra homines intumescere, quorum fastuosam superbiam, nemo hominum portare sustineat. Vnde & in vulgari adagio dici solet. *Neque ei qui seruiuit aliquando seruias, neque ab eo qui petiit vnquam petas.* Deus autem noster fratres, natura & genere magnus est ab æterno. Vnde Psalm. *Magnus Dominus Deus noster & magnæ virtus eius, & magnitudinis eius non est numerus*, atque ita singulariter magnus, vt sit ipse sua magnitudo. Neque enim in eo essentia, & magnitudo realiter separantur, sed hoc est illi magnum esse, quod Deum esse. Vnde sicut non potest non esse Deus, ita non potest non esse magnus: non igitur ex clementia & beneuolentia magnitudo illius iacturam patitur, sed honorem & gloriam, vnde & clementissimus & humanissimus est. Quid enim humanius, quam apud humilem & pauperem, regem gloriæ hospitari, sedere cum eo ad mensam, & cœnare cum eo? *Si quis* (inquit) *aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Quantum super huius dignationis pondus, sublimes illi cœlestis curiæ principes admirantur? Quomodo stupent ad spectaculum istud, potentem illam maiestatem cui *curuãtur qui portant orbem*, in pauperis hospitio, cum ancilla humili recumbentem, quo plausu, quo iubilo foris proforibus hospitii expectantes ad inuicem exclamant. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra?* Multa in Martino quæ commendare possumus, sed super omnes eius virtutes humilitas magis resplenduit. Vnde de hac nobis hodie futurus est sermo, tria de humilitate tangentes. Primum, quid sit humilitas, & in quo consistat. Secundo de humilitatis fructu, & excellentia. Tertio, quibus eam mediis poterimus obtinere, & quam mirifice hæc virtus splenduit in Martino. Non consistit humilitas in paupertate, neque in habitu vili & exteriori quadam in oculis hominum abiectione. Sæpe videas in huiusmodi despectis hominibus, magnam intus latere superbiam & hypocrisis velo ingentem operiri tumorem. *Tange montes*, & procul dubio *fumigabunt*, tange iniuria, tange vel modica contumelia, contemne eos vel ad modicum, & videbis quid intus lateat: videbis in ouina pelle ferocissimum leonem, & luciferinam in deiectione superbiam. Vnde Gregorius. *Qualiscunque apud se lateat, illata contumelia probat. Est enim qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo*, videas hos hypocritas in remittendis leuibus etiam iniuriis cunctis hominibus difficiliores, & in prosequendis honoribus ardentiores: intus est humilitas in animo, non in habitu: in corde, non in veste: in affectu, non in aspectu. Ditissimus quisquis, ac potentissimus humilimus esse potest, si vult, imo in his maxime splendet humilitas. Quid ergo est humilitas? Vt Bernardus ait, *humilitas est virtus, qua quisque vera sui cognitione, sibi ipsi vilescit, id est, contemptus & vilipendium sui, nascens ex vera & clara cognitione sui.* Qui ergo in sua reputatione paruus est, & inutilis, & nullius se reputat esse valoris in corde suo, hic vere humilis est. Vnde Propheta. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobis metipsis prudentes.* Radix ergo & origo humilitatis est cognitio sui, radix vero superbiæ ignorantia sui. Ignorat se penitus omnis superbus, nam si sciret quis est, non vtique superbiret. Vnde Bernardus. *Ad quid tibi*

Veroverius est, hoc Adagium vulgare.

Psal.146. & Ps.144.

Aper.3.

Isa.9.

Psal.112.

In quo consistat humilitas.

Psal.143.

Eccl.19.

Definitio humilitatis.

Isa 5. Prou.3. & Rom.12.

tibi gloria putride puluis? ad quid tibi gloria? quid es, quid potes? quid vales? quid fuisti, nisi materia putrida: quid es, nisi saccus stercorum? quid eris nisi cibus vermium? O stulte non erubescis exhibere te idolum hominibus venerandum? qui postmodum in sepulchro vermibus scaturiens, fœtidus & putridus contabescès? Ecce quid es, quid etiam potes vt superbias? nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? aut exaltabitur pictoris calamus de
Isai. 10. *pictura, quæ per ipsum facta est? quid faceret calamus, si eum non mouisset pictoris manus? O stulte quid habes quod non accepisti? quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? ad quid etiam per te ipsum vales? aut ad quid obsecro vtilis est*
1. Cor. 4. Dominus ad Ezechielem ait: *Fili hominis,*
Ezech. 15. *quid fiet de ligno vitu, ex omnibus lignis nemorum? nunquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus? aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat in eo quodcunque vas ecce igni datum est in escam, &c.* Palmes igitur à vite præcisus ad nihil vtilis est, nisi ad ignem, quod si in vite fructificat, virtus & gloria vitis est, non palmites. Vnde Dominus in Euange-
Ioan. 15. lio. *Ego sum vitis, & vos palmites: sine me, nihil potestis facere.* Vbi est igitur ista superbia tua & gloriatio tua? quæ tibi causa tumoris? de quo gloriaris, ô stulte? de quo intumescis, inter mille sirtes, inter mille discrimina rerum? quæ vtique si agnosceres tibi ad omnem timorem humilitatemque sufficerent. Omitto nunc perpetrata facinora, quæ te coram Deo ad nihilum redegerunt sicut
Psal. 14. scriptum est. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus.* Omitto instantem mortem, & ægritudines assiduas quæ te vel inuitum cogunt cognoscere temetipsum. Nunquid iam regnas? nunquid iam tenes? nunquid de salutis præmio iam securus es? An non hiantem infernum sub pedibus attendis, & iudicem desuper vibrantem gladium diramq; mortis sententiam comminantem? Quænam est igitur ista inflatio, & stulta securitas in discrimine tanto? Si quis igitur oculos habet apertos, habet vndecunque amplam timoris humilitatisque materiam, vnde non solum non infletur, sed etiam vehementer pro seipso solicitetur. Sed neque, vt existimo, ad plenam perfectamque humilitatis rationem, sufficit hominem despicere semetipsum, nisi idipsum ab aliis libenter patiatur, & qui in oculis suis paruus est, talis etiam velit cæteris apparere, & cæteros de se sentire quod sentit, æqui & veri amator est. Omnis humilis odit hypocrysim, non cupit ergà se decipi, alios amat lucem simulationis latibula fugit, omnibus se velle prodere qualis est, alienum non vsurpat locum, falso honore non gaudet, vnde quo quisque humilior est, eo verior inuenitur. Est enim veritas humilitati genuina & germana virtus, & fraus superbiæ pedisequa, tenebras & latibula diligit omnis superbus, quia timet agnosci: hypocrisi se palliat, quia prodire in publicum erubescit, de falsa populi opinione lætatur, non se iudicans ex conscientia, sed ex fama: sed velit nolit aliquando prodetur, procedet in publicum astantibus Angelis,
Psal. 49. sicut scriptum est. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Iuxta hanc igitur Bernardi sententiam, ille humilis censendus est, qui pro nihilo se reputat, & ab aliis reputari vult, qui proprio conscientiæ testimonio contentus ignorantis populi fauores, non solum non quærit, sed pro nihilo despicit: qui laude falsa non lenitur, sed pungitur, qui ita gaudet in despectu sicut superbus in honore; qui omnibus se inferiorem exhibens neminem contemnit, nemini se præfert, maioribus cedit, æqualibus se subiicit, inferioribus ad æquat, descendit libens, ascendit inuitus, laudari erubescit, amat corrigi. In obsequendo prior, in loquendo posterior nemini facit iniuriam, & illa tamè ab alio patienter sustinet, gaudet cum contemnitur, quia cognoscitur, neq; iniuriam reputat, si quispiam ei præfertur. Veritatis filius quæ sunt diligit, non quæ videntur. Vis vnum tibi ostendam humilem secundum Bernardum. *Factus sum* (inquit) *tanquam vas perditum, quoniam audio-*

audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu. Ecce quo ad se. Psal. 30.
Quo ad alios vero attende quid dicat, *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Ita sentit de humilitate B. Bernar. sed scholastici Theologi paulo aliter: definiunt enim humilitatem, *Humilitas est virtus moderatiua appetitus humani, ne aggrediatur aliquid supra vires, oriens ex cognitione propriæ facultatis.* S. Tho. 2. 2. quæst. 161.
Est namque huiusmodi vtilissimum agnoscere quid valet, & quid non valet. Propter defectum primi pusillanimes, grandis sæpius fructu priuantur ignorantes quid valeant. Horum defectum magnanimitas erigit in fiduciã, vt suis viribus proportionata conentur. Propter defectum secundi frustra sæpius laborat omnis superbus, dum seipso maiora conatur ignorans, scilicet quid non valet. Cuius excessum è contrario humilitas deprimit, temperans immoderatum spiritum: ab altiori negotio. Itaque quod in cibis temperantia facit, & in sumptibus liberalitas, hoc in arduis efficit, non vnica, sed duplex virtus, magnanimitas, scilicet & humilitas: quarum vna defectum, alia excessum corrigit, & ad debitum modum, & proportionatum sibi reducit. Ab hoc duplici extremo se liberatum Psal. 54.
psalmographus gloriatur, cum ait. *Cãrabo ei qui me saluum fecit à pusillanimitate spiritus & tempestate*, id est, mio furore superbiæ. Hoc illi contulerat Deus magnanimitatem & humilitatem infundendo, ne in arduis, aut per pusillanimitatem deficeret, aut per superbiam excederet. Humilitas itaque secundum Theologos, non tam despectus & abiectio sui, quam modestia quædam & moderatio sui est, quæ tamen moderatio ex ipsa nascitur abiectione. Quomodo enim aggredietur maiora se qui se non reputat supra se? Nunquam vtique appetitus excederet, nisi prius apud se opinio superbiret. Videre vis humilem talem. *Domine* (inquit) *non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulaui in* Psal. 130.
magnis, neque in mirabilibus super me. Et apud sapientẽ. *Fili altiora te ne quæsieris, maiora te ne scrutatus fueris*, vtrunque autem, vt existimo in perfecta humilitate reperitur, vt qui eam possidet, & seipsum despiciat, & ad maiora seipso non se ingerat. Nam sicut in superbia duo sunt, præsumptio, scilicet, & ambitio: ita etiam in humilitate duo contraria reperire est, contemptus, & modestia, quibus illi vitio contradicit. Non ergo inter se dissentiunt doctores sancti, sed si eorum sententias inuicem copulaueris, plenam humilitatis rationem inuenies. Nolo nunc longum facere tractatum an ad veram humilitatem pertineat, vt quisque quantumuis sanctus & optimus, cuilibet etiam peccatori lubrico, sua se opinione postponat. Neque enim video qualiter hoc in virtute fieri possit, sicut neque in sapientia, neque (vt opinor) hoc ex Apostoli sententia conuincitur: vbi ait. *In humilitate inferiores sibi inuicem arbitrantes.* Sicut neque oportet regem præuenire rusticum in honore, quia idem Apostolus dixerit *honore inuicem præuenientes*; pro loco enim & tempore & secundum rationis methodum, hæc intelligenda sunt vtrobique. Neque tamen inficior vere humilem, ad hoc quandoque pertingere, vt sibi cunctos homines anteponat, & omnibus inutiliorem vilioremq; esse se credat, quod vel ex illo beati dominici exemplo facile persuaserim, qui intraturus ciuitates & oppida præorare solebat, ne indignaretur dominus illi populo propter ipsum, & propter eius peccata, in populo illo iram immitteret & vindictam. Quid hac oratione humilius? Neque enim scienti corda sanctus vir in hypocrisi loquebatur, sed quod mẽte sentiebat, hoc oratione promebat. Potest autem hoc multipliciter fieri, vt de aliis quam de te meliora præsumas. Primo, quia etsi in aliquibus alium manifeste præcedis, ille forte te excedit in vno, quod omnibus aliis magis præponderat: etsi hoc exterius non apparet forte latet interius: *Quis enim nouit quæ sunt* Eccles. 3. Phil. 3. Rom. 12.

Quid humilitas secundum Theologos.

Propter multas causas meliora de aliis quã de te præsumendũ.

hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est. Quod si publice peccator est forte grauiores sustinet tentationes & nequitiarum impulsus, quibus tu neque ad horam resistere valeres. Vel forte ad eius humiliationem, in eo dominus peccatorum lapsus permittit, vt citius leuet, aut certe non recepit continendi gratiam quam tu recepisti, quam si recepisset forte illa melius vteretur. *S. Thom. 2.2.q.10.* Quod si infidelis & paganus est, habes etiam vnde illum tibi præferas. Quoniam etsi infidelitas peccatum grauissimum est, tamen in cæteris omnibus grauius ipse peccas, non vt alienus, sed vt domesticus beneficio domino fidem frangens, & infensus existens. Per hūc modum omnibus hominibus humiliare te poteris, tanto verius quanto mente syncerius, hoc enim etsi non semper exterius in re, in corde tamen humilis semper verum est. Declarauit vt potui, in quo consistat humilitas, sed *Quomodo placeat Deo humilitas.* quantum Deo placeat ista virtus, non difficile est videre ex euangelica lectione, quæ vbique fere istam fidelibus virtutem commendat. Si enim diligenter euangelicam institutionem inspicias (vt Augustinus ait) *omnis fere disciplina Christiana humilitas est.* Quid enim aliud docet Euangelium, nisi sui & omnium contemptum, abnegare seipsum, & humanam respuere gloriam? Vere in hoc sui & mundi contemptu omnis fere philosophia Christiana consistit, siquidem quia Lucifer in cœlo superbiæ cathedram locauerat, & per superbiam multos angelos inde deiecerat: filius Dei in terra contrariam humilitatis scholam posuit, vt per eam homines in cœlum reduceret. Vnde in plateis Hierusalem clamore valido discipulis suis *Matt.11.* clamans aiebat: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde:* non vos doceo potentiæ meæ miracula, non cæcos illuminare, leprosos mundare, mortuos suscitare, sed mansuetudinem humilitatemque, hæc omnis mea doctrina est. In hoc apparebit quod discipuli mei estis, si mites & humiles inuenti fueritis. Sed quo fructu, qua vtilitate? *Et inuenietis* (inquit) *requiem animabus vestris.* *Ibid.* Non est requies fratres, non est pax, nisi in humilitate sola. O quis modo posset calamo explicare quod sentit? Vnde obsecro tanta vexatio & infœlicitas *Omnis infœlicitas ex superbia.* in orbe, nisi ex superbiæ tumore? quia videlicet honorari & reputari volumus, plusquam sumus. Aculeus solicitudinis huius indesinēter pungit mortales, neque siniſtros sinit eos vel vnam diem vitæ habere fœlicem. Ecce aliquis dies noctesque in literarum studio insomnes transigit cum labore, vt inter doctos literatus possit haberi. Alius vt copiosam possit sustentare familiam, quid non aggreditur? quid non patitur? alius vt dignitatem quam cupit obtineat, & principi placeat, quas non tolerat molestias? O pondus grauissimum super filios Adam, & intolerabile iugum à die ortus sui, vsque ad diem sepulturæ eorum. Vere *cōtritio & infœlicitas in viis eorum, quoniam viam pacis* humilitatem, scilicet, *non cognouerunt:* si enim hac procederent via quietissimos, & fœlicissimos dies agerent. *Psal.13.* Quanta fœlicitas in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus? quanta pax in humili corde? quanta tranquillitas in viro qui humanos fauores & pueriles glorias negligit, cui pro nihilo est iudicari à plebecula, aut ab humano die. O quantum à corde suo abijcit curarum & solicitudinum pondus? *Fœlicitas magna in corde humili reperitur.* qui solo Dei & cordis sui testimonio contentus, ab hominibus laudari aut despici floccipendit, cui nihil curæ est quid de se alius sentiat, quid iudicet vulgus, sed virili quadam seueritate, & seuera grauitate super omnes homines constitutus, veluti omnium dominus, omnia pedibus suis calcat, & propter gloriam inanem ipse sub nullius redigitur potestate. Hic in vita sua fœlix *1.Cor.6.* multa hic requie potitur, & in futuro ampliorem inueniet pacem: quoniam enim exaltari noluit inter homines, inter angelos sublimabitur. Non enim mentiri potest veritas quæ promisit, *quia qui se humiliat, exaltabitur.* Habet *Luc.14.* ergo humilitas & hic, & in futuro præmium:

mium: hic pacis, & postmodum beatitudinis Iam enim ex hac vita quodammodo incipit esse fœlix qui Christi amore didicit esse humilis. Hæc etiam virtus plurimarum virtutum mater est & origo, ex hoc enim fonte innumeræ alæ virtutes scaturiunt. Inde obedientia, timor, reuerentia, patientia, mansuetudo, modestia, amicitia, pax. Qui enim humilis est libenter omnibus obtemperat, omnes reueretur, omnes timet offendere: iniurias vero aut per mansuetudinem non sentit, aut per patientiam sustinet, quietus sibi, pacificus omnibus, omnibus mitis, omnibus gratus, omnibus innoxius, amabilis cunctis, nemini grauis, nullum despicit, nullum lædit, omnibus subditus, in neminem proteruus. Præclara virtus humilitas tantarum virtutum parens, sed & aliarum omnium virtutum fundamentum custos, & supplementum est, quicquid enim super hac non fundatur erigitur ad ruinam. Vnde Augustinus. *Si cogitas* (inquit) *magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis: aliter enim noueris te magnam ædificare ruinam, quo enim quisque donis & virtutibus altior est, eo sibi maior ruina paratur, nisi prius humilitate solidetur.* Tolle humilitatis fundamentum, & omnis virtutum fabrica subito ruit. Quid enim Lucifero profuit tanti decoris, & tantæ pulchritudinis gloria super humilitatem non fundata? Profuit vtique, sed ad miseriam, nam sine humilitatis condimẽto, omnis virtus virtus est animarũ. Putrescunt illico & corrumpuntur delicatissimi virtutum liquores flante elationis vento, & aquilone vrente, nisi intra humilitatis foueam solicite custodiantur, imo effundentur ac pereunt, nisi cordis vasculum humilitate fiat profundum. Hæc enim sola virtus omniũ donorum, & gratiarum capacem animam facit. Vnde (Iacobo teste) *humilibus solis Deus dat gratiam:* quia videlicet illius capaces sunt: superbis autem non infunditur ne effundatur & pereat. Omnis enim gratia & donum sine humilitate, non solum non prodest habenti, imo obest plurimum. Et ideo pius dominus prodesse semper cupiens, non obesse superbis in damnum suum suam gratiam non largitur, neque solum omnem gratiam, & virtutem custodit humilitas, sed etiam supplet: quicquid enim tibi obedientiæ, castitatis, patientiæ, sanctitatis deest, humilitate supplebitur. Agnosce defectum, humilia te coram Deo, & eo amplius quo te vides virtute priuatum, & qui pauper es virtute, fies diues humilitate. Quid enim aliud habuit ille publicanus, nonne sola humilitate iustificatus est? Agricolarum omnes diuitiæ frumentum est, inde domui & familiæ suæ omnia supplent, & peccatori omnis facultas humilitas est. Melior est enim coniugata humilis, quam virgo superba: & humilis ac pœnitens peccator, quam elatus de iustitia præsumens sua. Vnde Chrysostomus, *Geminas bigas mihi accommodes, alteram superbiæ & iustitiæ, alteram vero peccati & humilitatis, & videbis peccatum peruertens iustitiam: nõ propriis, sed humilitatis vincere viribus.* Aliud vero par videbis deiectum non fragilitate iustitiæ, sed molæ superbiæ siquidem (vt propheta regius ait) *tu domine populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis.* Vidistis qualis, & quanta sit ista virtus, sine qua omnes aliæ non sufficiant, quam omnis gratia comitatur, quæ charitatem conseruat & gratiam, & de peccatis dolendo obtinet remissionem, quæ etiam aliquando peccatores pœnitentes iustis innocentibus anteponit si in illis quam in istis profundior reperiatur. Talis est humilitas fratres, hãc totis viribus conemur possidere virtutem sunt autẽ media per quæ possimus eam obtinere si volumus. Valet ad hoc tum assidua peccatorũ meditatio, quisquis enim sis ad omnem humilitatẽ tibi sufficiet nosse teipsum. Quis enim inter homines adeo iustus, vt iustificari possit *compositus Deo?* etsi contendat cum eo de iustitia non exeat condemnatus? *non enim poterit respondere vnum pro*

Humilitas mater multarum virtutum.

Humilitatis vis in homine.

Luc.12.

Psal.17.

Iac.4.

Iob.9.

mille. Taceo nunc crimina, quanta ingratitudo, quanta tepiditas, quanta obliuio nos quotidie tenet. Quis debitum censum Deo reddit? quis quotidie in pluribus non offendit semel? criminaliter offendisse perpetuo hominem facit inglorium, quid aceruata iniquitas relinquet homini dignitatis & gloriæ? Valet etiam conferre se assidue cum melioribus: nã (Quintiliano teste) *necesse est vt plurimum sibi tribuat, qui se nemini comparat.* Si te ergo sapientia eleuat, confer te cum doctoribus: si patientia confer te cum martyribus: si castitas confer te cum virginibus: si puritas & sanctimonia vitæ, confer te cum confessoribus: & qui tibi magnus videbaris, illis compositus exiguus apparebis. Noli respicere post tergum ad debiliores & inferiores te, sed cum Apostolo *quæ retro sunt obliti,* ad anteriora extende teipsum, vt ad brauium supernæ vocationis peruenias. Caue autem per omnem modum amicitiam superborum, ne te inficiat pestifera lues, virus enim eorum vt cancer serpit. Vnde Psalm. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.* Et rursus. *Superbo oculo & insatiabili corde cũ hoc non edebam.* Cũ simplicibus itaque & humilibus sit conuersatio tua, exerce etiam teipsum ad humilitatem, in vestibus, in sumptibus, in honoribus parcitatem tenens, communia sequens, singularitatem in omnibus fugiens qui enim hoc facit quod nemo, mirantur omnes. Caue ne vnquam velis esse admirabilis inter alios, esto vnus de pluribus, non vnus in pluribus, neglectus in millibus non electus ex millibus, in humilibus exercitiis assiduus esto, altiora te negotia caueto, quicquid te apud homines potest facere glorioſum quantum potest deuita, in quolibet bono ama esse, non apparere, adulatores quam maxime respue, blandientes fuge, qui te in veritate corripit ille sit tibi amicus, *esto velox ad audiendum, & tardus ad loquendum,* & surdus ad laudes facilis ad obsequium, difficilis ad imperium, ad omnes docibilis suasibilisque, denique in omnibus dictis tuis & factis, illud Apostoli obserua: *non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Hæc & similia ad humilitatem conducere possunt ei, cui quam maxime curæ est, hunc possidere thesaurum, qui enim ipsum negligit quando inueniet? O quanta fuit cura Martino, ab initio vitę hanc exquirendi margaritam, qua solicitudine curauit hoc ditari metallo: ardentius enim ille, & diligentius sui prosequebatur contemptum, quam solet quiuis ambitiosus fugientem prosequi honorem, omni hoc studio continue agebat, hoc solum quærebat, vt despiceretur ab omnibus, neminem vtique legi sanctorum, ita solicite huic desudasse virtuti, in militia positus adhuc catechuminus famulo suo vicissim ipse seruiebat. Baptizatus vero cum eum vellet Hilarius subdiaconum facere, non acquieuit: indignum se reputans tali gradu, exorcista factus est. Sed ordinante Deo, qui noluit fieri subdiaconus, postea factus est episcopus: cum autem iam episcopus consecrandus esset, videntes eum episcopi, qui eum consecraturi erant pauperem & abiectum, despexerunt eum dicentes ad cletum: *Parcat vobis Deus, & hunc in episcopum elegistis? non dignaremur nos in ecclesiis nostris habere sacristam.* Itaque nolebant ordinare eum, sed contradicente populo, & acclamante populo, ô quam nescitis quid lateat in paupere, ignoratis exigui huius eximiam celsitudinem. Vix tandem ordinatus est, iam vero episcopus ordinatus in nullo penitus immutatus est habitu, & conuictu pauperrimus erat, vsque adeo vt & clericis etiam, in præsentia sua impune, quandoque despiceretur, illuderentur q; Licebat per eam cunctis irridere episcopum, neq; ex hoc humilimus & mansuetissimus vir vllam fieri sibi iniuriam existimabat, sed merito illa pati, quia immeritus esset ordinatus episcopus, neque mirum si vt indignus illo gradu contemneretur ab omnibus. Denique tanta in eo erat abiectio sui, vt cognomento publico pauper & modicus

Adiumenta humilitatis.

Phil. 3.

Cauenda superborũ amicitia.

2. *Tit.* 3.

Psal. 100.

Ibid.

Eccl. 3.

Eccl. 5.

Rom. 12.

Matth. 13.

Indignum se reputat S. Martinus ad subdiaconatũ.

dicus vocaretur, præ nimia siquidem humilitate sua, talem sibi titulum inter homines acquiesierat, scilicet, Martinus pauperculus, quo ipse supra modū interius gloriabatur, quasi consequutus quod ab initio vitæ vehementer optauerat. Sed mira vtiq; contentio erat inter Deum & Martinum dum conabatur Martinus humiliare se, & Deus eum exaltare, Martin⁹ se deiicere, & Deus honorare, Martinus abscōdere se, & Deus publicare Martinū. Sed vicisti Domine (vt par erat) & renitentē obstistentemq; in populis glorioſum fecisti Martinū.

Psal. 47. Bone Deus, quanta eum *gloria decorasti*, secundum exiguitatem eius, *ita & laus*

Rom. 5. *eius in fines terræ*, imo vbi abūdauit humilitas, superabundauit & gloria. Prophetiæ spiritu illustrati eum, magnificasti miraculis, gratiis, & virtutibus adornasti, factus est hic modicus trium mortuorum suscitator magnificus, innumerabilium miraculorum patrator insignis. Omitto cætera, quæ temporis

S. Martin. trium mortuorum suscitator magnificus. exemplum. angustia nunc dicere non permittit. Vnum solum liber perstringere, cum ad ecclesię ianuam obuiaret cuidā leproso miseratus hominem coram omni populo osculatus est eum. Mira res, statim ad viri sancti osculū lepra cecidit, & in oculis omnium mundatus est: quantus tunc timor, quātus stupor inuasit omnes, quanta de cætero virum Dei reuerentia coluerunt? De sanctitate eius taceo, sufficiat vobis ecclesiæ præconiū, cum enim (teste Hieron.) Apostolorū minimo nullus sanctorum veniat comparādus, ecclesia plenis (vt dicitur) buccis,

Ecclesia. de Martino canit: *Martine par Apostolis*. Tanta quippe suis vitæ eius sanctimonia, vt etiā dum viueret sanctissimus haberetur, & velut sanctus oraretur & coleretur. Miraculum n. quoddā illis sæculis & pdigium extitit eius vita: erat enim pius, deuotus, humilis, pudicus, mansuetus, sobrius, in vita parcus, in cōmisso fidelis, in corde purus, in opere strenuus, in custodiendo grege vigilantissimus, sibi compositus, populo charus, Deo & hominibus acceptissimus, præclarus fide, flagrantissimus charitate, tantus erat in corde purissimo, deuotionis & spiritus feruor, vt diutius quam credi possit orare cōsueuerit. Vnde (teste Sulpitio, qui eius vitā scripsit) *quamdiu in illo duraret deuotionis feruor, inuictum ab oratione spiritum non relaxabat*. De charitate vero illius in proximos præter innumera recuperatæ sanitatis beneficia, sufficiat opus illud commemorasse quod iam moriturus ostendit. Plorantibus namq; coram illo discipulis atque rogantibus, *Act. 20.* *salua tibi sunt tua præmia pater, nostri potius miserere quos deseris. Inuadent enim gregem tuum lupi rapaces*; illorum miseratione commotus, oculis ac manibus in cœlum leuatis deuote orabat. *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius,* *Exod. 32.* *non recuso laborem, fiat voluntas tua.* O *Rom. 9.* præclaram vocem? ô admirabilem charitatem? quid minus iste Moyse, vel Paulo personuit, Moyses pro populo deleri de libro vitæ, Paulus pro fratribus anathema esse à Christo, Martinus pro commissis ouibus differri à gloria, non solum sustinet, sed si opus est petit, & obsecrat. Iam iam in Paradiso pedem posuerat glorioſus Antistes, & libenter retrahit ipsum, vt fratribus suis seruiat, litus optatum diu iam securus tenebat, & amore filiorum redit ad pelagus, atque pro dilectis ouibus, velut bonus pastor iterum exponitur naufragio. Quando iste substantiam & vitam pro *2. Tim. 1.* ouibus suis nō poneret, qui etiam personam & animam exponebat, sed non tam exponebat, quam deferebat. Sciebat namq; cui crediderat, & certus erat quia tantæ charitatis oblatio, non defereretur à Deo, sicut & factū est. Vidit namq; pissimus Deus pietatis eius obsequium, sed æternitatis non distulit præmium, emisso itaq; in cœlum spiritu, ne discessus illius maneret inglorius, ordinante Deo, ad eius exequias congregati sunt plusquam duo millia monachorum, sed & B. Ambrosius cum sacra perficeret in somno raptus est, Martini tumulo affuit in spiritu. Deferebatur corpus ad Ecclesiam cum solenni cantu (vt par erat) & ecce desu-

per millium angelorum animam deferentium cantus auditur. Mira res, conticuit hominum chorus, vt chorus cõcineret angelorum: Quantus hic honor? quanta gloria? quãtus triumphus? Sic pauperes tuos honoras Deus, sic humiles tuos exaltas, in altis habitans, & *humilia respiciens in cœlo & in terra.* Vicisti Domine Iesv Martinum, fortior eo fuisti, & inualuisti, siquidem *Martinus* hic *pauper, & modicus* cum ingenti pompa *dives* hodie *cœlum ingreditur*, & qui inter homines modico vitæ suæ tempore curauit esse modicus, ex nunc inter angelos perpetuis sæculis apparebit glorioſus, te exaltante, te sublimante ô bone Iesu. Cui cum patre & spiritu sancto est honor, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 112.

DE DIVO MARTINO Pontifice & confessore, Concio posterior de eleemosyna.

THEMA.

Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Psalmus 40.

BEatus Hieronymus exponens illud Apostoli: *erit Deus omnia in omnibus*, sic ait: *Dominus atq; Saluator noster, nunc omnia non est in omnibus, sed pars in singulis. Verbi gratia in Salomone sapientia, in Dauid bonitas, in Iob patientia, in Daniele cognitio futurorum, in Petro fides, in Paulo zelus, in Ioanne virginitas, in cæteris cætera. Cum autem rerum omnium finis aduenerit, tunc omnia in omnibus erit, vt singuli sanctorum omnes virtutes habeant, & sic Christus totus in cunctis.* Hæc Hieron. Itaque gratias & virtutes, quas nunc per singulos sanctorum Deus diuisit, tunc in vnoquoque illorum colliget. Quando occurremus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, vt nõ solum in omnibus suis membris, & ex omnibus simul Christus perfectus apparear, sed in quolibet etiã perfectus existat. Interim velut apes in hoc sanctorũ viridario, varios à diuersis flores virtutũ colligamus ex quibus in pectoris nostri alueo mellifluas meditationes affectionesq; formemus, quibus etiam per bona opera proximis nostris lucis exempla monstremus. Adhoc n. (vt opinor) sancta mater ecclesia, sanctorum festiuitates toties repetit, vt ad eorum imitationem obiectis eorũ exemplis nos prouocet. In sancto episcopo Martino plurima sunt notatu digniſſima, quibus nostra fragilitas eruditi informariq; potest ad vitam. Fuit enim mõstrum quoddam religionis & sanctitatis, & pelagus maximum virtutum omnium, cui propter solam sanctitatem omni alio, sacrarum literarum & sapiẽtiæ adminiculo, quibus sancti decorari solent semoto, tantum ecclesia tribuit, vt plenis buccis, *Martino par Apostolis* acclamet. Veruntamen, duo in illo virtutum insignia maxime claruerunt, humilitas, scil. & pietas: de humilitate quidem superius à nobis dictum vtcunque est, de pietate erga pauperes hodierna concione disputandum erit. Pietatis igitur qua excelluit diuus Martinus, illud est testimonium, quod prẽter omnes reditus episcopatus in hoc solo consumpto dimidiarum pallium catechumenus dedit pauperi, & palliũ integrum quod iam episcopus tribuit, gratiſſima Deo acceptiſſimaque obsequia. Vsq; adeo vt in prima eleemosyna, Christus cũ angelis apparens ouanter circumstantibus diceret: *Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit*, & in secunda angeli brachia eius nuda pretioſiſſimis manipulis auro gẽmisq; contegerẽt. Ab aliis erga alia discamus, in Martino humilitatẽ & charitatem, omnium virtutum primas prẽcipuasq; quæramus. Sed de eleemosyna tractaturi oportet, vt ante pauperes nos esse nouerimus: pauperes (inquam) gratiæ, quæ est omnes sanctorum veræ diuitiæ, non enim eam à nobis habere, neq; nostris operibus promereri possumus: *Nam si ex operibus, iam non est gratia*, sed merces: quid ergo? ad diuitem

Cur sanctorum festiuitates ecclesia toties repetat.

duabus gẽmis ornat⁹ S. Martin.

1 Cor. 15.

Deus quomodo omnia in omnibus.

Rom. 11.

accur-

accurtamus, ſicut mendici plenam illã gratia ſalutantes, & ab eius plenitudine nobis guttulas poſtulantes, offerentes gratiſſimam ſibi angelicam ſalutationem. Aue Maria.

De eleemoſyna.

De ſancto quidem Martino hæc dixiſſe ſufficiat, de eleemoſyna tria dicturi ſumus, ſcilicet, de eius excellentia, de modo quo fieri debet, de vtilitate eius & fructu. Sãctus Micheas propheta dignam Deo pro peccatis ſatisfactionem inquirens, ſic ait: *Quid dignum offeram Domino? curuabo genu Deo excelſo?* Quid mirum ſi coram creatore ſuo genua flectat creatura, aut quænam iſta ſatisfactio pro delicto? qui honore debito veneratur regẽ, ſatisfacit ne ei pro trimine? *nunquid offeram ei holocauſtomata & vitulos anniculos? Sed nunquid placari poteſt Dominus in millibus arietum*, aut *in multis millibus hircorum pinguium? Impoſſibile eſt* omnino *ſanguine vitulorum aut hircorum* tam immundo lauacro *deleri peccata*, quid Deo & brutorum ſanguini? aut quid peccato & ſeruori? Sed nunquid dabo primogenitum meum pro ſcelere meo fructum ventris mei, pro peccato animæ? & quidem ſi hoc ipſe poſtulaſſet, & voluiſſet omnia quamuis grauia & difficilia pro peccato meo facere debuiſſem, ſed nõ talem habemus Deum, qui huiuſmodi crudelitatibus delectetur, piiſſimus & miſericordiſſimus eſt: talibus non placatur ſed offenditur maxime piaculis: Dæmonib. humani generis inimicis, humanum ſanguinem ſitiẽtibus, talia exhibeantur à ſuis cultorib. ſacrificia: talia enim ipſi ab eis orgia poſtulabant. O crudelitatem nefandam? idolo Moloch æneo & concauo, prunis ardentib. interluſis, vehemẽter inflammato ſuper candentes manus, infantes nudos, horrendum ſæculis ſacrificium flammes locabant, quibus vſq; ad viſcera torrebant, & ne parentes paruulorum vlulatibus, & crudeli filiorum ſpectaculo torquerentur, obiiciebãt ſe medios miniſtri Satanici diaboli ſacerdotes tubis, & tympanis concrepantes, ne ploratus infantium à parentib. poſſet audiri. Sic itaq; tot ſeculis miſerabiliter humano generi impiiſſimi dæmones illuſerunt. Quid ergo dignum offeram Domino pro peccato meo? Cui quæſtioni idem Prophera ſatisfaciens, ait: Indicabo tibi ô homo, quid ſit bonum, & quid dominus requirat à te, vtiq; *facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo.* Tria hæc leuiſſima quidem & facilima. Primum, vt ipſe de te facias iudicium, & iudicium illius tuo præuenias, delictũ tuum cognoſcendo, cõfitendo, puniendo, quis enim negãti remittit offenſam? Secundum, vt ſolicite caueas recidiuum, irriſor enim eſt & non pœnitens, qui hoc agit quod pœnitet, neq; videtur Deum poſcere ſubditus, ſed ſubſannare ſuperbus. Tertium, vt qui miſericordiam à Deo petis, miſericordiam proximo tuo exhibeas, vt miſerãdo miſericordia dignus fias; nihil enim ſic Deũ prouocat ad miſericordiam, ſicut exhibita fratri miſericordia, quemadmodum ſcriptũ eſt: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Qualem te proximo exhibuerit: talem erga te reperies Deum: & in quo iudicio iudicaueris, eodem ipſe iudicaberis, & menſura qua mẽſus fueris, remetietur tibi. Quid enim proximus cõtra te, penuria & egeſtate afflictus miſerabiliter lacrymatur, & ad illum quaſi ſaxum, & velut quercus truncus, nulla cõpaſſione deflecteris, & exaudiet te Deus conſimili miſeria lachrymantem, qui in minoribus & corporalibus neceſſitatib. proximo tuo cũm poſſes ſuccurrere noluiſti? etiam ſi ſingultibus & fletibus viſcera rumpas, indignus es, vt in ſpiritualibus & maioribus exaudiatis à Deo. Si ergo prophetæ imo Dei per prophetam conſilio credimus, tria pro noſtris delictis, Deo obſequia repẽdemus, pœnitentiam, continentiam & miſericordiã quibus ſacrificiis, & non noſtro aut hircorũ ſanguine, de peccatis placatur Deus. Quam validum aduerſus peccata remedium, quam efficax & ſalubris peccatorum noſtrorũ medicina, pietas in proximos & eleemoſyna ſit, non vnico, ſed

Mich. 6.

Tria requirit Deus ab homine.

Heb. 10.

Deus nunquã voluit humano ſanguine litari.

Hebr. 2.

Modus offerendi infãtes Moloch.

Matth. 5.

Matth. 7.

Ibidem.

sed pluribus scripturæ testimoniis roborabimus. Et quidem (vt verum fatear) nunquam Deo sic gratam eleemosynarum nostrarum paruitatem existimassem, nisi hoc me sacrarum scripturarum lectio docuisset: in Ecclesiastico legimus: *ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit in peccatis*: in Apostolorum principe. *Charitas operit multitudinem peccatorum*: in Euangelio: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Quoties Dominus in Euangelio repetit illud Prophetæ. *Misericordiam volo, & nō sacrificium*. Et Paulus Apostolus ad Hebræos: *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus*: sed quod super omnia me mouet, cum Dominus aduersus Pharisæos & scribas gentem pestiferam, & subdolam diutius inuectus proclamasset. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui claditis regnum cælorum: væ vobis hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: væ vobis qui decimatis mentam & anetum & cyminum*, &c. *Væ vobis qui similes estis sepulchris dealbatis*, &c. Post tam acerrimam reprehensionem, & terribilem inuectiuam, quis huiusmodi hominibus damnatissimis vllum salutis locum relictum esse putaret? his tamen hominibus perditissimis post omnia cōsilium præbet. *Verumtamen* (inquit) quod superest, quod vobis reliquum est vnicū & salubre remedium, *date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis*. Quid huic testimonio amplius in eleemosynarum commendationem addi potest? Si hos emundare potest eleemosyna quos nō potest? Si istis in pietate remedium, quibus non? Neque quidem hoc illis reliquū esse flagitiorum remedium, ideo Dominus dixit, quasi alia peccatorū remedia non sint, sed quia teneri & delicati, seipsos nimis amantes acerbiora remedia non capescerent. Est quidem necessaria pœnitentia, restitutio, satisfactioque plena iniuriarum, neque sine his eleemosyna iustitiam confert homini scelerato: sed tamen vt hæc remedia quæ sunt propinquiora iustificationi, diuino auxilio atque largitate diuina habeantur à peccatore, valde vtilis est pietas & eleemosynarum largitio. Incipit enim sic homo inuitare per eam pietatē & misericordiam Dei, & disponitur quodammodo ad alias virtutes, quæ illum plene purificent. Vnde & apte nos diuitibus nostri temporis hoc ipsum dicere non incongrue possumus, qui cum ad omne opus asperitatis, & pœnitentiæ, ad omnem orationem, ad omnem humilitatem, inediam, & vigilias ineptissimi sint, & bonis huius sæculi lautissime perfruātur, nisi ad eleemosynarum præsidium sapienter refugiant, præclusas eis videtur omnis alia via salutis. Magna erant regis Nabuchodonosor gentilis, & superbi peccata, pro quibus cum iratus Dominus vindictam acerrimam minaretur, & sub typo arboris ingentis eradicandæ, eidem in somniis futuræ infelicitatis præsagium contulisset. Consultus Propheta sanctus super hoc respondit: *Consilium meum tibi placeat rex, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas eleemosynis pauperum, forsitan ignoscet Deus delictis tuis*. Si enim aduersus peccata eleemosyna non valeret, inutile consilium videretur remittere ad eleemosynas, quæ tam vrgenti necessitati remedia non præberent. *Peccata* (inquit) *tua eleemosynis redime*. Sunt enim peccata venalia, & pauperes venditores, quibus pœnarum fisci sui Deus gratiam fecit, & iniurias suas aliis vendere permisit, vt inde pascantur, sicut de sacerdotibus etiam scriptum est: *peccata populi mei comedēt*. Dic obsecro mihi ô peccator quod prædium vtilius mercari pecunia tua, aut quam aliam supellectilem diuitiis tuis, salubrius & commodius emere tibi poteris quam tua delicta, pro quibus vtique si ea in hac vita non redemeris, ardoribus sempiternis post modicum tradendus es sine dubio? Redime ergo auro & argento tuo peccata tua, imo potius redime teipsum à dira & perpe-

Eccles.3. *1.Pet.4.* *Luc.16.* *Maxime Deo grata eleemosynæ.* *Marc.9.* *Hebr.13.* *Nabuchodonosor Rex gis peccata per eleemosynas curantur.* *Dan.4.* *Luc.11.* *Osea 4.* *Nullū prædiū vtilius mercatur quā delicta.*

tua

tua seruitute, quoniam proculdubio, sicut Apostolus ait: *venundatus es sub peccato regi impijssimo.* Achab cum dixisset Heliæ *num inuenisti me inimicum tibi?* Idem Helias mira authoritate non sicut regi, sed sicut peccati mācipio respondit: *Inueni eo quod venundatus sis, vt faceres mala in conspectu Domini.* Mācipium peccati omnis peccator est (vt Dominus ait in Euāgelio) & venalis est sub illius signo, & pecunia sua redimi potest, sicut Salomon ait: *Redemptio animæ viri diuitiæ suæ.* Cogita ergo nunc si quempiam ex huius sæculi diuitibus, captiuum crudelis Turca in platea ciuitatis exiguo venderet, & vxor eius & filij, quibus ampliſſimas diuitias reliquisset, redimere eum contemnerent amore pecuniæ, quā iuste indignaretur, quā detestaretur eos, qui suis eum pecuniis, à tam acerba seruitute redimere noluissent? O homo nunc tu vere crudelior es in teipsum, qui non à Turca, sed à diabolo, nō à carcere, sed à gehenna, non à momētaneo supplicio, sed ab æterno incendio, non quidem toto auro & argento tuo, sed domus tuæ furfuribus redimere negligis. O quomodo postmodū dolebis hæc recolens in inferno, quomodo in teipsum fremes, & dentibus tuis laniare te cupies, sicut scriptum est: *Ibi erit fletus & stridor dentium.* Vere *beatus qui intelligit super egenum & pauperem,* & si non super alium pauperem, saltem super seipsum, vt inopiam & paupertatem suam in tempore necessitatis suppleat, *& in die mala liberet eum Dominus.* Eleemosynam enim illam, non tam pauperi quē animæ tuæ conferes, teipsum induis, teipsum pascis. Miserere ergo pauperis, etsi non, saltem miserere animæ tuæ, placens Deo. Sed valdè notandum est quod non dixit, *beatus* qui condolet vel miseretur, sed *qui intelligit super egenum & pauperem:* quod verbum nō solum secundum septuaginta, sed etiam secūdum Hebraicam veritatē in hoc loco reperies. Augustin. hunc locum allegorice de Christo exponit, qui cum esset diues pro nobis egenus factus est, sicut ipse ait: *Ego autem egenus & pauper sum.* Et iterum: *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuētute mea: Intellige in hoc egeno latentē maiestatem, absconditam diuinitatem, non te turbet illius indigētia: hic enim qui in terra non habet domum, neq; focum, neq; vbi caput suum reclinet, in cœlo arbitrio suo cuncta disponit. Hic qui alienis suffragiis à sanctis mulieribus pascitur, cuius discipuli spicas ad edendum cōterunt præ fame, angelorum cibus est, omnia sua virtute sustētat. Hic qui alieno tumulo sepelitur, cœlorum terrarumq; Dominus est pauper & egenus super omnes homines apparuit, sed in eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei abscōditi. Hoc volo vt intelligas super egenum & pauperem Christum, vt in die malapotens & diues liberet te à malo.* Intellige quoque in paupere Christo, qua pietate fratri pauperi subuenire debeas, sicut Apostolus ait: *Hoc sentite in vobis quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset; non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formā serui accipiens, factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis.* Sed propter quid? vtique vt *liberaret pauperem à potente, pauperem cui non erat adiutor.* Imitatores Dei estote fratres, intelligite in Dei filio, quomodo pauperi misereri debeatis. Nolo iam vobis proponere exempla sanctorum, quicquid homo pro homine facere potuit, ad tantæ clementiæ celsitudinē nihil est, quantum Deo misericordia placeat nolo aliunde quam hoc suo facto roborare. Hęc de Christo dicta sint. Hunc locum aliter Hieronymus exponit, & satis vtiliter ad propositum, in subuentionem pauperis intelligentia opus est, vt placeat Deo eleemosyna: multum enim refert qua volūtate, qua intentione, quo animo, qua ratione eleemosyna fiat. Intellige ergo super egenum, cum ei aliquid dās, quid, cui, quātum, propter quid, & quomodo tribuis: hæc enim quinque inter alia sunt consideranda in eleemosyna. Si placet hæc omnia breuiter percurramus. Volo primo vt intelligas quid des, nunquid vitam, nunquid animā, sicut mar-

Rom. 7. 3. Reg. 21. Ioan. 8. Prou. 13. Similè. Matth. 8. Psal. 40. Eleemosyna pauperi collata fit indumentū danti. Eccl. 30. 2 Cor. 8. Psal. 108. Psal. 87. Luc. 9. Luc. 6. Col. 2. Phil. 2. Isai. 71. Quinq; considerationes in eleemosynā.

tyres, nunquid teipsum & omnia tua sicut anachoritæ, si reliquis domus tuæ Christi pauperes alis, quid multum pro Deo facis, si reliquias ei reddis, qui tibi omnia dedit? Superhoc dominum in Euangelio audi: *Si in iniquo mammona fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis, et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est dabit vobis?* si alienæ substantiæ largus dispensator existis, quid multum facis? Nolo tamen putes eleemosynam sola pecunia, & exterioribus munusculis æstimari: quid enim est eleemosyna, nisi subuentio pauperis propter Deum? anima plus est quam corpus, & animæ necessitas quam corporis maior est, & vbi maior indigentia ibi potior eleemosyna si subuenire corpori perituro eleemosyna iudicatur, quãdo potius animo in æternũ victuro ne pereat? Corripe fratrem, *obsecra, increpa, argue*, admone, adiuua, cohibe à peccato quantũ potes, consule, doce, carpe vt à peccatis resurgat, & optimam coram Deo eleemosynam tribuisti. Nõ putent pauperes quod bono eleemosynæ priuari sint; possunt & ipsi si volunt pretiosas & præclaras coram Deo eleemosynas facere, opera enim misericordiæ spiritualia coram Deo potiora sunt. Si quis ergo pauper diuitem habet vicinum, opulentia tumentem, auidum, lubricum, cæcum, diabolo mancipatũ, intrare cubiculum suum, & eum lachrymis coram Deo pro illo preces emittat, & optimam illi præstitit eleemosynam, & ita in aliis. Seu heu animarum nulla cura, nulla memoria est, si cæcum videremus in foueam irruentem, phiberemus eum inuitumq; etiam & renitentem à præcipitio remoueremus quotidie animarum præcipitia videmus, & nemo est qui moneat, nemo est qui teneat, sic fratres perturbare timemus, vt perire potius permittamus. Videndum est secundo cui eleemosyna fiat, non q; merita pauperum discernamus, intellige vt bene agas, noli valde discutere cui agas, nam etsi pauper malus & ingratus, Deus propter quem eleemosynam facis, optimus & gratissimus est. Malo bene agere bonum est, imo pauperis malitia in bono vincere insigne virtutis est, duplex ibi bonum & geminata virtus, & quod hominem alis, & quod malitiam vincis. *Deus solem suum oriri facit super bonos & malos.* Fac tu similiter, non orabit pauper si malus est, non sit tibi curæ, eleemosyna orabit pro te, sicut scriptum est: *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa orabit pro te:* non te fallit pauper si indigentiam simulat, tu qui simplici animo donas non diuiti, sed indigenti tribuis. Seipsum fallit si rapit, mercedem tuam ipse non perdis, veruntamen etsi ita sit, volo te intelligere cui præstes: pauperum enim multę differentię sunt, quidam fideles, quidam infideles, præstato primum fideli iuxta dictum Apostoli: *Maxime autem ad domesticos fidei*, quidam propinqui, alij extranei, cæteris paribus, prius propinquo succurre, quidam boni, quidam mali, bono prius præstandum est, quidam voluntarij, quidam coacti, voluntario prius, quia dignior quidam pauperes, alij egeni, egeno potius dandum, quoniam melius est vitæ succurrere quam pudori, personam fouere quam honorem. Hic multi falluntur, qui famescentibus & indigentibus necessaria tollunt, vt superbientibus superflua porrigant, si fratris tui pudori succurris, ne mendicare cogatur bene facis, si tamen mendico ne pereat succurris, melius facis. Nolo valde discernas personas, nolo multũ honores sæculi ponderes: vbi maior est necessitas ibi proculdubio pecunia melius erogatur. Si tamen virum sanctum & indigentem reperire potuisti cui necessaria de tuis facultatibus tribuas grandis tibi à Deo gratia fit, libenter illum tuarum diuitiarum consortem assumito, vt suarum particeps ipse fias, optima permutatio temporalia pro spiritualibus commutare, Apostolum audi: *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, vt fiat æqualitas.* Si enim tibi in temporalibus communicat, ipso facto in eius spiritualibus ipse communicas,

1. *Quid dãdum pro eleemosyna.*

Luc. 16.

Matth. 6.

2. *Tim.* 4.

S. Tho. 2. 2. *q.* 33.

Pauperes quomodo eleemosynas dare possũt.

2. *Cui faciendа sit.*

Matth. 5.

Eccles. 19.

Gal. 6.

S. Tho. 2. 2. *q.* 32.

Non discernendæ personæ in largitione.

2. *Cor.* 8.

nicas, & maiorem tribuit quam recipit eleemosynam. Habet Deus vnde alat amicos suos, qui corui no ministerio Heliam Tresbytem in deserto tam longo tempore aluit, sed propter aliorum commodum eos patitur indigere, vt hac dati & accepti ratione, plurimorum salati melius consulatur. Aliud etiam est regis seruum, aliud amicum pascere. Taceo quod Dominus in Euangelio notanter de fratribus dixerit: *Amen dico vobis quamdiu fecistis vni de fratribus meis minimis, mihi fecistis:* & non de aliis, neque mea hæc annotatio est, sed Hieronymi, libenter pasco pauperem & cœlorum regem. Grādis mihi enim hac permutatione vsura est, hospitari modico tempore in domo mea pauperem, qui perpetuo me in æterna tabernacula secum recipere non dedignetur. Tertio videndum est quātum ex bonis, eleemosyna quippe diuitibus non consilio monetur, sed præcepto indicitur. Nam diues ille auarus in Euangelio damnatus est: non quia rapuerat aliena, sed quia propria non donauerat, & in die iudicij nō largientibus dicitur: *Esurijui, & non cibastis me, sitiui, & non me potastis: Ite maledicti in ignem æternum*, duritia hæc & tenacitas sufficit ad gehennam. Dices forsan durum est hoc, nunquid de meo non possum facere quod volo? quod crimen si mea non do, non sum latro, non sum abactor, non sum raptor, propter quid ergo damnandus? Et vnde obsecro illa tua sunt? fecisti ne tu illa? ideo tua, quia vsurpasti ea tibi: nam omnibus communia creauit altissimus. An tibi soli terra germinat herbas? arbores ferunt fructus? bruta generant fœtus? propter pacem, meum & tuum lege permittuntur, hac conditione vt qui abundauerit indigentium penuriā suppleat: si non supplet, raptor & homicida est: quia quem non pauisti, occidisti: quæ non dedisti, rapuisti. Qua obsecro lege quo iure, vnus omnia possidebit, & alij omnes fame peribūt? quæ ratio hæc suffert, vt vnus aceruet sibi omnia & ceteri omnes in egestate viuāt? Vnde propheta: *Væ qui coniungitis domum, & agrum agro copulatis vsq; ad terminum loci, nunquid habitabitis vos soli in medio terræ?* Et Bernard. in Epistola: *Clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur & dicunt, dicite pontifices in fræno quid facit aurum, nobis frigore & fame laborantibus? quid conferunt tot mutatoria, vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur quod inaniter expenditis: nam & nos Dei plasma sumus, & nos sanguine Christi redempti sumus.* Hæc Bernardus. Dices forsitan, quantum ergo dandum est pauperi, vt crudelitatis periculum euitemus? Audi Ioannem: *Qui habet duas tunicas, det vnam non habenti*: & qui habet escas, similiter faciat. Dices forsitan dare medietatem multum est, sunt mihi vxor familia quam nutriam, his omnibus medietas reliqua non sufficeret. Ad quod ego? Erant hæc omnia Zachæo, sed Approbante Domino medietatem bonorum suorum pauperibus erogauit. O inquies, Zachæus publicanus erat, quid mirum si dedit omnia, qui prius rapuerat: da igitur omne quod supereſt, sed dices, siquidem filij non accrescerent, non ego quoque hæreditatem & patrimonium meum augerem, sed accedentibus filiis patrimonij quoq; augere necesse est. Bene sit ita, compura hæc omnia da quod supereſt. Dices libenter accepto si omnia computo multa desunt, vere ita est cupiditati tuæ deficiunt multa, & deessent etiam si totum orbem solus sine socio possideres: nolo ergo ad ratiocinium te adducere, fac sicut filio suo Tobias consuluit. *quomodo potueris ita esto misericors, si multum tibi fuerit abundanter tribue, si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri stude*, hæc fac vt viuas, non improbo si certam portionem pecuniæ ad arbitrium boni viri, iuxta tuos redditus quotannis pauperibus erogandam signaueris, non vt aliis sit remissio, tibi autem tribulatio, sed ex æqualitate & rationis moderamine, iuxta consilium apostolicum. In extre-

1. Reg. 17.
Matth. 2.
Luc. 16. Quantum tribuendū sit.
3. Luc. 16. S. Tho. vbi supra.
Matth. 15.
Isai. 5.
Luc. 3.
Luc. 19.
Tob. 4.
2. Cor. 8.

ma necessitate indigenti succurrere, nõ consilij, sed præcepti est, ex superfluo dare similiter (vt opinor) licet non detur omne quod superest. Hoc laicis dixerim, nam clericis alia ratio sequenda est. Sed non tam videndum est quantum tribuas quam propter quẽ & quomodo tribuas. *Deus enim* (vt Gregorius ait) *non respicit quantum, sed ex quanto.* Vnde Apostolus: *Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Non acceptantur à Deo opera quæ propter ipsum non fiunt, nouit Deus qua intentione facias, quem finem prætendas, propter quod in Euangelio ait: *qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet: & quicunque potum dederit vni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Quotiens repetit in nomine prophetę, in nomine iusti, in nomine discipuli, vt ostendat propter Dei amorem dandam esse eleemosynam, vt ex ea quis fructum capiat vitæ æternæ. Nam quæ amicis amicitiæ causa quæ famulis seruitutis gratia, quæ cognatis sanguinis, & cognationis respectu donãtur in vita, vel in morte testamentum relinquuntur, non continuo censenda sunt ad misericordiam & charitatem pertinere. Hæc etiam in iudicio vacua apparebunt, quando Dei amore nõ fiunt, quod si hæc ex charitate feceris, iustitiæ & pietatis præmium feres: nam & amicis, & seruis, & cognatis, donare, hoc enim nomine quod serui, cognati, & amici tui sunt, opus est iustitię & pietatis, & amicitiæ manifestum. Cum ethnici hoc faciant officiosum est, illud autem stultissimum & ridiculum, si quæ Deo porrigit, in gloriam mundi referas. Quid faciũt stemmata in templo? Admonet Dominus, *cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua*, & tu in opere pio stemmata tua, & statuam tuam locas? O insaniam maximam ante te tuba canis? *Amen dico tibi recepisti mercedem tuam*: non times ne lapis ille fabricæ pietatem destruat? ne imago illa totius picturæ gratiam & mercedem euacuet? voluisti cunctis non modo præsentibus, sed etiam futuris innotescere, quia opus illud tuũ est, & tu donasti illud, nunquid non tuba hæc? Fiat itaque tibi sicut optasti, innotescat mundo si nõ innotescit Deo, crede mihi impensam & operam perdidisti. Vide ergo, quicquid facias pure & recte propter Deum facias, & *in abscondito, vt Deus qui videt in abscondito, reddat tibi.* Noli committere famulo tuo eleemosynas tuas, ne hoc & ipse sciat, sed tu eas per teipsum, manu tua facito: noli abominari pauperis illuuiem, & nuditatem eius ne abhorreas, homo est sicut tu. Tu de manu tua illi præstato, & forte coram Deo amplius tibi ad præmium, ex corde compassio quam de bursa denarius reputabitur. Sunt enim qui pauperib. libenter præstant, sed dummodo non videant ipsos quorum contemptus, vix eleemosyna quam porrigunt compensatur. Restat vltimo, vt quomodo tribuas attendas, *non ex tristitia aut ex necessitate, hilarem enim datorem, diligit Deus*, animum Deo aspicit, magis quam donum. Sanctus Martinus dimidiatum pallium pauperi dederat, & cum Angelis Christus apparens exiguum munus mirifice commẽdauit. Quid hoc Domine, multi non vnum solum, sed plurimis pauperibus pro te pallia contulerunt & non sic eis apparuisti, non sic eorum eleemosynas commendasti. Charitas in causa est: non enim ea pietate cæteri qua Martinus dederunt, illi ex superfluo, Martinus ex necessario dimidiatum pallium pro Christo, Christi miles non erubuit & nudus manere, vt nudum Christum indueret in paupere. Animum Deus respexit, non pallium: quid ô miser homuncio moriture, quid affligeris, quid doles, quid tristaris, quia nummulos tuos pauperibus erogasti, non erogasti, sed seminasti, amplissimos inde manipulos suo tẽpore collecturus. Thesaurizasti

4. *Propter quem.*

1. *Cor.* 13.

Matth. 10.

Ibidem.

Ex intentione accipiunt actus speciem.

Matth. 6.

Ibidem.

Ibidem.

Nõ famulo faciendam mine nostro ne laudis appetitus subrepat.

1. *Cor.* 7. 5.

Quomodo.

Martinus dimidiatũ pallium pauperi dedit.

Matth. 6.

rizasti tibi thesauros perpetuos in cœlo, *vbi neque erugo, neque tinea demolitur, neque fures rapiant & furentur eos.* Quid super pecunias tuas doles? cum ex omnibus quæ habes illud solummodo secure possideas quod dedisti, nam extra fortunam est quicquid pauperibus erogatur. O miserhomo corpori cras moriturο,&in puluerem & cineres redigendo pretiosa indumenta parasti, & animam miseram veteribus domus tuæ pannis vestire contemnis. Si non libenter præstas pauperi, saltem præstato tibi, illi enim modicum commodum ad tempus ex denariis tuis accrescet, tibi autem commodum sempiternum. Quod si de hoc dubitas, vbi est fides tua? nunquid non in Euangelio audisti, *quodvni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Et iterum, *qui reliquerit domum aut agrum propter me, centuplum accipiet?* Si Imperatoris diploma quispiam ex eius domesticis adduceret, quo quicquid illi à ciuibus daretur, & gratum habere, & centuplum pro illo rependere repromitteret, exiremus obuiam ad exitus viarum, compelleremus intrare domum, recipere plurima pretiosa consumere, propter Imperatoris centuplum repromissum: ad Dei vero centuplum nullus est cupidus, nunquid fallere potest Deus? Vbi fides? vbi pietas? vbi religio? si credis, quare non porrigis? si non credis? cur te Christicolam esse mentiris? Nunquid Euangelium Æsopi fabulam esse putas? Conuincit fratres incredulitatem aut inconsiderationem nostram ista tenacitas: sed esto tibi non essent profutura quæ porrigis Christo domino saluatori tuo redemptori tuo, Deo tuo, donorum suorum quæ gratis ipse dedit reliquias, non libenter præstabis? O ingratitudinem inauditam, de donis suis nolle pascere largitorem? Vnde Hieronymus, *Quanam Christianitas, quanam religio hæc, abundare diuitiis, æstuare delitiis, & videre Christum in paupere famescentem, & nolle cibare?* Conqueritur dominus per Prophetam. *Nunquam solitudo factus sum Israeli, aut terra Serotina:* vt scilicet, seminata non reddam, aut tarde reddam, non ad mortem differo centuplum in hac vita reddo, & post mortem, vitam æternam promitto. Quantus in eleemosyna fructus, & quam ampla sit repromissio pietatis, ex prothemate facile est videre: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum dominus;* neque solum hoc, *sed dominus conseruabit eum, & viuificabit eum, & beatum faciet illum in terra, & non tradet eum in animam inimicorum eius, dominus opem feret illi super lectum doloris eius.* Sic enim in Hebræo legimus. Quanta bona, quot lucra? in die mala liberabit eum à damnatione, in vita præsenti custodiet à peccato, viuificabit gloria, non tradet eum in animam inimicorum suorum visibilium & inuisibilium, & opem feret illi in suis necessitatibus & doloribus suis: & sicut ipse fratris sui misertus est, ita dominus miserebitur eius. Vides quomodo pietas promissionem habeat vitæ, quæ nunc est pariter & futuræ. Omittamus cætera, ad omnem eleemosynam præstandam sufficere debuerat, *vt in die mala* te dominus à tanto periculo liberaret: dies iudicii mala dicitur, sed malis, nam quomodo mala in qua fiet iustitia, & cuique reddetur retributio meritorum? si benedictum est lignum per quod fit iustitia iuxta legem, quomodo non etiam benedicta dies, in qua iustitia complementum accipiet? Aut certe malum pro laborioso ponitur, sicut & alibi. *Sufficit diei malitia sua,* id est, afflictio sua. Secundum Hieronymum, in illa die tãtæ afflictionis misericordiam obtinebit, qui pauperi nunc in afflictionem maximam? quando desuper iudex cum gladio bis acuto, & deorsum infernus apertus & exæstuans, & circunquaque terribiles dæmones accusatores, & omnia mala & peccata nostra in publico erunt. Non erit tunc recursus ad sanctos, non ad Angelos, non ad virginem, quoniam dies vindictæ & iustitiæ est, & in sua iustitia quilibet liberabitur: non succurrent tunc amici, non filii, non pecunia, non familia, sed sola

Matth. 25.

Matth. 19.

Simile.

Fructus amplissimus ex eleemosyna.

Psal. 40.

1. Tim. 4.

Sap. 14.

Ezech. 14.

Hiere. 2.

solabona opera astabunt, illa sola non deserent, illa sola in iudicio pro afflicto respondebunt: sicut Augustinus ait, *Opera tua sumus, non deseremus te.* O quomodo gaudebit tunc de eleemosynis quas fecit: quomodo lætabitur cum audierit iudicem dicentem, *Esurivi, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus eram, & operuistis me, &c.* Et respondebunt, *O Domine, quando te vidimus esurientem?* nihil est quod pro te fecimus, vtinam, vtinam sciremus quod nunc scimus, vt & nos & omnia nostra tibi traderemus: & dicet, *Amen dico vobis, quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Sed cur obsecro domine non orationes, ieiunia, lachrymas, disciplinas, & opera misericordiæ spiritualia commemoras, sed solas eleemosynas & pauperum suffragia? *Multi dicent in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, virtutes multas fecimus, & audient nescio vos.* Quare sola opera pietatis referentur, an cætera omnia tunc pro nihilo reputabuntur? Non vtique. *Nam cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicio, siue bona, siue mala sint,* vt ait Ecclesiast. Non ergo hæc opera præcipue memorantur in Euangelio, quia sola bona, aut quia perfectiora sunt, sed duplici ratione hoc dicitur. Primo vt dominus ea commendaret, & ostenderet hominibus sæcularibus, & populo Dei in his præcipue salutis rationem perquirendam esse, qui spiritualibus vacare minime possunt. Secundo vt per hoc quicquid de perfectioribus tunc fiet intelligas. Si enim frustum panis, & calix aquæ frigidæ, si operimentum vile pauperis, & hospitium vnius noctis ad præmium tunc commemorabuntur, & coram iustissimo iudice in obliuione non erunt: quid de martyrio? quid de religione? quid de mundi contemptu, & aliis spiritualibus operibus existimas? Etsi è contrario non dantes sua acriter arguentur, qui aliena rapuerunt & pauperes spoliauerunt, quomodo damnabuntur? In illa die Gentiles Philosophi surgent in iudicium contra generationem istam pessimam & auaram, qui sola naturali pietate & rationis dictamine, plurimas in pauperes eleemosynas cõtulerunt, & hi solo nomine Christiani, neque tot & tantis promissionibus & comminationibus ad pietatem & misericordiam in Christi pauperes commouentur. Eia igitur fratres arripite viam salutis vobis propositam, viam regiam & tutam, intelligite super egenum & pauperem: vt cum ipsi egueritis, intelligat Deus super vos. Non expectetis vt pauper prius suas necessitates enarret & erubescat, ne erubescendo hanc ipsam eleemosynam promereatur, quam accipiet. *Intelligite super egenum & pauperem:* & (sicut diximus) hilari animo prius succurrite, quam rubor petitionis accedat. Nolite expectare vt roget, vt instet, vt erubescat: sed vos eius indigentiam prius intelligite, & præueniendo succurrite. Benedictus Deus qui dedit vobis vnde & aliis succurratis, & animas vestras redimere positis, dedit vobis diuitias multas, & pauperes multos ex locis montanis ad hanc vrbem quotidie defluentes, quibus illa erogetis, propter illos forsitan vobis datæ sunt. Videte vt fideles dispensatores bonorum Dei sitis: *hic enim iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur*, aliis ciuitatibus dare pauperibus pium est, huic non dare, impium & crudele, in aliis pietas, hic necessitas commendatur, vbi frigus ingens & sterilitas terræ pauperum multitudo extremas necessitates parturiunt: nudos quotidie videtis inter frigora rigere, & nudis carnibus titillare, si non succurritis & frater frigore pereat vtique eum occidistis. Aperite oculos, & videte quia vobis non consilium, sed præceptum eleemosynæ in hac ciuitate frequenter occurrit, vbi non pietas suadeat, sed necessitas dare compellat. Accipite fratres consilium meum, naues onustas mercibus dato pretio tutas facere consueuerunt minori pretio facietis pauperibus erogando, tutiores ibunt ad portum eleemosynæ

Matth.25.

Matth.7.

Eccles.11.

Quare fiat mentio operum pietatis.

1.Pet.4.

Luc.11.

syna quam pecunia, vel certe naues animarum vestratum per huius mundi pelagus periculosum, inter cautes & syrtes cum bonorum operum mercibus mille periculis naufragantes, eleemosynis modicis tutas facite, vt cum dominus post resurrectionem in littore apparuerit salua & integra veniant ad portum, vbi ille est, & mercibus coram eo depositis, mercedem pro eis condignam & superabundantem apud iustum iudicem & regem potentissimum acquiratis beatitudinis & æternæ gloriæ. Quam nobis omnibus præstare dignetur, egenus & pauper pro nobis, & ipse diues & rex gloriæ Christus, cui cum Patre & Spiritu sancto est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Joan. 21.

Luc. 6.

DE DIVO NICOLAO Pontifice & Confessore, Concio prior de imitatione sanctorum.

THEMA.

Inspice, & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est. Exodi 25.

OMnibus qui sub Christiana religione spiritualem militiam agimus, hæc vna præcipua & maxima cura est aut esse debet, ædificare domino intra nos tabernaculum sempiternum & perpetuum domicilium. Hoc Propheta sedula intentione agebat, qui in Psalmo dicebat. *Sicut iurauit domino, votum vouit Deo Iacob, si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis donec inueniam locum domino, tabernaculum Deo Iacob.* Quod votum licet ad templum illud magnificum Salomonis referri possit, sed alterum potius videtur prætendere tabernaculum, non solido pauimento, sed puro corde fundatum, non ex quadratis lapidibus, sed ex deuotis affectibus, non ex lignis dolatis, sed ex præcordiis inflammatis constructum, tabernaculum sempiternum quod Babylonicum non formidet incendium, quod Barbaricus non subruat ignis. Hoc est illud sanctuarium quod Dominus in Exodo postulat dicens. *Facite mihi sanctuarium, & habitabo in medio vestri:* in medio (inquam) cordis, non in medio ciuitatis, in conscientia non in platea fundabitis illud. *Spiritus enim est Deus,* & spirituale domicilium ad inhabitandum inquirit: non sic auratos parietes & insculptos lapides, sicut reformatos mores & claras virtutes acceptat. Vnde si in construendis, exornandis, poliendis, ditandisque materialibus templis, tanta vbique à fidelibus impenditur cura, quanto maior cuilibet esse debet vt in seipso templum domino construat sempiternum & vt illud gratia firmet, virtutibus ornet, deuotione & puritate sanctificet? Diuus Bernardus se hoc incessanter & sedulo agere dicebat, vt in sua conscientia Christo domino paret cœnaculum stratum grande, in quo non semel sed semper recumbat, & cœnet cum discipulis suis, desideriis, scilicet, & affectibus cordis sui, vbi & sensibus mentis splendidum sermonem facit & appetitus famelicos cœlesti edulio pascat, & animæ pedes, id est, affectus aquæ viuæ lauacro mundissimo abluat. Sed qualiter ædificabimus illud? nunquid pro libito suo quisque formabit Deo suo mansionem? Non vtique, sed à cœlo capiat formam quam sequatur exemplar ab alto demissum est quo spiritualis structura consurgat. O igitur quisquis hanc fabricam ædificare contendis, inspice obsecro, inspice & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est, in monte pingui, in monte sancto, in monte coagulato, in monte *in quo beneplacitum est Deo habitare* in illo, non spiritualiter solum, sed etiam corporaliter, vt omnibus Dei domicilijs formam præbeat, quam sequantur. Nullam enim conscientiæ domum Deus inhabitare digna-

Psal. 131.

Intra nos Domino ædificandū tabernaculum.

Exod. 25.

Ioan. 4.

Ad cuius formam structuram fit.

Psal. 97

gnatur, quam non viderit hoc schema tefactam, & hoc prototypo formatam. Quod si ardua tibi huius exemplaris perfectio videtur, & non potes ad eam, inspice saltem illius exemplaris exemplum, quod tibi hodie in beato Nicolao præsentat ecclesia, & qualem præsenti sermone eius audieris vitam, talem post hac tuam præstare conator. Noli absq; exemplari virtutum in te fabricam erigere, ne forte ædifices in ruinam. Duo namq; in quolibet artificio necessaria sunt; ars scilicet, & exemplar: ars quæ in opere artificem dirigat, & exemplar in quod operando artifex inspiciat; quod si foris aliquando non est, in animo tamen artificis cum operatur semper est. Quæ duo etiam in hac orbis mirabili fabrica, cum crearetur non vtique defuerunt. Ars Dei sapientia, teste Propheta. *Omnia in sapientia fecisti domine.* Et exemplar est verbum Dei, teste Ioanne. *Omnia per ipsum facta sunt.* In verbo enim per generationem primo producto, omnia producibilia ab æterno relucent, quæ temporaliter à Dei sapientia in actu producta sunt, in quo etiam à beatis illis spiritibus melius quam in seipsis cuncta cernunt. Sic quoq; in hoc ecclesię mirabili tabernaculo & spirituali fabrica, ad quam ædificandum è cœlo sapientissimus artifex ipsa Dei sapientia missus est, *Dei enim structura estis, & Dei ædificatio estis* (vt ait Apostolus) duo hæc supradicta exemplar & ars, operariis ædificantibus eam ab illo supremo architecto relicta sunt, exemplar in vita illius, & ars in doctrina eius. Sine his quisquis ædificat *non aurum & argentum & lapides pretiosos, sed paleas & lignum, & stipulas* ædificat ad gehennam. Sed quia exemplar illud vnicum & singulare ab oculis nostris ad partis dexteram assumptum est, neque iam corporeis oculis in hac vita videri potest à nobis, ideo ab illo plurima translata sunt exemplaria speciosa & certa, quæ per orbem diffusa omnibus ea imitari volentibus præsto sint, vt quod per morales regulas in euangelica arte docetur, hoc in ipsis exemplaribus spiritu formante cernatur. Ars ergo Euangelium est, in quo bene viuendi infallibiles regulæ nobis traduntur, exemplaria sunt sancti, quorum nobis vita imitanda proponitur. Quid enim aliud est sanctorum quilibet, nisi euangelica forma? euangelium viuum, euangelium pictum? aut quid legitur in Euangelio quod non videatur in sancto? In illo simplicitas, puritas, sanctitas, humilitas, charitas, pietas, mansuetudo, iustitia, benignitas: & quicquid aliud euangelica doctrina commendat, descriptum, formatumque foris, mirabili pulchritudine cernitur, vt sit inexcusabilis, quisquis in ædificanda conscientiæ suæ domo negligens fuerit. Non enim allegare potest, quia literas non didicerit, quia Euangelium non intellexerit, quia recte viuendi artem nescierit, quam in oculis suis imitandam, in sanctorum quolibet depictam tenuerit, vt quantumuis rudis & rusticus, quod in libro legere nescit in sancto possit intueri. Sic enim rudibus pueris dum scribere discunt à magistro literarum forma proponitur imitanda, vt quod vsu & arte non callent, exemplari discant. Talia namque decuit à cœlesti magistro nobis vitæ exemplaria relinqui, talibus oportuit sacrum Euangelium tabulis exarari, *non in tabulis lapideis*, sicut olim in Sina lex tradita est; non in laminis æreis vel membranis: *sed* (vt Apostolus ait) *in tabulis cordis carnalibus*, neque hominis sty lo, sed digito Dei sculpi ecclesiæque legendum relinqui, sicut olim per prophetam dominus facere promiserat, dicens. *Ecce dies venient* (dicit dominus) *& feriam domui Israel, & domui Iuda, fœdus nouum non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de Ægypto, sed hoc est pactum quod feriam cum domo Israel, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Attende quanta sit legis Sinai, & legis Sion differentia. In Sina litera mortua tradi-

Psal. 103.

Ioan. 1.

Similit.

1. Cor. 3.

1. Co. 2.

Primariū exemplar ad dexterā Dei assumptum.

Exod. 31. & 32.

2. Cor. 3.

Hier 31.

Legis nouæ à Mosaica differentia.

tur,

tur, ſpiritus vitæ infundirur in Sion, lex Sinai lapideis tabulis deformatur., lex Sion humanis cordibus inſcribitur: Ex Sinai monte lapides deferuntur inſcripti, ex monte Sion flammantes codices deſcenderunt, quibus veluti carbonibus ſuccenſus eſt mundus. Lex mortua, mortuo inſculpitur lapidi, lex vitæ viuo inſeritur exemplari. Ecce fœdus nouum valde differens ab antiquo, quoniam antiquum in lapidibus, nouum in cordibus exaratum eſt. Non lego quod Chriſtus in aliquo libro Euangelium ſuum ſcripſerit, quem eccleſiæ ſuæ legendum tradiderit, ſed in centum viginti homines, velut in centum viginti codices ſpiritum ſanctum infudit, quos per orbem vniuerſum ſparſit, vt viua lex mortuos viuificaret, animos ſopitos excitaret affectus. Quid enim ſepultis in peccato hominibus, mortui codices profuiſſent? Quantus autem ex his emerſerit fructus teſtimonio non eſt opus: teſtis eſt orbis terrarum conuerſus, teſtis eſt idolatria ſepulta, teſtis eccleſia per totum mundum ab oriente in occidentem diffuſa. Præceſſerat quidem huius rei figura, in duplici illa legis antiquæ latione. Iratus enim Moyſes propter reatum vituli, primas tabulas fregit, neq; à domino propter hoc reprehenſus eſt, neque dictum eſt ei à domino cur hoc feciſti? quoniam myſterium in fractione latebat, ſed iuſſus eſt iterum aſcendere, & nouas deferre tabulas, quas Deus inſculperet. Quare hoc domine? cur alias ſicut priores ipſi non tradis? Non (inquit) ſed tu tabulas pones, & ego ſcribam eas, ſpiritu ſancto deſignante per hoc, bis dandam hominibus legem, ſemel in Sinai, & iterum in Sion, in qua vltima datione homo poneret cordis tabulas & digitus Dei ſcriberet eas. In prima enim nihil de ſuo poſuit homo, in ſecunda ipſe homo legis Dei factus eſt tabula. Has præcepit dominus manere in tabernaculo fœderis ſempiterno: ſed vbi nunc illæ tabulæ ſunt? Ceſſit lumini tenebra, vmbra figuræ, agnoſco veras legis tabulas in Dei tabernaculo, ſanctos vtique in eccleſia, quæ Dei tabernaculo vſque in ſæculum ſæculi non deerunt, quoniam etſi illorũ caro mortalis ſit, ſed ſanctitatis forma perpetua perſeuerat tum propter exemplum relictum, tum propter aliorum ſanctorũ perpetuam ſucceſſionem quorũ licet ſit alia perſona, vitæ tamen & legis eadem eſt forma, Deo vtiq; ſolicite prouidente, ne ſuo tabernaculo vnquam deſit euangelica forma codicibus viuis inſcripta, de quibus per Iſaiam dominus loquitur, dicens. *Populus meus lex mea in corde ipſorum.* Hæc ſunt vitæ exemplaria quæ aſcendens in altum Chriſtus, populo ſuo imitãda reliquit, in quibus veluti ſpeculis nitidiſſimis omnis ſanctitas & perfectio reluceat. Hæc ſunt virgæ multi coloris, quas prudens Iacob gregi ſuo in canalibus ponit, vt earũ aſpectu maculoſos & varios virtutũ concipiant fœtus. Quæ enim ſimplicis coloris fuerit ouis, hæc pertinet ad Laban: non n. vna ſufficit virtus ad gloriã, ſed vario decoratam vellere, & varietate circundatam oportet eſſe ouem, quæ dominico gregi annumeranda eſt. Sed vnde hæc in grege varietas, niſi ex vario aſpectu virgarum? id eſt, exemplorũ varietate, quorum innumeram multitudinem doctrinarum canalibus in opere ſanctorum immixtam, prudens ille Iacob & verus cum hoſte luctator quotidie populo ſuo obiicit intuendam. Quid enim aliud in concionibus quotidie facimus? niſi obiicere vobis rectiſſimas ac nitidiſſimas virgas inter fluenta doctrinæ, vt ex variis ſanctorum exemplis, varios virtutum concipiatis affectus. Sed harum virgarum quædam decorticatæ ſunt in martyrio, quibus candorem præſtitit eximium in tormẽto cortex carnis ablatus. Quædam vero in cortice ſuo gratum retinent ſanctitatis virorem, mundiciamque coſtem, gratus in illis candor, in iſtis vir or, illas corticis depoſitio candidauit, has corticis viriditas decorauit. Habes ô rex dominice in vtriſque quod diſcas ſanctitatem in illis virtutem, in iſtis pudicitiam, in illis conſtantiam, in iſtis quid ſapienter facias, in illis quid

Actor. 1.

In centum viginti homines ſpiritum ſanctum infudit.

Exod. 34.

Figura.

3. Reg. 8.

Iſai. 51.

Gen. 30

Pſal. 44.

Gen. 32.

Quis finis concionis.

animose sustineas. Sed ô miserandum nostris temporibus harum virgarum inopiam. Vt martyres enim omittamus, vbi nunc vnus Nicolaus? vnus Augustinus? vnus Hieronymus vel Ambrosius, quem populo Dei videndum obiiciamus? Iam non est sanctus, *iam non propheta, iam nos non cognoscet amplius*, quomodo namque cognoscet deformem gregem, nihil penitus pulchritudinis & varietatis habentem? Hodie si quis non furatur, si quis non adulteratur, si quis non perpetrator est criminum sanctus habetur, illos optimos reputamus, quos olim velut tepidos euomeret accurata perfectio. Exilem atque tenuem virtutum fabricam hodie magnificant, qui templa illa spiritus sancti splendida non nouerunt. Sic enim etiam in reædificatione templi contigit, vt lætantibus iunioribus, qui Salomonis amplissimum templum non viderant, qui viderant senes lamentarentur, quia fabricæ antiquæ dissimilis, noua surgebat, & quasi pro nihilo videbatur ad illam. Vbique hodie canales aquis inundant, vbique sermones, vbique doctrina, siquidem vt propheta prædixerat, *repleta est* hodie omnis *terra scientia domini*, sicut aqua maris inundantis, sed desunt vbique exempla virtutum, quæ doctrinę fluentis misceantur, ideo aquæ solæ steriles sunt, plus enim populus exemplo quam verbo mouetur, & ad formandos in vtero fœtus virgarum quàm aquarum obiectio potentior & fœcundior est. Clarius enim, & perfectius Deus lucet in sancto quàm in verbo, & altius hæret visa quam audita perfectio. Quis dicere sufficiat, quantum suo tempore quilibet sanctorũ hominibus profuit? plus vtique vnius sancti exemplum & vita, quam congeries numerosa librorũ contulit orbi. *Multitudo enim* non librorũ, sed *sapientium est orbis terrarum*. Vidit Benedictus à cella sua in Cœlum amplissimam & splendidam viam, per quam innumera gentium multitudo scandebat in Cœlum, vidit Bernardus numerosam populi multitudinem à montibus in Claram vallem, vbi fundebat monasterium, descendentem. D. Ollis insinuante, quia per eos plurima multitudo gentium illuminãda esset, & in viam salutis euocanda, sicut & factum est. Nam in prioris regula, quinque Monachorum Catalogo sanctorũ annumerata sunt, & alterius exemplo centum sexaginta monasteria conuersis à seculo cepta sunt. O legerem amplissimam! ô mirabilem frugem in vno tantum sancto! Longum esset hoc in sanctis singulis demonstrare, sufficiat nobis vnus Nicolaus quo antistite Mireorum Ciuitas penitus innouata est, huius pastoris baculum timebat totum ouile, principes arguebat, iudices increpabat, oppressiones populi & iniustas exactiones tollebat, orphanis pater erat patronus viduis, pauperibus, & egenis vnicum erat asylum, malis terrori, bonis amori, populo veneration, principibus erat honori. O si tales hodie in Ecclesia antistites haberemus, qui non seipsos, sed gregem Dominicum pascerent, neque pro suis domibus, sed pro domo Dei zelarent? Sed heu *principes tui* hodie in Ecclesia *infideles, socii furũ*, non exactiones prohibent in populo Dei, sed augent, redditibus augendis, non pascendis ouibus incumbunt, quibus melius vtiq; esset ouibus annumerasi, quam gregi dominico præsidere. Quam varias in vno Nicolao dominicis ouibus obiicimus virgas, in eo habẽt infantes & pueri quod æmulentur, habent diuites quod imitentur, habẽt antistites quod sequantur, naturalis fere fuit huic puero sanctimonia, quoniam ab vberibus sanctus erat quomodo non postmodum ieiuniorum tempore abstineret à pane, qui vberibus pendens abstinebat à lacte? Maria Virgo à sua Cõceptione, Iohannes ab vtero, Nicolaus ab vbere sanctus fuit, vt ex tam præcoci sanctitate magnum aliquid iam portenderetur in paruulo, neque enim facile amittitur sanctitas, quæ cum lacte gustatur. Audistis abstinentiam infantis, audite nunc zelum antistitis. Ingulandi aderant innocentes ab iniquo iudice, præceps in forum vadit, gladium

Psal. 73.

Laus S. Nicolai.

Apoc. 3.

Esdræ libro 2. c. 2.

Exech. 34. Ecclesiastici negotiosi taxantur.

Isai. 1.

Isai. 11.

Clarius lucet Deus in sanctis quã in verbis.

Sap. 6.

Lucas.

um à carnifice arripuit, procul illum proiecit, iudicem seuera fronte corripuit, & à morte innocentes iuuenes liberauit. Neque hoc solum apud iudicem, sed id ipsum iterum apud Imperatorem fecit: sed vobis diuitibus speciosiorem in eo virgam proponimus, charitatem scilicet, qua ardebat in pauperes. Notorium est, trium puellarum facinus, quod prohibuit, & quam misericorditer ex sua pecunia illis dotes exhibuit, quam bonum, & quam gratum Deo sacrificium pudicitiam defendere, puellas fragiles maritare? Quanta tibi gloria coram Deo & hominibus ô diues sæculi, videre in tua Ciuitate viginti aut triginta domos pecunia tua fundatas, & paruulos earum tua pecunia pastos indutosque? Quot filias tibi spirituales acquires, si decimam partem dotis ab vna carnali filia tolleres, & in huiusmodi eleemosynas erogares? Quando te Deus desereret, quando tibi male esset si pro eius amore hæc & similia faceres? Illos vtique paruulos quos induisti potentissimos aduocatos, & acceptissimos coram Deo oratores haberes. Nunquã tibi Deus misericordiam suam negaret, si hanc paruulis eius misericordiam ipse præstares? Audite me ô diuites, & potentes, Interrogo vos, nunquid & vos regnum Dei introire cogitatis? Dicetis, vtique. Quæro igitur à vobis, qua via illuc peruenire putatis? Vobis ampla domus dulcem præbet sub tegmine victum, vobis cibus regius, mollis vobis in corpore vestis, vxor pulchra, suppellex multa, longa vobis comitantium turba seruorum, cuncta vobis rident, votisq; vestris omnia fauent. Vnde vobis cœlum? O miram stultitiam? duplicem vos paradisum possidere putatis? non ergo vobis asperitatis & crucis via patet, sed neque orationis contemplationisq; via, dies enim noctesque negotiis vestris impenditis, neque missas audire vacat, aut vna hora cum domino vigilare potestis. Neque etiam humilitatis & paupertatis iter arridet, honoribus enim & fauoribus hominum exultatis, vbiq; vobis honor ab omnibus & reuerentia præstatur. Glorioſi purpura & auro vestiti, sicut reges incedetis, voluptatibus, honoribus, & diuitiis abundatis. Dicite ergo qua via in cœlũ ingredi cogitatis? Vtinam consilium non meum, sed domini Saluatoris audire velitis, qui vobis etiam cœlum aperire dignatur. *Quod superest* (inquit) *date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Hæc sola vobis via salutis, est enim eleemosyna, via ad vitam egregia, dummodo ex charitate fiat, aliisq; virtutibus quæ necessaria sunt & in præcepto, sit cohonestata. Hanc tenete ergo viam, hanc percurrite: nam moribus vestris, alia vitæ non patet via. Emite mammona cœlum, emite pecunia à pauperibus regnum, cœli namque regnum quibusdam gratis donatur, vt latroni qui à cruce furatus est illud, quibusdam hæreditatur, vt baptizatis paruulis à quibus sine merito & labore proprio, sola Christi hæreditate possidetur, quibus per propheram à domino dicitur. *Gratis venundati estis absque argento redimemini*, id est, qui alieno peccato damnati estis, alieno merito saluabimini. Quidam violenter arripiunt illud, vt martyres: à diebus enim Ioannis Baptistæ *regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, quidam negotiantur illud, vt religioſi & deuoti fideles qui precibus & lachrymis incessanter illud efflagitant, & sanctorum intercessionibus, & bonis operibus procurant. His dominus ait. *Negotiamini dum venio.* Quidam illud mercantur vt diuites, nam venale est: his dominus in euangelio consulit: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula cœlestis gloriæ.* Quam nobis præstare dignetur ille qui sanguine suo mercatus est illam negotiator cœlestis. Cui cum patre & Spiritu sancto est honor & gloria in sæcula sæculorum.

Amen.

Deo gratias.

Trium puellarũ præseruata. Castitas soli S. Nicolao asseribenda.

Matth. 26.

Luc. 11.

Luc. 16.

Isaia. 52.

Matth. 11.

Luc. 16.

DE DIVO NICOLAO PONtifice & Confessore, Concio posterior de definitione viri sancti.

THEMA.

Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Psalmo 1.

SÆpe vobis fratres charissimi de sanctis prædicauimus, sed non diximus vobis hucusque, quid sit esse sanctum, aut in quo sanctitas ipsa consistat quã veneramur. Hodierno sermone hoc solum differere disposui, vt inde constet, quanta & quam vera fuerit sanctitas Nicolai. Sed hoc quis melius nobis suggeret quàm psalmographus? Ille quippe quia viam sanctitatis in tractatu illo psalmorum Dei populum edocebat, miro sapientiæ artificio à diffinitione viri sancti cœpit, vt primo id diffiniret de quo erat postmodum tractaturus. *Omnis* enim quæ de aliqua re suscipitur institutio (secundum Tullium) debet à diffinitione proficisci. Qualiter ergo virum iustum perfectum & sanctum depingat, attendite. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum &c.* Virum beatum illum nominat quem & sanctum, beatum (inquam) non re, sed spe: quanquam etsi quæ vitæ huius beatitudo est, non in diuitiis, non in deliciis, non in honoribus, sed in virtute & sanctitate consistit. Sanctum autem dicimus, non quemlibet iustum, sed perfectum & cõsummatum. Hunc qualiter diffiniat audiamus, *Qui non abiit*, &c. Sex conditiones edisserit, quibus quisque sanctus debeat illustrari, scilicet, quod legem Dei custodiat, quod eam amet, sapiat, impleat, doceat, & in his omnibus proficiat, & perstiat. Primum sanctitatis fundamentum in legis Dei custodia est, vt solicite curet ab omni peccato & malitia declinare, vt neq; abeat *in cõsilio impiorum* peccando, neq; *stet in via peccatorum* perseuerando, neque (quod deterius est) *in cathedra pestilentiæ sedeat*, alios, peccare docendo. Hi enim sunt gradus quibus quisq; proficit in malitia. Cathedra pestilentię illa est qua docetur iniquitas, si quis in hoc negligens fuerit, si quis legis Dei contemptor, facilis est ad peccandũ, quicquid faciat, quicquid sapiat, quicquid super ædificet, quia sine fundamento ædificat ad ruinam. Væ contemptor. bus præceptorum, etiam si sapientia & lingua angelica polleant, etiam si omnibus donis & gratiis decorentur, quid dicturus est in iudicio? nosti s his qui de prophetia, sapientia, & miraculorum patratione cõfidunt: *Amen dico vobis, nunquam noui vos: Discedite à me operarii iniquitatis.* Etiam cũ omnia illa portenta faceretis non agnoscebam vos: nihil enim in homine malo Deo potest placere, cum & ipse displiceat, & iniquitas eius. Vnde psalm. *Mane astabo tibi, & videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es,* illo (inquam) iudicii mane quod nunquam adueserascet tunc & iudicandus astabo, & aperte videbo quantum tibi displiceat iniquitas, quam modo dissimulas, cum nulla sapientia, nulla gloria nulla prophetia, neque ipsa in nomine tuo portẽtorum operatio iniquum defendere poterit, ne sua iniquitate dispereat. Itaq; obsecro vos fratres mei, si saluari cupitis, si in bono proficere desideratis, primũ super omnia fundamentum tenete, vt nulla ratione, nulla causa peccatum mortale committatis, neque à lege Dei quomodo libet declinetis, legis obseruantiam per se sufficit ad salutem, sine hac quicquid habeas, quicquid facias pro nihilo reputabitur. Et quidem ad iustitiam hoc satis sufficeret, quia scriptum est: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata:* sed ad sanctitatem non sufficit, nõ satis, est sancto lege Dei implere, præcepta seruare, sed oportet & amplius diligere: ideo sequitur, *sed in lege Domini fuit voluntas eius.* Multum interest inter seruare legem & sic diligere, iustus incipiens præcepta custodit quasi præceptorum funibus alligatus, non

Matth. 25. Luc. 13. Sap. 14.

Psalm. 5.

Psal. 1. Beatitudo præsentis vitæ in sola virtute cõsistit.

Sex conditiones sanctorum.

Psal. 1.

Matth. 19.

Ad Sanctitatem non sufficit legẽ obseruare sed oportet etiam diligere.

non agit cõtraria, quia non licet facturus forsitan si liceret, *iusto*, perfecto, id est, sancto: *non est impositalex*, quia ipse sibi est lex: condelectatur enim legi Dei, quam moribus suis conformem inuenit, & in quã se penitus affectibus transformauit, ita vt etiam si liceret peccatũ minime perpetraret, quia sibi omnino dissonat & contrarium est. Huic iam virtus assuetudine longa, & gratiæ Dei adiutorio quodammodo versa est in naturam. Talis erat qui dicebat, *ideo dilexi mandata tua super aurum & topazion*, non potest similia dicere, qui solo timore transgressionis propter verba Dei custodit vias duras. Qui ergo legem Dei ex iustitia seruat, eandem ex intima volũtate amplectetur & diligat, vt sanctitatis titulum & honorem obtineat. Sed si diligit legem, profecto curabit etiam vt sapiat eam, vnusquisq; enim in eo delectatur quod amat. Vnde necesse est vt in lege eius, non quidem ad diem, aut per horam, sed tota vita meditetur die ac nocte. O legis Dei scrutinium quàm dulce, quam delectabile est his qui intus experiuntur quod foris addiscunt, qui legem Dei susceperunt, scripram non in membranis, *sed in tabulis cordis carnalibus*: de quibus propheta, *Populus meus, lex mea in corde eorum*. Testes sunt anachoritæ illi ecclesiæ primitiuæ, qui dies noctibus, & noctes diebus legendo, orando, meditando coniungebant, obliti comedere panem suum, quia cælesti intus saginabantur pabulo. Multum & valde multum prodest fratres, credite mihi legis Dei assidua lectio & continua meditatio, manna absconditum est suauitate plenissimum, quo Dei populus pascitur in deserto, donec fructus terræ promissionis attingat, nullus id negligit, nisi qui non gustauit hoc quippe facit lectio sancta in corde, quod aqua in arbore, radicem voluntatis humore spiritus irrigat, vt tempore suo fructus bonorum operum grandes emittat. Omnis arbor quæ non irrigatur, aut omnino sterilis est, aut exiles fructus emittit. Ideo sequitur, *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum*, id est, fluenta doctrinarum, *quod fructum suum dabit in tempore suo*. Hæc est quarta conditio, vt qui legem Dei non præterit, qui diligit & sapit eam, secundum illã fructificare non desinat, & opere implere quod didicit. Sed neq; sic consummatus est, nisi quod sapit & implet, alios studeat edocere, perfectus ille est qui potest generare sibi simile, qui sibi soli sufficientiam obtinuit, nondum perfectionis culmen attingit. Vnde Dominus in Euangelio: *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorũ*, hoc est quod dicitur. *Et folium eius non defluet*. Folia enim arboris verba sunt sapientis, quæ non inaniter defluunt, sed in salutem gẽtium colliguntur, sicut in Apocalypsi scriptum est, *& folia ligni ad sanitatem gentium*. Sed quid si in omnibus his modo crescit, modo decrescit, & sicut Luna mutatur, nondum profecto sancti cognomen promeruit, nisi in dies augeatur, & crescat, perseueret, & proficiat, & stabilem in virtute sortiatur statum. Vnde ait: *Et omnia quæcunque faciet semper prosperabuntur*. Quod est vltimum sanctitatis præconium. Scriptum est enim: *Iustus vt palma florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur, plantati in domo domini, in atriis domus Dei nostri florebunt, & adhuc multiplicabuntur in senecta vberi, non sic impii, non sic, sed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ*. Quam apta & propria comparatio, iustus ligno irriguo, florenti, & fructifero, impius pulueri, sterili, leui, & ad nihil aliud quam ad cæcandum oculos viatorum vtili comparatur, sicut tenuissimus puluis ambulantes in via domini occæcat, ita societas impiorũ, qui sapiens est declinabit ab ea, puluis leuis & inconsta peccator vento tentationis facile tollitur, quia nullo virtutis & gratiæ Dei põdere stabilitur. *Optimum est* (inquit Apostolus) *gratia stabilire cor*, hac sublata quid remanet impius, nisi puluis? Vnde propheta: *Peccatum peccauit Hierusalẽ, propterea instabilis facta est*. Hoc quippe inter alia horrendum & grande malum

1. *Tim.* 1. *Rom.* 2. *Rom.* 7.

Psal. 118.

Psal. 16.

2. *Cor.* 3. *Isai.* 51.

Psal. 11.

Apoc. 2.

Exod. 16.

Vtilis est quotidiana lectio & continua meditatio legis Dei.

**Simile.*

Matth. 5.

Apoc. 22.

Psal. 91.

Simile.

Hebr. 13.

Thren. 1.

iniquitas habet, quod hominem reddit instabilem, leuem, & ad omnem tentationis ventum expositum. Heu miseriã impiorum, nullum sui dominium retinent, expositi sunt omni malo, quos captiuos diabolus retinet ad suam voluntatem. Quid hac animi mobilitate in-
2. Tim. 2. stabilitate eq; infælicius? quid miserabilius quã nulli posse prauitati resistere? Si concupiscentiæ, si iracundiæ, si inuidiæ, si auaritiæ, cæterorumq; vitiorum tenuis ventus perflauerit, modico flatu,
Isæ. 40. rapitur sicut palea. *Equidem* (sicut Isaias ait) *neque plantato, neque sato, neque radicato in terra trunco, eorum repente flauit in eos, & aruerunt, & turbo quasi stipulam auferet eos.* Et in alio loco psal-
Psal. 20. mographus inquit. *Quoniam declinauerũt in te mala, cogitauerũt consilia quæ non potuerunt stabilire*, id est, propter peccata & scelera sua, quia contra te in malitiam cordis sui declinauerunt, ideo & si aliquando bona consilia proponũt & cogitant, non tamen ea animo stabilire, neque opere exequi, neque in ipsis perseuerare possunt. Vnde sequitur. *Ideo nõ*
Propter instabilitatẽ non resurgunt impij. *resurgunt impii in iudicio, neque peccatores in consilio iustorum*, ideo inquit scilicet, propter instabilitatem & leuitatem suam non resurgunt impii à peccatis, etiam si aliquando resurgere videantur, neque in iudicio proprio, neque in cõsilio alieno, scilicet, iustorum. Nam licet intus synderesis stimulat, & foris iustus exhortatur & rogat, tamen miser experitur in seipso quod scriptum est, quia nemo valet corrigere quem dominus despexerit. Vnde aptissime sequitur,
Eccles. 7. *quoniam nouit dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit.* Attendite fratres omnium quę dicta sunt, hæc prima radix & primum fundamentum est, Sãctorum scilicet, prædestinatio, & reprobatio impiorum, illorum viam Deus nouit, horum non nouit, ideo illorum iter prosperatur, & istorum peribit.
Rom. 8. *Quos enim prædestinauit, hos vocauit: quos vocauit, hos iustificauit, hos & magnificauit.* Catena firma & indissolubilis est,
Psal. 64. Glorificauit. non valet eam rumpere omnis inferni potestas & nequitia dæmoniorum, vere

beatus quem elegisti, & assumpsisti, habitabit is vtiq; in atriis tuis, elegisti ab æterno, assumpsisti in æuo, habitabit tecum in gloria in sæcula sæculorum. Nemini Deus facit iniuriam fratres, si hunc assumit illum non assumit, exemplo id notum fiet. Si latronum multitudo deducatur ad furcã, & rex pius ex fenestra *Simile.* respiciens aliquos eorum miseratus absoluat alios non absoluat iure suo facit illis gratiã & aliis non facit iniuriã. Neque tamen Dei præsentia, vel prædestinatio rebus necessitatem imponit: manet namq; in homine ad bonum & ad malum arbitrium liberum, quãuis Dei *Vide Bellar. de gratia & libero arbitrio.* prædestinatio infallibiliter implenda sit: neq; habet excusationem iniquus si labitur in peccatum, neq; meritum bonorum operum ex hoc prædestinatus amittit, quia licet adsit ibi necessitas consequentiæ, non tamen consequentis sicut doctores affirmant. Hæc de conditionibus sancti & eius diffinitione dicta sufficiant: nunc comparationem illam pro thematis qua ligno fructifero & irriguo assimilatur diffusius prosequamur. Apud Ioannem in Apocalypsi legimus, *in medio platea* in Hierusalem *fluuium aquæ vitæ splendidum tanquam crystallum procedentem de sede Dei & agni, in cuius vtraque ripa lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructus suos, & folia ligni ad sanitatem gẽtium* proculdubio. Hic fluPsal. 45. uius aquæ viuæ, *cuius impetus lætificat ciuitatem Dei.* Ille est de quo Saluator
Ioan. 7. in euangelio ait. *Qui crediderit in me*, sicut dicit scriptura, *flumina aquæ viuæ fluent de ventre eius.* Quod exponens Euangelista ait. *Hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eũ, ista sunt aquæ Syloe quæ fluunt cum silentio*, aquæ dulcissimæ, aquæ saluberrimæ, aquæ mundæ, aquæ fertiles & fruIsai. 8. ctiferæ in vitam æternam salientes. Hic fons ille inundãs spiritus cordis nostri, terram inebrians & impinguãs, qui per *Cur sanctus assimiletur ligno fructifero.* oculorum meatus in varios lachrymarum riuulos deriuatur, quibus anima sancta velut Dei paradisus irrigata & fœcundata floret & vernat. Sunt enim

quatuor

quatuor eius flumina, scilicet, cõtritionis, compassionis, deuotionis, & gaudii quorum irriguo meatu omnis dies hortus fœcundatur, & viret, si qua arbor, si qua planta harum aquarum humore nõ tangitur, aut siccatur omnino, aut sicut diximus, marcidos fructus emittit. Fœlix homo qui radicem, id est, voluntatẽ suam his liquoribus irrigare consueuit, qui secus decursus aquarum istarũ plãtatus continue salubres in seipso ebibit humores. Vnde fratres putatis tanta in nobis sterilitas, & ad omne opus bonũ tanta & tã grauis difficultas, nisi ex siccitate radicis aqua scilicet, stillicidia illa cœlestia non suscipimus, quia torem illum inebriãtem animã penitus ignoramus, terrenis implicati, temporalibus inuoluti, spiritualib. & cœlestibus infusionibus irrigari nequimus, & ideo ad omnem fructũ boni operis aridi & steriles inuenimur Anima deuota, & feruida, quæ deuotionis & charitatis humores quotidie aut continue in sua radice percipit, quæ huiusmodi lachrymarum fluentis irrigari assidue consueuit, credite mihi, nihil est ad operandum difficile, sed incalescens, cũ æstuans è cœlo tẽpus arriserit in grandi numero & multitudine siculnea hęc grossos suos emittet, iuxta istum fluuiũ ex Dei sede procedentem splendidũ & crystallinũ. *Ros enim lucis ros tuus*, sicut propheta ait, secus harum aquarum fluenta ex vtraque ripa sanctorum ordines plantati inueniuntur in ciuitate Dei, quarum abundantia multiplices per annum, & varios domino suo fructus reddunt, neque folia eorum, id est, verba defluunt aliquãdo, sed ad sanitatem gẽtium auidissime expetuntur. Omne enim quod in viro sancto est, salutiferum est, vita, conuersatio, verbum, vestitus, incessus, cibus, motus, gestus, opus, omnia ad sanitatẽ gentium, quicquid facit, quicquid loqtur, quicquid ostẽdit videntium populorum salus & vita est Ad hos aquas plãtatus sanctus fructum dat, non quemlibet, sed suum, & non quando libet, sed in tempore suo. Sunt enim qui fructum non faciunt, qui faciunt, sed non suum: *sunt qui faciunt suum, sed non in tempore suo*, vt inquit Bernardus. Arbores enim syluestres, vt quercus, robur & vimus fructum nullum faciunt, aut si quem faciunt, non humano, sed porcino esui aptum. Tales sunt filii huius sæculi carnaliter viuentes, quorum si qua bona opera esse videntur, quia non ex charitate Dei, sed ex quadam radice corrupta procedunt, in cibos porcorum degenerant. Illa enim opera eleemosynarum & ieiuniorum, quæ si ex charitate fierent vitæ meritoria essent propter inanem gloriam & humanam laudem effecta in peccata, & vitia conuertuntur: aliæ autem fructum faciunt, sed non suum, vt quæ alieno trunco insertæ, non proprium, sed alienum fructum emittunt. Tales sunt religiosi negotiatores, qui deserentes claustrum, silentium & chorum, & cætera quæ statui suo principaliter conueniunt, tota die per vicos & plateas, negotiis quibusdam pietatis, vt ipsi dicunt, implicantur quæ vtique opera, & si alijs bona essent, sibi tamen minime conueniunt. Tales quoque sunt sacerdotes, qui relicto altaris ministerio & ea quæ diuino cultui necessaria sunt, regendorum populorum gubernationi deseruiunt. Tales pontifices, qui gregis Dominici cura, & propria diœcesi relicta, aut regibus in curia consiliarii accedunt, aut publicorum negotiorum præsidentiam recipiunt. Tales milites qui in ocio & vitio degentes relictis armis & populi Christiani defensione post crateres & vina de sublimibus disputant, & sapientiores sibi videntur *septem viris proferentibus sententias*. Tales sunt etiam matronæ nobiles, quæ nutriendorum filiorum, & regendæ familiæ curæ neglecta curiose per vias discurrunt, peregrinationes sibi minime debitas frequentantes. Hi enim & similes fructum quidem faciunt, non suum, sed aduleterinum, ac propterea Deo minime gratum: de quibus Sapiens. *Adulterinæ plantationes, non mittent radices altas*. Quid opus est alienum officiũ vsurpare? gat quisque quod suum est, *Simile* nun-

Sterilitas ex radicis siccitate oritur.

Can. 2.

Isai. 29.

Omne quod in sancto est salutiferũ est.

Quidam fructum faciunt sed non suum, & quidam suum non vero in tempore.

Prou. 26.

Sapien. 4.

Simile

nunquid in oculus audire, aut auris videre vellet, & si manus ambulare, aut pedes palpare cuperent, toti corpori nociua minus non esset huiusmodi officiorum permutatio? Ita fratres (secundũ
1. *Cor.* 6. Apostolum) corporis Christi membra sumus, alius oculus, alius auris, alius pes, alius manus, alius os, vnusquisque officium suum exerceat, & sicut accepit gratiam in alterutrũ, illam administret ne in dominico corpore confusio fiat;
1. *Pet.* 4. & dum vnum quodq; membrum officiũ alterius inordinate affectat, proprium agere insipienter omittat, aliæ autem arbores fructum suum faciunt, sed, non in tempore suo, sed aut præcocem valde, aut serotinum. Anticipant enim tempus fructificandi hypocritæ, qui prius cupiunt docere quam discere, & qui domui suæ adhuc præsidere nesciunt, ecclesiæ Dei præsidere ambitiosissime
Iob. 8. procurant: quos bene beatus Iob scirpo comparat, qui simul oritur & producit
Isaia. 18. germen. De his etiam Isaias, *Ante messem totus effloruit, & immatura perfectio germinabit*, horum fructus duri & acerbi esse solẽt, & quoniam immaturi sunt, edentium dentibus generant stuporem.
Serotini fructus. E contrario autem serotini & putridos fructus emittunt, qui ad vltimam senectutem, & ad testamenta bona opera & eleemosynas differunt, qui cũ in iuuentute lubrici & auari semper extiterint, tunc de continentia gloriantur, quando nequeunt exercere libidinem: & tũc affluenter pauperibus eleemosynas erogant, quando iam non sua, sed filiorum sunt quæ donantur: super hoc Ec-
Eccles. 12. clesiastes consulit, dicens: *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ antequã veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni, de quibus dicas non mihi placẽt, antequam rumpatur funiculus argenteus & recurrat vita aurea, & conteratur hydria super fontem, & confringatur rota super cisternam, & reuertatur puluis in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad eum qui dedit illum.* Et dominus in euangelio: *Operamini dum dies est, veniet nox quando nemo poterit operari.* Cũ enim tam breui tempore concessum sit fructus colligere quibus perpetuis post modum temporibus perfruamur, stultũ est, vel ad horam à fructificando vacare. An ignoramus, quia scriptum est: *Labores manuum tuarum, quia mãducabis, beatus es & bene tibi erit. Itaque dum tempus habemus, operemur bonum,* ne nos fructificandi tempus prætereat, & sterilitatem nostrã postmodũ deploremus. Ficulneam sterilem Dominus maledixit, etiam cum ficorum tempus non esset, quid si esset? Vnde horum non inscius beatus Nicolaus ne vel ipsa eius infantia à fructibus esset aliena ab vberibus fructificare festinat, non distulit in senectutem iunia, sed neque iuuentutem [illegible] tat, sed biduo in hebdomada abstinebat à lacte. O mirum lactis ieiunium, quis audiuit vnquam tale? quis vidit huic simile? Puer vero non ludis & cachinnis, non vestibus & poculis, vt illa ætas assolet indulgebat, sed ecclesiã Dei frequentans sacrificiis & orationibus assidue intererat, omnis eius voluptas, & gaudium in Dei obsequio, & diuinis laudibus erat, altario frequens, conuiuio rarus: sed semper illud prophetæ mente & opere profitens, *bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescẽtia sua, sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit se super se.* His itaque inundantiũ charismatũ fluentis sæpius irrigata plãtula in arborẽ grandem, & excelsam nimis eua sit. Creatus postmodum Episcopus bone Deus, quales ac quantos fructus emisit. Quã bene illi congruit illud prophetæ Hieremiæ: *Oliuam vberẽ pulchram fructiferam, speciosam vocauit dominus nomen tuũ.* Nã etsi ad omnia virtutis genera fertilis & procliuis erat, tamen ea quæ pietatis & charitatis sunt propẽsus exhibebat: sic, fratres, vestros filios educate, sic illos imbuite, si viros optimos eos efficere desideratis. Credite mihi, multum ad virtutem confert pia puerorum educatio, quoniam qualisquisque planta fuerit in principio, talem postmodum arborem redder. Vnde putatis filios tam iuuenes discolos, lubricos, rebelles, contumaces, superbos, & inobediẽtes sustinetis, nisi quia pueros

Thren. 3.

Hier. 11.

Multum prodest pia puerorum educatio. Simile.

ros delicate & indulgenter enutrisi nunc enim iusto Dei iudicio vestra dulgentiæ vicem vobis reddunt, q ita profecto fieri oportuit, vt neq; meant, neq; reuereantur canos vel quoniam Deum timere reuereriq; parvulos non docuistis. Merito etenim vestro, quos improbos educastis patrini contemptores. Quam sanctum & um est, vt pueri vacent Dei laudibus, de tioni & pietati assu ant: qua solicitudine prælati ecclesiarum illorum institutioni virum, grauem, pium & honestum prouidere deberent, à quo instituerentur in moribus, & pie, & modeste viuere docerentur. Quid Deo gratius, & populo Dei vtilius esse posset, quam huiusmodi puerorum institutio, nisi forte diuites habere filios quam bonos satius existimatis? Beatus itaque Nicolaus, quia secus decursus aquarum ab infantia sua plantatus fuit, mirabiles postmodum in ecclesia fructus edidit. O si nunc plures tales arbores haberemus, ex quibus virentes ramos in via discerptos coram iumenta cui insidet Christus prædicatores sterneremus.

Matth. 21. Nostis fratres historiam cum dominus iumento insidens sanctam ciuitatem intraret, Apostoli vestes iumento imposuerunt vt super eis dominus insideret: alij vestes in via extendebãt, alij ramos de arboribus præcidebant, sternentes ex eis viam, vt iumentum dominicum perrantiret. Iumentũ, qui dominus insidet, populus fidelis est, in quo per fidem & charitatem Dominus inhabitat, & pergit in Hierusalem. Hoc iumentum Apostolici viri, multis variisque documentis, sicut vestibus ornant vt in eo sedeat Christus. Non enim ascendet super illum quem huiusmodi apostolico ornatu non viderit preparatum *doctrinis*; itaque *variis & peregrinis nolite abduci*, sed apostolica indumenta vobis perquirite. Talem cupitis ascensorem deferre. Alij autem vestes suas non superimponunt, sed sternunt, monstrantes viam per quam vadat: hi sunt qui bonis operibus & exemplis Dei populum præcuntes viam salutis ostendunt, & à via dominica labras & offendicula tollunt, qui verò de suo nõ habent quid appenant, similes mei prædicatores steriles, & inanes ad arbores altissimas acurrentes ramos ab eis virides, & florentes præcidunt, quibus coram domino festum agant, ramos, (inquam) oliuarũ, & palmarum, quorum alterum misericordiam, alterum victoriam designat. Tales vobis modo ab ista arbore ramos proiicimus, vales vobis proponentes patres. Quales rami olivarum illa oratio qu. & caritati, & misericordiarum misericorditer, & liberaliter vir Dei prouidit? Quales rami etiam oliuarum præsidia, tum militum, tum iuuenum, quos iam iam iugulando de carnificis gladio clementissime liberauit. Sed quales etiam palmarum rami virilis illa Imperatoris reprehensio, & dura obiurgatio magistratus cum eos de crudelitate, & seueritate nimia austerrime reprehendit: non vtiq; humilis, & supplex orator accessit, sed pontificis authoritate terribilis increpator, & obiurgator apparuit. Vide quid authoritas sanctitatis homini conferat, hos vobis, & similes ramos ab hac arbore fratres obiicimus, videte ne à via strata aliorsum declinetis, non vos decipiant dogmata peregrina. Væ qui coram domini iumento offendicula ponunt, væ qui illud à via recta declinare faciunt, suo tempore pœnas luent. Vos autem si dogmata, & vestigia sanctorum sectantes stratam vestibus, & ramis florentibus viam non deseruerit, in cælestem Hierusalem cum ipso sessore Christo gaudenter, & ouanter introibitis, & paratam vobis ab initio gloriam possidebitis. Quam nobis præstare dignetur, qui eam præstitit Nicolao, pius & misericors Christus, cui cum patre & spiritu sancto est honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Heb. 13. *Apostolorũ doctrina nobis sequenda.*

IN FESTO SANCTI ÆGIDII Abbatis, Concionando quomodo Deus honorat suos, & quomodo eos nos etiam honorare debemus.

THEMA.

Sanctis, & honore eorum assumendo, & constituendo super terra

Sex personarum generibus debetur honor

SEX personarum differentiis generaliter debetur honor, Deo parentibus, magistris, principibus sacerdotibus, & sanctis. Diuitibus autem quibus fere mundus omnem honorem impendit, eo solo quod diuites sunt parum quidem debetur honoris: imo hoc solo titulo honor exhibitus culpa aliquando non vacat. Est enim acceptio personarum manifesta (vt late Iacobus Apostolus insinuat in Epistola) diuitiæ namque sicut non faciunt hominem meliorem, ita neque honorabiliorem. Deo debetur supremus honor, & maximus cultus (qui latria dicitur) qui adoratione, & sacrificio constat, hic honor alteri sine crimine maximo præstari non potest, quia scriptum est. *Gloriam meam alteri non dabo.* Est enim Deus zelotes, & supra modum nimis suum sibi honorem. Quod si aliquando in scriptura sanctos, Patriarchas, Angelos, aut homines adorasse legimus, non fuit illa vniuoca, & paribus adoratio cum illa, quam Deo præstamus: hæc enim prohibita est Ioanni ab Angelo, cum dictum est ei. *Caue feceris conseruus tuus sum, &c.* nisi forte in persona Dei adorari sint. Quid mirum si Deum præ cæteris honoramus, cui etiam debetur omnis honor? vnde Apostolus. *Soli Deo honor, & gloria.* Quicquid enim in aliis honorabile est, ab ipso est: nam sicut omnis pulchritudo & claritas astrorum à sole suscipit, ita omnis virtus, & decor sanctorum à patre luminum descendit, à quo est *omne datum optimum, & omne donum perfectum*, secundum Iacobum. Ideoque propheta non tam sanctos quam dominum in sanctis eius laudare iubet, sciens vtique, quia omnes eorum virtus, & ratio laudis ab ipso est. *Quæ enim sunt sanctorum merita* (vt Augustinus de Monica ait) *nisi dona Dei?* Propter quod, & sanctus dicebat *In domino laudabitur anima mea.* Parentes quoque, aut magistros, aut principes, aut sacerdotes, sic honoramus tanquam Dei ministros, & Dei vicem gerentes in terris. Sicut ergo quicquid diligitur in Deum, & propter Deum diligendum est, ita omne quod honoratur in Deo, & propter Deum honorandum est, & Deus solum illum remunerat amorem, siue honorem, qui ad ipsum formaliter, aut virtualiter refertur. O si animum nostrum semper, & in omnibus dirigeremus in Deum? ô si huic consuetudini continue insisteremus, vt *omnia in Deum, & propter Deum faceremus?* reputarentur vtique nobis ad meritum, & iustitiam etiam ipsa opera necessaria vitæ, sine quibus omnino viuere non possumus, & tota vita nostra meritum, & iustitia putaretur. Deus enim (vt diximus) illa opera, & sola accepat, quæ ad ipsum aliquo modo referuntur, & propter ipsum fiunt, qui ad remunerandum vsq; adeo pronus est, vt ipsa opera nobis necessaria, sua computet in obsequia: hoc est quod Apostolus monet ad Corinthios dicens. *Siue ergo manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Sic enim hæc ipsa corporalia commoda cibi, & potus, quæ alioquin spiritui nocere solent, animæ vestræ proderunt ad salutem. Parentibus autem tanquam nostris radicibus, & truncis debemus honorem: per illos enim accepimus vitam hanc, vnde merito priuatur vita, qui vitæ radicem non honorat, sed deturpat. *Propter quod* (ait) *honora patrem tuum,*

Iac. 1.

Psal. 150.

Psal. 33.

Simile.

Parentes & cæteros honoramus vt Dei ministros.

Iob. 2.

Deo supremus.

Isai. 42.

Apoc 22.

1. Tim. 1.

Simile.

1. Cor. 10.

Cur parentibus.

Simile.

Matt. 15.

tuum, & matrem tuam, & erit longæuus super terram. Debetur etiam eis obedientia in his, quæ ad regimen domus spectant, quandiu filius emancipatus non est. Magistris quoque honorem impendimus, quia nos scientia, & ratione auxerunt. Cum enim esse nostrum rationale sit, æque eis fere debemus, qui rationem sicut, qui vitam, & esse præstarunt. Vnde antiquum proverbium est, *quod diis, parentibus, & magistris nemo potest reddere æquiualens.* Principes etiam honoramus, quia Dei locum habent in terris, & ab ipso constituti sunt iudices ad terrorem malorum, laudem vero bonorum. *Propter quod* (vt Apostolus ait) *necessariam eis debemus subiectionem, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Obligant enim nos eorum leges, & præcepta si iusta sunt, non modo ad temporalem pœnam, sed etiam ad peccati culpam maxime cum ex superbia contemnuntur, sed præ omnibus hominibus sacerdotes Dei, & prælati ecclesiæ honorandi sunt, qui non corporum, sed animarum parentes, iudices, & custodes à Deo constituti sunt: ideoque sicut anima corpore nobilior est, ita cæteros omnes illorum principatus excellit. Vnde Apostolus ad Timotheum ait, Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina, duplicatus honor, reuerentia, & obedientia, quarum altera cordis, altera corporis est. Neque enim sufficit (vt ait Bernardus) exterius obtemperare maioribus nostris, nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus, de eis. Quod si tam manifeste annouerit indigna prælati alicuius vita, vt nihil omnino dissimulationis, nihil excusationis admittat, propter eum tamen à quo est omnis potestas, ipsum quē modo talem nouimus excelsum reputare debemus, non præsentib. personæ meritis, sed ordinationi diuinæ, & dignitati ipsius officij deferentes reuerentiā, illis impendimus propter dignitatem obedientiam, & propter solicitudinem, in quatū vtraque nemo illis hominum conferendus est. Excellunt namque officio, & dignitate (vt prædiximus) nō solum temporales, & terrenos principes, sed etiam angelicos illos cælestis curiæ principatus, tum propter dominici corporis consecrationem, tum propter remittendorum criminum potestatem. Sed de cura, & solicitudine illorum quid dicam? cum pro animabus nostris animas suas non temporali modo, sed æternæ morti, & sempiternis ardoribus exposuerint, Deo se pro nobis reddere rationem in districto illo examine deuincientes. O terribilem & formidabilem obligationem? Quid obsecro eis obsequij tependere possumus, quod tale, ac tantum adæquet periculum, & huic æquiualeat obligationi? An non audistis quid prælatis per Ezechielem dominus dicat? *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel, si non annunciaueris impio, neque locutus fueris, vt auertatur à via sua impia, ipse impius morietur sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Videtis quam formidabile iudicium illis proponitur, ô quam durum, & terribile est pro alienis criminibus damnati, & pro alterius commissis ardere? neque est illis excusatio postquam semel susceperunt dignitatis iugum. Vnde Bernardus. *Accedit*, inquit, *ad solicitudinis cumulum, & pondus timoris, quod cum meam, & proximi conscientiam seruare necesse sit, neutra mihi satis est nota, vtraque abyssus est imperscrutabilis, vtraque mihi nox est, & nihilominus exigitur à me vtriusque custodia.* Et clamatur, *Custos quid de nocte, custos quid de nocte? Non est mihi dicere cum Cain, Nunquid custos fratris mei sum ego? Quis sapiens & intelliget hæc?* vtique si prælati nostri huius obligationis pondus satis intelligerēt absconditum se forsitan in pectis, & in cauernis terræ latuissent, vt oblatam effugerent dignitatem, cui tantum animæ suæ periculum annexum est. Grandis honor episcopatus, sed importabile pōdus, & formidabilis timor, propter

Deut 5.
Cur magistris.
Sacerdotes excellunt Angelos officio.
Cur principes.
Rom. 13.
Heb. 13.
Cur Sacerdotes.
Ezech. 3.
Simile.
1. Tim. 5.
Isai. 21.
Gen. 4.
Psal. 106.

quod iure illis debetur omnis honor, qui pro nobis tantum subire discrimen non formidarunt, maxime si iniunctum sibi officium debite prosequuntur. Vnde volens Deus populis insinuare quo honore prælatos suos prosequantur, Deos nuncupat illos in psalm. dicens. *Deus stetit in synagoga deorum, & in medio eorum Deos diiudicat*, quibus tantum dignitatis, & potestatis fastigium à Deo tributum est, vt sicut dii gentium populos diiudicent, ipsi vero à nemine iudicentur. Hæc de prælatis longius forsitan quam proposito decuit prosecuti sumus, propter quosdam huius temporis hæreticos, detractores, qui non verentur inuerecunde, perfricta fronte sicut canes rabidi, aduersus ecclesiæ antistites delatrare: quorum damnatio in tempus suum reseruata est. Sed iam ad sanctos veniamus, quibus (vt opinor) tribus de causis potissime debetur honor. Primo, quia sancti sunt: est enim honor virtutis præmium, & tributum quoddam debitum honestati, vnde viro iusto, & optimo omnis homo laudis, & honoris debitor est. Si ergo sanctum honoras, non eum propterea obligasti, sed reddis illi debitum quod debes, sicut rectigalia regi, mira virtutis laus quæ totum mundum sibi obligat ad honorem. Hoc est quod Apostolus ad Romanos ait. *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorē, cui honorem, honorem: nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis*: amoris namque debito, etiam si multum dilexeritis, semper vos amplius existimate debitores, in reliquis autem debitum omnibus persoluite, principibus, vectigalia, & timorem: sanctis gloriam, & honorem, hic solidus honor est quo non dignitas, aut officium, sed persona, & virtus honoratur. Quid enim habet gloriæ, si constituatur in magistratu, vel principatu honoratur à populis? Non potest is de hoc admodum gloriari, vbi non tam ipse quam eius dignitas honoratur, quicunque enim illa dignitate inuestiretur, eodem modo patitur honorari etur. In sanctis vero non ita est, quibus propter seipsos, & meritum, omnis homo rependit honorem. Magnus, & præclarus titulus virtus fratres nullus alius potest illi quomodolibet æquiparari, quicquid de aliquo dixeris, siue quia magnus literatus, siue quia magnus artifex, aut doctor est, non ita granditer sonat, sicut cum bonum illum hominem prædicaueris. Hæc omnium suprema, & potissima laus est, qua non secundum aliquid bonus, sed simpliciter bonus dicitur quispiam, quamuis nemo sit absolute bonus, id est, ipsum bonum, nisi Deus solus. Tenemur etiam secundo sanctis ad honorem ob innumera beneficia, quibus bene meriti sunt de nobis: in Christo enim Iesu per Euangelium ipsi nos genuerunt, & vberum suorum lacte nos lactauerunt, quis enarrare sufficiat labores eorum, & sudores, & amarissimos dolores, quos in hoc spirituali partu sustinuerunt, vt nos Deo gratam prolem fide, & moribus parturirent? Considera martyrum atroces conflictus, & diras mortes, quas passi sunt, vt ecclesiam Dei, & fidem catholicam stabilirent, & eam in cordibus fidelium sanguine suo plantarent. Quo etiam zelo, quo feruore doctores sancti diebus, ac noctibus in sacris literis desudarunt, vt lucubrationibus suis populum Dei viam vitæ docerent, & in fide, & veritate formarent: quibus etiam exemplis confessores sanctissimi nos adiuuerunt viam domini præeurrentes, vt nos ad sequenda eorum vestigia prouocarent. Quando istis reddere poterimus æquiualens, pro fide, pro sapientia, pro virtute, pro omni denique vitæ, & morum institutione, reformationeque quam nobis vita, & literis contulerunt? Sed & nunc postquam æternæ vitæ brauium consecuti sunt, quid post Christum Dei filium ecclesiam Dei sustinet, quid eam fouet, & nutrit, nisi illorum patrocinium, & continua pro nobis deprecatio coram Deo? In vita sua sicut columnæ, nunc autem sicut angulares lapides

(qui

Psal. 81.

Sancti triplici de causa honorandi.

1 *ia sancti sunt.*

Rom. 13.

Luc. 18.

2 *Quia nobis innumera beneficia meriti sunt.*

1. Cor. 4.

(qui vocari solent claues) exalto totius ecclesiastici ædificij molem humeris suis portant, Deo pro nobis incuruantes seipsos, sicut scriptum est, *Sub quo curuantur, qui portant orbem.* Iob. 9. O quomodo pro nobis zelant? quomodo in pressuris, & tribulationib. nostris solicitantur de nobis? quis eorum pietatem, & charitatem valeat explicare? Angelos quidem beatos nostri amantissimos, & obsequentissimos habemus, & nostræ salutis auidissimos oratores, sed non ita experti sunt miserias, & infirmitates nostras, sicut sancti homines quos in gloriam Dei hæc vita transmisit, qui postquam simile periculum euaserunt, non ignari malorum, ex his quæ passi sunt ipsi miseris succurrere didicerunt, propter quod in tribulatione mea libentius sancti alicuius quam angeli fauoreth imploro, sciens quia expertus idipsum facilius miserebitur patienti: Sic amico suo in tribulatione constituto, viri illi sapientes consulebant dicentes. *Voca si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere.* Iob. 5. Sic quoque ecclesia Dei quoties affligitur facere consuecuit, velut prudens filia ad matris suæ gremium accurrens, auxilium ab ea postulans, & fauorem. Qualia obsecro, ac quanta hæc beneficia sunt, vt non pro eis merito quoslibet sanctis rependamus honores. Sed vt verum fatear non sic ista omnia ad eorum venerationem prouocant me, non sic ad eorum obsequium, & laudem animum meum concitant, sicut amicitia, & gratia qua Deo coniuncti sunt: hæc me pedibus eorum sternit, hæc me sibi vndiquaque mancipat in obsequium, venerentur in eis merita, qui volunt, venerentur alij beneficia, siue quidvis aliud quod placuerit, *mihi certe nimis honorati sunt amici tui Deus*, Psal. 138. ob hoc mihi sunt honorati, quia amici tui sunt ad omnem honorem, & dilectionem, sufficit mihi scire, quia tibi placent domine, & tu eos sic honorati, & amari, & iubes, & vis. Hæc mihi omnis amoris causa, hæc ratio potissima diligendi, non discerno meritа, non pondero sanctitatem: sat mihi est diligere quem diligis, honorare quem honoras: *nam omni honore condignus est quem rex voluerit honorari,* Hester 6. neque tam dignum reuerentia facere potest eum propria virtus, sicut regis æterni voluntas. Amat sponsa vernaculum parasitum, ac tota eam veneratione prosequitur, non vtique ob aliud, nisi quia sponso suo illum placere nouit, neque attendit quod promereatur honoratus, sed quid velit dilectus. Hæc vtique vera, & perfecta charitas est, & acceptissima Deo voluntas, qua in ipsum, & propter ipsum omnia diliguntur. Sed quomodo amas electos tuos domine? quomodo ipse honoras eos? expone nobis obsecro, da sensum, da linguam, da sentire quod cupio, explicare quod sentio: vincitur enim omnis sensus à re, omnis vox à sensu. Sed qua via dicam? quomodo id explicabo? familiari vtar exemplo: si forte sic innotescere possit quod cupio. Pone nunc regem potentissimum quempiam ex familiaribus amicissimum, ac dilectissimum, sibi modis omnibus sublimare conantem, pone etiam huic regi omnia in suo regno licere quæ velit, quid putas faciet, vt exaltet amicum? diuitiis plurimis ditabit eum, multis eum titulis honestabit, deinde sibi semper adesse præcipiet, & domui suæ, & regno præficiet eum, vt sicut illi placuerit, ita in omni domo, & regno eius fiat. Rursus illum sibi consiliarium faciet, eique omnia secreta sua etiam intima pandet, & vt ampliorem illi tribuat dignitatem coram omnibus patietur se ab ipso redargui, & si indignatur in regem publice placabit eum, & ad illius arbitrium cuncta disponet, absentem præsentemque venerabitur eum & non solum personam eius, sed etiam omnia sua honorifice tractari iubebit. Est ne amplius quod superaddi possit huic honori? Adde quoduis, adiunge quodlibet, ampliorem multo sanctis suis Deus confert honorem. Bone Deus quas illis diuitias, quos titulos præstas, non in auro, & argento, & lapidibus

Similia.

Similia.

Similia.

preciosis, non in vestibus, & equis, & familia copiosa: hæc enim terrena sunt, & caduca modicique valoris, sed in donis super cælestibus, in gratiis, & virtutibus spiritualibus, in cordis latitudine, & plenitudine spiritus, in splendoribus intelligentiæ, & sapientiæ claritate. Hæ sunt diuitiæ sanctorum inauferibiles, quibus ditantur à Deo: titulus autem excelsus est supra modum, vt filij Dei nominentur, & sint. *Ioan.1.* *Dedit namque eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt. Videte* fratres *qualem charitatem dedit nobis pater* (ait Ioannes) *vt filij Dei nominemur, & simus.* *2. Ioan.3.* Potest ne addi aliquid huic titulo? Præficit etiam eos regno suo, vt faciant in tota domo eius, & regno quicquid libuerit. Vide si non ita est eorum voluntate mortui suscitantur, *caci vident, surdi audiunt*, infirmi curantur, desperata salus ægrotis donatur, ad libitum de omni creatura disponunt, eis cœli, maria, terra, & omnis obtemperat creatura Dei. *Math. 11. & Luc.7.* O miram sanctorum hominum authoritatem? Deos illos constituit vniuersi: sic enim Moysi dictum est. *Exod.7.* *Ecce constitui te hodie Deũ Pharaonis.* Attende solenne factum Iosue, dum bellum gereret contra Gabaonem, quoniã occasui sol appropinquabat, neque vindictæ tempus dabatur ei, eleuata in cœlũ manu, mira authoritate præcepit soli, Sol sta, *ne mouearis cõtra Gabaonem*, & ad vocem hominis per quindecim horas, & eò amplius stetit sol, *obediente Deo voci hominis.* *Iosue.10.* *Hier.3.* O audaciam, ó fiduciam, ó potestatem, ó authoritatem inæstimabilem, ô virũ secũdum cor Dei, qui nouerat optime, quid haberet in Deo suo. Si hoc sanctus potest, quid non poterit? qui cœlum sistere non orando, sed iubẽdo præsumpsit, quid non audebit? Quanta quotidie, & legimus, & audiuimus prodigia precibus, & volũtati sanctorum in vniuersa fieri voluntati eorum obediente natura. Certe (vt alios taceam) beatus Ægidius suis orationibus principis filiam suscitauit, hospitæ filiam curauit, naufragantes à periculo liberauit, sterili terræ optatam incolis fertilitatem reddidit, & innumera alia miracula fecit, quæ longum esset nũc enarrare per singula. Hæc est sanctorum authoritas in domo Dei, hæc eorum potestas magna in omni regno eius. Iam vero de familiari cum eis, locutione, & secretorum reuelatione quid dicam? *Loquebatur dominus ad Moysen quasi vir ad amicũ suum*, eumq; de omnib. instituebat sciscitatusq; ab eo respondebat ei, & in omnib. voluntatem suam pandebat. Vnde merito super hoc quidã sanctus glorians dicebat. *Incerta, & occulta sapientia tua manifestasti mihi*, Et alius pro Deo spondebat dicens. *Non faciet dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos prophetas*, & ipsemet de seipso protestatur, dicens, *Nunquid celare potero Abraham quæ gesturus sum*? quasi dicat, præ amore vtiq; non potero. Quid enim etiam beati angeli ab amicis Dei plurima didicerunt, & de futuris per prophetas mysteria nõnulla cognouerunt, vide si non hoc Apostolus insinuat, vbi ait. *Vt innotescat principatibus, & potestatibus in cœlestibus per ecclesiam multiformis sapientia Dei*, &c. Parum fortsitan videbitur hoc secretorum conscios fecisse sanctos, nisi etiam super agendis habeat consultores, consiliariosque. Attende qualiter Abraham super facto Sodomorum Deo suo consulit dicens. *Nũquid perdes iustum cum impio? absit à te, vt rem hanc facias, non est hoc tuum quod qui iudicas terram, nequaquam facies iudicium hoc.* Quid amplius Petrus dixit Christo cum ait. *Absit à te domine?* Et audiuit. *Vade post me Satana*, quia magistrio cõsulere videbatur. Sed & Moyses populi Israelitici ductor quam frequenter huiusmodi consilia præstat? *Cur domine* (inquit) *irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Aegypti, in fortitudine magna, & manu robusta? ne quaso dicant Aegyptij, callide eduxit eos, vt interficiat in montibus & deleret de terra.* Et alibi. *Vt audiant*

Exod.33. *Sancti familiares sibi Deo fuerunt.* *Psal.50.* *Amos.3.* *Gen.18.* *Abraham Dei amicus.* *Ephes.3.* *Gen.18.* *Math.16.* *Exod.32.* *Num.14.*

B. Ægydius suscitauit filiam principis.

audiant Ægyptij de quorum medio eduxisti populum istum, & habitatores terræ huius, qui audierunt quod tu domine in populo isto sis, & facie videaris ad faciem, & dicat non poterat introducere populum in terram, pro qua iurauit, idcirco occidit eos in solitudine. Huiusmodi consilia homo loquitur Deo suo. O *cœli*, ô astra *stupescite super hoc, & porta eius admiramini vehementer*, Deo inquam factori suo vermiculus de terra consulit quid facto opus sit, abyssum imperscrutabilem diuinę sapiētiæ quid expediat homuncio monet. Cui consulis, ô Moyses, ? cui consilium præstas ? putasne ignorat Deus hæc omnia, vt ei consiliarius ipse accedas, cui doces, qui temperat orbem ? neque quidem dicitur illi, Tu quis es, qui hæc consulas Deo ? sed incredibili benevolentia auditur, & veluti consilium eius accipiens, ita respondet illi Deus. *Dimisi iuxta verbum tuum, viuo ego, & implebitur gloria domini super vniuersam terram*: ac si diceret ei, faciam quod vis, implebo quod consulis, dimitto sicut hortaris. Atque vt ampliorem illorum apud se confidentiam populo suo ostendet, interdum patitur se ab eis quasi reprehendi, & incusari, piasque de se ab eis cæremonias sustinet. Quam plena his querulis vocibus passim scriptura reperitur : præsertim Iob, cui propter hoc ab amicis dictum est. *Docuit iniquitas tua os tuum, & linguam blasphemantium imitaris.* An non blasphemiæ simile est velle disputare cum Deo, & petere arbitrium inter ambos, prouocare Deum ad iudicium, & innumera alia quæ præ nimio dolore audaciter in Deum iactare videbatur ? Quæ vtique omnia nisi sensus Iob, & spiritus captiatur, nullus hominum excusare poterit à blasphemia. Sed & Abacuc propheta à quo furore prophetiæ suæ exordium auspicatur? *Vsquequo* (inquit) *domine clamabo, & non exaudies: vociferabor ad te vim patiens, & non saluabis? quare ostendisti mihi iniquitatem, & laborem, videre prædam, & iniustitiam contra me? quare respicis contemptores, & taces conculcante impio iustiorem se ?* Super quo exordio D. Hieronymus admirans ait. *Vides quam temeraria vox sit, & quodammodo blasphemantis, creatorem suum ad iudicium prouocare? & vas fragile aduersus figulum cur tale, vel tale factum sit disputare?* Quid dicā de illa Hieremiæ audaci nimium (vt ita dixerim) insolentia, sed pia, sed sancta, qua Deum tam libere alloquitur dicens ? *Seduxisti me domine, & seductus sum: fortior me fuisti, & inualuisti, factus sum in desiderium tota die, omnes subsannant me, quia iam olim loquor vociferans iniquitatem, & vastitatem clamito, & factus est mihi sermo domini in opprobrium, & in derisum tota die, & dixi, non recordabor eius, neque loquar vltra in nomine illius*, &c. Quid audacius ? quid insolentius dici posse, videbitur qua seductū se à Deo, & violenter oppressum ? Ac propterea non modo, vt ei præceptum fuerat in eius nomine non loqui, sed neque de illo quidem in perpetuum amplius recordari. O inæstimabilem libertatem? quis seruus dicere audeat domino suo, non loquar pro te amplius, sed neque tui amplius recordabor ? Iratus dominus in populum suum propter vitulum, *dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione furoris eius*: sed quomodo steterit attende. *Si dimittis* (inquit) *dimitte, & si non, dele me de libro in quo scripsisti.* O mirabilem deprecationē ? ô inauditam sæculis obsecrationem? minis agit vt placet, minatur inquam Deo, quod nisi alios suscipiat ipse quoque ab illo discedat? & ô Dei benevolentiam inæstimabilem ? ne ille discedat placatur omnibus. Ita ne tanta est hominis in Deum confidētia, & sic illum sibi charitate deuictum, captiuumq; sibi reputat, vt minetur discessū, nisi faciat quod ipsi libuerit, quis obsecro non dicam regi suo, sed neq; alteri conciui suo tam libere loquitur, sicut iste loquitur Deo suo? Videtis quantam præstiterit audaciam amor, in quantam proruperit insolentiam

Hier. 2. *Num. 14.* *Iob. 15.* *Abac. 1.* *Isa. 29.* *Hier. 20.* *Psal 105.* *Exod. 32.*

Simile. solentiam, patris nimia charitas filios insolentes facere consueuit: amor quippe negligit honorem, reuerentiam nescit. Tale quid istis accidisse videtur, sed plena sunt omnia mysteriis. Iam vero illa Ionæ prophetæ, non quidem tam admiranda quam ridicula indignatio, qua irascitur Deo super misericordia eius furensque sub hedera dormit, indignatus videlicet, quia verbum suum quod præcepto eius Niniue nunciaret, Deus non impleret, omnes sensus, & rationis metas excedit. O spectaculum glorioſum videre indignabundum famulum sub hedera recumbentem, & omnipotentem dominum placantem illum, factique sui benevolentiam reddentem. *Putasne* (inquit) *bene iraſcerís tu ô Iona?* Et ille, *Bene iraſcor vſq; ad mortem.* Bone Deus, qualis responsio? quam protetua? Et dominus ad eum *Tu doles super hederam in qua non laborasti, &c. & ego non parcã Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt pluſquam centum viginti millia hominum qui neſciunt, quid ſit inter dexteram, & ſiniſtram ſuam?* Quid hoc domino benignius? quid amabilius? quid clementius? O quantum me delectat domine? quomodo lætatur anima mea, cum de te omnipotentiſſimo, & infinito Deo, hæc omnia, & audio, & lego? quam me amplius ad amandum, & sequendum te hæc tua charitas, & benevolentia provocat quam numeroſa stipendiorũ repromiſſio, & omnis pro obsequio expectata merces? Quam vellem largius hæc omnia proſequi, niſi me ad dicenda quæ restant tempus arctaret. Veniam nunc ad eorum reliquias. Parum Deo visum est sic in vita honorare sanctos suos, niſi etiam in morte prodigiis, & miraculis claros faceret, imo & longe poſt mortem ad eos respectum haberet, multis quidem iam sæculis mortuus fuerat Dauid, & Abraham, cum de illis dicebat. *Protegam locum iſtum, & domum hanc propter Dauid ſeruum meum, & Abraham electum meum.* Hui hui Deus meus poſt tot annos nunc est respectus ad Abraham? O inæstimabilem dilectionem? ô perſeuerantem amorem? incineratus Abraham locum, & terram protegit, & plus mundo confert mortui hominis memoria quam cunctorum viuentium iuſtitia: quanta laus, quanta commendatio viri iuſti poſt tot sæcula, poſt tot annorum curricula, patriæ suæ fieri protectorem. Sed quid miramur quod amicos suos Deus ita honoret, cum & corrigiam, & calceum, & tunicam, & baculum, & quidquid illorum fuit in honore habeat? Pallio suo Heliseum, Helias vestiuit, & propheta factus est. Eodem pallio poſtmodum Heliseus Iordanem tetigit, & diuiſus est, oſſa Heliſei mortuum hominem tetigerunt & ſtatim ſuſcitatus est, pallio suo Ægydius pauperem induit, & sanatus est. Baculo Bernardi dæmon à muliere fugatus est: ita vt cum frenderet coram ea, ſicut canis, palo viri Dei tutaretur à morſu. Quid iſta refero fratres? dies non ſufficeret ad dicendum ſi ea quæ paſſim leguntur ſuper hoc, miracula enarrare voluiſſem. Tranſibat Petrus per plateas Hieruſalem, & ponebantur ægroti in grabatis, vt vel ſaltem vmbra illius tangeret eos, & ſanarentur. Quid iam obſecro addi poteſt honori ſanctorum cum etiam vmbra eorum ſic honoretur à Deo. Si ſic honoratur vmbra, quomodo putas honorabitur perſona? ſi ſic exaltatur tunica, quomodo exaltabitur anima? Sic dominus ſanctos ſuos ſublimat, ſic eos honorat, hoc decus, *hæc gloria eſt omnibus ſanctis eius*, videant, qui dente canino reliquias ſanctorum deridenti. Attendant noſtri temporis deriſores, quibus omnis pietas ludibrio est. Quid ſubſannas, ô ſtulte? quid rides, quia veſtimentum, aut calceum ſancti hominis veneror, oſculor, & amplector? Hoc Deus ægrotos curat, dæmones fugat, prophetas facit, mortuos ſuſcitat, Deus ſic honorat, & ego non honorabo? Deus ſic in pretio habet, & ego non habebo? natura cedit, & ego non cedam? non modo calceum, ſed & veſtigium non modo tunicam, ſed & vmbram cum omni de-

Ionas Propheta contendit cum Deo.

Ion. 4.

3 *Bellar. to. 2. Cont. 7. li. 2.*

3. Reg. 11.

Reliquiæ Sanctorum honorandæ.

3. Reg. 19.

4. Reg. 2.

4. Reg. 13.

Act. 5.

Pſal. 119.

uotio-

uotione venerabor: sciens quia Deo meo ita placitum est. Credite mihi fratres non est à Deo spiritus, qui sanctis eius, & eorum reliquiis non defert honorem, proinde monitos vos esse volo, vt sicut à patribus didicistis, ita teneatis, nouas doctrinas fugite, & sanctorum monitis adhærete. Hæc tam multa de sanctorum honore, & tam diffuse prosecutus sum, si forte moueat nos hæc tanta, & tam sublimis sanctorum gloria, ad eorum imitanda vestigia. Ideo propono honorem, vt prouocem ad æmulationem, nemo causetur, quod in longum Deus suam differat retributionem. Ecce qualem in præsenti sæculo amicis suis præstat honorem. Quis ita cito, & tam magnifice retribuit sicut Deus? & proh insaniam, vix inter homines inuenit amicum. Conqueritur ipse, & merito super hoc per prophetam dicens, *Nunquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina, quare dixit populus meus: recessimus, non veniemus vltra ad te?* Et per alium prophetam apertius, *Inualuerunt super me verba vestra, dicit dominus, & dixistis, quid locuti sumus contra te?* dixistis, vanus est qui seruit Deo, & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes coram eo? ergo nunc beatos dicimus arrogantes, &c. Ecce sanctorum emolumentum, ecce iustorum stipendium: sed & hoc quale, aut quantum est ad illam futuram gloriam quam *præparauit diligentibus se*? Sicut lapis ad montem, stilla ad flumen, scintilla ad solem, quæ hic vidimus, & audiuimus, prout potuimus enarrauimus, cæterum quanta eos gloria maneat in futurum, quia dicere nemo sufficit, silentio melius præterimus, hoc vnum dixerim. Si in exilio tanta est sanctorum potentia, quanta erit in regno? si sic honorantur inter rusticos, quomodo honorabuntur inter ciues. Pagus hic est rusticorum, ciuitas illa opulenta principum diuersorium, hoc est viatorum regnum illud perenne ciuium. Quis gloriam quærit in diuersorio? quis in exilio cupit inter barbaros honorari? O genus Adam superbum, & ambitiosum? si honorem cupitis, hunc perquirite: si gloriam vultis hanc procurate. De corporibus enim dicere audeo, quia fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum: hic erit splendor corporum, perpendite qualis erit gloria animorum, ab exteriori decore, interiorem perpendite pulchritudinem. Ibi erit gloria, honor, & imperium, gloria in corde, honor in societate, imperium in potestate: gloria, quia iucunditatem, & exultationem thesaurizabit super eos, honor quia confitebitur illos coram angelis Dei: imperium quia super omnia bona sua constituet eos. Est enim omnis beatus omnipotens, non absolute sicut Deus, sed omnipotens suæ voluntatis, quia beatus est qui habet quicquid vult, & nihil mali vult. Vere *beatus quem elegisti, & assumpsisti*, elegisti ab æterno, assumpsisti in sæculo, vt *inhabitet in atriis tuis* in sæcula sæculorum. Amen.

Deus vix inuenit amicum in terris.

Hier. 2.

Math. 3.

1. Cor. 2. & Isai. 64.

Simile.

Mat. 10.

Mat. 24.

Psal. 64.

DE DIVO ÆGIDIO Abbate, Concio altera.

THEMA.

In memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit. Psalm. 111.

MVLTIFARIAM multisq; modis nos allicit Deus ad se, & salutem nostram procurat. Diligit enim creaturas suas quas gratis sola bonitate creauit, & vult, vt consequantur finem ad quem creatæ sunt, ne frustra conditæ videantur. Vnde per varia media nos dirigit in finem, nonnunquam minis, & terroribus nos concutit obiiciens nobis pœnas damnatorum, infortunia, & miserias peccatorum assidua flagella, & frequentes molestias inimicorum, & importabile tormentum iniquorum, malitiæ malum enim, & amarum nimis est Deum habere inimicum. Quod si minæ non sufficiũt, flagellis, & infortuniis affligit nos, in chamo, & fræno maxillas

Multis modis Deus nos allicit.

Psal. 31.

Psal. 31. maxillas nostras constringens, vt reuertamur ad ipsum: & si hac via magis induratur cor nostrum, mille blãditiis, & fauoribus nos mulcet, augens dona, subsidia multiplicans, accumulans beneficia: si forte, vel sic ad amorem largitoris prouocemur. Quod si hæc parua vidẽtur, multo maiora promittit ingerẽs nobis futuram gloriam, quam præparauit diligentibus se, & innumerabiles gratias quas hic confert custodientibus præcepta eius. His itaque & plurib. aliis modis exhortando, monendo, corripiendo, terrendo, mulcendo, fauẽdo, promittendo, largiendo, diligendo, vt pater piissimus, ac munificẽtissimus, vitam, salutẽque nostram inquirit, nihil omittens omnino eorum quæ nobis prodesse poterunt ad salutem. Vnde

Osee. 6. per prophetam ait, *Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda? quid debui facere vineæ meæ, & non feci?*

Isai. 5. imo quid debuisti domine vineæ tuæ, vt ita faceres, aut quomodo vinea tua te potuit facere debitorem quam sola gratuita bonitate plantasti? Sed ô duritiam, ô pertinaciam cordis nostri? Hæc omnia Dei incitamenta, & blandimenta quasi nihil contemnimus, & floccipendimus, neque dignamur, vel à longe ea inspicere, & considerare, quasi ex debito redderentur, neque terroribus flectimur, neque flagellis emollimur, neque beneficiis allicimur, neque promissionibus prouocamur. Quid respondebimus in iudicio, tantam erga nos Dei nostri charitatem, & misericordiã contemnẽtes. Quam merito dominus super hac peruersitate, & ingratitudine nostra conqueritur per prophetam dicens. *Quomodo si cõtemnat mulier amatorem suum sic contempsit me domus Israel*, id est, nullus sic amauit, nullus sic zelauit, nullus sic quæsiuit, nullus sic cõtemptus est. O immensam Dei pietatem, & bonitatem? tãta maiestas à creatura sua, & opere suo sic contempta, & abiecta non indignatur, non irritatur, non recedit, sed stat ad ostium, & pulsat frequenter repetens, & clamans. *Aperi mihi soror mea sponsa mea, immaculata mea, aperi mihi columba mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*, aperi mihi, vt bene tibi sit, non ego indigeo hospitio tuo, qui habeo in cœlo tam ampla palatia, sed tu indiges tanti hospitis beneficio, non in eam, sed tuã vtilitatem inquiro. Aperi mihi, vt vberem hospitij tui mercedem recipias, nã caput meum pretiosissimum balsamũ desudat, quo vncta saneris, & cincinni mei purissimum rorem gratiarũ emittunt, quo lota munderis. Quorsum hæc omnia? nempe, vt Psalmi centesimi vndecimi quem in præsenti sermone exponendum assumpsimus, & sensum, & intentum melius perpendamus, describit namque in eo spiritus sanctus ore prophetico mirifice, & exactissime iustitiæ fructus, sanctitatis commodum, quid emolumenti, quid vtilitatis habeat vera misericordia, vt alliciamur forte, vel tantorum bonorum cupiditate, & allecti iustitiam, & innocentiam æmulemur. Et quidem sufficere debuerat nobis ad æmulandam omnem iustitiam ipsa summa iustitiæ pulchritudo, amabilis super amorem mulierũ, & super omnem mundi dulcedinẽ. Delectabit ipsa Dei nostri gloria, & maiestas, *cui seruire negare est*: beneficiorumque eius inexplicabile pondus, & charitatis eius in nos ardor immensus, cui æquiualens reddere non sufficimus. Satis & plusquam satis obligati sumus tibi domine, & adhuc promissionibus agis? ad quid domine ista promissio? Proh pudor vt tanti maiestati seruiam pollicitationibus indigeo? vt Deum meum creatorem meum, redemptorẽ meum, glorificatorem meum, dilectorem meum diligam? vt ei obediam, vt ei adhæream præmio attrahẽdus sum? Væ mihi tam iniquus, tam peruersus, tam ingratus sum, vt indigeam salario? ad amorem tuum stipendio prouocandus sum? Confundis faciem meam domine promittẽdo, non possum audire, non valeo sustinere promissiones tuas, quinimo si mihi omnia tormentorum genera, omnia mundi infortunia, omnes

2. Reg. 11.

Deus promissionibus nos allicit.

Peccatoris obduratio explicatur.

Hier. 3.

Apoc. 3.

Cant. 5.

nes angustias, omnes infirmitates, omnes dolores, mortem etiam, & infernū minareris, ne amarem te, ne tibi seruirem, à tuo seruitio desistere non deberem. Et quod maius præmium, aut quæ gloria, quæ dignitas sublimior, quā tibi placere, tibi adhærere, tibi seruire? Tanta celsitudo, tanta sublimitas, nullo labore, nullo infortunio cōpensari potest: & insuper præmium quærentibus adiicit? Quanta misericordia, quanta magnificentia, quanta clementia, vndique domine nos cogis, vndiq; stringis, & compellis ad te, væ nobis si recesserimus à te. Sed iam psalmi literā aggrediamur. *Beatus vir qui timet dominū, in mandatis eius volet nimis.* Triplex iustitiæ gradus innuitur, primus in domini timore, secundus in mandatorum eius obseruatione, tertius in eorundem mandatorum dilectione. A timore Dei ad obseruantiam proficimus, in amore conformamur, initium sapientiæ timor domini, intellectus bonus omnibus facientibus eum. Sic præcedentem psalmum finierat, & rursus ab eodem timore sequentem inchoat, dicens. *Beatus vir qui timet dominum.* Preciosa margarita timor domini, beatus qui possederit eam, omnibus de cætero ditabitur bonis, à timore enim tuo domine concepimus, & quasi partu edimus spiritum salutis. Hic facit recedere à malo, hic nos vndique ligat ne excedamus: ligat enim sensus, cogitatus, desideria, appetitus, linguam, manus, pedes, & omnes fluctus cordis cohibet, ne ad illicita, & prohibita effluant. *Congregans sicut in vtre aquas maris*, id est, cordis tumentes passiones, & appetitus cohibēs, ne inundinent, & operiant rationis, & iudicij stabilitatem. Vnde beatus Augustinus de matre sua. *Erat* (inquit) *enim timor castus in corde eius, tanquā fascia pectoralis qua cogitationes astringeret, in ore tanquam frenum quo linguam deprimeret, in opere tanquam stimulus ne pigritia torperet, in cunctis tanquam regula, ne modum excederet.* Et cum dominus commendaret Iob, ait ad Satan. *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra? homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Per timorem autem domini non solum declinat omnis homo à malo, sed etiam proficit in bono, sicut scriptum est, *Qui timet dominum custodit præcepta illius*: non solum vitando quod malum est, sed operando quod bonum est. Hic est secundus iustitiæ gradus, in quo vita consistit, nam inquirenti quid faciendo vitam æternā possidebo. Hoc à domino responsum legimus. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Sed nōdum consummatū est, si timore seruat, & non magis amore amplectitur illa, si nollens facit, ne pereat, si inuitus custodit ne ardeat, illa vox consummati, & perfecti viri. *Quomodo dilexi legem tuam domine, tota die meditatio mea est.* Et iterum, *Ideo dilexi mandata tua super aurū, & topazion.* Talis erat ille, qui iā non ipse viuebat, sed in illo Christus qui de seipso dicebat, *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem quia bona est, non quia necessaria est custodio, non quia vtilis est seruo, sed condelector in ea quia bona est.* Hūc hominem qui à timore incipiens, & in obseruatione legis proficiēs, ad eius dilectionem pertingit, vt *in mandatis Dei velit nimis*, propheta regius procul dubio beatum pronunciat, fœlicem asseuerat. Sed vnde beatus? vnde fœlix? *Potens in terra erit semen eius generatio rectorum benedicetur: gloria & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Beatus vtique etiam si nihil vtilitatis inde consequeretur, sed quāta bona ex hoc consequatur attendite, & quis ea sufficiat enarrare? Primo *semen & generatio eius* in terra *benedicetur*, multiplicabitur, honestabitur, dominabitur, & potens erit, possidebit portas inimicorum suorum, & merito in omnibus bonis ditabitur, & decorabitur: *gloria enim & diuitiæ in domo eius*, etiam longo tempore post eum. Nam & si ipse transeat, & discedat, tamen *iustitia eius manet in sæculum sæculi*, in generatione & generationem,

Psal. III. *Triplex iustitiæ gradus.*

Psal. 110.

Isai. 26.

Margarita timor Domini.

Psal. 32.

Tob. 11.

Prou. 15.

Eccl. 15.

Luc. 10.

Psal. 118.

Ibidem.

Gal. 2. *Rom.* 7.

Psal. III.

Bona quæ proueniant ex timore Domini.

Gen. 24.

nem, in filiis & nepotibus eius, quibus bene erit in terra, progenitoris sui respectu. An non Deus pronior ad misericordiam quam ad iudicium? quod si vindicat iniquitates parentum in filiis in tertiam & quartam generationem, non magis patrum virtutes in multiplices generationes remunerabit? Attendite quid ipse dicat in lege. *Ego*, inquit, *sum dominus Deus tuus, Deus æmulator reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam & quartã generationem his qui oderunt me, & faciens misericordiam in multa millia diligẽtibus me, & custodientibus præcepta mea*: non enim sicut vindicta, ita & gratia, sed multo amplior & extensior, & in plures generationes profusior. Bone Deus, quibus bonis & fauoribus temporalibus tuos prosequeris, etiam in hac vita? quid enim qui æterna illa & ineffabilia bona eis parauit, quomodo minima hæc tẽporalia denegabit? sed sæpius ea non concedit electis suis, aut quia nõ expedit, aut quia contemnuntur ab eis. Vnde (sicut ait Apostolus) *si in hac vita tantum sperantes sumus in Christo, miserabiliores sumus cunctis gentib.* Propter quod placet magis cum Augustino prædictam literam spiritualiter, exponere, non de generatione corporis, sed cordis quæ magis vera, intima, propria, & nostra generatio est. *Potens in terra erit semen eius* illud vtique semen, de quo Psalm. *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua.* Seminamus operantes, metimus morientes: seminamus dum viuimus, metimus dũ regnamus. De hoc semine Apostolus: *Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Hoc bonorum operum semẽ quod in terra seminatur, potens erit in fructu, qui in cœlis colligitur, qui & quã potens attende. *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos*, pro granis manipulos reportarunt. Mira virtus seminum & admiranda potentia, vbi de tam exigua substantia tanta corporum moles insurgit, vt videre poteris in arboribus, sed multo amplius elucet hæc potentia in spiritualibus seminibus? Quid potentius? das obulum, & accipis regnum: das minutum, & accipis cœlum: das momentaneum gemitum, & meris gaudium sempiternum. O quomodo mirabimur postea, cum videbimus ex tam modicis & exiguis iustitiæ operibus, tam multam & densam syluam cœlestium gaudiorum insurgere? Bonorum enim laborum glorioſus est fructus. Potens itaque erit viri rimorati semen, sed in terra: nam postquam terram deseruerit seminandi tempus cessabit. Promerendi enim nunc tempus est, quamdiu in terra sumus, sicut Christus nos admonet dicens: *Operamini dum dies est, veniet nox, quando nemo potest operari*: non quia post mortem iustorum opera non sint clariora multo & perfectiora quam nunc, sed quia tunc non erunt meritoria sicut nunc. Ecce primum iustitiæ fructum, in potentia meritorum. Sequitur secundus in cordis fertilitate, cum dicitur. *Generatio rectorum benedicetur*, id est, augebitur & multiplicabitur: generatio (inquam) cordis, de cuius sterilitate prophera conqueritur, dicens. *Generatio mea ablata est, & conuoluta est à me quasi tabernacula pastorum.* Quid fertilius corde iustorum? scaturit vndique & ebullit affectibus, desideriis, delectationibus, gaudiis, consolationibus, amoribus, & aliis pijs affectionibus quæ ex cordibus humanis nasci atque gigni consueuerunt, corda impiorum sterilia, sine affectione, sine fœdere, sine amicitia, sine compassione, sine amore. Et quale malum hoc? quãta infœlicitas hæc sine sensu & motu esse, vitam viuere sine vita, & mortuum esse à corde. Tertius iustitiæ fructus est in honore. Quartus in diuitiis: vnde sequitur. *Gloria & diuitiæ eius*, id est, in conscientia eius. Hæc enim est propria domus, quam vir iustus inhabitat ab omnibus sensibilib. occultatus, in qua quiescit ab exteriorum naufragio, & mundi tempestate securus, denique gloria nostra hęc est testimonium conscientiæ nostræ. Quanta gloria & honore

Exod. 34. *Exod. 20.* *Pronior Deus ad misericordiam quam ad iustitiã.* *v. 15.* *Primus fructus iustitiæ in potentia meritorum.* *Psal. 125.* *2. Cor. 9.* *Simile.* *Isai. 38.* *Sapien. 3.* *2 fructus.* *Ioan. 9.* *2. Tim. 3.* *Rom. 1.* *3.* *4.* *Psal. 30.* *2. Cor. 1.*

more Deus honestet & decoret sanctos suos, & in hac vita non est præsentis disputationis, memini quondam super hoc in isto eodem loco fecisse sermonem. Denique vt breuiter perstringam, quid glorioſius quam omnium creaturarum quæ sub cœlo sunt habere dominium? Deum habere amicum, gratioſum esse regi? & ab eo omnia quæ voluerit impetrare, in cœlis habere nomen, & inter Angelos dignitatem filium esse Dei, & cœlorum ciuem? De diuitiis autem spiritualibus taceo, cum
1. Cor 3. Apostolus dicat. *Omnia vestra sunt. Qui enim proprium filium nobis dedit, quomodo non cum illo omnia donabit?*
Rom. 8. Quanta donorum gratiarum charismatum & virtutum omnium opulentia corda iustorum repleantur, dicere non est opus, nam qui ea naturalibus (vt diximus) fœcundat, ipse ea in gratuitis
Matth. 25. supra modum ditat, *habenti quippe dabitur & abundabit.* O quam fœlicia corda iustorum naturali suo germine fœcunda & spirituali munere locupletata? Sequitur, *Et iustitia eius manet in seculum seculi.* Non solum iusto in fructum, sed etiam mundo in exemplum; non erit in obliuionem coram Deo vt remuneret, neque coram mundo vt imitando fructificet. Quintus iustitiæ
5. fructus est lux, id est, clara notitia veritatis. Vnde sequitur. *Exortum est in tenebris lumen rectis.* Magnum & egregium donum: de quo Dominus *Qui*
Ioan. 8. *sequitur me, non ambulat in tenebris.* Væ miseris peccatoribus tortis & obtenebratis, quam miserabile est videre eos sæpius & in cassum, & pro nihilo anxiatos, gementes, dolentes, lachrymantes, & vsque ad mortem contristatos? Amant enim vmbras & arcte quærunt eas, quibus sublatis necesse est eos supra modum inaniter anxiari. Ab hac tam noxia & pernicioſa cordis obscuritate iustus liber in lucis plenitudine gloriatur. Vnde sequitur. *Iucundus homo qui miseretur & commodat.* Hic
6. fœxus est iustitiæ fructus, lætitia scilicet, & iucunditas intima cordis, qua abundat omnis anima quam inhabitat Deus, sicut alibi dicit. *Millia lætantium dominus in eis.* Quomodo enim erit tristitiæ locus, vbi totius lætitiæ inhabitat plenitudo? Non est gaudere impiis, dicit dominus, *sed vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum;* anima enim iusta quasi iuge conuiuiũ; idem autem iustus est qui timet dominum, cui promittitur gloria, & rectus cui promittitur lux, & misericors cui promittitur lætitia: sed variantur meritorum rationes, nam timenti Deum & præcepta custodienti debetur honor, & omnia quæ dicta sunt, recto veritatis amatori & zelatori debetur lux, misericordi debetur iucunditas. Merito enim lætificatur qui plures pauperes sua eleemosyna lætificauit, & merito consolatur qui donando & commodando pluribus extitit cõsolator, eadem enim mensura qua mensus est remetiatur ei. Sed non est iustorum vana & inepta lætitia, non est scurrilis & dissoluta, sed rationabilis & seuera, plena iudicij. Vnde sequitur. *Disponet sermones suos in iudicio.* Lætitia sæculi sermones dissoluit, lætitia spiritus sermones disponit. Sed vnde, aut qua ratione, & propter quid lærabitur? Vtique iuste & valde iuste, *quia in æternum non commouebitur.* An non plena iucũditatis causa, certam spem habere de gloria? Quis
Rom. 5. non lætetur *in spe gloriæ filiorum Dei?* aut quod triste potest accidere ei, qui post modicum sperat cum Deo regnare, inter Angelos sociari, fœlicitatis æternæ gaudia possidere? Ruat mundus, dissoluatur orbis, terra dehiscat, si fractus illabatur orbis, impauidum ferient ruinę, non enim contristabitur iu-
Math. 6 & Luc. 12. stus quicquid acciderit ei, omne enim temporale ei accessorium est, thesaurus eius in securo reconditus est vbi neque fur furati, neque tinea valet demoliri Sed neque deerit inter alia bona iusti fama: *nam in memoria æterna erit iustus,* & memoria eius non debebitur in
Fama iustorum diffunditur, & iniquorum infamia. sæculum, sed in benedictione erit, bonum namque odorem transiens sicut bonum vnguentum reliquit in mundo, & sicut balsamum effusum vniuer-
Psalm. 1. 7 sam.

sam ecclesiam fragrantia sua replebit.

Psalm. 9. *Non sic impij, non sic, sed tanquam pulvis quem proiicit ventus à facie terræ:*
Psalm. 36. statim vt rapti fuerint obliuioni traduntur, *periit memoria eorum, cum sonitu* Vnde alibi ait, *Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat, & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.* Quanta faciunt amatores sæculi pro fama ædificant domos, eriguntur tures, insignia mausolea ex marmore mirifico construunt, præclara facinora aggrediuntur, depinguntur imagines, plantant hæreditates, primogenituras statuunt: nihil eis graue, nihil periculosũ, ex quo fama quomodolibet oriri valeat, vel augeri. *Vellent namque inquit* (sicut ait Gregorius) *diu sine fine viuere, vt diu sine fine peccarent*: sed ex quo eis non conceditur perpetuitas vitæ, procuratur perpetuitas famæ, vt quia non possunt viuere in gentium præsentia, viuant saltem in hominum memoria. O insignem stoliditatem? ô ridendam, imo potius deplorandam fatuitatẽ? Dic mihi ô fatue, quid tibi proderit quod in hominum memoria post mortem viuas, si peccato mortuus æternis ardoribus cruciaris? quid tibi solatij præstatura est fama quam ignoras, si ardes? imo si eam nosses ex hoc accresceret cruciatus. Quid nunc confert Romanis Imperatoribus, Augusto, Iulio, Tyberio? Quid Alexandro, & cæteris monarchis? Quid Platoni, Aristoteli, Pytagoræ, & aliis philosophis, quod in omnium ore versantur, & in hominum memoria retinentur, cum miseri & infœlices apud Tartara crucientur? Nonne hęc eorum laus si nosceretur, eis vergeret in tormentum? quid intolerabilius miseris quam laudata miseria? De

Rom. 8. iustis autem alia ratio est, *omnia eis cooperantur in bonum* non est inanis eorum fama, sed plena lætitiæ: gaudent quia mortales eos venerantur in terris, non solum propter gloriam sed propter iustitiam quoniam digni sunt. Et quanuis ex hac nostra laude modicũ eis accresceit ad illam ineffabilem gloriam quam in cœlis possident, volunt tamen in publico esse præclara illa opera quæ viuentes gesserunt propter vtilitatem nostram, propter exemplum & patrocinium: vt dum eos veneramur in terris, ab eis protegamur & adiuuemur in cœlis. Propter quod in obscuro loco sepulti, ex Dei voluntate sæpius multis apparuerũt, & sepulchra sua prodiderunt, vt mundo cogniti, mundo prodessent. Septimus itaque iustitiæ fructus beata memoria est: sequitur octauus, *Ab auditione mala non timebit*, id est, cordis tranquillitas & securitas: semper enim præsumit sæua perturbatus conscientia, qui autem bona est conscientia, in pace requiescit, non timebit à verbo aspero, ab auditione sæua & terribili, *ite maledicti in ignem æternum*: imo etiam in præsenti vita detrahentem & maledicentem sibi linguam non audient sicut quotidie audiunt peccatores: quanta sustinent, quanta dissimulant, vt suis vitiis perfruantur. Sequitur nonus fructus, fauor & protectio Dei. Vnde ait, *Paratum cor eius sperare in domino.* Quid ni speret in eo, sub cuius tutela & patrocinio gloriatur? cuius innumerabiles fauores quotidie videt & experitur? Ad dominum de Iob loquitur Sathan, *Nunquid frustra Iob timet Deum, nonne tu vallasti eum & domum eius, vniuersamque substantiam eius per circuitum?* Qui huiusmodi vallo protegitur & ambitur, securus dormiet in vmbra eius, merito requiescet in spe. Vnde sequitur, *Confirmatum est cor eius, non commouebitur, donec despiciat inimicos suos*, id est, non transibit, non migrabit de hoc sæculo, donec plenam de suis vitiis obtineat victoriam: tunc vt fortis miles cum gloria & honore deductus triumphans, & ouans cœlestem Hierusalem ingredietur (sicut prophetа ait:) *Super excelsa mea deducet me victor in Psalmis canentem.* Quot fructus enumerauit? quantas vtilitates enarrauit? Sed attendite omnium finem, *Cornu eius exultabitur in gloria.* Tot bonis hic donabitur, & post hæc omnia perpetua, & inenarrabili gloria coronabitur.

Simile.

Quanto studio curentur bona huius mũdi.

Matth 27.

Psalm. 90.

Matth. 25.

Iob. 1.

Thren. 4.

Psal. 25.

Habac. 3.

nabitur. Sic & Apostolus licet breuius eosdem fructus concludit dicens. *Nunc* itaque *liberati à peccato habetis fructũ in sanctificationem, finem vero vitam æternam.* Post tot & tanta bona, vltima omnium sequetur cœlestis gloria. Quis non eligat ditari, vt ditetur? munerari, vt muneretur? lætari, vt in æternum lætetur? Quis non vitam iucundã, tranquillam, quietam, honorabilem, beatã eligat, quam sequitur æterna felicitas? O sensus, ô ratio, ô iudicium, vbi estis? vt quid à bonitate & iustitia declinatis? Sed quo ordine consequatur illam gloriam attendite. *Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi, cornu eius exaltabitur in gloria.* Per misericordiam acquisiuit iustitiam, per iustitiã promeruit & obtinuit gloriam, dispersit perituram pecuniam, & acquisiuit perpetuam iustitiam, temporales diuitias pro perpetuis commutauit, euacuauit aream temporali, & transitoria pecunia, impleuit cõscientiam æterna, & immarcessibili iustitia. Optima commutatio, propter hoc cornu eius, id est, fortitudo illa & stabilitas, de qua prædixerat, Confirmatũ est cor eius, exaltabitur in gloria sempiterna. Hæc est pars iustorum, hæc sors timentium Deum, & custodiẽtium præcepta eius. Et de peccatore quid? Peccator (inquit) *videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet*, videbit ad tormẽtum suum iustorum felicitatem & gloriam, vt nouerit quid amisit, & videndo in die iudicij irascetur, & dentibus suis in seipsum fremet & tabescet, quia tanta bona tam stulte perdidit. An non merito fremet, non iuste contabescet, qui cum posset per viam planam & delicioſam floribus, & rosis stratam ire ad cœlestem gloriam, elegit potius per spinas & saxa tendere in gehennam? Heu quo fremitu, quo eiulatu, quibus clamoribus hanc suam stoliditatem & cæcitatem deplorabũt? Denique (vt ait saluator) *ibi erit fletus & stridor dentium, desiderium peccatorum peribit*, hoc est, cum ipso peccatore omnia sua opera, & desideria euanescent. *Exiuit spiritus eius, & reuertetur in terram suam, in illa die peribũt omnes cogitationes eorum*, omnia negotia, omnes fraudes, omnes solicitudines, omnia solatia, omnis deniq; opera quæ in fouenda, nutrienda, saginanda carne expensa est & vana cum ipsa carne finietur. Nihil illius remanebit, nisi sola misera anima quæ perpetuo incendio punienda reseruabitur: *qui in carne seminat, de carne metet.* Sed quid? *Corruptionem. Qui autem in spiritu, metet vitam æternã.* Audistis fratres quãta sit merces iustorum? quam ampla retributio seruorum Dei? quis de cætero audeat hæsitare, & dicere si est fructus iusto? Conqueritur dominus per prophetã, dicens, *Inualuerunt super me verba vestra* (dicit dominus) *& dixistis: quid locuti sumus contra te dixistis, vanus est qui seruit Deo, & quod emolumentũ quia custodiuimus præcepta eius?* quos dominus ad experientiam remittit dicens. *Conuertimini, & videbitis quid sit inter iustum & impium, inter seruientem Deo & non seruientẽ ei*, Ac si dicat, probate & videbitis, experimini & cognoscetis, quãta enim Deus conferat dilectoribus suis, & in præsenti sæculo *nemo nouit, nisi qui accipit.* Vnde ad filium dicebat Tobias, *Filii si timueris Deum, habebis multa bona.* O genus Adam ambitiosum & cupidũ, ecce honorem, ecce gloriam, ecce diuitias immensas posside, fruere, satiare. *Vsquequo graui corde diliges vanitatem & sequeris mendacium?* O cupiditas filiorum hominum? quid dicam tibi? tanta bona tibi proponuntur & alges? ad tam immensas promissiones non anhelas? si modicum quid honoris, si modicum lucri temporalis arriserit, ardes, æstuas, iruis, & ad sola Dei promissa tepescis, friges, hæres, stas? Quod hoc miraculũ tam magnũ & tam malum? in omnibus alioquin tã cupidus ad solas veras diuitias tepescis, sola Dei promissa contemnis. Quid obsecro inuenisti in eis vt despicias ea? nunquid quia exigua, aut quia incerta, aut quia serotina? sed non ita est, magna enim nimis sunt & im-

Rom. 6.

Ordo consequendi beatitudinem.

Psalm. 111. Peccatoris misericordia exponitur.

Matth. 8.

Psal. 145.

Psal. 57.

Mala. 3. v. 18.

v. 18.

Apoc. 2.

Tob. 4.

Psal. 4.

& immensa, quia regis magni sunt, certissima sunt, & infallibilia, quia veritatis sunt: sunt & accelerata, quia diligentis sunt. Vt quid igitur contemnuntur: vt quid repudiatur? Promittit homo & curris: promittit Deus & heres? Si verbis non credis experire saltem probato & videbis, esto vel in hoc, sicut in cæteris curiosus, vt probes quid boni habeat vita iustorum. Tot annis sæculo vixisti, viue vel ad annum Deo: tot annis peccatorum illecebras probasti, proba vel ad mensem delitias iustorum, conuertere & tu, & vide quid sit inter seruientem Deo, & non seruientem ei. Et quare non gustabis *quam suauis est dominus*? cur non sapies quid sit esse bonum? Tanta dicuntur, tanta promittuntur, & non probabis an vera sint? in hoc solo nō eris curiosus? Quod si probare non vis, crede saltem his qui hæc omnia probauerūt & experti sunt: nimia enim duritia & intolerabilis pernacia est, si neque ipse experiri, neque expertis credere vis. Consule prophetas, Apostolos, doctores consule religiosos, monachos, eremitas, & alios qui omnia pro domino contempserūt, an vera sint promissa Dei, an sicut eis promisit pro his quæ contempserunt, centuplum acceperunt etiam in hac vita. Consule Hieronymum, Antonium, Ægydium, Hylarionem, & alios sanctos monachos, qui in eremo solitarij & syluestres inter bestias & scorpiones diuinissime vixerunt: quid in illa solitudine inuenerunt, quid eos inter rupes & saxa detinebat, cur non redibant ad mundi solatia, propter quid sæculi diuitias & delitias non repetebant, & certe viri cordati erant, & sapientes, non erant stolidi aut stupidi. Quid igitur experiebantur in illa solitudine, vt pro illo obtinendo, possidendoque omnia mundi bona & solatia vt stercora arbitrarentur? *O quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te?* vere abscondisti ne mundus gustaret, nam si gustasset mundus non esset. Hanc prægustauerat B. Ægydius in iuuentute sua, quando vēditis omnibus facultatibus suis & pauperibus erogatis contempto sæculo eremo se conclusit, in antro degens solus sine humano solatio, hac sola dulcedine delectatus, tota vita sine intermissione cœlestem illam ciuitatem cuius ciuis erat contemplans, & ingenti desiderio ad illam inhians, concupiscens & deficiens iugiter & in atria domini: hoc opus, hoc negotium, hoc officium, hæc omnis eius opera & occupatio. Vnum illud & necessarium toto cordis desiderio omnibus aliis posthabitis amplectens, & illud indefesse ac diligentissime prosequens. Dederat ei Dominus nutricem ceruam, cuius lacte velut paruulus nutriebatur, sicut quondam Heliam corui ministerio aluit in deserto, vt de illo dici posset illud canticorum. *Similis est dilectus meus caprea hinnuloq; ceruorum.* Mirares, multo amplior solicitudo & amor soliciticior erat illi ceruæ in pascēdo isto hinnulo sibi à domino commisso, quam si eum ex visceribus peperisset. O mundi promissa vana, vbi sunt tuæ delitiæ? vbi cibaria delicata: vbi arridentia solatia? vbi ampla palatia? vbi honores, dignitates, pompæ, & alia tua oblectamenta? Hic venerabilis senex solo lacte, sola cerua, solo antro vitam degit, huic totus mundi apparatus superfluit, cui sola tupis cauerna abundat & sufficit. Sed non debuit abscondi lux sub modio, non decuit vt ecclesia Dei careret tanti syderis claritate, proditus itaque est reuelante se Deo. Cum enim cerua illa obsequētissima nutrix eius & famula, more solito egrederetur ad pastum, vt plenis vberib. cœlesti hinnulo lactis alimenta præstaret, contigit venatores obuiam ei occurrisse, quam cum canes vsque ad antrum sancti viri, quod vndique mira densitate arborum obsitum erat, persequerentur; tanto patrono munita, dum pro sua socia oraret, canes reuersi sunt, ac si fuste vel lapide fuissent percussi, gementes. Reuersi altera die ipsum experti sunt, vnde stupentes rem deferunt ad Episcopum, qui (vt fertur) simul cum rege aduenies, viso canum miraculo, syluam

Facilius inhiatur terrenis quam cœlestibus.

Psal. 33.

Fiaelis in promissionibus Deus Opt.

Marc. 10.

Phil. 3.

Psal. 30.

B *Ægydius à iuuentute omnia contemnit.*

3. Reg. 17.

Cant. 2. Pascitur la cte cerua.

Luc. 8. & 11

ſyluam illam penetrantes, ad ſanctum virum peruenerunt, & ad pedes eius proſtrati, quiſnam eſſet, vnde veniſſet, & vitæ eius, modum & ordinem interrogauerunt. Poſtquam igitur vitam & alia omnia quæ ab eo poſtularunt per ordinem didicerunt, monaſterio ampliſſimo ædificato precibus eum coegerunt, vt de eremo exiret, & illius curam ſuſciperet. Quam Deo ſic inſpirante ſuſcepit, vbi poſt plurima & ingentia miracula, poſt eximium virtutis & ſanctitatis ſplendorem, quo totam illam regionem illuſtrauit, poſt exempla mirifica & doctrinam ſalutarem, quibus non modo ſubditorum, ſed etiam ſæcularium mores ſupra modum reformauit, poſtquam Deo multas animas conuertit, & de faucibus draconis eripuit, ad promeritam coronam vocatus, cum gaudio & exultatione beatum Deo ſpiritum reddidit, & ad paradiſi gloriam demigrauit. Quam nobis præſtare dignetur Ieſus Chriſtus dominus noſter, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor & gloria & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

Deo gratias.

DE DIVA DOROTHEA virgine & martyre, Concio prior.

THEMA.

Prudentes virgines aptate lampades veſtras, ecce ſponſus venit, exite obuiam ei. Matth. 25.

NATVRA hominum in hac vita incorporeas res nude & per ſeipſas non poteſt contemplari, quin potius ſimilitudinibus corporeis, & phantaſmatis inuoluta ſpiritualia vtcunque hallucinando rimatur, eſtque noſter intellectus ſic corporeis ſenſibus alligatus, vt (teſte philoſopho) neceſſe ſit intelligentem phantaſmata ſpeculari. Propterea dominus Ieſus qui à patre in mundum miſſus eſt, hominum non ſolum redemptor ſed magiſter & doctor, noſtræ condeſcendens fragilitati & cæcitati, ea quæ ipſe claro videbat intuitu, nobis optimo doctrinæ artificio, ſub corporalium ſimilitudinum velamine intelligenda propoſuit. Neque ex naturæ abditis, & occultis rerum proprietatibus ſimilitudines aſſumpſit, ſed communibus & vulgaribus, & quæ nulli liceat ignorare vtitur vt nemo ſit excuſabilis in iudicio, neque doctrinæ ſalutis arduam difficultatem allegare poſſit. Modo noſtro locutus eſt nobis, nam ſi ſuo loqueretur, quis illum capere poſſet? *Si terrena* (inquit) *dixi vobis, & non creditis, quomodo ſi dixero vobis cœleſtia credetis?* Paruul's lac propinat, non ſolidum cibum, ſapientia mater diuidens ſingulis, prout capere poſſunt. Nudis ergo intellectibus, id eſt, angelicis, nudas obiicit veritates, & velatis velatas, quoniam iuxta modum eſſendi, modus eſt etiam intelligendi. Vnde Pſalmus, *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam.* Proponitur nobis hodie regni cœleſtis parabola decem virginum prudentum, & fatuarum quarum quinque recipiuntur & quinque excluduntur. Quā quia in Euangelio diffuſe narratur, non eſt opus repetere, ſed exponere. Det ipſe intelligentiam qui dedit parabolam. Regnum cœleſte (vt opinor) eccleſia eſt, virgines ſunt animæ fideles, propter continentiam à peccatis, nam etſi plures vitio infectæ ſunt, tamē fidei lumine, timore ſupplicij, & amore iuſtitiæ, etſi non vniuerſaliter & integre, tamen plures ſunt qui à peccatis arcentur, ne videlicet ſicut infideles tranſeant in affectum cordis, & ſequantur prauitatem inclinationis ſuæ. Lampades habent, id eſt, cœleſtis doctrinæ claritatem, & ſponſum expectant, quia ſiue boni, ſiue mali, omnes Domini aduentum, & iucundam eius præſentiam & deſiderant & ſperant. Nemo enim fidelium eſt qui futuræ beatitudinis deſiderium aliqualiter non habeat, ſed quidam oleum habent & aliæ non, oleum

Iſa. 50.

Ioan. 3.

2. Cor. 3.

Iuxta modum eſſendi eſt & modus intelligendi.

Pſal. 18.

Quid regnum & quid virgines ſignificent.

Pſal. 72.

charitas est quam non omnes fideles habent, etsi fide & doctrina euangelica polleant. Tardante autem sponso dormitauerunt omnes & dormierunt, quia dum vita præsens protenditur, & boni dormitant tædio, & mali dormiunt in peccato: media nocte, id est, insperate, & cum minus putatur. *Dies enim Domini sicut fur in nocte ita veniet, clamor factus est, ecce sponsus venit.* Si ad iudicium referas clamor est Angelorum, si ad mortem cuiusque clamor est ægritudinum. *Surrexerunt omnes, & aptauerunt Lampades suas.* Nemo enim est fidelium, qui mortis clamore non excitetur: tam boni quam mali, omnes lampadem, id est, conscientiam ad exitum vitæ parant, & vt possunt operum suorum rationem præordinant. Sed heu plures eorum tunc lampades suas extinctas & sine oleo reperiunt, cuntur ad prudentes, vocantur monachi, implorantur sancti, vndique à iustis suffragia petuntur. *Date (inquiunt) nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur*, male viximus, orate pro nobis, iuuate nos precibus: sed stultus est qui alieno merito solo saluari se putat. Heu miser, quid clamas inopiam olei? nullus valet amicus, quantumuis iustus & sanctus supplere, si lâpas oleo caret, nemo eam profundere potest, nisi solus Deus, nullus enim alteri meteri potest primam gratiam, vade sapienter. mittuntur ad vendentes oleũ, id est, pauperes, vt in morte eleemosynas & opera pietatis exerceant, quæ in vita facere neglexerunt, si forte respiciat Deus & infundat oleum. Sed dum hæc opera fero non pietatis affectu, sed pœnarum timore fiunt, merito conteñuntur à Deo. *Dum ergò vadunt emere, venit sponsus*, & animas oleo charitatis perfusas secum recipit: his vero quæ ad id tempus pietatis opera distulerunt, ianua regni concluſa ab intus respondit, *nescio vos.* Ecce parabolam, cuius auditum quadã veluti claue vltima sententia reserauit Dominus dicens, *Vigilate itaque quia nescitis diem, neque horam:* hic enim parabolæ scopus in quem à principio tota protenditur. Sed altius ista pertractemus: quis non cõdoleat? quis non miseretur virginib. istis licet fatuis & ignaris? ecce totã vitam suã sponso dicauerant, virginitatẽ suam ipsi consecrauerant, aduentum eius vtcunq; expectauerant, & expulsæ sunt. O seuerũ sponsum, ô durũ iudicium, ô asperũ verbum *nescio vos.* Quid hoc domine? tuas ignoras virgines? tuas nescis amatrices? post tot labores, post tot vigilias, post tot sudores & diu frequentata seruitia, modo miseris dicitur, *nescio vos?* Quæ aures hoc poterũt verbũ audire? hæc sunt stipendia operum? hic fructus laborũ? hæc subsidia meritorũ? Expergiscimini fratres, arrigite aures, sentite quod dicitur. Non quinq; virgines solum, sed plusquam quinque mille sunt, quibus hoc infortunium euenire solet. Ab ineunte ætate vsque ad senectam & senĩũ in spõsi domo, id est ecclesia Deo seruire proponunt in laboribus, in ieiuniis, in vigiliis, in multa patientia & solicitudine multa, ne dominũ offendãt, ne mandata eius prætereãt, ne vel leuiter ei displiceãt, sacramenta suscipiunt, missas audiunt, orationes frequentant, eleemosynas faciunt, lachrymas pro peccatis affluẽter effundũt: & tamen nõ sumpserunt oleũ secum, quia leui occasione ibi inis, odij, inuidiæ, cupiditatis, aut cuiusuis alterius mortalis peccati obiara, in peccato perdurant, & in fine vitæ cum omnium istorũ operũ præmium sperare debuissent, extincta lampade foris manẽt. Quanta miseria hæc, quantus dolor. O quomodo confunditur misera anima egrediens carnẽ, quæ se angelicis choris & supremis ordinib. associandam sperabat, cum foris expulsa æternis ignibus deputatur. Quas voces, quos gemitus, quos ab imo pectore rugitus & eiulatus emittit: sed nihil post mortem sera pœnitentia prodest, ianua clausa est. Custodiamus ergo fratres animas nostras solicite, ne vel per horam labes nos mortalis inficiat, & expulsi foras perpetuo lamentemur. Grandis temeritas vel ad modicũ tanto se committere discrimini, non enim tempo-

1. Tim. 5.

2. Cor. 6.

Pſal. 70.

Multæ virgines vitã Deo consecrarunt & tamen intra beatitudinis ianuam non sunt receptæ.

temporalis & momentanea, sed æterna & incommutabilis vita periculo exponitur. Audes ô homo gloriã & beatitudinem tuam exiguo confidere vitæ vapori quo dissoluto ardeas in æternũ? O audaciam temerariam, ô insaniam remulentam, infernus sub pedib. ardet, & iam iam hianti ore, te deuoraturus expectat, & tu in peccato securus & quietus dormitas? vnde tibi ista securitas maledicta? Grauissimum est frattes periculũ, nostrum, nolite dormire: vere ex omni parte parabola hæc terribilis est & plena timoris: nam ecce istæ quæ excluduntur virgines erant, lampades habebant, sponsum expectabant, & tamen propter solum olei defectum expulsæ sunt. Noli gloriari virgo in virginitate tua, quia si non habes oleum excluderis, noli gloriari sapiens in lampade tua, quia si non habes oleum excluderis: noli gloriari monache in religione tua, quia si non habes oleum excluderis. Si enim hæc tria simul sine oleo non sufficiunt, quanto magis neq; horum per se quodque sufficiet? Quid autem si nihil horum habeat: si virgo excluditur, admitteretur lubricus? si sapiens cũ lãpade reiicitur, admitteretur stultus? si religiosus Deo vacans repellitur, admitteretur mundanus? *Nolite errare fratres, Deus non irridetur.* Vere *arcta est via* & stricta ianua *qua ducit ad vitam*, & pauciss[imi] ingrediuntur per eam, sponsus est qui loquitur ista, *ipse qui à Deo viuorum, & mortuorũ constitutus est iudex.* Quid tu gratis hallucinaris? quid tibi ô peccator beatitudine falso blanditis? virgo cum lampade expectans excluditur, & quæ neque virgo est, neque lampadem habet, neque sponsum expectat ad nuptias admittetur? Deciperis miser deciperis, hoc Christi Euangelium prædicat, si tu aliud habes Euangelium profecto. Hoc lex secundum quam iudicãdus es dicit. Quid su? nescio quam tib. legem aliam machinaris? in Euangelio sic lego, *Malos male perdet, omnis arbor quæ non facit bonum fructum excidetur, & in ignẽ mittetur*, Virgo sine oleo audit, *nescio vos*: diuiti edaci dicitur, *recorda re quia recepisti bona*: qui ergo male agit (secundum Euangelium) peribit. Rursus etiam si non male agit, si bonũ nõ agit, cum bonum agere teneatur, peribit. Item si bona multa agat, si oleum charitatis in fine non habeat, peribit. Rursus qui bona recipit in vita sua, si illis aut male, aut non bene vtatur, iuxta id quod tenetur, recipiet procul dubio postmodum mala. Hæc iudicij forma futuri, hæc lex secundum quam iudicandus est mundus. Vide ne te horum aliquid comprehendat & pereas, non tibi durus videatur spõsus quia virgines expectãtes excludit: quia & si terribilis est in iudiciis super filios hominum, tamen quia futuri formam iudicij non occultat, misericors inuenitur. Sed iam oleum ipsum explicemus, cuius defectu virgines istæ repulsæ sunt. Hoc (vt diximus) charitas est, sine qua non modo virginitas, sed & congeries multa virtutum (teste Apostolo) Deo placita non est. De hoc psalmographus. *Caro mea immutata est propter oleum.* Et Isaias, *Computrescet iugum à facie olei, pretiosum balsamum quo vulnera carnis sanantur, dura peccati seruitus tollitur, intelligentia lampas accenditur, & cœleste regnum expectãtib. aperitur.* An non tibi videtur hanc domini parabolam exposuisse Apostolus, cum dicebat, *Si linguis hominum loquar & angelorum, si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum: & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatẽ autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quid moratis? quia sine oleo virginitas exclusa est, cum neque fides, neque scientia, neque doctrina, neq; prophetia, neque eleemosyna, neque martyrium ipsum sine hoc charitatis oleo, grata Deo sint. Hæc est *vnctio illa sancta, quæ docet nos de omnibus*, & instruit nos in omni veritate: sine hoc oleo sapientiæ

Non gloriandum in virginitate.

Mat. 7. Act 10.

Mat. 21. Iudicij diuini lex & ratio. Mat. 3. Luc. 16.

Psal. 65.

Quid oleum denotet.

1. Cor. 16.

Psal. 108. Esa. 10.

1. Cor. 13.

1 Ioan 2.

pientiæ lampas durare non poteſt, illo enim nutritur & fouetur. Grandis fatuitas exiſtimandum diu lucere ſe poſſe ſine oleo, vere profunda myſteria ſolus penetrat vnctus, ſpiritus enim eſt qui reuelat myſteria & ſcrutatur ſecreta Dei: nam & Apoſtoli poſtquam hoc oleo perunctiſunt, lampadibus ſuis orbem vniuerſum illuſtrauerunt. Quid fruſtra miſeri ſine oleo lampades conamur accendere? die noctuque ſapientiæ vacamus, literis & libris indefeſſe incumbimus, & de pietatis oleo vltima cura eſt? O ſi tantam adhiberemus diligentiam oleo, ſicut lampadi, lucere volumus non ardere, luciferum imitantes qui ab hoc ipſo fortitus eſt nomen. Credite mihi diuinæ ſapientiæ amatores, ſi lucere vultis vngimini prius: oleum enim voluntatis nutrit ac fouet lampadem intellectus. Nolite ergo negligere voluntatis lecythum, qui ſine ſapientiæ vultis fouere caminum, oleum namque ſine lampade prodeſſe poteſt, lampas vero ſine oleo nequaquam. Proh dolor! in accendendis lampadibus vitam conſumimus & in fine velut ſteriles à perpetua vita reiicimur, ſurgunt indocti & rapiunt cœlum, & nos cum noſtris ſcientiis demergimur in infernum. Similes ſumus venatori illi, cui frater ſimplex domi reſidens furatus eſt benedictionem: cœlos, terraſque intellectu luſtramus peruigili cura capiendis volucribus, id eſt, arduis veritatibus inhiamus, & (vt Auguſtinus ait) *præuolat intellectus, & ſequitur tardus vel nullus affectus.* Dum igitur in hoc venandæ veritatis ſtudio vitam expendimus, vetula ſimplex & deuota ad regnum cœlorum admittitur, & nos cum noſtra ſcientia miſeri foras excludimur, gratior enim Deo eſt deuota ſimplicitas & pia, quam diſerta ſine pietatis oleo philoſophia. Sed vnde nobis hoc oleum comparabimus? *Ite*, inquiunt) *ad vendentes, & emite vobis*, non gratis & ſine pretio poſſidetur vnctio ſacra, etſi gratis donetur, multo pretio hæc olei gratia cõparatur. Mirabes, ſi gratia, quomodo emitur? ſi emitur, quomodo gratia? Quod enim ematur non ſolum ex hoc virginum prudentum conſilio, ſed etiam ex alio ſeripturæ loco colligitur, vbi cuidam epiſcopo dicitur. *Suadeo tibi emere à me aurũ ignitum*, idipſum eſt; oleum quia vngit, aurum quia fulget, ignitum, quia ardet, ſuprema quoque omnium gratiarum. Hæc eſt (Apoſtolo teſte) quæ non merito noſtro acquiritur, ſed per ſpiritum ſanctum gratis infunditur: vnde ait: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Emitur ergo & gratis donatur. Sed quomodo hoc? Nimirum vtique, quia non iuſto, ſed exiguo emitur, veluti ſi quis obolo amphoram balſami emat, pretium dat, ſed non eſt pretium. Ita in propoſito multis lachrymis, multis ſuſpiriis, multis orationibus, ſupplicationibus & eleemoſynis hoc oleum ſpiritus emendum eſt, diu laborandum, & ſudandum, vt tantum bonũ obtinere poſſimus. Sed quid ſunt hæc ad tantum donum? Vere *ſi dederit homo omnem ſubſtantiam ſuam, pro dilectione quaſi nihil deſpiciet eam.* Nullam ergo habet pretij, aut meriti rationem ex ſe, quicquid agimus, quicquid damus, ſed quia aliud non habemus, pius dominus acceptat in pretio, quod non eſt pretium, quia (ſicut ſcriptum eſt) *quod habuit hæc & fecit.* Vult namque dominus ſua munera nõ contemni, non mittit margaritas ſuas, porcis conculcantibus eas, ſed deſiderantibus, cupientibus, flagitantibus gratis eas donat, non quia obligatus, ſed quia rogatus. Hic maximus mundanarum mentium error eſt quod quaſi pro nihilo dona Dei poſſidere volũt, ſacræ vnctionis gratiam valde affectant, ſed eam minime ſibi procurant, voluptatis cœno ſuperinfundi ſpiritus oleum poſtulant: ſed non effunderur oleum, niſi prius expulſis ſordibus. Mirabiliditas lampades ſuas implent aqua, quo infundetur oleum? aut quomodo ardebit lampas ſine oleo? Ecce hi qui diebus ac noctibus in hoc oleo comparando deſudant, poſt aſſiduos labores

& cona-

Dan. 2. *1. Cor. 1.* *Oleum voluntatis nutrit lampadem intellectus.* *Gen. 27. Iacob.* *Luc. 21.* *Rom. 11.* *Apoc. 3.* *1. Cor. 12.* *Rom. 5.* *Emitur & gratis datur oleum.* *Cant. 8.* *Mat. 14.* *Mat. 15.*

Qui oleo non vngantur.

& continuos conatus, modicam eius stillam vix obtinent, & isti negligentes & desides, inter sæculi delicias oleo spiritus abundabunt? Credite mihi fratres hoc oleo non vngitur lubricus, non inuidus, non cupidus, non arrogans & superbus, sed si quis iustus & timoratus conscientiæ suæ lampadem euacuauerit fœtido voluptatis cœno, & sedulo eget: misericordia Dei implebitur charitate is oleo. emendum est igitur. Sed à quibus? Ab his vtique qui eo abundant. Et quis abundat chrismate nisi Christus? *Propterea* (inquit) *vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, præ consortibus tuis*: hic est qui à Deo oleariam obtinuit apothecam, & præpositus olei à Deo constitutus est. Si quis eget vadat ad eum, & emat oleum, non vadat ad solas lampades hominum: nam dicetur ei, *Ne forte non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Quilibet enim ad sufficientiam accepit gratiam, Christus ad redundantiam. Solus ille non potest huius olei timere defectum, cui non est datus spiritus ad mensuram. Aliorum quilibet quantumuis bonus & sanctus, dum in vita mortali degit, non ita plenus & securus est, vt non timeat, ne forte sibi & aliis non sufficiat. Quis Paulo maior? quis doctior? quis sanctior? & tamen quid de ipso sentiat audite. *Castigo* (inquit) *corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar.* Tremendum verbum postquam vas electionis à Christo electus es, postquam gentium Apostolus & doctor à Christo constitutus es, post totum fere mundum tua prædicatione ad fidem conuersum, post raptum in tertium cœlum & deambulata Dei Paradisum, nunc ô Paule ais, *ne forte?* Et quis ita tutus erit, vt non dicat tecum, ne forte? virgines prudentes oleum non commodant fatuis, quia prudentes sunt, sed ad illum remittunt, vnius lampas mensuram non accepit, ac proinde timere non potest defectum. Quis ergo prudens dum viuit olei penuriam non timebit? Nunquam enim istarum virginum prudentiam dominus cõmendasset, nisi in custodiendo oleo suo prudenter egissent. Videant qui alienis commodis vltra modum incumbunt qui suas non timent lampades minuere, vt alienis infundant. Discant ab his virginibus sibi prius prouidere quam aliis. *Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur?* Olei detrimentum in lampade conscientiæ, neque pro toto vniuerso sustinendum est. Videas plurimos indiscreto charitatis zelo feruidos, animarum ægritudinibus curandis ardentissime operam dare, cum ipsi magis ægrotẽt. Videas monachos claustro relicto in media ciuitate vagantes, aliorum negotiis libenter implicari, alios pauperibus alendis, alios viduis visitandis, alios populis erudiendis, alios amicitias reconciliandis, non sine grauissimo lampadis propriæ detrimento indiscrete incumbere suamque dispersionem charitatis velo palliare. Non est hæc charitas, sed grandis stoliditas propriæ vocationis terminos transgredi, propriam lampadem extinguere, vt alienas accendant, seipsos damnationi exponere, vt alios saluos faciant: perfectorum est munus, & quorum probata est virtus intendere aliis, qui sibi iam sufficit, ille aliorum inopiam suppleat qui sibi superabundet, illi accommodet oleum qui sibi non timet defectum, qui autem timet, si accedat mandatum prælati, vt aliis copiam faciat confidẽter obediat. Sunt enim qui erogando magis abundant, nam & viduæ illius Sareptanæ, qua olei modicum quod habuit prophetæ dedit, lecythus de cætero non est imminutus, charitas enim dum dispergitur magis augetur. Solicite ergo prudens anima inspiciat, vt sic aliorum inopiam suppleat, vt suam lampadem mutuando non minuat. Duo enim ex his virginibus documenta suscepimus: primum ne alieno soli merito confidamus, exemplo fatuarum: secundũ, ne alieno commodo cum nostro damno prouideamus, exemplo prudentum. Non est igi-

Psal. 44.

Eph. 4.

Ioan. 3.

1. Cor. 9.

Stupenda S. Pauli sententia.

2. Cor. 12.

3. Reg. 17 Luc. 4.

Duo documenta à virginibus tradita sunt.

tur huius olei gratia contemnenda, vnde tot nobis profluunt bona. Vxor illa prophetæ apud Heliſæum cum grandi debito aſtringeretur, & quid creditori redderet non haberet, à viro Dei interrogata, quid domi haberet *non habeo* (inquit) *ancilla tua quicquam in domo mea, niſi parum olei quo vngor.* Vacua vaſa infundere iuſſa eſt, & oleo multiplicato debitum creditori perſoluit, & ipſa cum filiis de reliquo vitam ſuſtinuit. Credite mihi fratres, valde multum habet qui olei modicum apud ſe habet, ſi quid pietatis, ſi quid deuotionis, ſi quid ſpiritus in mentis lecytho eſt, confidat huiuſmodi animæ habet enim vnde creditori Deo peccatorum ſuorum debita reddat, & in multa opulentia de reliquo ipſa viuat, infundatur vaſa, ne timeat nam effundendo multiplicabitur oleum, & ſoluetur omne debitum. Peccatrix illa fœmina apud Euangelium pedes domini vnxit vnguento, & ſoluta eſt à toto debito. Vnde ſoluta? Vtique propter oleum, quod oleū? *Dimiſſa ſunt* (inquit) *ei peccata multa, quoniam dilexit multum* Ecce oleū, ecce vnguentum, ecce balſamum quo peccatorum vlcera cūcta ſanantur, quo omnis macula cordis abſterg tur, quo miſeræ ſeruitutis iugum aufertur. *Va mentiſterili, væ arido peccatori, cuius vulnus liuor, & plaga tumens nō eſt circūligata, neq; curata medicamine, neque Vnctæ oleo.* Itaque quamuis grande nimi. ſit debitorum pondus, fiducia tamen non amittitur, vbi olei deuotionis & amoris vel modicum inuenitur, omnium enim virtutum, & charismatum hęc vnctio mater eſt. Ab hoc fonte omnis animæ virtor ſcaturit: ipſa mentem illuminat, affectum inflammat, ſpiritū exhilarat, animum roborat: ipſa æternorum deſiderium, & temporalium cōtemptum parit: ipſa ad tolerandas pro Deo paſſiones, & ſubeundos labores, cor agilitat & fortificat: ipſa ad mandatorum Dei percurrendam viam, pedes noſtros quaſi ceruorum perficit, & mobilitat. Nihil hac ſpiritus vnctione dulcius, nihil ſuauius, nihil fortius. Hæc virginem Dorotheam vnam ex prudentibus fecit non pauere furentis iudicis minas, & ſequentis tortoris pœnas non formidare. Ad tormentum quaſi ad conuiuium virgo prudētiſſima gaudens, & læta ferebatur: abundabat oleo lampas eius, ideoque vacuas ſororum lampades infudit, & eas ſecum ad ſpōſi thalamum introduxit. Fœlix virgo quā ſic adamauit ſponſus, vt non ſolum ipſa cum illo intraret, ſed & ſecum alias intromitteret. Et vos quoque prudentes virgines lampades veſtras aptate, & cum ea feſtinanter introite, ſequimini matrem prudentes filiæ, ducem veſtrā nolite relinquere. Vere prudentes quæ ſæculum pro domino reliquiſtis, quæ momentaneum gaudium pro æterno commutaſtis, quæ duriſſimam coniugij ſeruitutem & importabile iugum virtuter abieciſtis, & in libertate ſpiritus vitam agentes noluiſtis fieri mortalis hominis ancillæ, vt Chriſti domini eſſetis libertæ, ſeruitium duriſſimum in regni gloriam permutaſtis. Vtinam, vtinam vobis plene innoteſcat, & quid reliquiſtis, & quid accepiſtis, vt pro tanto munere inceſſabiles Deo gratias agatis, qui de poteſtate tenebrarū vos eripuit, & in regnum filij dilectionis ſuæ vos tranſtulit. Aptate ergo lāpades veſtras, hæc enim vobis ſola & potiſſima cura, hoc vitæ veſtræ vnicum officium, hoc munus, in hoc opus vitam deſtinatis, in hoc poſitæ eſtis, nulla vos alendorum filiorum cura, nulla rei familiaris ratio, nulla placendi marito ſolicitudo perturbat, non vos partus anxietas vexat, non temporalium rerum cura ſolicitat, non famulantium ancillarum turba moleſtat. Quid ergo reſpondebitis in iudicio ſi lampades veſtræ repertæ fuerint ſine oleo? aut quam huius indigentiæ excuſationem afferre poteritis? Sit ergo in lampade ignis amoris, oleum deuotionis, lux ſapientiæ, ſplendor bonæ famæ: hæc enim optima lampadis præparatio eſt. Mementote autem quoniam *habetis theſaurum iſtum in vaſis fictilibus*, & diligenter cauete, ne per incuriam lampas frangatur, & ſacrum oleum

4. Reg. 4.

Luc. 7.

Iſa. 1.

Pſal. 118.

Pſal. 17.

Col. 3.

2. Cor. 4.

leum effundatur. Obseruate etiam circumuolitantes noctuas, ne lampadarum vestrarum & oleum sorbeant, & lumen extinguat. Nolite dormire quia sponsus tardat: non enim tardat sed
Apoc. 3. properat & accelerat, *ecce* (inquit) *venio cito reddere vnicuique secundum opera sua*. Vere cito, quia omne quod finitur breue est, *adesse festinant tempora*, & festina mors velo, & remigio ac-
Deut 32. celerat quantum potest. O deplorandam mortalium cæcitatem quæ longum putat omne quod displicet? *Ecce sponsus venit*, credite mihi, iam iam
Mat. 24. prope in foribus est. *Exite obuiam ei*, nolite expectare eum in domo, sed obuiam ei occurrite, & cum gaudio & tympanis suscipite eum. Vtquid misera anima corporis huius tabernaculum egredi pertimescis? Sponsus venit, & hæres? vocat te & exire recusas? Egre-
Iob. 4. dere, egredere, & occurre ei cum gau-
2. Cor. 5. dio, libens ac voluens domum istam luteam & ruinosam desere, vt domum illam cœlestem non manu factam perpetuum inhabites, & in sponsi tui thalamo cum sodalibus eius perennibus deliciis perfruaris. Quas nobis præstare dignetur pius & dulcis sponsus, cui cum patre & Spiritu sancto est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Deo gratias.

DE DIVA DOROTHEA virgine & martyre, Concio posterior.

THEMA.

Mulier vinupta & virgo cogitat quæ domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu. 1. Cor. 7.

Triplex vita. TRIPLICEM vitam Bernardus statuit in libro de vita solitaria, animalem rationalem, & spiritualem, secundum illa tria quæ in homine reperimus, sensum vel carnem, rationem,
Psal. 35. & spiritum. Hominum enim quidam sequuntur sensum, quidam rationem, quidam spiritum, & (sicut poeta ait) *velle suum cuique est nec voto viuitur vno.* Hanc triplicem hominum differentiam (ni fallor) psalmographus innuit, cum ait, *Homines & iumenta saluabis domine quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam domine. Filij autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt.* Animales vocauit iumenta, rationales homines, spirituales autem filios hominum, quia etsi ex hominibus, iam non homines, sed maius aliquid dicendi sunt. Vita animalis illorum est qui sola sensus passione reguntur, qui desideria carnis appetitusque perficiunt, & transierunt iam in affectum cordis, quorum omne studium est comedere, bibere, saginari, lasciuire, dormire, gaudere, nihil habent humanum præter figuram & loquelam, in cæteris omnibus velut bruta sunt: qui in vano rationalem animam suscepisse videntur, quoniam solo sensu viuunt. In his ratio sepulta, spiritus vero neque cognitus quidem; totum suum dominium amiserunt, quoniam ad reprimendos & corrigendos passionum impetus rationis nullam vim, potestatemque retinuit. Hi
Simile. naui absque gubernaculo persimiles sunt, quæ omni vento in cautes, syrtesque collidituc. O miseram seruitutem & vilissimam abiectionem? Et si nullam suorum operum rationem huiusmodi reddituri essent, etsi nullum esset iudicium aut gehennæ incendium: ad omnem confusionem, & pudorem sufficere debuerat tam vilis, & abiecta conditio. Hi inter iumenta homines, & inter homines iumenta sunt. De quibus propheta. *Computruerunt iumenta in stercore suo.* Et rursum, *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus nō est intellectus.* Tutius cum viperis & draconibus com-
Psal. 31. morabitur quispiam quam cum istis. Si enim exarserit iracundia furor eorum, & ceciderit, amici viscera gladio perfodient: si liuor aut libido inuaserit, omnia mala, omnia turpia, omnia flagitia perpetrabunt. Quis sustineat habitare

Ioel 1.

cum homine, qui contempto rationis arbitrio, solo passionis impetu agitur, sola sensus libidine regitur, aut cui periculo expositus non est, qui tali amicitia perfruitur? maxime si huiusmodi diuites & potentes sint, quos quasi elephantes à longe tractandos censeo, ne sæua proboscide fragiliores inuoluant, & ponderosa mole suæ potestatis premant. Pudeat, pudeat sic ab homine degenerasse vitos, & rationis virtutem amisisse: pudeat sine moderamine, & iumentis insipientibus similem vitam agere. Quam pulchre Seneca philosophus? *Maior* (inquit) *sum, & ad maiora natus, quam vt sensuum meorum mancipium existam* De his in libro sapientiæ, *dixerunt* impij *cogitantes apud se non recte, Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine nominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis, quia ex nihilo facti sumus, & post hoc erimus tanquam si non fuerimus*, &c. *Venite ergo fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter, vino pretioso & vnguentis nos impleamus, & non pratereat nos flos temporis, coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra, vbique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra.* Hoc itaque prauo & stulto consilio vitam agentes, *ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Vita rationalis est eorum qui secundum rationem viuunt, qui licet passiones & appetitus carnis sustineant, tamen dominantur eorum, sicut scriptum est. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius*, hi honoribus, facultatibus & deliciis vtuntur, sed modeste & temperate, prout oportet & quando oportet, viuunt sicut homines, in omnibus operibus suis à ratione directi. Huiusmodi multa habuerunt antiqui philosophi, virtutum licet non omnium studiosi. Tales etiam sunt hodie boni Christiani sæculares euangelicæ militiæ sectatores. His apostolus. *Humanum* (inquit) *dico propter infirmitatem carnis vestræ, sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem* Ac si dicat, non ardua & spiritualia vobis iniungo, sed humanam & rationalem vobis doctrinam propono, vt sicut fuistis hactenus vitiorum mancipia, ita de cætero iustitiæ cultores sitis. Spirituales autem dicimus eos, qui non tam humana ratione quam diuino spiritu diriguntur. De quibus apostolus, *Qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt.* Et iterum, *Quod si spiritu ducimini non estis sub lege*, qui continuo studio solerti industria, & assidua exercitatione virtutum, adiuuante Dei gratia non solum carnis passiones & appetitus effræne domuerunt, sed eos penitus à se eliminauerunt, & extinxerunt: *in carne quasi extra carnem viuentes, & in mortali corpore angelicam vitam degentes, quorum conuersatio in cœlis est.* Mira gratiæ exercitationisque potestas quæ hominis humanam fragilitatem exuere, & super humanam sortem & conditionem facit ascendere. In Genesi legimus, aues & pisces eodem elemento, id est, aqua fuisse formatos, sed pisces in genitali elemento permanserunt, aues autem in aerea supra suam originem volauerunt. Omnino ita est in proposito, vna est omnium hominum generalis conditio eademque natura, sed valde differens vita, quidam suam naturalem inclinationem sectantes, quæ ad malum prona est ab adolescentia sua in sæculo vagantes delicias carnis sequuntur, velut pisces maris, qui perambulant semitas maris. Alij autem supra suam conditionem volantes ad æterna & cœlestia rapiuntur longe amplius à prioribus distantes quam a piscibus maris volucres cœli differunt, qui & si homines sunt natura, vita tamen non homines, sed angeli sunt. Vnde apostolus huiusmodi spiritualibus probro hominis vocabulum obiicit, dicens. *Cum sit inter vos zelus & contentio, nonne homines estis?* Iusignis

Psal. 48. *Sap. 2.* *Iob 21.* *Vita rationalis.* *Gen. 4.* *Rom. 6.* *Vita spiritualis.* *R m. 8.* *Cant 5.* *Phil 3.* *Gen. 1.* *Aues & pisces eodem elemento progenerantur, dissimili tamen ingenio.* *Genes 8.* *Vna hominum natura sed non eadem vita.* *Psal. 8.* *1. Cor. 3.* *Carnales.*

gnis profecto virtus, & præclarum faciens suam excessisse naturam, & proprio studio atque industria in melius se transmutasse. Quanta est istorum libertas, quanta fœlicitas, non solum enim à totius peccati seruitute, sed etiam ab omni passionis molestia liberi sunt, quibus intolerabile iugum & onus importabile videretur priores subire passiones, & ad relictas carnis concupiscentias redire, quia vere vbi spiritus domini, ibi plena libertas est. 2. Cor. 3. Hi omnibus solatiis & gaudiis sensibilibus abdicatis, in solo intellectu & affectu, omnes suas diuitias & delicias collocarunt, sicut scriptum est. *Lætabuntur in cubilibus suis*, Psalm 149. inuenerunt enim intra se recõditos quosdam thesauros & pretiosas margaritas quas mundus ignorat, pro quibus iuxta euangelicam parabolam libenter omnia sua dederunt vt compararent eas. Matth. 13. Neque enim dubium est ampliores & meliores esse diuitias in spiritu quam in carne, maiora & potiora esse solatia in intellectu quam in sensu. *Sed animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*, 1. Cor. 2. ideo totus sensibilibus occupatur. Fœlix qui tales in se diuitiarum venas inuenit, cui ad iucundam & fœliccm vitam nullo exteriori opus est, sed in similitudinem Dei omnem intra se sufficientiam habet, quia Deum in corde suo possidet, qui hu usmodi non necesse habent persuaderi ratione, aut consilio impelli ad omne bonum, quia in illud affectu & volun ate prop enti sunt. Multo enim amplius isti in spiritualibus quam carnales in sensibilibus oblectantur, & proniores sunt ad virtutem, quam animales sint ad libidinem: longo enim virtutis vsu, & Dei adiutorio: hi quoque transierunt in affectum cordis, & iam ad omne bonum perficiendum, non tam ratione quam affectu aguntur. Nam sicut mater filio suo vnigenito in periculo constituto non ex rationis discursu, sed ex amoris impulsu succurrit: ita in his spiritualis affectio rationis consultationem non expectat. Grauissimum enim eis esset à quiete spiritus & contemplatione diuelli, in qua supra modum quiescunt & oblectantur: imo nihil magis timent, quam ne illam al quando amittant. Talis erat qui dicebat, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo, desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum.* Psal 118. Et iterum, *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.* Psal. 118. Huiusmodi spirituales animæ designatæ sunt, per illas rotas Ezechielis, quæ vbi erat impetus spiritus illuc rapiebãtur sequentes illum, quas vocauit volubiles: quia (sicut Hieronymus ait,) animæ sanctorum rotæ sunt mobiles & agiles ad omne bonum, quæ quoniam nihil grauedinis peccatorum habent modico flatu spiritus celeritet voluuntur. Vnctæ enim sunt oleo deuotionis sancto, & ideo ad omnem virtutis motum faciles, & mobiles sunt. *Non sic impij, non sic*, sed velut rota grauissima, quæ nimio aquarum impetu vix voluitur præ grauedine. Vnde psalm. *Domine pone eos vt rotam*, quæ tamen rota si spiritus vnctione vngatur agilis redderetur ad virtutem. Hinc in religione videmus nonnullis grauissima fieri quę aliis leuissima & suauia sunt, & vere animæ deuotæ nihil est in religione difficile. Quale autem sit horum spiritualium exercitium, qualis vita psalmographus optime in sua persona descripsit, dicés. *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit spiritus meus, anticipauerunt vigilias oculi mei, turbatus sum, & non sum locutus, cogitaui dies antiquos & annos æternos in mente habui, & meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Quam mirifice, quam pulchre omnem spiritualium vitam, mores, officium & statum in semetipso expressit. *Renuit* in sensibilibus *consolari*, qui deliciis spiritualibus abundabat, non in creaturæ vsu: sed in Dei memoria omnis consolatio eius, defecit spiritui, quia Dei spiritu plenus erat, omnis liuor, omnis superbia, omnis ambitio, omnis concupiscentia,

Psal. 76.

Ezech. 1. & 10.

Simile.

Non Simile.

Psal 81.

Simile.

omnis cupiditas & libido, omnis affectus & passio sensualis defecit, & siccata est, quia spiritus domini insufflauit in ea. Omnis appetitus carnalis euanuit, cum spiritus deuotionis incaluit.

Exercitia quibus exerceri debent spirituales.

Et exercitatus sum. Sed quibus exercitiis? *Anticipauerunt vigilias oculi mei*, scilicet, in Dei mei laudibus excubando: turbatus sum à confusione peccatorum, scilicet præ confusione nimia non sum locutus. *Cogitaui dies antiquos*, id est, totam vitam meam ab initio reuolui, longam operum meorum, & totius vitæ peractæ historiam texens, quę à Deo accepi, quæ illi reddidi gratias eius & malitias meas assidue animo cõmemorans. Gratissima profecto cordi meo & delectabilis exercitatio. *Sed & annos æternos in mente habui*, præmiũ illud æternum, & perpetuam gloriam oculis meis obiiciens, vt sic inclinarem cor meum ad faciendas iustificationes eius proposita retributione, à qua neq; ad momentum quidem quoad potera mentis meæ obtutum deflexi. in his & similibus meditationibus exercitabar, & meditatus sum, maxime nocte cum corde meo, quando à regni negotiis, & aliis operibus pietatis vacare licebat.

Psal. 118.

Psal. 41.

Nam *in die mandauit dominus misericordiam suam, & nocte canticum eius.* Sed super hæc omnia mihi maxima & præcipua cura fuit, vt ab omni peccati contagio, ab omni fœce libidinis, & ab omni puluere terrenæ cupiditatis scoperem spiritũ meũ, scopis pœnitentiæ purificãs, & vnda lachrymarum assidue rigans illum, vt gratum Deo [illegible] in illo, & mundũ habitaculum præpararet mihi. Hoc officium, hoc exercitium meũ, hic vitæ modus, in hoc exercitabar, in hoc delectabar, in hoc tempora mea & dies meos, vitam meam, & annos meos expendebam. Descripsimus vobis virgines Christi, hominũ status varios, animalem rationalem, spiritualẽ, sub quibus militat omnis vita mortalium. Videstis certe quanta sit hominũ ad inuicem distãtia, quo perfectionis interuallo homo ab homine distet. Quã merito parasitus ille comicus exclamauit, *dij immortales homo homini quid præstat, stulto intelligens quid interest*, in simplici & vniuoca natura maior quodammodo videtur hominum differentia quam iumentorum: est enim homo animalis prope nihil distans à bruto: est homo spiritualis similimus angelo. In vna, inquam, eademque natura humana, bestiam, dæmonem, angelum, si varias hominum conditiones attenderis inuenies: neque solum hoc, sed etiã varia genera bestiarum, hominem leonem, hominem vulpem, hominem simium, hominem elephantem, hominem porcum, viperas, serpentes, basiliscos humana effigie figuratos vbique reperies, more namque chameleontis, prout vult configuratur homo, in vno temporis momento ascendens vsque ad angelum, & in alio descendens vsq; ad brutum. *Creauit enim Deus hominẽ liberum, & reliquit eum in manu consilij sui*, vt esset quicquid vellet, liberam ei tribuens facultatem ascendẽdi & descendendi, quantũ vellet. Propter quod in prima rerum conditione, cũ singula quæ fecerat, singillatim approbasset, sicut de quolibet, scriptũ est *Vidit Deus quod esset bonũ*, solum hominẽ sine laude reliquit, expectans quis post modũ arbitrio suo futurus esset. Noluit quippe approbare bonũ quod facile mutari poterat, sicut & cito mutatũ est. Arborem seruauit quod creata est, & homo deleuit quod erectus est: ad hominum quippe excellentiã spectat, vt sit propria electione quod velit, non mutando naturam, sed affectiones arbitrio variando. Nos autem qui spiritualẽ vitam professi sumus, qua solicitudine, qua vigilãtia cum rare debemus, vt simus quod promisimus, vt ad destinatã morũ pulchritudinem pertingamus. Neq; enim aliud in monasterio agimus, ab omnib. curis & negotiis segregati sumus, nulla filiorum, nulla domesticorũ, nulla rei familiaris solicitudo nos premit, non seritimus, neque metimus, non militamus, neq; fabricamus, ab omni officio & negotio liberi sumus, vt solis nobis vacemus. De alieno labore, & industria nobis do-

In vna eademque natura humana bestiam dæmonem & angelum inuenies.

Exhortatio ad virgines sanctimoniales.

nans

mus, victus, vestitus, & alia vitæ necessaria præstantur. Nullus turbat, nullus molestat, nullus inquietat, neque pro his omnibus aliud exigitur à nobis, nisi vt meliores simus. O pulcherrimã sortem & egregiam conditionem, vt cordis nostri hæreditatẽ excolamus, mercedes accipimus, & vt in proprio agro laboremus, nobis stipendia donantur? Quid dicturi sumus in iudicio? quam excusationem habebimus si carnales & rudes inuenti fuerimus? Poterit aliquomodo sæculares virgines occupatio excusare? Nobis autem quid reliquum est, nisi sicut nequam illi homini euangelico obmutescere. Ad hanc vero vitã spiritualem, de qua diximus, & promerendam & obtinendam, nihil magis homines iuuat quam pudicitia: ob id enim præcipue apostolus virginitatem hominibus persuadere conatur, vt sic melius spiritui & contemplationi vacetur, sciens quia sine pudicitia frustra quis conabitur ad sapientiam: quia non intrabit in animam malenolam, neque habitabit in corpore subdito peccatis. Quis enim consensus spiritui Dei cum libidine? aut quæ conuenientia sapientiæ ad illecebram? Sancta virginitas ad contuenda cœlestia oculum mundat, intellectum clarificat, mentem eleuat, affectionem purificat, & ad omnia spiritualia dona accipienda animam habilitat. Non immittet Deus pretiosissimum purissimumque spiritus sui liquorem in vas inquinatum. Atras nubes radius solaris non penetrat, inter densissimas nebulas solis claritas non renitet, virginitas argento splendidior, crystallo clarior, vitro purior, vas mundum diuinis impressionib. aptum, grata Deo, angelis chara, hominibus spectabilis, hanc Deus inhabitat, hanc diligit, hanc illuminat. Quid.n. aliud virgines sanctas, nisi Dei secretarias dixerim? his sua Deus pandit arcana, his secreta suis cordis cõmunicat, his absco dita mysteria reuelat: has visitant angeli, has perficiunt, has exornant thesauris cœlestib. Pulcherrimas eis murenulas & præclara donaria deferentes, variisq; eas muneribus decorantes. *Vere beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Quid enim proderit inspiciendis cœlestibus oculum intendere, si sanguine rubet, aut si puluere plenus est? O anima purifica oculum, & videbis, abiice sordes, & omnia prospicies, acies polluta lucem puram videre nõ potest, & sentina carni obscæna atram nebulam semper exhalat quæ placidum veritatis lumẽ occultat. Est quoque aliud vnde virginitas valde adiuuat ad spiritum, quia ab omni negotio libera est: *mulier namque inupta & virgo, cogitat quæ domini sunt vt sit sancta corpore & spiritu, vt placeat ei cui se probauit: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro, & diuisa est*: non vacat ei gustare cœlestia, quoniam temporalibus curis implicata est. Duplici itaque impedimento tenetur ne in spiritu proficiat occupatione, & libidine. Libido mentis aciem obnubilat, occupatio debilitat, quoniam pluribus intenta, ad strata mens ad singula debilitata est, quod si ad singula, quanto magis ad contraria? *Gratias Deo* agamus, *qui nos vocauit in partem sortis sanctorum*, & à tantis periculis & solicitudinibus segregauit, *vt exhibeamus* ei corda, *& corpora nostra hostiam viuentem, sanctam placentem, & rationabilem*, & quæ placita sunt coram eo toto desiderio faciamus. Grandis nobis retributio, & eximia merces proposita est, si quæ bene cœpimus firmiter compleuerimus: non enim qui cœperit, sed *qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit*. Confido in domino Iesu, quod *qui cœpit in vobis bonum opus, ipse perficiet*: sed opus vestrum volo interim agnoscatis. Virgo deuota api quam similima esse debet, quæ longe à suo apiario volans pulchros vndique flores legit, ex quibus intra alueum cõclusa mel ficat: sic vos Spiritus sancti flatu in cœlestia raptæ, placidos à paradiso sanctarum cogitationum, & meditationum flores colligite, vnde dulcissimos & mellifluos intra viscera desiderium fauos conficiatis. *Spiritus enim*

Matth. 22. *1. Cor. 7.* *Sap. 1.* *Similc.* *Laus virginitatis.* *Cant. 2.* *Duplex impedimentum profectus.* *Col. 1.* *Rom. 12.* *Matth. 10.* *Philip. 1.* *Similc.* *Eccles. 24.*

domini super mel dulcis, & hæreditas eius super mel, & fauum. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine quam abscondisti timentibus te, quos etiam in abscondito vultus tui à conturbatione hominum, & à contradictione linguarum abscondere dignatus es. Apis quæ semper foras vagatur, nunquam mellificat: Monialis quæ curis sæcularibus implicatur, spiritus suauitatem ignorat, quam bene sibi consonat apis & virgo, apis non coitus libidine, sed Solis calore generatur, pudicissima est, omnem labem ignorat, dulcissimos fructus facit. Vnde enim dulcedo nisi à puritate confici debuit? qualis artifex, tale opus? Materia quoque non dissonat. Flore enim quid pulchrius? quid purius? quid suauius? quam eximiam analogiam hæc omnia retinent, si ad spiritum suo ordine transferantur: apis Deo dicata virgo, flos cœlestis meditatio, fauus spiritualis dulcedo ros ille est. De quo Isaias. *Ros lucis, ros tuus*: alueus, aut virgineum pectus, aut religionis claustrum, in quo velut examina apum virginum chori in pace & silentio mellificant sub magistra. Volate ergo virgines Dei assidue in florigeram paradisum, atque inde placidos flores vobis colligite, vt mellifluos spiritus conficiatis fauos. Hoc opus vestrum, hoc officium, in hoc positæ estis in monasterio explorare terram lacte, & melle manantem, vberrimosque inde populo Dei fructus deferre. Nostis figuram, vt opinor, olim cum famulus Dei Moyses populum Israel in terram promissam introduceret ex præcepto domini, duodecim exploratores missi sunt, qui terram illam explorarent, & populo referrent omnia quæ vidissent, qui omnes, præter duos Iosue & Caleph, terræ quam viderant detraxerunt, dicentes. *Terra quam lustrauimus devorat habitatores suos, populus quem aspeximus proceræ staturæ est; vidimus ibi monstra quædam filiorum Enach de genere giganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamur.* Quibus verbis populum exterruerunt, & grandis in eo mœstitia & murmuratio excitata est, propter quam prostratus est in deserto: viri quoque illi qui terræ pulcherrimæ, & fructiferæ nequiter, & mendaciter detraxerant in reatus sui pœnam percussi à Deo subito extincti sunt. Ad vos virgines, & ad nos pertinet hæc parabola: exploratores constituti sumus in populo Dei electo, populo peregrino, in manu potenti, & sanguine agni immaculati de Ægypti tenebris, & Pharaonis seruitute liberato. Hic per huius sæculi squalentem eremum in patriam suam properat, & audire gestiens in deserto, bona quæ in ea sunt exploratores destinant, religiosos, & perfectos viros, qui eam penetrent, & de illa sibi nuncient. O egregium exploratorem Paulum, qui cum Dei Paradisum, & eius delicias beatis oculis perlustrasset, hoc solum exulanti populo dicere potuit, quod bona illius ineffabilia sunt. Lustrauit quoque eam Ioannes aquila potens, & quæ viderat prout potuit mysticis sermonibus, & typis populo Dei descripsit. Nonnulli etiam ex sanctis, etsi non tam aperte viderunt, iucunda, & præclara de illa nobis retulerunt. Vnde psalmus *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Sed heu heu exploratorum hodie maxima pars populum Dei ab ingressu vitæ deterruit. Videas hodie monachorum plurimos mœsto vultu, pallida facie, terræ desiderabili detrahentes. Religio (inquiunt) deuorat hæc habitatores suos, vita hæc aspera, & arida, & sine fructu est, non est, qui eam portare possit: sunt ibi monstra gigantea, labores intolerabiles, iugis obedientia, vigiliæ longæ, clausura perpetua, tenuis victus, chorus continuus, rigor assiduus, fatigatio multa, consolatio nulla, interminabilis mœstitia. Nolite intrare, nolite probare, labores isti super vires hominum sunt, non poteritis ad eos, non lacte, & mele, sed absinthio, & felle manantem religionem experti sumus. O genus hominum perfidum, & iniquum; desidiam, & inertiam suam austeritati, & sterilitati imputant religionis. Quam simi-

Psal. 67. *Psal. 30.* *Apis sola ardore non libidine gignitur, estque sanctarum virginum symbolum.* *Isai. 26.* *Deuter. 6.* *Figura. Num. 13. v. 33.* 2. Cor. 12. *Apoc. 21.* *Psal 86.* *Detractores, res Religionum comparantur exploratoribus terræ promissæ.*

similes sunt hi Scribis, & Phariſæis, *qui* dominus rex, & legifer noſter Ieſus, cui
Luc. 11. (ſicut dominus ait) *clauem ſcientiæ tu-* cum patre, & ſpiritu ſancto eſt honor,
lerunt, & ipſi non introierunt, & intra- & gloria, decus, laus, & imperium in
re volentes prohibuerunt: pro nihilo ha- ſæcula ſæculorum. Amen.
Pſal 105. *buerunt terram deſiderabilem*, quia ei-
us delicias campoſque latiſſimos non *Nix ego Sol Chriſtus iuſtorum ardore*
viderunt: ſi enim interiora eius pene- *liqueſco.*
traſſent, ſi ad eius latitudinem perue- *An mirum, ex oculis ſi fluat vnda*
niſſent probaſſent vtique intra rigores *meis.*
illos pœnitentiæ, quos tam vehemen-
ter exaggerant, quanta fœlicitas, quam
ampla, & delicioſa planicies clauderea-
Pſal 83. tur. Nouerat hoc qui dicebat, *Melior*
eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia.
Ibidem. Et iterum, *Elegi abiectus eſſe in domo*
Dei mei, magis quam habitare in ta-
Pſal 36 *bernaculis peccatorum.* Vos itaque vir-
Pſal 33. gines Deo deuotæ terram iſtam deſi-
derabilem viriliter penetrate, & paſ-
cimini deliciis eius. *Guſtate, & vi-*
Sap 8. *dete quam ſuauis eſt dominus*, & quod
non eſt amaritudo vlla in conuerſatio-
ne eius, non ſunt gigantes, non ſunt
monſtra in Dei obſequio, ſed redun-
dans gratia, & perfecta lætitia, quod ſi
eſſent vtique pro Deo, & aggrediendi;
& toleranda fuiſſent. Quid enim le-
uius, quid ſuauius, quam pro domino
laborare? Melliti ſunt labores iuſtitiæ,
& ſpiritus dulcedine conditi, labores
eſſe deſierunt, quia placidi ſunt: vbi e-
nim delectatio, & voluptas, qualis la-
bor eſſe poteſt? Virgo hæc quam ſe-
quimini, cuius hodie feſta percolimus,
non ſolum obedientias, inedias, vigi-
Dorothea grauiſſima pertulit. lias, clauſuram, & paupertatem, pro
Chriſto domino ſuſtinuit, ſed grauiſſi-
mas contumelias, iniurias acerrimas,
confuſionem, nuditatem, irriſionem &
atrociſſima tormenta, pro eo libentiſſi
me tolerauit. Conſiderauit quid pro-
mittitur, & noluit conſiderare quid pa-
2 Cor. 4. ticur, proſpicienti æternitatem in præ-
mio, nihil temporale poteſt eſſe difficile. *Momentaneum enim hoc, & leue*
tribulationis noſtræ (ſicut Apoſtolus
ait) *æternum ſupra modum in ſublimi-*
tate gloriæ pondus operatur in nobis, &
exiguus labor inenarrabilē requiem, &
lætitiam ſempiternam. Quam nobis
præſtare dignetur pius, & miſericors

DE DIVA MARIA Magdalena, Concio.

THEMA.

Dilexit multum. Lucæ. 7.

CVM ſolus creator rerum conditarum perfectam habeat notitiam
in pondere, & menſura quæ ſunt, eas Sap. 11.
vndiquaque penetrando, & compre
hendendo, ipſe namque attingit à fine Sap. 8.
vſque ad finem fortiter, metiturque ſua
ineffabili ſapientia gradus, perfectio-
nes, & dignitates omnium, & ponderat
infallibili ſtatera veritatis merita ſingu-
lorum. Solus igitur eſt ſicut, & plaſma- *Iuxta iu-*
tor, ita & comprehenſor. Vnumquod- *dicium di-*
que ergo tantum æſtimari debet, quan- *uinum om-*
tum diuino iudicio, aut teſtimonio æ- *nia æſti-*
ſtimatur, aut iudicatur eſſe: *non enim* (vt *manda.*
inquit Apoſtolus) *qui ſeipſum commen-* 2. Cor. 10.
dat ille probatus eſt, & ſine dubio ille
laude digniſſimus habendus eſt, qui
Dei præconio promeruit laudari. Le-
gimus autem in Euangelio nonnullos
à domino commendatos. Nathanae-
lem venientem ad ſe commendauit de
ſimplicitate, & veritate cordis, dicens, *Ecce vere Iſraelita in quo dolus non eſt.* Ioan. 1.
Centurionem quendam admiratus,
laudauit de plurima fide, dicens, *Amen* Luc. 7.
dico vobis, non inueni tantam fidem in
Iſrael. Petrum Apoſtolum laudauit de
abſconditi myſterij cognitione, & lu-
mine, dicens, *Beatus es Simon Bariona,* Mat. 16.
&c. Chananæam de fide, & perſeue-
rantia commendauit, dicens: *O mulier* Mat. 15.

magna est fides tua. Magdalenam vero (vt audistis in lectione Euangelica) in domo pharisæi lachrymantem, gementem, & pedes suos amplectentem, & deosculantem, de ardentissimo amore commendauit, dicens verba thematis,

Luc. 7. *Dilexit multum.* In ea igitur virtute quilibet sanctorum credendus est, & habuisse excellentiam, & maxime claruisse, de qua dominico testimonio apud alios, & præ aliis commendatus est: nouerat enim quid esset in homine, qui fecit hominem. Neque aliud erat in homine virtutis, aut gratiæ, quam

Simile. quod ipse posuerat. Habet se autem charitas siue amor Dei ad cæteras virtutes, sicut se habet aurum ad alia metalla: sicut enim aurum cæteris omnibus metallis præstat decore, æstimatione, & valore, sic charitas tantum, & eo ampliu cæteris omnibus virtutibus,

Sine Caritate nulla sunt virtutes. perfectione, & excellentia anteire videtur. Sine charitate enim cæteræ omnes virtutes, aut nullæ sunt, aut modici valoris (dicente Apostolo)

1. Cor. 13. *si linguis hominum loquar, & angelorum, &c. et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum:* id est, omnes virtutes istæ sine charitate nullæ sunt. *Charitas autem per se sola* (vt inquit Augustinus) *est omnis virtus* scilicet quoad virtutis fructum, & effectum. Ipsa est enim in creditu fides formata, in fiducia spes viua, in victoria fortitudo, patientia in tolerando, benignitas in miserendo, mansuetudo in sustinendo, in largitione liberalitas, in æqualitate iustitia, in deiectione humilitas, & denique in omni operatione omnis virtus. Vide quam aperte hoc innuat Apostolus. *Charitas* (ait)

Ibidem. *omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, patiens est, benigna est, non æmulatur, non inflatur, non agit perperam, non quærit quæ sua sunt.* Hæc opera hic enumerata aliarum virtutum propria sunt, & omnia sibi vendicat charitas. Consule experientiam, & hoc ipsum luce clarius apparebit: si quis enim alium affectuose diligit, ei in omnibus credit, ei pretiosa quæque confidit, ei omnia liberaliter largitur, ei errata dimittit, amata committit, non inuidet illius gloriæ, non rapit illius substantiam, non quærit iniuriam, pro ipso omnia suffert iniuriosa, omnia aggreditur periculosa, omnia prosequitur laboriosa: nec ipsa morte amor superatur. *fortis enim* Cant. 8. *est vt mors dilectio.* O potentia maxima, ô insuperabilis vigor charitatis? Quid non potes? quid non aggrederis? quid non vincis? quid non comprehendis? O amor eo cæteris omnibus fortibus fortior, & potentibus potentior, quo suauior ac blandior: non enim ferro, & manu armata, sed suauitate quadam interna dulcedinis tuæ omnia tuo subiugas imperio, & cuncta tibi deseruire miro modo, non cogendo, cogis: omnium tributa perquiris: omnium officio sola regina charitas pro libito fungitur. Non solum autem omnium virtutum, sed etiam omnium donorũ Dei maximum est charitas. Vides quã opulenta, quam diues, & omnibus bonis referti ssima est domus Dei, quot & quantis diuitiis & charismatibus abundans. Ego dico tibi si omnes cœlestes thesau-

Amor Dei omnes thesauros superat. ros, & pelagus omne diuitiarum Dei scrutatus fueris: nihil inuenies pretiosius, nihil splendidius, nihil desiderabilius amore Dei. Omnium igitur bonorum & beneficiorum quæ præstare potest Deus, maximum est amor sui. Petat alius prophetiam, alius sapientiam, alius fidem, aut castitatem, alius humilitatem, alius quicquid sibi placuerit: tu si optimum & maximum desideras donum, pete ab eo charitatem, & eius dilectionem: omnium enim *horum ma* 1. Cor. 13. *ior est charitas.* Et ratio huius est, quia quicquid tibi donauerit Deus, si amorem sui non præstitit, seipsum tibi negauit: Deus enim solo amore possidetur à viatore homine, & possessio eius amor ipsius est. Amor igitur facit Deum esse tuum, facit ipsum possessionem tuam, & hæreditatẽ tuam, & quicquid habeas si amore cares, nec Deus tuus

est,

est, nec eo frueris: Fruitio enim huius vitæ & amor idem sunt. Quid autem tibi proderit si omnia possideas, & solum Deum non possideas? Sicut ergo nihil seipso præstantius dare potest Deus: ita & in donis nullum præstantius illo, quo solo Deus al cui donatur, & ab eodem possidetur. Et vt clarius appareat, hoc gratia exempli ponamus, vt de absoluta potentia Dei possibile est, quod visio & fruitio beatifica separetur ab inuicem in diuersis, ita vt vnus videat Deum, nec tamen diligat: alius autem diligat quidem, sed non videat: cognoscat autem, quia *amor non potest ferri in incognitum*, constat quod neuter istorum perfecte beatus est: quoniam qui videt solum, non fruitur optimo quod videt, & qui diligit duntaxat non quietatur donec lucide videat quod tam ardenter amat. Fœlicitas enim & beatitudo nostra, aut in vtroque visione, scilicet, & amore Dei consistit, aut saltem vtrumque ad cõplemẽtum perfectæ beatitudinis necessarium est. Licet ergo (vt diximus) neuter illorum perfecte beatus sit, ego si mihi daretur optio, potius eligere n amare non videndo, quam videre non amãdo. Quid enim si videro & non amauero? per hoc nec Deo gratus, aut amicus existo. Est enim gratia charitas, aut non sine charitate, si autem amo etiam si non videam, Dei amicus sum. Vt autem nostrum propositum concludamus, constat quod quanto id in quo aliquis præstat, seu habet excellentiam maius est: tanto ille dignior habendus est & illustrior. Est enim grande quid etiam in paruis ac modicis esse præstantem, in magnis vero ac arduis præstare, illustre & glorioſum nimis. Exemplum horum in artibus clarissimum, in quibus quanto perfectior est ars in qua aliquis habetur insignis, ac singularis artifex tanto artifex ille cæteris artificibus etiam insignibus aliarum artium ac præstantissimis præstat. Quid igitur grandius, quid glorioſius, quid beatius in laudem Mariæ Magdalenæ dici potuit, quam quod tam breui sermone & compendioso præconio veritas ipsa comprehendit in verbo thematis testificans de ipsa, *quoniam dilexit multum*? Quid enim est dicere, dilexit multum, nisi in eo quod est maximum, & optimum in domo Dei vniuersa, siue in cœlo, siue in terra, & in eo quod est omnium præstantissimum claruit, & præstans fuit? Optimum namque sibi elegit Maria: magnus est quisquis aliqua virtute magnus est, sed maximus est quicunque optima virtute magnus est. Si igitur diebus, ac noctib. omnes scripturas sacras euoluerem, ac omni industria, & solicitudine huius sanctæ mulieris laudibus desudarem: nihil lõgissimo sermone in eius laudem afferre, vel dicere vobis potui quod sic eius dignitatem, & excellentiam demonstraret, sicut illud tam breue duorum verborum compendium thematis, scilicet, *Dilexit multũ*. Hoc enim certum est, quod si multum dilexit Deum, etiam multum ab eo dilecta est: & quo magis dilectã, eo magis inter cæteros excellior & glorioſior est facta. Magnitudinis ergo & gloriæ suæ, hoc vnicum ac certissimum suscipite testimonium diuino nobis oraculo pronunciatum, scilicet, *Dilexit multum*. Erunt duæ partes sermonis, prima de motiuis amoris, secunda de signis amoris. In primo declarabitur, qua ratione ista glorioſa fœmina dilexit multũ. In secunda vero, quibus signis & indiciis demonstrauerit, quoniam dilexit multũ. Propheta egregius considerans apud se, quantum ex omni parte ad Dei dilectionem teneatur, ait. *Diligam te domine fortitudo mea*, &c. *Diligam te* (inquit) & toto corde diligam te, & plene desiderio animæ diligam te, & ex imis visceribus meis diligam te: & quare diligam te, nunquid absque causa? Sequitur. *Fortitudo mea firmamentum meum, refugium meum, liberator meus. Deus meus, adiutor meus, protector meus, cornu salutis mea, susceptor meus.* Nunquid pro his omnibus non iuste diligam te? nunquid non grandis mihi ratio & causa diligendi te? Deus meus, misericordia mea, gloria mea, corona mea.

Similè.

Nullus est perfectè beatus sine amore Dei, de absoluta Dei potentia.

Gratia & charitas aut sunt idem, aut sunt simul

Similis.

Luc. 10. Sententia grauissima.

Psal. 17.

mea, coarctor vndique ac stimulor causis multis & rationibus plurimis ad amandum te, nec sufficit cor meum ad tantum debitum amoris persoluendum. Qui ergo ex omni parte me obligas, & constringis beneficio tuo, obligatum absolue nimio amore tuo: dediti vnde tibi teneor da etiam vnde tibi reddam: nam si ego non sum dignus amare te, tu tamen domine dignissimus es amari à me. Nouum ergo super adde muneribus tuis munus amoris, vt de munere tuo tibi persoluam debitum meum. Mira res, ipsa solutio noua obligatio est, debitum contraho dum reddo, oneras me dum exoneras Deus, & dum de tuo dono tibi rependo amorem quem debeo, ipso dilectionis munere me amplius fieri debitorem inspicio. Vt quid igitur solutionem intendo? nisi quia cum tibi plurimum debeam, gratissimum mihi est fieri tibi etiam amplius debitorem. Diligam te ergo domine omnibus modis & sine modo: modum enim non habent quæ ipse fecisti pro me, non apposuisti mensuram beneficio tuo, non apponam mensuram amori meo, sed quoad possum, & ex totis meis viribus, & tota virtute mea amabo te. Valde domine desidero intelligere & sentire quantum tibi debeo, sed munera tua intelligi non possunt sine spiritu tuo (dicente Apostolo tuo) *non enim accepimus spiritum huius mundi, sed spiritum qui à Deo est: vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Infunde igitur cordi meo spiritum tuum, vt intelligam donum tuum: recipere enim & ignorare beneficium ingratitudinis non modicam labem parit. Quomodo enim gratus erit, qui nec pro quo gratus esse debeat agnoscit? Da ergo mihi domine sentire & intelligere causas & rationes propter quas teneor & debeo diligere te. vt ex tali scrutinio *& meditatione mea, exardescat ignis* dilectionis tuæ, & tepidum cor meum excitetur ad amorem tuum. Cum autem innumera sint quæ nos ad dilectionem Dei prouocent: tria tamen sunt præcipua, propter quæ Deus à nobis diligendus est. Primo, quia iustum: secũdo, quia debitum: tertio, quia proficuum. Hæc enim solent etiam communiter esse rationes diligẽdi aliquem, nam aut diligitur, quia virtute & moribus præstans, & gratiis decoratus amabilis apparet, & dignus amore, aut quia ipse amat nos, aut quia eius amicitia vtilis nobis est. Ista omnia in Deo præcipua & maxima sunt. Quis enim amore dignior quam Deus? quis præstantior? quis perfectior? quis gloriosior? Nihil nobis contulerit Deus, nihil pro nobis passus fuerit, nihil nobis promiserit: Certe propter hoc quod ipse est, omni amore à nobis amandus est, quia. s. eius excellentia infinita, infinito etiam amore dignissima est. *Amor enim* (teste philosopho) *est naturalis quædam inclinatio in bonum*, quanto ergo aliquid melius tanto amore dignius. Primum igitur ac summum bonum, in quo omne bonum, quo amore prosequendum erit? Dic mihi, obsecro te anima mea, quid tibi potest placere quod in Deo tuo non reperias? Si delectat te sapientia sapientissimus est: si potentia, omnipotens est: si pulchritudo, *candor est lucis æternæ, & speculum sine macula*: si diuitiæ, si gloria, *gloria & diuitiæ in domo eius*: si delectatio, si vita, *delectationes in dextera eius vsque in finem*, & vita in voluntate eius. Dilata tentorium cordis tui, extende sinus desideriorum tuorum, & quicquid libuerit exopta, & quantum potueris desidera, totum illud in ipso est, & amplius quam desiderare vales in ipso est. Quid igitur misera, sitibunda & vaga, à vanitate creaturarum mendicas guttulas quasdam ad refrigerandam sitim tuam, & fontem ipsum aquæ viuæ spontanee se offerentem relinquis? *Dereliquisti* (inquam) *fontem aquæ viuæ, & fodisti tibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*: deciperis, certe deciperis misera, nam ex ipsa delectabilia quæ tam ardenter inquiris, sitim non sedant, sed incitant: non remouent, sed promouent, & hydropicorũ more quo amplius bibis, eo amplius sitibunda re-

Psal 17.

Sapient. 7.

Psal. 111.

Psal. 19.

Sap. 7.

Psal. 15.

1. Cor. 1. Dei dona non possunt sine ipsius dono intelligi.

Omnia desiderabilia in Deo reperiuntur.

Hier. 2.

Psal. 38.

Propter tria præcipue à nobis Deus diligendus.

linqueris. Vnde autem terreas istas ac degeneres voluptates, sic ardenter siti mus, nisi qua cœlestes, & meliores non gustamus? Qui enim puras illas, & de fecatas spiritus oblectationes, & veri mentis gaudia frequenter expertus est, abiectissimas vilissimasque corporis voluptates non solum non diligit, sed etiam abominatur & odit: gustato enim spiritu, desipit omnis caro. Vtinam Domine, vtinam vel tenuissimus radius pulchritudinis tuæ mentis nostræ oculos tetigisset, vt saltem sub nube quadam & caligine, splendor tuæ celsitudinis nostris oculis appareret. Raperet enim statim ad se calore suo veluti vaporem animam nostram, & totam ardore dilectionis tuæ inflammaret penitus & accenderet. Vt quid enim non diligimus te, nisi quia ignoramus te? *Psal.118.* Cæcitas nostra huius algoris causa est: impossibile est enim vt non amet te, qui vere cognoscit te. *Faciem* igitur *Psal.43.* *tuam Domine illumina super seruum tuum*, vt de vultu tuo dilectio mea prodeat, si quidem posuisti sæculum nostrum in illuminatione vultus tui, vt non possit illuc conscendere ad verum æternitatis tuæ sæculum, nisi qui prius in isto nostro sæculo fuerit in tuo lumine illustratus. *Intellectum* ergo *da mihi* *Psal.118.* *& viuam*, da menti oculum, cordi sensum, quo splendorem tuæ bonitatis intuear. Oculus enim videns te statim tui desiderio succenderetur, sic enim apud Ioannem legimus *similem filio hominis* *Apoc.1.* *vestitum ponere, cuius caput & capilli candidi, & oculi eius*, inquit, *tanquam flamma ignis*. Vere ita est ignitus est oculus inspiciens Deum, & ipsa veri luminis inspectio flammis Diuinæ charitatis exusta. Nihil ergo aliud (vt prædiximus) in culpa est nostræ tepiditatis, nisi oculorum mentis defectus. Sed quomodo oculos habeat ab æterna cõtuenda, qui tota vita transitoriis & temporalibus inspiciendis intendit? aut quibus oculis lucem illam inaccessibilem contuebitur, qui toto tempore vitę suæ tenebris & obscuritatibus est assuetus? oculos habent, sed non vident lucem, quia tenebris inuoluuntur: *oculos* *suos* (inquit) *statuerunt declinare in ter-* *Psal.118.* *ram*, quomodo igitur cœlestia penetrabunt? Parum fuit illis terram inspicere, nisi hoc etiam facerent ex statuto, statuerũt inquit. O miserum statutum? ô praua deliberatio? statuerunt defigere oculos vanitati, abstrahere eos à veritate, statuerunt cœno miseræ voluptatis inuolui, & pactum inierunt cum morte, & fœdus cum inferno fecerunt: non enim casu aliquo, aut quasi ex ac- *Isa.22.* cidente peruersi sunt, & vani, sed ex decreto animi & mentis proposito, & longa deliberatione & consilio. *Prodiit* *enim quasi ex adipe iniquitas eorum,* *transierunt in affectum cordis*, dicentes Deo, *recede à nobis scientiam* *Psal.72.* *viarum tuarum nolumus*, sed post de- *Iob.21.* sideria nostra curremus, & voluntates nostras perficiemus. Quid enim nobis proderit si seruierimus illi, aut quod emolumentum laborum nostrorum percipiemus? Obsecro autem vos fratres mei, si quod adhuc pietatis vestigium, si qua viscera charitatis, si qua salutis vestræ solicitudo, si qua memoria redemptoris, & amoris eius apud vos est, si quod vitæ cœlestis desiderii, parcite iam parcite vanitati, *quiescite* *agere peruerse*, & peritinera deuia tam longo tempore debachari. Nolite abire *Isa.1.* post vanitates, quæ non proderunt vobis, perpetuis intendite, cœlestibus inhiate, discite amare quæ vera sunt, & fallacia & mania sæculi labentis bona contemnite. Ecce transierunt plurima *1.Reg.12.* quæ male concupistis, *& quem obsecro* *Rom 6.* *fructum habuistis in illis in quibus modo erubescitis*? Sed iam ad propositum redeamus, interrogaui ego nonnunquã cor meum & animam meam conueni, nunquid diligeret Deum suum? nunquid ineffabilem istam pulchritudinem diuinitatis amaret? & dum diligẽti studio interiora mentis meæ secreta rimarer deprehendi, quoniam non adhuc amare merueram, sed tantum amare desiderabam, concupiscit enim *Psal.118.* anima mea desiderare. Sed ne hoc ipsũ affectuose diligere promeruerat, suaues

Qui statuunt oculos in terram ad lucem erigere non valent.

ues enim illos amoris affectus, & dulcia sponsi oscula, & amplexus desiderabiles quis attingit? Ad ista enim quis idoneus? Quasi ancillula ergo despicabilis longe adhuc sponsi cœlestis throno semota, prout poterat verbum eius à longe in anima desiderio audiebat: & (vt ait Propheta) *quasi onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ attrahebat ventum amoris sui.* Quod si quandoque propius accedere permissa plenius decorem dilecti sui fuisset intuita, hoc solum intus gemebat, hoc solum clamabat. Parce Domine, ignosce domine, nunc enim liquide cognosco quoniam nunquam noui te, nunc plene scio quoniam vere nunquam amaui te, quid ergo faciam? Discurram per vicos & plateas, *si forte inueniam quem diligit anima mea,* segregabo me ab hominum contubernio, & sæculi huius conflictu, & vastam eremum penetrabo, si forte vel ibi dignatus sit mihi apparere quem diligit anima mea. Dumque sic consulo, & dum illa mente pertracto, visum mihi est quoniam ignorantis adhuc & infirmi animi huiusmodi erat locorum inquisitio, si enim vera Dei cognitio esset in animo, vbique terrarum etiam inter tumultuantes sæculi fluctus, & inundantium tentationum conflictus, etiam inter conuitia & tormenta, etiam si carcere reclusus, vel morti destinatus, inter medios flagellorum irruentium ictus & conuitiantium hominum procellas, ibi cor meum in Domino defixum, & in ipso confixum maneret: nec quauis causa, vel occasione in eius amore tepesceret, si veram eius pulchritudinem agnosceret. Quid ergo locorum diuerticula quæro? quid inutiles ambages requiro? prope est amor quem desidero, in mentis penetralibus, non in vastis solitudinibus inquirendus dicam, an petendus? Non enim, vt fatear verũ, quauis inquisitione amor iste Diuinus repetitur, sed magis Diuina benignitate animæ sitienti, & spiritui anhelanti ex munere condonatur. Demonstrat enim se cordi nostro prout vult & quando vult Deus, nec ideo quæritur quasi industria nostra quærendo inueniatur, sed quia quærenti animæ ex suo beneplacito demonstratur. Quo fit vt sæpius post longam nimium inquisitionem, & anxium cordis circuitum, anima nostra frequenter tepida & quasi concupito affectu defraudata remaneat, & quando magis secura & minus solicita, vel etiam somnolenta est, tunc nescio quis radiantis luminis fulgor & quasi vibratus radius diuinæ veritatis oculos mentis subito perstringat, & repentino calore inflammet vltra quam credi potest, & dum læta & iucũda radium illum viuificum amplecti & retinere, extentis brachiis & dilatatis visceribus conatur, subito de medio elapsus vacuos relinquit amplexus, & inanes manus frustra retinere conantis deludit, vulneratamque animam, & sauciam amore relinquit clamantem post tergum abeuntis. *Quo abis ô dilecte? reuertere obsecro dilecte mi, reuertere, similis esto capreæ hinnuloque ceruorum super montes Bethel:* cur amantem deludis? cur sitientem fugis? cur anxie quærentem relinquis? vulnerasti, & abiisti, apparuisti, & recessisti, cur non expectasti amplexus amantis? cur non desiderantem multa tecum colloqui sustinuisti? nunquid ad hoc venisti, vt sauciares, & fugeres? ad hoc apparuisti vt deluderes? Sed de his hactenus. Secunda diligendi Deum ratio & causa est, quia debitũ, & multipliciter debitũ & maxime duabus de causis. Prima, quia (vt inquit Apostolus) *laborantem agricolam oportet primum de fructibus edere,* & qui plantauit arborem aut vineam, iure fructu eius potitur. Fecit te Deus capacem sui intellectu & voluntate, vt intelligendo amares, & amando fruereris, iuste igitur fructum tui intellectus & voluntatis sibi debitum à te exigit, qui talem ac tantam tibi dedit facultatem, & tales plantauit in te potentias, per quas possis & ipsum capere, & captum diligere. Illi ergo debes amoris tributum, qui tibi contulit amandi facultatem. Sed nequeo

Hierem. 2.

Gen. 3.

Deus inter cruciatus inuocandus.

Deut. 30.

Vnde anima nostra post longam inquisitionem maneat tepida fiat.

Cant. 2.

Diligendi Deum causa duæ.

2. Tim. 2.

Simile.

S. Aug.

satis mirari & intra meipsum penitus stupesco. Domine mi, quid est hoc quod sic amari vis à me, vt mihi mortem & æternos cruciatus minetis, si non amauero te? tanti facis amorem meum? quis ego sum, vt sic æstimes amari à me? inter tot & tanta cœlestium spirituum agmina, & tam splendidam tamque decoram te diligentium multitudinem, despicabilis huius ac vilis vermiculi, tu domine mi non solum despicis amorem sed insuper veluti grande aliquid & pretiosum cum minis & terroribus reddi tibi efflagitas & indicas? Multum est hoc ad me gloria mea, multum est ad me vt tanti me facias. *Quid est homo quia sic magnificas eum? aut filius hominis quia sic reputas eum?* qui ex meipso exiguus sum, sola tui æstimatione grandis sum, & valor meus non substantia mea, sed tua æstimatio est, & pondus meum gratia tua: *gratia enim tua sum id quod sum.* Multum ergo dignificas me dum sic amari vis à me, sed intelligo domine, quoniam in amore meo, non tuam, sed meam inquiris vtilitatem. Propter me igitur amari vis à me, & quia diligis me, ideo diligi vis à me, vides enim quoniam in amore tuo vita mea tota consistit, & propter hoc vis amari à me, vt vitam ego habeam amando te. Tangit enim te domine, & multum tangit te mea perditio: quia opus tuum & factura tua sum, tam caro sanguinis pretio à te redemptus: non vis ergo perire tam cari pretij mercimonium, nec modicam iniuriam tibi facio criminibus meipsum deturpans, & peccatis animam meam commaculans: pro cuius salute mori etiam non dedignatus es. Ideo ergo tam districte requiris amoris tributum, vt nouum superaddas gloriæ beneficium. Est ne alia ratio debiti amoris? Est vtique & grandis mirum, quia tu etiam diligis me, & prior dilexisti me, *non quasi nos dilexerimus ipsum* (inquit Apostolus) *sed quia ipse prior dilexit nos*, prior dilexisti me domine, quia sine merito vel debito aliquo fecisti me: quid enim tibi feceram antequam essem, vt faceres me? ex tam multis possibilibus creaturis quas creare poteras placuit tibi suscitare me de nihilo, & alia plura multo meliora me non suscitare, vt quid domine? qua ratione? qua causa? quo merito? Sola vtique dignatione & beneplacito voluntatis tuæ quæ omnium subsistentium prima ratio lex & causa est. Creasti ergo me, quoniam voluisti me, illud vero non creasti, quia noluisti: nihil ego eram sicut & illud. Ex tunc igitur amor tuus erga me. Quid dico? imo ab æterno dilexisti me, quoniam ab æterno tibi placuit vt in tempore suo faceres me. Gratias tibi domine, gratias tibi *quia sic fuit placitum ante te*, sed nunquid in hoc solum dilexisti me, quia fecisti me? imo multo amplius dilexisti cum me perditum redemisti: factus enim ex nihilo sine merito meo, peccato meo ad nihilum redactus sum, & sic eram vt melius esset non fuisse natus in combustionem & cibum ignis, nisi iterum deformem reintegrares me. Ad hoc autem non Angelum, non Cherubin, non Seraphin, non Thronum, aut Virtutem aliquam, sed filium tuum vnigenitum consubstantialem coæternum tibi & coæqualem, in opus meæ redemptionis è cœlo misisti. O admirabilis ardor charitatis? ô stupenda dignatio pietatis: vt seruum redimeres filium tradidisti. *Quid faciã tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda? quid debui tibi facere quod non feci?* vide si restat aliquid quod huic tam eximiæ pietati addi posset. Filius Dei traditus est in mortem vt viuat seruus vernaculus terrigena de luto formatus. Dic igitur ô Christiane, dic obsecro, si quid habes, aut si forte audes, nam in hoc (vt ait Iob) & si loquutus fuerit homo absorbebitur, dic ergo debes ne amorem huic amori? teneris ne diligere eum qui sic prius dilexit te? Audite fratres mei cum patientia, & attendite, & auscultate, quia vere confundor *& coarctat me spiritus vteri mei, & venter*

Iob 7.

Matth. 11.

Matth. 26.

Isaia 9.

1 Cor. 15. v. 10. Deus propter nos vult se amari.

Osea. 6.

1. Ioan. 4. Prius nos Deus dilexit.

Iob. 8.

1. Ioan. 4.

Iob. 32.

meus quasi mustum quod lagenulas nouas confringit, verecundia & pudore plenus sum, & attendite de quo. Nostis primo, quoniam amor non nisi amore redditur, & *si enim dederit homo* diligenti se *omnem substantiam domus suæ pro dilectione*, si autem non redamet amantem, *quasi nihilum reputabit*: non enim nisi amore amor persoluitur. Nostis etiam fratres, quod amor tam pretiosus est, quod etiam in vili persona & abiecta non vilescat, habes Æthiopem famulum emptitium, carum, hic diligitur, & tu diligis eum, & bene tractas eum, quid si quispiam amicus dixerit tibi, tu cum sis ingenuus & nobilis quomodo non dedignaris id, quod est in te pretiosius, scilicet amorem tuum Æthiopi famulo condonare? statim aperta fronte, satisfacis obiurganti dicens: Ecce diligit, non mireris quod diligo eum, facit hoc & illud pro me, & in omnibus mihi fidelis est. Quid mirum si diligo eum? dicam aut silebo? loquar an tacebo? Parce domine, tacerem verum, nisi me tua iustitia compelleret ad loquendum contra me. Diligis ergo despicabilem seruum deformem, Æthyopem nigerrimum, & non dedignaris diligere eum, nec despicis eius exiguitatem, & deformitatem. Propter quod? Quia diligit te quia fidelis & vtilis est tibi, & non iste tam charissimus vernaculus adhuc pro te flagellatus est, nondum alapis cesus, nondum sudore sanguineo perfusus, fele potatus, clauis affixus, nondum à planta pedis vsque ad verticem capitis vulneratus, iniuriis affectus, & morte turpissima damnatus? Heu, heu, dic obsecro, dic ô Christiane, qui nomen Christi solo verbo profiteris, despicis in Christo quod non despicis in vernaculo, & in filio Æthyopis amas Æthyopem, & multum amas & iuste amas, quia ipse amat te: & amat te Deus tuus, & amore tuo ardet, & pro tuo amore moritur: & solus Deus, & eius dilectio contemptui habetur, nec dignus redamari putatur? Quod scelus isto maius? aut quæ ingratitudo pestilentior. Vtique si captiuus ille Æthyops, & deformis pro te passus esset, ea quæ pro te Dei filius passus est, vt de morte redimeret substinuisset, quod vere credis & confiteris passum esse dominum Deum tuum infinitæ maiestatis, pulchritudinis & magnitudinis sine dubio super caput tuum ipsum poneres, & eum quasi diuum veneraretis, veluti liberatorem tuum. Nunc autem hæc omnia de Dei filio credis & alges? & tanti muneris oblitus sic ad amorem eius frigidus, sic ad honorem stupidus, sic ad seruitium tardus es? quasi ista omnia non fuissent non respiscis miser, aut credis, aut non: si non credis, quare te Christianum esse mentiris? si autem credis, cur fidem tuam operibus non ostendis? cur huic tam grandi pietati & charitati resistis? Sed vt verum dicam, dicis te nosse Deum, factis autem negas, sola fide & non opere Christianus, quod si ad eius dilectionnem, nec infinita eius excellentia & pulchritudo, nec innumera pietatis & amoris beneficia tibi colla te mouent, moueat saltem te promissæ fœlicitatis gloria quã suis dilectoribus repromisit Deus. Propter teipsum ergo saltem dilige, quem adhuc propter teipsum non diligis. Grande enim & ineffabile commodũ ex eius amore prouenit tibi: regnũ cœlorum amãti promittitur: rama & regna, & quid facilius quam amare? quid gloriosius quã regnare? amor iucũdus, delectabilis, amor dulcis & suauis: nihil in amore asperum, nihil durum, nihil laboriosum: non à te maria intranda, non terræ lustrandæ, non orbis terrarum circuendus tibi est, intra in corde tuo, in visceribus tuis inuenies eum, operi iucundo, & grato immensum gloriæ pondus repromittitur. Stultissimus est & omnino amantissimus, qui propter hoc quod negligit amare, amittit cum Deo, & Angelis eius perpetuo regnare. Considerate fratres mei, si hic Imperator sui imperij & regni promitteret consortes habere omnes qui eum diligerent, quot inueniret in mundo dilectores? Proh pudor, vbique quærit

Deus.

Cant. 8.

Similc.

Tit. 1.

Isai 1.

2. Cor. 4.

Deus tam glorioſus, tam pretioſus, tam immenſus dilectores ſui, & inuitat ad ſe animas, quas ipſe condidit: donat plurima, & plura promittit, & in ipſis operibus ſuis vix inuenit dilectorem ſui. O ſcelus creaturarum cum opprobrio & in uria foras à creatura ſua expellitur & reiicitur, & quaſi pro nihilo contemnitur nec ſaltem mercede & ſtipendio tam glorioſus hoſpes, in habitaculum cordis admittitur. Quid ei reſponſura es anima mea cum ante tribunal iudicantis ſteteris tam procax, & tam peruicax, tam indurata? nec prece, nec pretio flecteris, vt aperias Domino Deo tuo, Creatori tuo hoſpitium cordis tui? *Ego* (inquit) *ſto ad oſtium & pulſo ſi quis aperuerit mihi intrabo ad eum, & cœnabo cum illo.* Vt quid Domine ad ingreſſum habitaculi tui conſenſum, & beneplacitum meum expectas? *ſi quis* (inquit) *mihi aperuerit*, irrue Domine, irrue induratæ mentis obſcuræ clauſtra, & ferreos vectes obſtinatæ conſcientiæ confringe, & inuictam animam meam iure tuo poſſide: mea enim mea domus tua eſt, tu eam tibi fabricaſti, & tuis manibus eam ædificaſti: quis enim propriam domum precibus aut pretio intrat? quis vt in ſuo habitaculo recipiatur pollicitationibus agit? Dominum non hoſpitem habitaculi tui cordis mei volo te eſſe, gratum mihi erit Domine eſſe à te victum, poſſideri à te: tu autem Domine benignus & pius non vi, ſed ſponte in propria recipi domo vis. *Aperi* (inquit) *ſoror mea, amica mea, aperi mihi columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium*, plenus ſum rore cœleſtis ſuauitatis, imbribus multarum gratiarum abundo. Aperi mihi terra ſicca & arida, terra ſterilis, vt rore meo inebrieris, & imbribus meis perfunderis, non ego egeo habitaculo tuo, ſed tu potius indiges rore meo. Noli à te expellere vbertatem tuam, vt bene tibi ſit. Dic obſecro, cur ſpernis & reiicis me? *quid tibi feci? aut in quo moleſtus tibi fui?* ego condidi te, ego ſanguine meo redemi te, ego inenarrabilem gloriam paraui tibi, quare obſecro te quare contemnis me? Aperi oculos tuos, & vide nunquid non ergo ſum Deus tuus, plaſmator tuus, aperi mihi ſponſa mea, ecce monilia aurea, gemmatam clamydem, ſpetioſas inaures, ornamenta pretioſa de meis theſauris cœleſtibus tibi adduco, arram, & annulũ in fœdus perpetuum ſponſorij tibi trado, innumeram cateruam Angelorum mecum habeo, qui te vt ſponſam meã dilectam meam honorẽt, venerentur, & ament. Noli tantam gloriam contemnere, noli tãtum honorem à te abiicere. Stat ad omnia iſta anima miſera hærens, pauimento, & cœno terrenæ voluptatis inuoluta, immerſa limo profundi, validis catenis ligata, pondere ferreo vitiorum conſtricta, & nimium cæca & ſtulta, ipſa ſua vincula oſculatur & amat. Quod ſi iam in tenebroſo carcere pra- *Pſal. 68.*
uæ conſuetudinis ſcintilla parua Diuini luminis ſplenduerit, vt videat vbi eſt, tunc quaſi de profundo ſomno excitata, vociferantis ſponſi clamorem quaſi de longinquo ſubaudiens cæcutiens, attonita inæqualibus paſſibus cordis *Cant. 2.*
oſtium prope accedit, & benignius *Cant. 5.*
ſponſus qui ſtat poſt parietem noctium manum mittit per foramen deſiderij quod ipſe fecit, & ad tactum eius venter hæſitantis intremuit, ſicque commota dilecto ſuo peſſulum oſtij aperit, ingreſſuſque totam repletſuauitate, & innumeris deliciis afficit virtute veſtit, charitateque decorat eam.

Cant. 5.

Hæc tam longius proſecuti ſumus, vt oſtendamus amoris Dei fructum, & præmium, & repentina corda noſtra, vel ipſa cupiditate mercedis ad dilectionem Dei excitaremus. Durus nimium eſt, qui nec pretio acquieſcit amare. Sed forte aliquis dubitarit, nunquid liceat diligere propter præmium & vtilitatem aliquam ab ipſo? huiuſmodi enim affectio mercenaria videtur, & qui ſic diligit, non Deum, ſed præmium amare videtur, vt enim ait Bernardus, *amor præmium habet, ſed*

Matth 6.

non quærit, affectus est non contractus, præmium amoris ipsum amatum est, seipso solo contentus est, & sibi soli sufficit. Castus amor à seipso incipit, & in seipsum definit, & suis finibus circumscribitur. Amor causam & finem ex se non quærit. amo, quia amo, amo vt amer, abutitur amore qui eum extra seipsum ducit, & in aliud extrinsecum alienat. Iniuriam igitur videtur irrogare in Deum & non obsequium, qui ipsum non propter se diligit, sed propter aliud concupiscit, fruendis vti summa peruersitas est, & propheta hoc ipsum exprobare videtur, vbi ait. *Confitebitur tibi cum benefeceris ei.* Quid ergo si ita est, nunquid non licebit filius expectare à patre suo hæreditatem, & laborantibus suorum laborum fructum exquirere? Tolle spem futuri solatij, quis aggredietur fortia, & quis cõtemnet sæculi huius blandimenta? Tolle coronam, quis aggredietur certamen? Tolle brauium, quis accingetur ad cursum? quis poterit in somnis desides excitare, agonizantes confortare, infirmos erigere nisi ex futurorum bonorum amplissima retributione & vberrimo fructu? Modo laborabit agricola & proscindet terram & sparget sementem, si non expectata fuerit in tempore suo frugum vbertas? Apostolus post certaminis & cursus laborem, repositam sibi coronam iustitiæ gloriatur, & psalmographus propheta, ob mandatorum Dei obseruationem grãdem sibi proponit retributionem, dicens: *Seruus tuus custodit ea, & in custodiendis illis retributio multa,* tepidus est amor quem spes non excitat, & amoris virtus spes est. Non ergo amorem enerua, imo roborat, non decolorat, imo decorat adiuncta spes, iucundus amor in se, sed fortis amor in spe. Quid ergo dicemus ad hoc? vtique enim non modica ambiguitas insurgit. Sed ista facile tollitur, si medio itinere procedatur, vt neq; amor euacuet spem nec spes amorem faciat mercenarium, quod fiet si quicquid expectabitur à magnificentia largitatis, totum propter ipsum, & ad ipsum tanquã in finem referatur. Non dico tibi vt sine præmio diligas Deum, sed vt dilectionis eius, ipsum Deum requiras præmium: & si quid aliud ab eo requiris, propter ipsum & ad ipsum requiras, alias imperfecte facis si Deum solo affectu cõmodi & vtilitatis diligas. Qui enim alium diligit solum propter commodũ, quod ab illo expectat, gratus alteri non est talis amicus. Desiderium ergo futuræ fœlicitatis, vel cuiuscunque alterius præmij, aut de sola concupiscentia nascitur, vt solum bene tibi sit per eam, & sic non est perfecta licet sit licita talis affectio, charitas autem amicitia est perfecta, quia scilicet per eam Deo magis adiungi, ac veniri desideras; & talis affectio sancta est & rectissima, qua stante si quid adhuc cupiditatis adiunctum fuerit, ita tamen vt propter hoc & ad hoc placeat tibi, quecunque commoditas vel iucunditas in fœlicitate, vt Deo fini tuo adiungaris, & eidem placeas & eo perfruaris non est hoc illicitum, sed perfectum. Omnia igitur non modo spiritualia, verum & temporalia licite & sãcte ab eo quẽ diligimus Deo nostro, & expectare, & petere sine offensionis scrupulo poterimus, erit aut perfectum opus, si totum hoc ad hoc quæramus, vt per hæc & ipsi magis placeamus & illi melius seruiamus, ita vt non tam donum placeat quam manus largientis, & ipsum munus in gloriam largitoris referatur. Sed iam tempus est vt ad laudẽ huius tam glorioſæ fœminæ redeamus, & postquam ostendimus rationes quas habuit vt diligeret multum, nunc signa quibus hanc eximiam dilectionem monstrauerit aperiamus. Amor ignis est cuius ardor occultus & flamma publica dissimulata, quantumuis, abscondi non valet, amor simulare nequit, nec dissimulari, si poteris abscondere Solem, poteris & celare amorem: necesse enim est vt saltem coniecturalibus signis erumpat foras, & in publicum fiat tam potens, tamque generosus affectus dum semel animũ occupauerit. Signa autem eius quis ignorat,

Psal. 48.
Similia.
2. Tim. 2.
2. Tim. 4.
Psalm. 18.
Simile.

Signa veræ dilectionis plurima sunt.

rat, nisi qui & ignorat amare? Plurima enim sunt veræ dilectionis, & non fictæ charitatis. Tria tamen præcipua sunt indicia, iucunda, scilicet conuersatio, difficilium aggressio, desiderabilium renunciatio. Iucunda enim & suauis est diligenti aspectus & præsentia dilecti, vbi nec tempus sentitur, nec animus lassatur grato consortio, & mutuo colloquio. Amantiũ nũquam contemnuntur, nunquam fastidiũtur gratæ collocutiones, repetita colloquia & frequentata se diligentium obsequia, sed nescio quid intimius anhelant, cupiunt vevnus sit animus, quorum est vnus affectus, & si fieri posset vt amans omnino transeat in amatum. Valuit hoc solus ille infinitus amor diuinarum personarum trinitatem, & vnitatem constituens & colligens in vinculo pacis (vt inquit Bernardus) cum enim amor virtus sit transformatiua, infinita vis amoris, infinitam facit transformationem: infinita autem vnitas identitas est. Sic ergo personæ diuinæ quas distinguit proprietas identificat charitas, nec poterat etiam perfectissima fruitio se diligentium personarum quietari, nisi fuisset earundem tam consummata indiuisio. Quomodo enim satiari poterat infinitus ille ardor amoris quo pater diligit filium, nisi eorundem Spiritus sancti, & filij tam perfectissima & completissima esset vnio: qua maior nec esse, nec cogitari posset? Hæc autem identitas est, sine qua transformatiui amoris non ad plenum potest satiari sitibunda diuinitatis anhelatio, nec quietari infinitum desiderium infinitæ charitatis. Est enim amor quo perfectior eo potẽtior: vnde fit vt spiritualis dilectio multo suauior, multo iucundior, multo permanentior sit quam affectus carnalis, & se carnaliter diligentium. *Triplex enim est amor* (vt inquit Bernardus) *bonus, indifferens, & malus.* Amor carnalis concupiscentia est, nec amor est in veritate, neque tali nomine dignus. Amor indifferens, est amor naturalis, aut mundanus se sine crimine diligẽtium. Amor bonus est *charitas de corde puro, & bona conscientia, & fide non ficta*, qui sicut pretiosior est, ita & rarus. Non enim facile est humano in animo reperire margaritam: non enim ex animo, sed ex cœlo, non partus solius cordis, sed gratiæ etiam munus, *& donum desursum descendens à patre luminum.* Horum autem tertius amor, quanto cæteris purior: tanto dulciot, & suauior, & gratior. Absit, absit, vt tanta vnquam reperiatur suauitas & incũditas, in mundanis istis affectionibus quanta in spiritualibus. Quanto putamus gratiorem fuisse Mariæ Magdalenæ vni geniti filij Dei incarnati, tam intima, tamque frequentata consuetudo? ostendit lectio Euangelici textus, quando receptus hospitio dominus, Martha circa ministerium solicita laborabat, Maria vero ad pedes Domini sedens eius doctrina pascebatur quieta: absorpta enim ac veluti in ecstasi posita, in illius diuini vultus contemplatione, & in mellifluo sermonis dominici auditu, quid exterius opus esset ad tanti hospitis ministerium penitus ignorabat, soror cuius fuerat patientior amoris vis de stupore dormientis in pace in idipsum veluti de otio, & incuria conquesta interpellat dominum: *Domine, domine, non est tibi curæ*, ac si diceret: Quare istam desidiosam, ac veluti attonitam ad pedes tuos hoc tempore sedere permittis? Nunquid non videt quantus hospes hospitio receptus sit? non recogitat sudores itineris, fatigationem continui laboris? Pascendi ipsius, hoc est non audiendi tempus, parandæ mensæ, non recipiendæ doctrinæ, qualis pudor famescenti domino, & fatigato ad pedes eius sedere, & nihil de illius solatio solicitam esse? Quæ incuria hæc est? quæ desidia? nihil curare comedat necne Dominus: proh contumeliam: proh contemptum: nulla hic contumelia ait illa, nihil horum curo, nihil solicitor famescat necne: siue pascatur, siue non, nihil horum curo, nihil horum solicita sum inquit: ego dulciss. cibo pascor cœlesti nectare reficior, si cœlestes hospites grauantur mora, si

S. Tho. prima, secundæ q 26. 27. & 28.

Triplex est amor.

1. Thim. 1.

Iacob 1.

Luc. 10.

Psalm. 4.

ta, si turbantur incutia, si quis me desi-
dem, aut inertem vocat, si quis indigna-
tur, si quis irascitur, si quis murmurat,
nihil me pudet, nihil confundor, quo-
niam quicquid accidere potest parata
sum pati, dummodo nemo mihi igniti
eloquij, & suauissimæ præsentiæ solatia
impediat, aut iucundæ conuersationis
eius dilectionem surripiat. O miram
vim amoris, omnia contemnit, omnia
vincit amor, nulla lege regitur, nullis
præceptis coercetur, nullis cedit obsta-
culis, nullis funibus irretitur: contem-
nit omnia, suppeditat omnia, omnia si-
bi licere putat, sibi soli lex & ratio, so-
lius sui solicitus. Audistis vnquam iu-
stiorem querimoniam, æquiorem cau-
sam, quam fuerit ista hospitantis Mar-
thæ? quæ insolentior, aut negligentior
mulier videre potuit quam Maria? ta-
men qui nouerat cordis eius ardorem,
non solum non damnat, verum etiam
commendat illius ocium magis quam
sororis officium. Vindicauit sibi in par-
tes suas rectissimum iudicem vis amo-
ris, & causam iniustam sibi fecit iustam
ex iniusto: & pro sua parte, quasi opti-
mus aduocatus flectit iudicem ferre
sententiam. Quanta pietas? quantus
valor charitatis. Simile quidam acci-
disse in domo Simonis Leprosi, hodier-
næ lectionis series narrauit: sedente
namque domino ad mensam pharisæi,
ingressa est mulier, collachrymans, &
crinibus laniata crines, concissa vestes, fu-
rentis atque deplorantis funera persi-
milis: & vere sic erat, nam animæ suæ
funera deplorabat. Ingreditur igitur
importuna quidem conuiuio, sed op-
portuna beneficio generositatem sta-
tus sui fœminique sexus verecundiam
obligata, offendere conuiuantes, aut
offendi ab eis minime curans, tacita-
que sua voce sine prece, ad pedes sedeu-
tis quem bene nouerat aduoluta, la-
chrymis eos rigabat, capillis capitis sui
eos tergebat. Quid effrænatius, quid
insolentius, quid inconsultius? tam sine
modo, tam sine tempore, tam sine men-
sura, tam sine ratione? nunquid non ex-
pectaret modicum, vt dominus exiret
de domo pharisæi? aut in eadē ipsa do-
mo post conuiuium? Vnde hoc? *Quia
dilexit multum*, & dilectio nescit sup-
portare moram: ob dilectionem non
potuit se abstinere vt sola ægrota soli
medico vulnera sua ostenderet: sed ve-
rum sic est non est nimius amor, qui in
rebus modum ponit, aut rationis mo-
dum exquirit. Nam modus amoris est
omnia facere sine modo, & eius ratio
nullam attendere rationem: ipse enim
spiritualis amor omni lege, omni ratio-
ne, omni modo (ipse lex, & ratio, &
modus) superior est. Conqueratur ergo
prout voluerit Martha, & interpellet
dominum aduersum sororem suam:
non poterit enim suis querimoniis eam
à pedibus dilecti sui amouere. Sic enim
ea ibi confixa erat clauis, & irretita erat
funibus amoris illius, vt nulla vi posset
inde diuelli. Sine ergo illam, sine obse-
cro Martha: ardet enim amore intus,
& flagrat ardoribus charitatis. Noli
eam accusare, noli vexare: nec enim a-
liud facere in manu amantis est. Quid
eam turbas? quid eius solatia impedis?
sede tu potius ad pedes domini & ex-
perire, quoniam vere *optimam partem
elegit sibi Maria*. Sed si placet hoc soro-
ris litigium in nobis frequenter fieri at-
tendamus. si cui aliquando sedere ad
pedes domini concessum est, & audire
ex ore illius, auditu cordis intimo ver-
ba melliflua, tunc iam non auditu tan-
tum, sed experientia teste agnoscit:
quoniam *spiritus eius super mel dulcis*,
& præsentia illius *super mel & fauum*:
desiderat illic anima sic perpetuo ma-
nere, dicens cum Petro, Quoniam *bo-
num est nos hic esse*. Non modo tempo-
ralis vanitatis, sed fraternæ charitatis
oblita, & omnibus officiis pietatis erga
proximos posthabitis, vni soli spiritua-
li ocio vacare cupit: sed hæc non pati-
tur importuna soror: inimica quie-
tis caro, sed instat sedentis ani-
mæ domini concupiscens delici-
is frui, sed remurmurans atque stre-
pens quietum spiritum solicitat, cura-
que ingerit, & renitentem cogit, reli-
cto solatio internæ dulcedinis à pedi-
bus

Marthæ querimonia in specie iusta.

Eccles. 24.

Matth. 17

Luc. 7.

bus Domini surgere, & curis sæcularibus deseruire. Nec est qui respondeat illi, & tam glorioſum ocium ab importuna ſolicitatione defendat vſque dum veniat tempus, quando *requieſcat in pace in idipſum*, quando *cantet tibi gloria mea, & non compungar*. Cæterum puder me domine, pudet quoniam temporalibus libenter cum lætitia incumbo, nec die ac nocte in eorum exercitio aggravor, ſed miniſterio tuo cum gravedine quadam & torpore mentis adhæreo, & hoc eſt ſignum, quoniam modicum amoris tui, & multum terreni amoris in me eſt. Neceſſe eſt enim quæcunque in eo delectari quod amat, nec amoris aliud apertius teſtimonium quam iſta delectatio eſt. Sed iam ad ſecundum ſignum amoris tranſeamus, quod eſt terribilium & difficilium pro amore dilecti aggreſſio. Audite fratres miram amoris virtutem, neſcio quo pacto affectus iſte potentior eſt ad exteros quam ad ſuos, & ad ſeipſum patientia quam ad alium, iniuſtitias proprias & conuitia homo patientius ſuſtinet quam amici, & proſeipſo cum gravedine quadam & tarditate aggreditur homo ea quæ pro amico cum alacritate & celeritate intentat. Sed neque in nobis hoc tam apertum quam in brutis: in eis enim amoris virtus, quo rationis fræno liberior, ideo feruentior & apertior. Infirma auis gallina rapienti pullos veluti aquila irruit in vultum: mitis equa lupum inuadèrem in pignoris protectionem veluti leæna congreditur: vacca ſimiliter alioquin manſueta in tauri furorem conuertitur, vt vitulum ſuum ab vrſo vel lupo famaſcente eripiat. Mira vis amoris, exponit fera quod eſt, vt ſaluet filium, ſui obliuiſcitur neque eſt conſideratio quanta ſit, aut crudelitas, aut potentia rapientis, cuiq; ferocitati parata eſt parens pro pignoribus obiici, neque ſuas nec alienas vires aduertit, credit infirma auis gigantæas ſe habere vires in artubus infirmis, in corpore tenello, & audet congredi cum quouis animali amore adacta. Quam vndique mitificus, vndiq; prodigioſus eſt affectus iſte amoris, ſed obſecro quæ fera potentius & ardentius opponit ſe prædanti pro ſuo pignore, quam iſta fœmina pro ſuo dilecto? Viderat prius laniati corporis, & ſparſi ſanguinis dirum ſpectaculum, viderat horrendum crucis tormentum, innumeras iniurias blaſphemantium, & pendèrem in patibulo propriis oculis conſpexerat, & poſt modicū tranſacto Sabbato vnguenta parat defuncto, & pertesa nimium illius noctis longitudinis, peruigil matutinos expectabat ſu'gores, motæ impatiens præ amore, nec conſiderat quoniam corpus cui parat vnguenta militib. pluribus cuſtoditur, & ſepulchrū eius vndique armatis vallatur. Obſecro te Maria, qua audacia mulier tenera inermis in occurſum pergis armatis? Quo furore ſacri corporis prædam exiſtimas à tam multis cuſtodibus rapere? nūquid nō attendes generis huius crudelitatem, ſimul & peruerſitatem? nonne vidiſti atroces cruciatus diei præteriti? ſimilia tibi tormenta & opprobria irrogabunt, ſi te ad ſepulcrum cuſtodes deprehenderint, furari te voluiſſe accuſabuntur, & latrocinij pœnas exigent. Feruergens iſta crucifixi domini odio, & ſi te fautricem eius reperierint, pro tua hac pietate crudélibus tormentis afficient. Nihil iſtorum curabat huius ſanctæ mulieris ardens amor, & in nullo de ſeipſa ſoli dilecto intenta erat, quod ſibi euenire poterat, contemnebat, vt exanimi corpori pietatis officium impenderet. Attendite fratres, qua dilectione proſequebatur viuum magiſtrum, quę etiam pro mortuo ſe exponit morti, non minus pro defuncto, quā prius fuerat officioſa viuenti. Sed quod magis admiror, & me penitus in ſtuporem inducit, non ſolum quid ſibi accidere poterat non curabat, ſed etiam qua via pertingere poſſet ad id quod volebat non attendebat. Nam tu iam ô Maria mori parata es, & omnes cruciatus pati pro Chriſto decreuiſti, nu quid facies quod exoptas? dabitur tibi facultas vngendi corpus, & deoſculandi pedes, & ſacratiſſima vulnera

Pſalm. 4.

Pſalm. 29.

Luc. 23.

Amoris mirandus.

liniendi: fugare putas, an placare custodes. Si fugare, vbi exercitus? si placare, vbi munus? sine armis, aut sine pecunia non cedit armatus, non recedit custos, solius lapidis memorata est grauedinem dum ixet in itinere, ait enim, *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* quasi non maior difficultas & periculum esset in milite, quam in lapide. Video iterum, quam sine consilio & ratione omnia disponat beatissima mulier, solo amoris impetu & pio furore cõmota, nec tamen fraudata est à desiderio suo, nam quod impossibile videbatur spõte se obtulit: multo enim plus reperit quam expectare potuit, sic *diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.* Non morabitur iam in tertio amoris signo, si pretiosissima quæque pro domino contempsit, quæ seipsam quoque pro eodem sic abnegauit. Non solũ enim vt succincte multa trãsmittamus facultates ampliſſimas, & sæculi huius omnes delicias, honores, potentiam, & quicquid in eo desiderabile est contempsit, & penitus reliquit: sed etiam apostolica mulier postquam post Christi ascensionem euãgelium prædicauit, multasque ad Christum animas conuertit, post longa itinera & nimios labores, post frequentes populi Iudæorum cõtumelias, pro veræ fidei confessione, prolixam vitæ huius diuturnitatem moleste ferens ad Eremum in fine solitaria perrexit, vbi se totam in sponsi sui contemplationem tradidit, quamdiu non permittebatur iucundissima illius perfrui visione. Vitam itaque cœlestem in terris degens, in humanis artubus angelicam personam agebat, sine cibo, sine potu, sine veste, solis cœlestibus inhians, solis perpetuis intenta, per vastam illam solitudinem anxia discurrens. Non aliter quam cerua vulnerata sagittis veneno infectis dum succenditur viscerum calore, & præcordialibus ardoribus æstuans, algentis aquæ solatia quærit: sic dilecta illa domini sui desiderio sitibunda, & flagrantis amoris vulnerata sagittis, diebus ac noctibus cum propheta domino concinebat. *Sicut cerous desiderat ad fontes aquarum:* corpus quidem fundebat paulimẽto, sed iam animam incluserat cælo: deplorabat assiduo moras exilij sui inflãmata itaque desiderio illius quem tam ardẽter amabat, solitudinem illam singultibus, atque clamoribus totam replebat, cateruas illas cœlestes spiritus continuis deprecationibus contestãs. *Adiuro vos filiæ Hierusalem*, vt si inueneritis dilectum, annũcietis ei, quia amore ardeo, annũciate ei animæ meæ sitientis, nunciate cordis ardorẽ: si forte tam anxie quærenti dignatus sit apparere. O quam distantia extrema, quam discrepans finis ab exordio vitæ? placet nunc cõuenire mulierem solitariam solis calorib. adustam, corpore quidẽ Æthyopissam, sed anima fulgidam, inter rupes & cautes & montium conuexa commorantem, leonibus, vrsis, & scorpionibus sociam, & percontari eam nunquid non tu Magdalena illa potẽs & nobilis, quæ quondam riualium oculos tua pulchritudine detinebas, mentesque hominum decore tuo nimio enecuabas? Nunquid non tu insignis illa peccatrix & deliciosa, quæ mundi huius inanes põpas, longo apparatu, superfluoq; fastu ducebas? Vbi obsecro tam multæ diuitiæ? vbi turba ministrantium? vbi splendor vestium? vbi mollicies vnguentorum? vbi ciborum numerosa congeries? vbi thorus delitiosus? vbi ampla ædificia? vbi regalis pompa? gemmarum candor? sericus ornatus, & coruscantis auri fulgor? Quænam mutatio hæc, quæ vitæ forma? quid tibi & eremo? *Nolite*, inquit, *me considerare quod fusca sim, quoniam decoloravit me sol*, non iste sol qui exteriora mei corporis membra denigrauit, sed sol iste iustitiæ, sol inaccessibilis charitatis, cuius amore flagro, cuius splendoribus succendor, hic me decoloravit, hic omnem fucum terrenæ vanitatis in me penitus absumpsit: Potentis virtutis illius omnis ista mutatio est, agnosco iam vere ô beata mulier, quoniam omnia illa sæculiaria non tam reliquisti quam commutasti: pro famulorum namque ministrantium caterua,

Matth. 16. *Psalm. 77.* *Rom. 8.* *Psal. 41.* *Cant. 3.* *Cant. 5.* *Cant. 1.* *Psalm. 76.*

angs-

angelicos ſpiritus quotidie habes in miniſterio, & pulchritudinem corporis, & ornatum in mētis decorem, mundanos affectus in cœleſtia deſideria commutaſti, angelos pro mortalib. amatores ſuſcepiſti, cœleſtibus dapibus pro terrenis fungeris, & pro coruſcantib. gemmis, meliores multo & pretioſiores animæ margaritas inueniſti. O vere fœlix & nimium fœliciſſima, quæ corporis adhuc ergaſtulo clauſa, cœleſtibus iam agminibus aſſociari meruiſti, angelicisque choris inſerta mirificos cantus ſimul cum illis domino perſonabas. Quis vnquam vidit tale? aut quis huic audit ſimile? cui vnquam ſanctorum tantum conceſſum eſt, vt in hoc paumento, & vita adhuc mortali ſtipatus, & inter angelos viuens, & eorum colloquio, conuerſatione & ſolatio, veluti iam in cœlo degens fungeretur. Quandoque videre Angelum ad vitæ ſanctimoniam ſatis erat, cæterum quotidie angelica ſocietate perfrui inſignis admodum prærogatiuæ & extremæ omnino dignitatis fuit. Dilexiſti multum ô Maria, ſed nec fruſtra aut incaſſum: multum enim amplius ab eo dilecta es qui te & in hac vita tam inſigni ſanctitate, & tam multiplici gratia decorauit. Qualis nunc eſt regnantis gloria, qualis ſpiritus triumphantis: ſi tanta excellentia militantis? Sed ad vos fratres noſtra conuertatur oratio: audiſtis teneræ atque delicatæ fœminæ tam durā tam rigidam, tamque diuturnam pœnitentiam, triginta enim annis (vt dicitur) ſolitariam duxit vitam, diſparique angelorum, bruterumque comitatu ſociata. Quid nos dicturi ſumus peccatores, onuſti criminum multitudine prægrauante, ad ſcelera potentes, ad agendam pœnitentiam imbecilles? Quis accuſabit iam fragilitatem ſuam? quis prætexet corporis teneritudinem, cum iſta fœmina delicata, quæ tamdiu fuerat in deliciis, tantum rigorem & aſperitatem vitæ tam longo tempore ſuſtinuerit? Valuit hæc in aſperis montibus habitare, errauuda dormire, cibis agreſtibus vitam ſuſtentare: & tu vir barbatus & durus, tenuiſſimos labores, & vitæ communem temperātiam durиſſimam reputas pœnitentiam? Nullus itaq; excuſandæ imbecillitatis relictus eſt locus, potentior eſt quam creditur homo & multo quam putatur valentior: rei indicium fuit beata fœmina, quam ideo circo credendum eſt dominum voluiſſe in corpore tamdiu manere, & in vaſta eremo habitare: vt ſicut illam remittendo peccata futuris ſæculis exemplū miſericordiæ reliqueret, ita etiam vitæ aſperitate eadem pœnitentiæ fuerit cunctis ſpectaculum, vt etiam inde peccator, & ad ſperandum veniam, & ad agendam pœnitentiam inualeſceret, eſſetq; in ea & ſperandæ & conſequendæ veniæ documentum. Fruſtra enim ſperatur commiſſi criminis venia ab eo qui negligit pœnitentiam. Nemo igitur ſibi blandiatur, quia Magdalena ita faciliter conſecuta eſt veniam, & miſericordiam, ſed potius eius recogitet pœnitentiā. Poſtquam enim audierat peccatorum ſuorum indulgentiam, & poſt quam ſecura facta fuerat, adhuc tamen non contemnit pœnitere quæ ſe meminit deliquiſſe. Tu autem nondum audiſti vocem domini peccata tua remittentis, & in tanto diſcrimine, & periculo male ſecurus dormis & quaſi recepta venia negligis pœnitere? Sed ſi infirmus es, & negligens in pœnitendo: ſaltem non amare negligas, audi quod dictum eſt à domino de hac muliere, remittuntur ei peccata, quia dilexit multum. Hunc enim adhuc omiſeramus amoris eximium fructum, peccatorum ſcilicet remiſſionem: non enim ſolo dolore, ſed etiam amore peccata delentur. Iſaias teſtatur. *Si abluerit* (inquit) *dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Hieruſalem lauerit de medio eius in ſpiritu iudicij & ſpiritu ardoris*: ſpiritum iudicij dolorem: ſpiritum ardoris amorem nūcupauit. Hæc duo antidota ſunt ſalutis, his medicamētis peccatorum lepra curatur, morbus expellitur, ſanus redit, vita ſeruatur, & ad perennem gloriam, denique peruenitur, præſtante miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen.

Triginta annis vitam ſolitariam duxit

Iſai. 4.

DE ECCLESIASTICE Templi dedicatione, Concio.

THEMA.

Templum Dei sanctum est, quod estis vos. 1. Corinth 3.

Bellarm. serm. 1. consecr. templ. Mirabitur forte quispiam, quod ex lapidibus & lapidibus sancta mater Ecclesia festum faciat: nam festa ad honorem Dei, & sanctorum sunt instituta. Sed si hæc diligentius considerare voluerit, reperiet hunc ritum aut quasi num esse, & à domino obtinuisse authoritatem: ipse enim cum aliis hoc festum celebrauit, sic euangelista ait. *Joan. 10.* *Facta sunt encænia Hierosolymis, & hiems erat, & ambulabat Iesus in porticu Salomonis.* Encænia enim festum dedicationis templi erat, & Salomon magnifico illo templo constructo, cum ipsum domino dedicare voluit, congregato omni populo præclaram egit festiuitatem quatuordecim diebus, & deinde per singulos annos huius dedicationis anniuersaria festiuitas agebatur. Antiquior itaque est ritus solennitatis templorum quam sanctorum, nam in toto illo synagogæ tempore nullius sanctorum festum legimus celebratum, neque Moysi, neque Dauid, neque Samuelis, neque Abraæ, neque alterius cuiuspiam prophetarum, & patriarcharum, cum tamen per singulos annos à tempore Salomonis, huiusmodi templi dedicatio coleretur. Quid ergo mirum si nos impendamus veritati quod illi figuræ tribuebant? quanto sanctiora sunt nostra templa quam illud magnificum Salomonis? in illo arca lignea, in hoc Dei maiestas residet: in illo animalia comburuntur, in hoc corpus Christi immaculatum, & pretiosus sanguis offertur: in illo pueri circuncisi, vt filij Abraam præsentantur, in isto infantes baptizati filij Dei constituuntur: in illo frugum primitiæ, de licantur, in hoc primitiæ spiritus, id est, vituli labiorum & laudes, deuotissime cum gratiarum actionibus indesinenter domino offeruntur. Videnunc templū templo quid interest, festiuitas festiuitati quid præstat. Heu pudet illorum temporū recordari quoties illorū venerationem & cultum, & nostram irreuerentiam & tepiditatem intueor. Quid puras fecisset Dauid, quid Helias, quid Samuel, Esaias, Daniel, & cæteri sanctorum, si Dei maiestatem in suis delubris præsentem sicut nos habuissent? quo honore, quo timore, qua deuotione, qua reuerentia coluissent? Qui sic venerabātur vmbram, quomodo ipsam coluissent veritatem? in Moysi tabernaculo soli sacerdotes, & vestibus sacerdotalibus induti, & nudis pedibus & ablutis, cum summo silentio & obseruantia intrabant: & hebdomada qua intrauti erant vinum & siceram non bibebant. In nostris autem templis cum venerandum illud & angelicis spiritibus ac potestatibus tremendum sacrificium offertur quantus puerorum strepitus? quantus loquentium & deambulantium sonitus? quantum inter diuinas laudes ridentium & negotiatium murmur? nulla deuotio, nullus ordo, nulla reuerentia, nullus diuinæ maiestatis respectus, sed neglecta omnia, confusa omnia, deiecta omnia. Taceo interim templorum immunditiam, altarium sordes, sacrorum corporalium & ornamentorum neglectum: quid putas qualis est fides, qualis deuotio sacerdotis qui corpus Christi de virgine natum in virgineo sepulchro reconditum, in sindone munda inuolutum, purissimum & sactatissimum huiusmodi linteis corporalibus imponit? Est ne iste Christianus? credit ne iste quod offert? si credit, quomodo audet? quomodo negligit? Sed nimirum non est purior illius conscientia, neque mundior vita, pectus illius fœda sentina est; in quam corpus domini sanctissimum immittere non formidat. Sed ad propositum redeamus: si nostrorum templorum sanctitatem & dignitatem attenderis,

Hebr. sacerdotes qua religione tabernaculum intrabant. Exod. 28.

ciùs consideremus, non mirabimur si in honorem eorum festum ab ecclesia celebretur, omni namque cultu & veneratione dignissima sunt: sed tamen (vt diuus Bernardus ait) non tam his materialibus, quam spiritualibus templis hæc solennitas impenditur, & cum hoc agitur, aliud intelligitur. Nostra est hæc solennitas, nobis agitur hæc festiuitas. Vnde Augustinus, *Quotiescunque fratres charissimi altaris vel templi solennitatem colimus; si fidelitèr & diligenter attendimus & sanctè ac iustè viuimus, quicquid in templis manufactis agitur, totum in nobis spirituali ædificatione completur.* Non enim mentitus est ille qui dixit, *Templum Dei sanctum est* 1. Cor. 3. *quod estis vos.* Animarum itaque sanctarum hoc festum est spiritualiter intellectum: illæ enim sunt templa viua Dei viuentis, quod si in corporalibus templis Dei. Deus colendus est, quid sunt omnia templa mundi ad illam mirabilem, magnificam & amplissimam fabricam, quam manus eius formauerunt? Cum dedicaret Salomon templum illud magnum, cæli altitudine & magnitudine considerata, vilis visa est ei omnis illa 3. Reg. 8. artificum structura, vnde ait. *Cæli cæloꝝ non te capiunt; quanto magis domus hæc quam ædificaui?* At anima sancta dignior, illustrior, capacior est cælo: neque enim eam replere sufficit totus mundus: ad imaginem Dei facta est & ideo in illa dominus requiescit, sic quæ- Eccles. 24. dam anima sancta ait. *Et qui creauit me, quieuit in tabernaculo meo.* Sanctæ ergo animæ, veritissima & sacratissima 2. Cor 3. templa Dei sunt. Vnde Apostolus. *An nescitis quia templum Dei estis, & spiritus sanctus habitat in vobis?* quod si Ioan. 14. non creditis, credite illi qui dixit, *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et alibi, *inhabitabo in eis, & inambulabo in eis.* Grandis animæ capacitas, in qua non solum inhabitandi, sed & inambulandi locus est. Quid namque sunt animæ iustę potentiæ, nisi amplissima Dei deambulatoria? Quotiescunque ergo bonorum desideriorum & affectionum motus, contritionis stimulos, deuotionis ardores, in teipso persenseris: gressus Dei & vestigia spiritus sancti in templo suo deambulantis agnosce. O inæstimabilis dignatio pietatis: cum sint tibi in cœlo tam splendida, tam ampla, tam decora palatia, tam illustria & tam insignia cælestium potestatum & beatorum spirituum tępla magnifica quibus inhabitas: non dedignaris domine pauperculá & abiecta animarum nostrarum tuguria intrare & habitare in nobis. Quid tibi Iob. 7. domine pro tanto beneficio impendemus? *quid est homo, quia sic magnificas eum? aut quia sic apponis erga eum cor tuum:* vt cum tibi à tot millibus, potestatum & principatibus seruiatur, & sedeas super Cherubin: nostra tamen domicilia non modo non spernas, sed & in eis glorieris, & dicas, *Delicia mea esse* Prou. 8. *cum filiis hominum,* in hoc vero Dei incolatu potissimum illud miraculum nō reticebo: quod cum anima nostra infima sit omnium spirituum, & Deus omnium sit altissimus & supremus nullius alterius spiritus capax est, nisi solius Dei. Vnde Bernardus, *Illud autem sciBern. ser. 6. tote nullum creatorum spirituum per se super cannostrũ mentibus applicari, vt videlicet tica. ita nobis infundatur, quod eius participatione docti, siue doctiores, boni, siue meliores efficiamur; nullus angelorum, nulla animarum hoc modo mihi capabilis est, nullius ego capax, neque ipsi angeli ita se alterutrum capiunt.* Sequestretur proinde prærogatiua hæc summo ac incircunscripto spiritui: solus itaque Deus inhabitator est mentium, solius Dei templum anima est: non angeli, nō archangeli, aut alterius cuiusuis spiritus. Solus illabitur menti, solus sic vnitur, sic intime insinuatur, vt vere dictum sit, *qui adhæret Deo vnus spiritus est* 1. Cor. 6. *cum eo.* Immittitur quidem angelus & inspirat, sed in circuitu timentium, à Psal. 33. foris non intime sicut Deus. Exemplũ Simile. huius accipe in ipso corpore humano quod domus est animæ, sicut anima domus est Dei: huic angelus potest quidem

dem adesse, sed non inesse: ipsum potest intrare, sed non informare: neque illi potest vniri sicut anima cuius domus est, sic vt ipsi vitam, sensum, vigorem, fortitudinem, & pulchritudinem præbeat: & cum illo vnum suppositum aut personam constituat. Eodem modo Deus animę quam inhabitat sic vnitur, licet forma eius non sit, vt eam viuificet, & vitales in ea motus & operationes efficiat: eidem vitam, sensum, motum, vigorem, decorem, & fortitudinem, sua illa intima præsentia, & vitali vnione tribuendo: quoniam angelus quantumuis adsit animæ, vnibilis non est. Quod ergo anima præstat corpori hoc & multo perfectius Deus præstat animæ: nam anima animæ quodammodo dici potest, Quis namque diuitias gloriæ illius domus quam habitat explicare sufficiet? Vidisti aliquando nubem atram, turbidam, vilem vaporem à terra sublatum, quid illa deformius? infunditur in ea solaris radius, quid ea pulchrius? quid illustrius quid formosius? Sic omnino, sic est anima cui illabitur Deus: non videtur eius gloria, sed multo illustrior est. O si videretur? ô si posset seipsa talis anima intueri? quam facile omnia mundi oblectamenta contemneret, & quicquid in eo pulchrum videtur, velut stercora reputaret. Indicium tantę huius gloriæ sanctorum reliquiis aperte mõstratur, ad quorum sepulcra mortui suscitantur, leprosi mundantur, infirmi curantur, & innumera miracula frequenter fiunt. Vnde illis ossibus quæso tanta virtus, vt hæc potentissima & præclarissima opera faciant, nisi quia templum Dei quandoque fuerunt, & spiritus sanctus habitauit in eis? Si sic domine honorantur ossa marcentia, eo quod fuerint & futura sint domicilium sanctarum animarũ: qualis erit honor & decor animarũ propter inhabitantẽ Deũ? Si hæc facit pulueris & cinis sanctorum dispersus in terris, quid nõ poterit eorũ spiritus coronatus in cælis? Satis profecto nobis hoc exteriori indicio demonstratur, & lucet decor & gloria domus tuæ quã inhabitas Deus. De qua psalm. *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Vnde ex hoc pensandum nobis est fratres charissimi, cum quanto timore & solicitudine cauere debet anima iusti, ne forte in ea aliquid turpe aut indecens inueniatur, quod oculos tantę maiestatis offendat. Qua vigilantia se debet vndequaque custodire, ne vel leui cogitatione, aut desiderio, aut opere inhabitanti Deo displiceat. Grãdis honor sed grandis timor. Vnde apostolus cum dixisset, *An nescitis quia templũ Dei estis, & spiritus sanctus habitat in vobis*, apte adiecit. *Si quis autem templũ Dei violauerit disperdet illũ Deus*, si quis enim in hoc sancto Dei tẽplo, equos & asinos & porcos immitteret, & sanctuarium Dei iumentorum stabulũ & porcorum aram faceret, quam impius & sacrilegus haberetur, & si destructis sacrasis sanctorum imaginibus in eodem loco turpissimam Bachi, Iouis, Martisve simulacra, & aliorum dæmoniotũ idola audacter & impudẽter statueret: quo incẽdio, quo supplicio puniretur? Quid minus facis tu ô peccator, qui factum cordis & corporis tui templum vitiis imples, & immunditiis polluis, & factum Dei habitaculum dæmonio um spurcissimorum stabulũ facis & expulso spiritu Dei sancto, turpissima carnalium imaginationũ in eo simulacra idolaque depingis? Quo putas inferno, quo supplicio tantũ facinus vindicabitur? Nã *quis cõsensus templo Dei cum idolis?* Putasne quod Deus inter talia simulacra habitare dignabitur? Absit. *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationib. quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate.* O quanta iniuria: qualis impietas spiritum sanctum à suo pellere tabernaculo, & sacraria eius immundis desideriis & voluptatib. prophanare? De hoc apostolus ad Hebræos *Irritam qui faciens legem Moysi sine vlla miseratione duobus vel tribus testib. moritur, quanto magis putatis deteriora meteri supplicia, qui filium Dei conculcauerit & sanguinem testamenti pollutum duxerit, & in quo sanctificatus est spiritui*

Simile.

Anima pulchritudo postquam est à Deo occupata. Phil. 3.

Psal. 25.

1. Cor. 3.

Simile.

2. Cor. 6.

Sap. 1.

Heb. 10.

Matth. 23. *ſpiritui gratiæ contumelias fecerit?* Deo contumelia fit, ſed peccatorum eſt dam-
Iſai. 1. nū: *ecce enim*, inquit, *relinquetur domus veſtra deſerta.* Et in Eſa. *Et relinquetur filia Sion, ſicut vmbraculū in vinea, & tuguriū in cucumerario, & ſicut ciuitas quæ vaſtatur*: abeunte enim vinitore tuguriū colubris & lacertis repletur, quod ſoli combuſtioni derelinquitur. Sic ſpiritu ſancto à ſuo ſanctuario recedēte, nequiſſimorū dæmoniorum habitaculū fit, vadunt & veniunt in illud horribiles.
Iſai. 34. Et ſic idem Eſaias, *Fit cubile draconū, & paſcua ſtruthionū, & piloſus clamat alter ad alterū & ingreſſi habitant ibi.* Audiat hoc omnis Chriſtianus, audiat omnis Chriſti factator, ſed maxime hi qui ſe Deo ſpeciali quodā vote, & profeſſione deuouerūt & conſecrauerūt. Quāto. n. ſanctiora ſunt tēpla & ſacrat ora, tanto deteriora & grauiora ſunt ſacrilegia. Vnde iſtis maxime dicitur per pro-
Leui. 19. pheriā. *Sancti eritis quia ſanctus ſum dominus Deus veſter.* Ac ſi diceret Sanctus eſt Deus, ſanctū quoq; ſit templū eius, ſanctum cor, ſanctū corpus, ſancta lingua, ſācta vita, ſancta cōuerſatio, omnia ſancta, nulla inuida cogitatio, nullū deſideriū ſæculare, nullū verbum ſcurrile, nullus motus lubricus, nullus viſus impudicus, nullus actus inordinatus in eo qui ſe Deo dedicauit appareat. Nam ſicut diuus Bernardus ad Eugenium pōtificem ait, *Inter ſæculares nugæ, ſunt in ore ſacerdotis blaſphemiæ, peccata ſecularium cum comparātur ad noſtra quaſi venialia ſunt*: Quid enim mirum ſi implicitus curis & negotiis ſæcularibus, aliquando diſcedat à mandato, ſi nos qui ſoli Deo vacamus inter ſacra viuimus, altaria circundamus, Deo dicati, Deo ſacrati, in domo Dei ſicut in paradiſo conuerſamur, ſic labimur? Quoties peccamus, toties magnum aduerſus Deum facimus ſacrilegiū, hoc. n. eſt de quo ipſe per prophetam valde conqueritur, di-
Hier. 11. cens. *Quid eſt quod dilectus meus in domo mea committit ſcelera multa?* Et in
Pſal. 54. alio loco dicit, *Si inimicus meus maledixiſſet mihi ſuſtinuiſſem vtiq;, tu vero homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos*, &c. Sed iam ratio expoſcit vt dicamus, quo ritu, quibuſve cæremoniis, hæc materialia tēpla domino conſecrētur & dedicentur, vt eadē in nobis ſicut diximus, ſi tēpla Dei ſumus, ſpiritualiter adimplēda ſciamus. Eccleſiæ fideliū à pontifice dedicantur, & in earum conſecratione hæc quinque fiunt per ordinē, ſcilicet aſperſio, inſcriptio, inunctio, illuminatio, & benedictio: ſic in templo ſuo ſpirituali magnus ille pontifex ſeriatim hæc omnia facit. Primo, aſpergit eum lauacro fortiſſimo lachrymarū, vt à peccatis munderur, ſicut ſcriptum eſt in pſal. *Aſperges me domine hyſſop[o] & mundabor, lauabis me, & ſuper niue[m] albabor.* Secundo, inſcribit in viſceribus eius legem ſuam, ſicut ſcriptum eſt in propheta. *Dabo legē meā in viſcerib. eorum, & in corde eorum ſcribā eā.* Et alibi, *Lex Dei eius in corde ipſius, & non ſupplantabuntur greſſus eius, vere beatus quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eū*, Tertio inunguntur, ſacra ſpiritus ſancti vnctio, hoc eſt, ſpiritus feruidus deuotionis. Fiunt autē cruces & inunguntur, vt ſcias quia ſine cruce non fit dedicatio, neq; ipſa crux tolerabilis eſt ſine vnctione. *Qui Chriſti ſunt carnē ſuā crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis*, & ſequi dominū ſine cruce non poteris, cum ipſe dicat. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſū, & tollat crucē ſuā, & ſequatur me.* Hæc crux quāuis modica & tenuis, ſi ſpiritus ſancti vnctio deſit, ſi pectus geſtātis deuotione non calet difficilis eſt & grauis: ſed ſi hac ſacra vnctione vncta eſt, non modo leuis, ſit; ſed etiā dulcis & ſuauis, vndeiā neq; crux eſt. Audiat homo qui regulari profeſſione deuinctus, in delitiis & blāditiis quaſi in ſæculo viuit, ac in monaſterio abſq; vlla cruce ſe exiſtimat domino dedicandum. Attendat & quod *onus domini leue, & iugū ſuaue*, aſperum & intolerabile iudicat, vngat ipſum oleo, & proculdubio ſicut ſcriptū eſt, *computreſcet iugū à facie olei.* Quare to, ſacrū Dei templum poſt ſancti olei vnctionē à pontifice magno cæreis ac-
Pſal. 93. Hiere. 31. Pſal. 36. Gal. 5. Matth. 16. Matth. 11. Iſa. 10.

cenſis

censis illuminatus. Scriptum est enim,
1. Ioan. 2. *Vnctio docebit vos de omnibus*, illustrat intus lumine illo internæ contemplationis & fidei, de quo scriptum est. *In*
Psal. 35. *lumine tuo, videbimus lumen*, vt luceat lux eius foris in opere & conuersatione coram hominibus, & glorificent patrem eius qui in cœlis est. Quibus peractis, quid restat, nisi desiderabilis illa
Matth. 9. benedictio? de qua psal. *Benedicat tibi dominus ex Sion, & videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ*: per hanc enim benedictionem qui in hoc deserti exilio pauperculum fuerat domini tabernaculum, & exile sanctua-
Psal. [illegible] in cælesti Hierusalem sit Domini magnificum & illustre templum omnibus lapidibus pretiosis, & diuitiis ornatum, perenni ac perpetuo ritu domino consecratum inter angelos in gloria. Ad quam nos perducat filius Dei benedictus Iesus Christus dominus noster. Amen.

Deo gratias.

CONCIO FVNEBRIS.

Thema.

Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Psal. 75.

Similc. VIta ista mortalis somno dormientium aptissime comparatur propter multa. Primo, quia sicut in dormientibus iudicium rationis ligatur, & sensus sopitus est, vsque adeo vt inter
Somno comparatur vita humana. sapientem & stultum nulla sit dormiendo distantia: sic etiam in vitæ præsentis statu, animæ rationalis intellectus sensibus ligatus est & sopitus; vt assidua attentione & exercitatione vix possit ignorantiæ somnum excutere, in quo
Sap. 9. 2. Cor. 12. nascimur omnes, *corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & sensum deprimit multa cogitantem.* Si Paulus ad tertium vsque cœlum raptus clamat,
Rom. 8. *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* & Beatus Andreas cruci affixus idipsum ait lentissime postula? non solum propter paratam sibi gloriam, sed etiam propter molestum huius oneris abiectionem, & animæ libertatem: si apostoli qui primitias spiritus acceperunt sic exclamant, sic desiderant sarcinam corporis exponere, miror cur nos misericum psalm. grabo non instanter proclamamus. *Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iusti donec retribuas mihi?* Et alibi. *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Vere laqueus animæ caro ista, quo tunc anima soluitur, cum homo moritur. Quanta tunc putas lætitia perfunditur anima iusti, cum corporeis nexibus soluta videt se à laqueo isto simul & periculo liberatam? quomodo tunc aperit oculos, & nouum cum gaudio inspicit mundum, nouas creaturas intuetur, admirans alteram se penitus prospiciens, ac veluti à somno grauissimo fœliciter excitatam: est ergo quam similima somno vita hæc mortalis, aut potius mors ista vitalis. Est etiam aliud in quo huiusmodi similitudo euidentius appareat & elucear, quia veluti dormiente innumeras patimur phantasias, illusionesque plurimas sustinemus. Videas dormientem ardentius & cupidius prosequi rerum vmbras, imagines quam res ipsas vigilans adamaret. Quanto gaudio inuenitur thesaurus ab auaro dormiente? qua auiditate percipit cibos somnians gulosus? quanta superbia triumphat in somno leuis ambitiosus? De lubricis nunc dicere non est opus quanta insania deluduntur? libera namque imaginatio, & à rationis moderamine & fræno solata sensualitas in dormientibus ad suas passiones fortius mouetur, & feruentius inualescit, & contingit nonnunquam eos qui huiusmodi deliciis fallaciter oblectantur & honoribus insolescunt soluto somno, in ardentissima quadam febri, aut dolore acerbose inuenire iacentes, O vita mortalis, & quid es tota nisi perpetua & inopinata delusio. O-

Psal. 141. Psal. 128. *Anima insti exultat soluto corpore.*

fio. Omnia quæ tã auide quærimus, tam ardenter amamus, tam solicite prosequimur, non vtiq; vera bona sunt, sed vmbræ imaginesque bonorum Quid sunt enim diuitiæ, nisi vana de limo metalla? quid honores, nisi ludricæ leuitates? quid corporeæ voluptates, nisi turpes & obscœnæ cupidines? An non somniat qui has vmbratiles formas imagines q; bonorum pro rebus ipsis amplectitur & acceptat? an non moriens quasi e uigilans omnes istas fugat nænias & abiicit deluſiones. appone animæ mẽsam cibis delicatis refertam, adhibe auri & argenti pretiosissima vasa, vestes aureas, equos, domos, familiam honores, seruitia, fastus, nunquid etiam vel aspicere hæc omnia nõ dedignabitur, & quasi futilia somnia pro nihilo despiciet? Vere indubitanterq; velut somniũ surgentium domine omnium istorũ bonorum acquisitas in vita imagines soluta anima ad nihilum rediges. Vnde Iob, *Diues* (inquit) *cùm dormierit nihil secum affert, aperiet oculos, & nihil inueniet, sed veluti somno vitæ præsentis deluſus, cum excitatus fuerit, qui videbatur esse in delitiis, apparebit verius in tormentis, & qui amœnos hortos, delicioſa virgulta, & prata virentia autumabat expergefactus à ſomno corpus reperiet in tumulo, & animam in inferno, carnem vermibus ſcaturientem, & animam ignibus flagrantem.* Existimo enim animas post longum tempus, siue in cœlo, siue in inferno locatas, sic vitæ præsentis sæculum memorari, veluti somnium antiquũ & illis huius sæculi negotiationes, amicitias, honores, nuptias, & quæcunq; in vita gesserunt velut somnia videri, atq; ita vxoris, liberorũ, amicorum, familiariũ prosperi totum aduersi tamq; recordari, veluti præteritorũ quorundam & leuiũ somniorũ. O quomodo dolent miseræ propter huiusmodi somniorum ludicra transeuntia, tã diris tormentis perpetuo fuisse damnatas? Aduerte illarum querimoniam in libro sapientiæ agnoscito fletum. *Errauimus* (inquiunt) *à via veritatis, & iuſtitia lumen non luxit nobis, & ſol intelligentia non ortus est nobis, laſſati ſumus in via iniquitatis, ambulauimus vias difficiles, viã autem domini ignorauimus. Quid nobis profuit ſuperbia, aut diuitiarũ iactantia quid cõtulit nobis? trãſierunt omnia illa tanquã vmbra, & tanquã nuncius præcurrens, & in malignitate noſtra conſumpti ſumus. Talia* (inquit) *dixerũt in inferno hi qui peccauerunt.* Excitemur ergo fratres ab isto lætali somno & sopore mortifero antequã nos excitet dira mors: ruin. nihil proderit excitari, excutiam à nobis vmbratiles istas honorum & voluptatũ imagines, & veritatem ipsam claro perspiciamus intuitu, ne cũ dies illuxerit, & somnus abierit, vacuos delusosq; nos inueniamus & stultitiã nostram lamẽtis perpetuis defleamus. Quã potenter propheta, imo per prophetã dominus clamat. *Expergiſcimini ebrii, & flete & vlulate qui bibitis vinũ in dulcedine, quoniã periit ab ore veſtro.* Ebrii (inquit) sed non à vino inebriati, sed non à musto, qui tã auide & sine mensura temporalis dulcedinis haustus ex. ipitis, qui temporalium gaudiorum meroiã insolenter inebriamini: expergiscimini, flete, vlulate, quoniã cito peribit ab ore vestro cito (inquã) rapietur a vobis huius dulcedinis pot? & propinabitur vobis perpetuę amaritudinis calix, atq; post hunc voluptatis inebriantẽ potũ, fellis amarissimas feces perpetuo glutietis. *Fex,* inquit, *eius non eſt eximanita: bibent omnes peccatores terræ,* tu domine potius potẽte tua virtute excita nos, vt in tẽpore opportuno in luce tua apertius vigilemus. *Vanum namq; eſt nobis ante lucem ſurgere,* & sine tuo lumine frustra contendimus ad vigiliã: tu enim domine nosti, quoties ego seruus tuus meipsum agebã, exhortationibus, admonitionib increpationibus: meipsum quasi quibusdã

Diuitiæ mũdi contemnendæ.

Pſal. 72.

Iob. 27.

Sap. 5.

Ioel 1.

Pſal. 74.

Pſal. 126.

manibus pulsans si aliquo modo ab istosopore excuterer. *Sed heu non potui vt viderem*, & si quandoq; fortioribus cõscientię meę stimulis punctus, aut verborum tuorum crebrioribus ictibus pulsatus, ad modicũ euigilans hallucinari. Videor, me miserum statim reluctans, & inuictus profundius & altius dormio, dormiens vero ita sum sicut qui in grauissimo & horribili somno vehemẽtius excitari conatur, & quo magis conatur minus valet: & quod magis mirandum & dolendum est, nescio quo [illegible]niro & prauo modo in ipso negotiorum strepitu, & exteriori tumultu quo solent dormientes excitari ego profundius dormio. Fœlix qui & si propter Deum occupatus exterius dormit, sed intus ad Deum illius animus semper vigilat qui dicere potest cum sponsa. *Ego quidem dormio*, sed *cormeum vigilat*: interiorem namq; animæ illius quietem non perturbãt exteriora negotia, sed exterius occupatus, interius vacat Dormientes solemus primo vocibus pulsare, deinde contactibus: quos enim clamor non excitat, excitat pulsus. Sic etiã dormientem sponsam primo clamore sponsus excitat, dicens, *Surge propera amica mea, columba mea, speciosa mea & veni*. Cuius subaudita voce paululũ excussa de somno clamat, *vox dilecti mei*: sed cum illa rursus soporaretur, *dilectus misit manũ per foramen & venter* eius *intremuit ad tactũ illius*, & surrexit illico præceps, vt aperiret dilecto, *at ille declinauerat, at ꝙ transierat*. Quæ ad vocem non surrexerat, surrexit ad tactũ Ita nobiscum agere consueuit clementissimus Deus peccatorũ dormiẽtium excitator pius, vocat prius dormientem animam, & si non excitatur voce inugit clamorem, vocat muneribus, vocat inspirationib⁹, vocat terroribus, & si adhuc dormim⁹, aggrauat voces, adauget clamores, increpat terribiliter soporatam peccatis animã, & horribilibus eam intus reprehensionibus corripit. Vnde psal. *Pro iniquitate*, inquit, *corripuisti hominem, & tabescere fecisti, sicut araneam animam eius*. Vere increpante Deo, anima durissimã eius increpationem ferre non valens, penitus tabescit, & præ tristitia & dolore tota liquescit. Bene hoc nouerat quæ dicebat. *Anima mea liquefacta est postquam dilectus locutus est*. Si n. increpationes aggrauaueris *domine, domine quis sustinebit*? quis tolerabit? Testis mihi est ipsa mea cõscientia quæ sustinuit dissimulasse me aliquando ne intelligerem, diuertisse ne has increpationes audirem, timore percitum, sed frustra, sed in cassum: conuersus enim ad me, vt ait Iob, *mirabiliter* & terribiliter *me crucias*. An nõ mirabiliter prævaricantem animam diuina iustitia sui ipsius tortorẽ facit, vt puniat ipsa in se peccatũ, quod superba commisit. Quid mirabilius quam suis propriis affectibus & passionib. animã propeccato torqueri, flagellari, puniri, & vt faciat ipsa iratoDeo de seipsa vindictam. O prodigiosum angelicis spiritib. spectaculum? animam seipsam vlcerãs, seipsam lanians, seipsam iudice astãte flagellans, non aliũ extra quærit tortorem seuerus iudex, sed ipsãm peccati sui vindicem facit. O iudicis potentiã? quis non timebit te, ô rex gẽtium, qui tales iniuriæ tuæ reperisti tortores? Miser qui nunc talibus clamoribus nec excitatur: tolerabilior propemodũ infernus videretur, quã huiusmodi conscientiæ tolerare remorsus. Sunt tamen qui aut non audiũt, aut audire dissimulãt, hos propius accedẽs pulsat diuina benignitas. Mittit manum per foramen desiderii, & palpat hærentem animam: pulsat ęgritudinibus, pulsat persecutionibus, pulsat temporalium iacturis, pulsat variis & multiplicibus tribulationib. si forte sentiat qui dormitat. Quẽ ista non excitant letargum patitur: non est iã somnus iste, sed morbus: non peccati somnus sed

Psal. 39. *Simile.* *Cant.* 5. *Psal.* 38. *Psal.* 129. *Iob.* 10. *Anima defuncta coporibus recordantur eorum quæ gessere velut veterũ somniorum.* *Cant.* 2. *Cant.* 5. *Ibidem.* *Iudi.* 4.

Anima vigilat sæpe Deo, licet mundo dormiat. Cant. 5.

mortis

mortis æternæ manifestū iudicium: veniet ei repentina mors cū securior fuerit, & velut alter Sisara clauo se confixum pauimēto reperiet, notissima si quidem huius rei in illo figura præcessit. Quam opere pretiū est, vel succincte perstringere. Cum n. de bello victus pedester aufugeret, occurrens ei Iahel vxor Haber, crudeli eum susceptit hospitio, sitibundumq; pro aqua lacte potauit, & huiusmodi potu sopitum clauo transfixit. Meminerit huius quisquis in bello deuictus, domini sui castra deseruit: meminerit, inquā, religiosus ille qui militari cœnobio relicto à Deo profugus; vt Cain sæculi latitudinē vagabūdus perlustrat. Fugitiuo huic occurrit statim blanda Iahel, suoq; eum pelliciens sensualitas recipit in hospitio, vbi n hospitabitur claustri desertor & Dei fugitiuus, nisi in vilis carnis tentorio. Sitit etiam valde anhelans ad sæculi delicias & tēporalia gaudia: sed crudelis hospita pro aqua de viuo fonte lac ei propinat ex vtre, quod neq; sitim minuit, neque calorem extinguit, sed lætaliter dormire bibentem facit. Lac de vtre voluptas ex carne, huius haustus homines ita dementat atq; soporat, vt nihil supra. Qui n. ea potantur in altam Dei & totius spiritus incidunt obliuionē: non eis gloria, non infernus, non fama, non pudor, non contempta religio, non deniq; propriæ salutis ratio in mentē venit: sed rationis iudicio soporato, illecebris funditus immergūt. Dormientē insuper pallio operit ignorātiæ, vt nō videat quicquid decet, non mortē instantē non ignem ardentem, non iudicem astantē: donec clauo repētinæ mortis confossus soporem morti sociās, & limo defixum, & sepultum se videat in inferno. Iusto vtiq; Dei iudicio præuentus, vt qui in vita oblitus est Dei, in morte non recordetur sui. Cum enim dixerint, pax & securitas, *repentinus eis superueniet interitus* & non fugient: *& ducentes in bonis dies*

Gen. 4.

Hiere. 2.

Prou. 29.

Iob. 11.

suos, cum minus cogitant, *in puncto ad ima descendunt.* O fallacē hospitam? ô vitā mendacem? Miser qui apud te non pertimuit hospitari: tale namq; hospitibus tuis exhibes ministerium, suauiter eos potans vt eneces, blande fouens vt trucides, nāq; qui tibi fidit sibi male fidus est. Cui comparabimus vitam istam fratres, aut cui assimilabimus eam? Similis profecto videtur scenæ cuipiam aut comediæ, in ea quippe plures reges videas, nec sunt reges; plures milites nec sunt milites; religiosos plurimos, sed religiosi non sunt, rusticos aliquos, sed nō sunt rustici: ficta sunt omnia, fallaciq; imagine illita, dō nec deposito habitu, & finita scena, sublato papilione appareat quisque quis sit. Talis est huius mūdi figura fratres: mendacii plena sunt omnia, aliorū personas gerimus, donec auferatur velamen, & finita sæculi huius scena appareat, quisq; quis fuerit. Transibit citissime, fictionis comedia & veritatis sęculum illucescet, & tunc nemo fingere se alium poterit nec latere. Similis quoq; videtur statuæ biformi quæ celeri voluitur rota hinc rugata facie veteranam, inde rutilanti vultu iuuenculam præferens, neq; enim vnam se cunctis exhibet, sed varie se variat ad diuersos aliis gigantæam, aliis pigmæam formam ostentans. Si quis enim in gaudio & delitiis vitam agit, bone Deus quanta se illi breuitate coarctat, pigmæa illi videtur & annicula quantumuis longissima vita etiam si superet dies Mathusalem. Quantas super hoc vbiq; terrarum audias à sæcularibus querimonias, quæ suspiria quos gemitus? quia non diutius tenditur vitæ voluptas, quia non in lōgum sinuntur videre quod cupiunt: & possidere quod volunt. Audi voces eorum in libro sapientiæ. *Exiguū* inquiunt, *& cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam si non fuerimus,*

Simile

Simile.

Sap. 2.

mus, & transiet vita nostra tanquam vestigium nubis, & sicut nebula dissoluetur, & nomen nostrum obliuionem accipiet per tempus, & nemo memoriã habebit operum nostrorum. Quam vera sunt hæc & quam certa, sed attende fallaciam; *Venite ergo fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter; vino pretioso & vnguento nos impleamus, & non pratereat nos flos temporis, coronemus nos rosis antequã marcescant, nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra, vbiq; relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra.* Quanto satius cõtrario dicerent, quia breuis est vita nostra, quia citissime vt nebula dissoluetur, floccipendamus eam, pro nihilo habeamus illam, meliorem & perpetuam inquiramus. O stultissimi, si marcescunt celeriter rosæ, vt quid eas ponitis in corona? an nescitis quia pro momentaneo hoc odore perpetuum debeatis sustinere fœtorem? quænam hæc insania marcescentibus se coronare rosis putrescentibus se delinire vnguentis? *Comedamus* (inquiũt) *& bibamus, cras enim moriemur*, imo quia cras moriemur neq; comedamus, neq; bibamus, sed cibum qui non perit, instanter potius operemur. O quanto sanius sibi ita consulerent, si mens nõ leua fuisset. Hos igitur ita deludit vita falax, aliis è conuerso terminabilem & lõgissimam se mentitur, & sicut vespertinam vmbram, quę sole occiduo ex parua protenditur in immensam, talẽ se solet ostendere tribulatis & afflictis vitam agentibus in dolore. Videas namq; religiosos plurimos ieiuniis & vigiliis fatigatos, longa pœnitentia maceratos, præsentis vitæ tædio affectos, amarissime eius diuturnitatẽ deflere. O (inquiunt) quandiu durabit interminabile hoc vitæ martyrium, quandiu vitam hãc durissimam tolerabimus? biennio quippe aut triẽnio satis esset, quis per sexaginta annos laboriosam hanc vitã poterit sustinere? & siquidem hoc alterius vitę desiderio dicerent esset vtiq; illis ad sapientiam: sic n. etiam Propheta clamabat; *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est.* Propter laborẽ vero ita fatigari stultum est, quis enim agricola prudens seminãdi opportunitatem reputat longiorem? ô homo tales laborum tuorum fruges expectas, & de laboris diuturnitate conquereris? Sed nunquid lõgior vita præsens, nunquid diuturnior? Non ita videbatur Iob, *Nã breues* (inquit) *dies hominis sunt.* Et de suis, *Dies* (inquit) *mei velociores fuerunt quam à texente tela succiditur.* Non diu tardat festina mors? sed remo veloq; properat quantum potest. Non etiam ita videbatur apostolo, qui dicebat, *Momentaneum hoc & leue tribulationis nostræ, æternum supra modum in sublimitate gloriæ pondus operatur in nobis.* O longum momentum, quod separat nos à Deo, quandiu enim sumus in corpore, peregrinamur à domino: nam alioquin in seipso breuissimum est, & vt ita dixerim momentum momentaneum. Momentum tibi erit vita præsens, si oculum dirigas ad æternum præmiũ. Transit cito quod cruciat, permanet in æternum quod coronat. *Æternum* (inquit) *supra modum in sublimate gloriæ pondus.* Non potuit amplius illa fœlicitas ponderari, non potuit beatitudo illa melius explicari. Pondus est voluptatis, quod neque ipsa posset animarum infirmitas sustinere, si non fulciretur à Deo, neq; sentire, si non eleuaretur à datore Gutta tim pœna nunc bibitur, sed affluẽter, & per riuos potabimur à gloria. *Torrente* (inquit) *voluptatis tuæ potabis eos.* Transit hora, transit & pœna, sed gloria illa rota simul & inuariata durabit: non minuetur, non alterabitur in sæculum sæculi: sed illæsa & inuariabilis permanebit. Quis hanc gloriã non amabit, quis tantã beatitudinẽ totis aĩæ viribus, toto desiderio non perquiret? quis poterit ô felix

Ibidem

Simile.

Iob. 14.

Iob. 9.

2. Cor. 4.

Isa. 22. Ioan. 6.

2. Cor. 5.

Psal. 35.

lix patria, quis vnquã tui poterit obliuiſci? *Si oblitus fuero tui Hieruſalem, obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui, ſi non propoſuero te Hieruſalem in principio lætitiæ meæ.* Sic aiebat ſic clamabat ad illam, ſicut ceruus ad fontes aquarum, ita ſitiebat. De illius memoria iubilans, & in eadem fixus imprecatur ſibi quæ neceſſe eſt euenire ſi ab illa decideret. Nã vbi illius beatitudinis obliuio inciderit, & manus hæret, & lingua balbutit Illius quippe memoria & operi ſolertiam, & verbo facũdiam præſtat, qui enim præmii obliuiſcitur, lente mouetur ad opus: nec poteſt quiſq; dere quam non ſentit, neque guſtat, diſerte loqui. Felix illa regio: felix patria beatorum, vbi quicquid placet adeſt, quicquid diſplicet longe abeſt: vbi omne bonum ſine omni malo: vbi nullum tædium & ſempiternum gaudium: vbi ſatietas ſine faſtidio: auiditas ſine defectu: vbi vita ſine termino, lætitia ſine mærore, ſecuritas ſine timore, plena, perfecta, & ſempiterna gloria. Quam nobis præſtare digneturille qui vt eam præſtaret dignatus eſt mori Chriſtus Ieſus Dn & Saluator noſter: cui cum Patre & Spiritu S. eſt Decus & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.

Selectiores concionẽs hactenus tantum dedimus, neq; enim omnes authoris commentationes, vno quaſi partu edere nobis licuit, in quibus aliud quam in hoc conſcriptas, quas nimirum author in aduerſariis tumultuarie, & in litura reliquerat, & quarum plurimæ indignis truncatæ modis vix in vnum orationis corpus coaleſcere poſſe videntur. Dabimus operam (Deo ſuo operi aſpirante) vt cura & diligentia noſtra, eam formam propediem accipiant, vt ſuum authorem, & decere, & referre quiſque iudicet. Sint hi tomi cæterorum antecurſores, viamque aliis muniant ac pandant, iter durum ingeniorum voluntatumque humanarum, & aſſuefacere incipiant, pietati, ac diuinis ardoribus deſueta hominum corda, mox conciones reliquæ, quæ modo deſiderantur, ire viam accipient.

FINIS.

INDEX

RERVM AC SENTENTIARVM memorabilium quæ in hoc secundo tomo continentur, quo obiter, nonnulla loca ceu commentario explicantur.

PRIOR NVMERVS PAGINAM, alter columnam denotat.

A.

ABraham Dei amicus 230
Accidentia sine subiecto in Eucharistia sacra, & habent modum & proprietatem substantiæ 152
Actio & contemplatio in Virgine sacra vtraque perfecta 52
Ita tamen vt contemplationem ipsa actio vocet 116
Actio quandoque sancta est, sed melior est, contemplatio in quantum in se est 70
Adam vera nomina rebus indidit ante peccatum 107
Alexander olim magnus vocatus 90
Aleatores increpantur 87
Ambitio taxatur 87
Ambitio reprehenditur 106
Amor glutinum est 91.2
Amore tendimus in Deum, ibid. & amantis animæ ingenium & mores 67.68
Amor Dei summa perfectio vitæ, 15.1
Amor pretium est, & valor nostrorũ operum 49
Amor Dei triplex naturalis acquisitus, & infusus 74
Amor Dei facit bonum, sed noster amor antecedentem bonitatem respicit 164.165
Amore nihil patientius 114
Amoris quatuor signa 116
Amore aspera fiunt suauia 264
Amoris debitum nunquam exacte persolui à nobis debemus existimare 229
Amore Deus nos ad se prouocat 233
Amore seruare legem perfectorum est 234
Amori obediunt omnia 240
Amor & fruitio ibid.
Amor est naturalis inclinatio in bonum ib.
Amorem Dei, quomodo in seipso inuestigabat author 254
Amor Dei interdum se prodit inditio, interdum se occultat 55
Amor Deo debitus sicut fructus debetur agricolæ 254
Amor, amore solo rependitur 255
Amor non vilescit, etiam si in vili & contemptibili sit subiecto ibid.
Amoris suauitas & dulcedo ibid.
Amoris spirituales suauitates maiores quam corporalis amoris, vide spiritus.
Amor videtur sæpe insolenter agere 266
Amor sine modo est 161
Amor in brutis temerarior quam in homine ibid.
Amor Dei peccata aliquando remittit 164

Amicitia noxia vitanda 38. & infr.
Amicia specialis est inter animam & custodem Angelum 92
Amicitia magnum est commodum, 117
Amicitia cum Deo raro inuenitur inter homines 233
Angelicæ naturæ diffinitio 82.83
Angeli ad sacram virginem nuntiantis incarnationem verbi ingressus per hypotiposin & subiectionem velut delineatus 22.23
Angeli soliti sanctos homines in hac vita ceu inferioris notæ alloqui, ibid.
Angeli paranymphi, ad sacram virginem legati prudens, & prouida oratio, 23. quæ legatio figurata fuit per famulum Abraæ ibid.
Angeli boni, ac mali discerniculo cõiecturali dignoscuntur per apparitiones, bonus enim Angelus terret initio, sed in fine sermonis solatur, placide, malus è contra se gerit 31
Angeli sacræ virginis pulchritudinẽ mirantur 59.76
Angelus Gabriel morienti sacræ virgini assistit, & ad illam eius oratio 76
Angeli in assumptione B. Virginis exultant 76
Angeli minus noti sunt nobis quam Deus 77
Angelos tradit scriptura sacra esse, & in magno numero esse, & Deo regi esse dicto audientes 77.78
Angelorum leges inter se & modi vitæ atque creatio parum sunt nobis in aperto ibid.
Angelorum natura, diuina dragma intelligitur, philosophice exponitur 44
Angelorum voluntas, & intellectus stabiles & constantes 79
Angeli cõfirmati fuere in gratia mox post bonam electionem qua adhæserunt virtuti ibid.
Angelorum perfectiones, nobis in scriptura metaphoris & similitudinibus reuelantur ibid.
Angelus vn⁹ vnum cœlestem orbem mouet 81
Angelorum pulchritudo in corporibus assumptis ibid.
Angelorum magna multitudo 83
Angelorum ornatus admirabilis ibidem.
Angelorum loquutio, qualis 83
Angeli perpetui laudatores Maiestatis Dei ibid.
Angeli nos magna dilectione prosequuntur, 86. & aliqui prouincias & regna gubernant 87
Angelorum erga homines variæ beneficentiæ, ex historiis sacris ibidem
Angeli studiose nos emundant & ornant, sicut serui equos quibus insessurus est Dominus 90
Angelus non Dominus, sed conseruus noster est ibid.
Angeli quare nostræ custodiæ incũbunt ibid.
Angeli beati, si in illos liuor cadere posset, martyribus inuiderent, 132
Animæ nostrę multis modis possunt considerari, vt filiæ, vt sponsæ Dei 19
Animæ studium proficiat in melius, 44
Animæ sanctæ cum Deo vnio & 9.
Anima intra seipsam debet habitare, 16.17
Anima debet venienti Deo occurrere, neque cunctando morari ibidem.
Anima castello bene fundato comparatur 66
Anima curamica formosa & columba tribus nominibus vocetur, 68
Anima pulchra est propter contemplationem ibid.
Anima dicitur columba propter sui solicitudinem ibid
Anima rationalis in quo est inferior Angelis 79
Anima nostra equo comparatur, 80
Animæ rationales à Deo corporibus secundum prouidentiæ ordinem infun-

infunduntur 124
Animæ Deum amantis, corporisque litigium intra nos 265
Animæ nostræ templa sunt Dei 268
Animæ pulchritudo postquã à Deo est occupata 269
Anima quo studio munditiam seruare debet, ob inhabitantem Deũ ibid.
Anima Deo absente squalida, & sordibus plena relinquitur ibid.
Anima iusti exultat soluta corpore, 273
Animæ defunctæ corporibus recordantur eorum quæ gessere velut veterum somniorum 599
Animæ damnatæ conqueruntur ob res ludicras torqueri, ibidem & infra.
Anima vigilat sæpe Deo licet mũdo dormiat 598
Apostolorum particulares Ecclesiæ vastatæ, sola Petri durat, & durabit promittente Christo 35
Apostoli de præcedentia ambitiose certant passionis dominicæ instãte tempore 170.171
Apostoli fidem habuere 187
Apostoli omnibus reliquis sanctis excellentiores secundum Hieron. 205
Apostolorum doctrina nobis sequẽda 225
Apes virginum sanctarum symbolũ, 251
Arbores varii generis ad mores varios hominum applicantur 195
Arbores Domino Hierusalem intranti per viam cur sint stratæ, 273
Aromata spirituali thuribulo igne diuino accensa & fumantia 54
Arca fœderis gemina olim translatio quid portenderit 60
Augustinus hæreticorum expugnator 163.2 & seq. 180
Augustini doctrina ibid.
Augustinus docendi Theologiam methodus ostendit 167
Augustinus ordinatus Episcopus inuitus Ecclesiæ cui superstes erat Episc. ibid.2
Augustin. in magnas occupationes distractus tamen innumerabiles libros sapientissime scripsit, ibid.2. 180
Augustinus videtur sæpe dictante Spiritu S scripsisse 168
Augustini ardor spiritus, & eleuatio egregia mentis in Deum, ibidem 2
Augustinus licet ordinis Eremitarũ & Canonicorum fundator specialis extiterit, tamẽ fuit aliquo modo omnium religionum Monachorum institutor ibid.
Augustini stylus pro librorum varietate varius ibid.
August candelabro aureo, de quo apud Zachariam, comparatur à B. Vincentio 178
Augustini sanctitas, doctrina, & religio mirabilis 174
Augustinus publicata suorum peccatorum confessione videtur inter sanctos eminentiam nactus 175
Augustini conscientia crystallina & pura ibid.
Augustinus similis aquilæ magnæ, quam Ioan. in Apoc vidit, & Ezechiel Propheta ibid.
August. ab errore Manichæorum resipuit ibid.
Augustinum imitantur Patres aliorum ordinum fundatores 175
August. sacerdos magnus esse ostenditur ex positis per enumerationẽ illius virtutibus 170.180
Augustinus in Ezechiele figuratus, 164
Augustinus sicut Paulus Apostolus vas electionis factus ex persequutore Ecclesiæ 180
Augustinus plus potuit scribere, quã nos legere ibid.2
August. tempore excellentes prodiere sanctitate & doctrina viri in Ecclesia ibid.
August. doctrina cum pastorali cura coniuncta ibid.

Augustini confessionum libri, sine confusione legi non possunt. ibid.
Augustinus numerosa caterua monachorum stipatus. 181
Augustinus magnus dicitur, quia fecit, & docuit, & vsque in extremam senectam concionatus est in Ecclesia Dei. ibidem.
Aues & pisces eodem elemento progenerantur dissimili tamen ingenio. 249
Auxilium Dei omnibus ad operandum necessarium, sed sanctis ad merendum speciale auxilium requiritur. 243
Auditus in oratione parandus non lingua. 386.2

B.

BAptismo ablui magnæ gratiæ est nobis à Deo collatæ. 124
Baptista dictus magnus coram Deo. 92. 93
Baptistæ summæ dignitatis officium est nactus. ibidem
Baptista lux quædam media inter nos & Deum. ibid.
Baptista mundi vniuersalis Apostolus natus fuit, ibidem. & proximus fuit ipsi Redemptori dignitate, 108 109
Baptistæ natalis dies solus celebratur, excepto Christi & Virginis natali. 109
Baptista præparabat homines excipiendo redemptori. 95
Baptistæ summa fuit authoritas. 103
Messias creditur. 110. 111. & optatur. ibid.
Baptista nascente plurima edita miracula. 95
Baptista septimum agens annum eremum contendit, 96 vbi de victu eius & vestitu plurima dicuntur. 101.102
Baptista sanctimonia prodigiosa. 95.96. 99
Baptistam puerum per apostrophen alloquitur. 95
Baptistam visuri occurrunt populi. ibidem. 2
Baptista superbos Pharisæos humiliari compellit. 96
Baptista cur non edidit miracula, sed tota eius vita miraculum fuit. ibidem.
Baptista vox Dei fuit. 97. & Christo quale testimonium perhibuit. 98. 110
Baptista consul & abstinet à familiaritate Redemptoris, inuisus tamen. 98
Baptista de facie Redemptoris non nouerat. ibid.
Baptista Redemptorem præsentem baptizat. ibidem.
Baptistæ lætitia ob manifestatum Messiam honoremque Redemptori delatum. ibi.
Baptistam omnes Euangelistæ celebrant. ibidem
Baptista à Christo sua oratione laudatur. ibidem
Baptista à prophetis dictus Angelus, & illo nullus fuerit maior. ibid.
Baptista exemplum est quo diuinitus mutr. 100
Baptistæ eminentia super alios sanctos, 100.101
Baptistæ perfectio magna, ibi. 110
Baptistæ sanctitas hominibus est confusioni. 103. 104. 110
Baptistæ ardor charitatis, & in Deum, & proximum. 104. 105
Baptista virginitatis annis in eremo secessu defluxit. 104
Baptistæ doctrina excellens 105. & veritatis libera admonitio. ibid.
Baptistæ magis solemniter quam alius sancti nomen est impositum. 106
Baptista ab eremo egressus hominibus se manifestat trigesimo anno ætatis. 109 110
Baptista Deo magistro est vsus triginta annis ab ipso, scilicet, vtero matris. 110
Baptistæ magnanimitas, & constantia & modestia dum se negat Messiam esse. ibidem.
Baptista primus monasticæ vitæ institutor. 202
Baptista suis meritis, & exemplo Ecclesiam locupletat, ibid.
Beatitudo præsentis vitæ in sola virtute

consistit. 219
Beatitudo perfecta actum voluntatis & intellectus amplectitur. 161
Beatorum cognitio matutina, & vespertina. 3
Beatitudo schola quædam est, & rerum mirabilium scientia. ibidem.
Beatitudo patriæ emitur meritis. 49
Beatorum stabilitas in intellectu, & voluntate. 79
Beatitudinis musica cœlestis. 83
Beatitudo cœlestis valde desideranda, ibid.
Beati omnes magni sunt. 100
Beatis, quomodo Deus in Cœlo ministrat præcinctus. 194 195
Beatorum visio matutina & vespertina. 195.196
Beati illuminantur inferiores à superioribus. ibi.
Beatitudo futura explicatur. 122. lege præmium.
Beatitudo essentialis animæ non variatur post resurrectionem corporis, cõtra quendam doctorem. 195. 196
Beatitudo Christi & aliorum sanctorũ. ibid.
Beatitudo, aut rapitur, aut emitur, aut sola donatione acquiritur. 222
Benedicti visio gentium tendentium in cœlum. 216
Beneficiis inuitatus homo magis insolescit. ibi.
Beneficiorum collatio, inditium amotis. 116.117
Bernardus vix Clarævallis monachos à nimia vitæ asperitate temperare potest. 468.1
Bernardi visio multorum conscendentium in cœlum. 218. & centum sexaginta Monasteria sunt Bernardi exemplo Monachis repleta. ibid.
Bonitas nostra accidentalis, & per conformitatem ad Deum est. 112.113.
Bona temporalia vilia. 55
Bona temporalia moderate petenda à Deo. 121.122
Brutorum animaliũ erga homines obedientia notatur. 126
Brutorum animalium, amor audentius aggreditur terribilia pro re amata quam hominum. 265

C.

CÆreus accensus Christi typus est. 491
Charitas est quæ virtutem operibus nostris confert. 243
Charitas fidei & aliis virtutibus dignitate præstat. 76.77
Charitatis figuræ multæ. 264.2
Charitatis excellentia. 80
Charitas reuixit iam. 103.104
Charitas velo nautico Spiritu S. afflato comparatur. 188
Charitatis carentia damnantur multi alioqui virtutum rigidi cultores. 243
Charitas vocatur aurum, oleũ, & ignis. 244
Charitas communicata augetur. 245
Charitatis vel vnus gradu sufficit ad soluendum debitum, & de effectibus charitatis quæ oleo comparatur ib.
Charitas excellentior reliquis virtutibꝰ. 253 254.
Charitas, aliquo modo est virtus omnis 257
Charitatis laudes. ibid. & inf
Charitas est maximum donorum quę à Deo nobis dantur. ibidem. & inf. vide amor.
Christi Diuinitas, quomodo humanæ naturæ coniuncta. 27. & electio comparatur. 28.
Christus capitur Virginis sacri amore, vide vnicornis.
Christi Redemptoris festinatio liberandi à peccato alios. 35 36
Christus gestatus vtero Virginis, aut animæ sanctæ oneri non est. 41
Christus præsentatus in templo secundum legem Mosaycam. 42
Christo paruulo testimonium perhibet Simeon & Anna Prophetissa filia Phanuel. 43
Christus noster est duplici iure, & merita illius consequenter nobis cedunt. 44. & inf.
Christus quomodo seruus, & in nostros vsus expensus. 45
Christus quinque siclis redemptus in tem-

templo. 44.45
Christus humiliatus pro nobis, quasi per gradus quosdam. 45
Christi gemina venditio, altera sancta, altera sacrilega, alterius geminæ venditionis moralis imago. 46
Christus per Dauidem Goliæ victorem figuratus. 49
Christus vestes à patre, cingulum accipit à matre, & pro nobis debitor factus patri, à matre accipit vnde dissoluat æs alienum. 51
Christi caput Deus, pedes vero sacra humanitas. 52
Christi duplex portio inferior & superior, g-m naq; officia earum. 53
Christi caput ac pedes quomodo vngēdi, 58
Christi ascensio per translationem arcæ fœderis figurata. 60
Christus ad gloriam cœlestem assumit sacram matrem, ipseque Virgini obuiam prodit. 76
Christus mutat & inuertit statum mundi, diuitias in paupertatem, &c. 86
Christus vt prosit nobis debet agnosci. 94
Christum futurum esse potentissimum regem Iudæorū fuit existimatio 120
Christi regnum non fuit de hoc mundo temporale. ibid.
Christi promissio certa. 155
Christus socio in Passione non eget, requirit tamen illum. 136
Christus docet viam vitæ. 137
Christum sequi debemus non fugere aut præcedere, & alii assequuntur, alii sequuntur tantum. ibid.
Christus quæ docuit fecit. inf. 137
Christi redemptoris verba, aliis visa sunt dura, & aliis verba vitæ. 138
Christus armat suos milites ad pugnā. 141.
Christus fidem non habuit. 187
Christi vita clauus est nauigationis nostræ. 188
Christi meritis fidendum esse potissimum. 185
Christi Redemptoris beatitudo post Deum prima & ab illo in alios derivatur. 187
Christus pro nobis pauper factus, quomodo, ex Augustino. 210
Christus literas non scripsit. 216
Christus ingressus in Hierusalem, arboribus stratis per viam concelebratus, quid significet quid vestes iumento impositæ, quid iumentum ipsum. 232
Christus Redemptor & Doctor hominum. 341
Christus olei apotecam habet. 245
Christus amator puritatis. 253. 254
Christiani hominis dignitas magna est, nam habet imaginē sacerdotii quod explicatur contra hæreticos præsertim Lutheranos 481
Christiani turpiter viuentes, quomodo templum Dei violent. ibidem.
Cognitio matutina & vespertina beatorum. 3
Colocynthidæ labores significant quos dulces facit Elisæus, id est Christus. 139
Credulitas ita reprehenditur, qualis fuit in prima muliere. 30
Creaturarum cognitio vtilis est. 4. & inf.
Creaturæ omnes ab æterno ordinatæ à Deo. 6
Creaturæ amāt naturaliter magis Creatorem quam seipsas. 74. & pugnabunt contra hostes Dei. ibid.
Creatura proportione dignitatis naturalis magnitudinem accipit naturale, & simili etiam proportione in supernaturalibus philosophandum est. 92
Creaturæ bonitas accidentalis. 113
Creaturæ omnes ordinatæ sunt. 149
Crucis Christi titulus regnum Christi præferens à Dauide Prophetatus. 28
Crux non suauitas & illecebræ, proponitur Christi famulis. 134
Crux quomodo tollenda. 463. propria non Christi, hoc est, leuis non onerosa. ibid & inf.
Crux sponte sumenda. 135
Crucis claui moraliter explicantur tres, amor, spes, timor. 136
Crux duplex carnis & spiritus. 367
Crux dæmonis mala. 140

D.

DEI auxilia necessaria nobis quæ & volenti præsto sunt. 55

Deus internè loquens ad cor, quomodo nos affi iat. 58
Deus stabilem & firmam conscientiam quasi bene fundatam domum inhabitat 67
Deus est in paupere cui subuenitur. 64
Deus finis noster non Angelus. 90.91
Deus magnos facit quos vult. 92
Deo placere summa creaturæ dignitas. 112
Deus amando beatos facit. ibidem & inf.
Dei bonitas essentialis. ibidem.
Dei voluntas regula est omnium. 114
Deus aliquos diligit secundum præsentem iustitiam tantum. ibidem.
Deus diligit vnum primo dilectum, in quo reliqui diliguntur. 116
Deo rectore gubernatus non erat. 124
Dei decem beneficia nobis collata ex Dauide afferuntur. ibid & inf.
Dei beneficia erga veterem populum. 112
Dei beneficium est quod Ecclesiam afflixerit temporaliter, virtus enim sic illustrabatur. 132
Deus postquam pro nobis passus est, exigit à nobis vt pro illo moriamur, & in virtute exercet sanctos suos immissa tribulatione vt splendidius fulgeant. ib.
Deum vix est qui sequatur, nisi illectus præmio. 132
Dei causa deserta iacet. ib.
Deus non cogit nos, sed vocat & monet vt libere veniamus. 134.135
Dei prouidentia confirmatur. 149
Deus suos filios castigat. 486. & decem ob causas illos affligit. 486
Deo optima quæque offerenda. 176
Deus non potest mentiri. 133
Deo non credere stultum est. ib.
Deo ac hominibus placere difficillimum est & rarum. 191
Deus suos zelatores egregie remunerat. ibid.
Deus quomodo beatis dicitur in patria ministrare. 195
Dei essentia & magnitudo. 199
Dei erga homines humanitas & virtus. ibid.
Deus quomodo omnia in omnibus 206
Deus nunquam voluit sibi humano sanguine litari. 207
Deus odit omnem culpam. 221
Deo supremus debetur honor. 217
Deus fons est à quo omne bonum defluit. ibidem.
Deus solum honorem sibi aliquo modo delatum remunerat. ib.
Deus honorat sanctorum ossa, vestes & reliquias illorum. 232
Deus vix inuenit amicum in tertis. 233
Deus salutem & beatitudinem nobis multis modis procurat, & nos vocat inuitans ad illam 234
Deus promissionib. nos ad se allicit. 235
Deus promptior ad miserendum quam ad puniendum. ibid.
Deus iustis patrocinatur. 238
Deus se attemperat pro capitu recipientium. 241
Deus cæteris creaturis condens benedixit, hominem vero præcruit. 250
Deus omnia certo pondere & mensura condidit & merita examinat hominum. 254
Deus fit noster per amorem. ibi.
Dei dona non possunt sine ipsius dono intelligi. 255
Deus vere cognitus, & vt ipse est, necessario amatur. 257
Deus inter cruciatus amandus. 258
Deus amari exigit. 260 259
Deus redamandus, quia prior amat ipse nos. ibid.
Deus non vult recipi coacte, sed viro. 263.
Deus rogat vt excipiamus illum domo. ibid.
Deus receptus animam locupletat. ibi.
Deus amandi debeat ob præmium. 264
Dei trini vnitas essentialis infinitæ amoris constat. 265
Deus hominis hospitium inhabitare gaudet. 270 271
Deus solus illabi potest animæ nostræ. ibidem.
Deus quodammodo est anima animæ nostræ, forma tamen esse Deus non potest creaturæ alicuius. ibid.
Deus est qui potest solus peccatorem exci-

excitare à somno. 91
Deus peccatorem increpat. ibi.
Decachordum Dauidis exponitur. 38
Dæmones musica expelluntur. 38
Dæmones hominum hostes. 84
Dæmonum potestas magna. 142
Dæmon perfectiores homines aggreditur. 143
Dæmones obstinati sunt in malo mox post primum peccatum. 79
Difficilium aggressio signum est amoris. 268
Diuitiæ mundi contemnendæ. 272. 273
Diuitibus quare eleemosynæ sunt præcipiendæ. 58. & quando ad illas teneantur. 211
Diuites an sint honorandi. 226
Diuina aliqua attributa ex creaturis nota. 6
Doctrina ex brutis animalibus capitur. 4
Doctrinæ nouitas vitanda. 138
Doctrina nunc abundat in Ecclesia, sed exempla desunt. 216
Doctores Ecclesiæ sunt gubernatores naugii Ecclesiastici. 188
Doctores errorum increpantur. 87
Dolore recuperamus Deum amissum. 43
Dominici patris eximia humilitas. 200
Dorotheæ virginis & martyris martyrium & laudes. 245

E.

Ecclesia processiones facere, consuetudine ex ipso Christo in templo præsentato inchoata, solet. 43
Ecclesiæ thesaurus ex sanctorum meritis etiam augetur. 112
Ecclesiæ nasci filium, & non inter infideles beneficiũ est diu num sine meritis collatum. 124
Ecclesię velut à Deo desertæ quærimonia 125. & quærimoniæ respõsio 133
Ecclesia varie afflicta. 163
Ecclesiæ authoritas quam bene fundata. 235
Ecclesia naui persimilis, vbi instrumenta naugationis moraliter tractantur. ib.
Ecclesia quomodo propagata, 101
Ecclesiæ præsens status degener. ib d.
Ecclesiastici negotiosi taxantur. 219
Ægidii magna miracula, & de eius vita. 229 230
Electorum decedentium tres sunt partes, bona, melior, optima. 24
Electio Dei differt quatuor modis ab electione nostra. 16. 17. quia nostra procedit ex consilio, sed Dei electio est ipsa consilii ratio, & nos supponimus bonitatem, sed electio Diuina illam facit, & nostra sæpe fallitur, Dei vero infallibilis est electio, & ideo immutabilis, sed nostra varietatem habet. 17
Eleemosyna, vide misericordia.
Eleemosyna de superfluis necessario facienda. 213
Eleemosyna qua intentione facienda. ibid.
Eleemosyna melius per seipsum quam per famulum fit. ibid
Eleemosyna quomodo facienda. ibid. & infra.
Eleemosynam dare fenerari est, & dare ad vsuram. 243
Eleemosynæ admonemur. ibid. & 220
Eleemosyna est via ad beatitudinem. 1

F.

FAma iustorum diffũditur. 239 & iniquorum infamia. ibi.
Famæ vanus appetitus taxatur. ibid.
Familiaritas amoris signum. 121. 122
Farinula faciebat dulces cibos alioqui amaros. 139
Festinandum in via Dei. 41
Ficum quare maledixit Dominus. 224. 225
Fideles in Ecclesia primitiua feruentiores quam postea fuere. 75
Fidei diffinitio ex Paulo, est enim primum fundamentum veritatum supernaturalium. 206
Fides necessaria virtus. 109. 110
Fidei mysteria non possunt cognosci ex creaturis. 4
Fides confirmatur ostensa genealogia Saluatoris. 11
Fides Christi eadem nostra, & Patriar-

chatum olim. 19.20
Fides Abrahæ, & Patriarcharum exponitur, & cum fide sacræ Virginis comparatur. 33
Fides sola non sufficit ad salutem, sed requiritur obseruatio mandatorum Dei. 48
Fides tormentis attrita fragrat. 31
Fidei & intellectus mirabilis vnio. 178
Fidei certitudo mirabilis quæ certitudinem scientiæ superat. ibid.
Fides primæ veritati innititur. 133
Fidei assertiones ad dicentem relatæ valde sunt credibiles. ibid. licet quo ad nos sint incomprehensibiles. ibidem.
Fidei laudes magnæ. ibid.
Fides est nobis viæ dux. 83
Fides difficulter recepta à mundi sapientibus. 84
Fidei necessitas vbique nobis occurrit. ibidem.
Fides penetrat quo scientia intellectualis non ascendit. ibid.
Fidem figuratam per cimbam Apostolicam. 84
Fides tutior quam priuatæ relationes. 183
Fruitio amor est. 254.255
Fumus atque suffitus odoris suauis præcedit flammam amoris. 178

G.

Gabriel inter magnos Angelos principes. 52
Gabrielis nuntiantis incarnationē verbi eximia pulchritudo in corpore assumpto. 81
Gemmarum productio. 422
Gentium vocatio. 38
Genealogia per mares non per fœminas deducebatur apud Hebræos. 11.12
Genealogia Redemptoris concatenata hamo comparatur & reti piscatorio, ex D. Greg. 251 252
Generatio spiritualis sanctorum, quomodo intelligitur propagari. 236
Genus humanum ab vno ortum hominem ne quis hominum insolescat. 60
Generis propagatio aliquid confert ad mores animi. 10
Generis nobilitas quam habet vtilitatem. 37
Gloriatio nostra in Deo esse debet. 10
Gratiæ Diuinæ decem beneficia nobis data. 124
Gratia Diuina etiam protegimur ignorantes & dormientes. 125
Gratia Dei præuenit & sequitur nos. ibidem.
Gratia sine acceptione personarum datur. 134
Gratia adiuuat, vt portemus Christi Crucem. 128.129
Gratiæ diuinæ neglectio & contemptus, punitur priuatione spiritualis suauitatis quæ corde sentitur. 169.170
Gratiæ sumus inopes omnes. 133
Gratia assuetudine vertitur aliquo modo in naturam. 220 221
Gratia comparatur aquæ irriguæ. 223
Gratiæ absentia, sterilitatis nostræ causa. ibid.
Gratiam primam nemo meretur. 341
Gratiam solus Deus infundit. ib.
Gratia gratis datur, & sine iusto pretio, empta tamen dicitur quia solis dispositis infunditur. 10
Gratiæ effectus mirabiles in homine. 248.249
Gratia & charitas, aut sunt idem, aut sunt simul. 255

H.

Hebræi sacerdotes, qua religione tabernaculum intrabant. 268
Hebræi non celebrant festa sanctorum hominum. ibid.
Hæresis ex superbia cum ignorantia cōiuncta. 185
Hæretici recentiores redarguuntur. 102. 103
Hæreticorum error circa sacerdotium refellitur. 181
Hæreticorum extremi errores vitandi circa iustificationem hominis, Pelagius tollit fidem, Lutherus opera, sed veritas fidem & opera exigit. 190
Hæretici prælatis Ecclesiæ detrahentes redarguuntur. 217.228

Hæretici cultum reliquiis sanctorũ exhibitum subsannantes refutantur. 232 & inf.
Hæreticorum error circa corpus Christi, & circa Virginem, an esset mater vera Christi & Dei. 14
Hermon anathema interpretatur. 195. 196
Heliseus dulcem facit amaram ollam. 139
Hieronymus laudatur. 69
Hispaniæ laus. 123.124
Historicorum mos dum regum historias literis mandant. 8.9
Homo debet intra seipsum habitare. 58
Hominum solicitudo & studia vanitatis plena notantur late. 61.62
Hominis propria functio quæritur, & tandem est cognoscere & amare Deũ. 63
Hominis in hac vita obscura, spiritualium rerum cognitio. 405. & mutabilitas ex parte intellectus & voluntatis. 79
Homines sunt ex quibus ruinæ Angelorum sunt reparandæ. 90
Homo non propter Angelos, sed propter Deum creatus est. ibid.
Hominis viatoris miseranda & periculosa conditio. 91
Hominum triplex differentia, lucent alii & non ardent, alii ardent: sed non lucent, alii lucent & ardent. 103 & inf.
Hominis inconstantia. 125
Homo in hac vita semper est in pugna. 142
Hominũ dentes maxime resistunt igni, ex Plinio. 145
Homo videtur relictus sine ordine. 149
Homines præstantiores ingenio & habitu corporis, sapientiæ Diuinæ, & Deo potius debent vacare quam rebus ignobilibus. 177.178
Homo ante peccatum minus quam postea indigebat fide. 184
Hominis post peccatum rerum ignoratio & hallucinatio. 185
Hominis vita ex fine quærenda est. 191. 15
Hominis ætates per noctis vigilias diuisæ. 198
Hominis modicæ vires, & facultas exigua ac naturalis inopia. 198.199
Homines arboribus variis comparantur. 224
Homines monentur inire cum Deo amicitiam. 46
Hominis domus propria conscientia est. 236
Hominum viuacitatis cupiditas. 239
Hominum famæ affectatio. ibid.
Homines in hac vita hallucinabunde intelligunt spiritualia, & per conuersionem ad phantasmata corporalia. 241
Homo sibi prius quam aliis debet prouidere in bonis spiritualibus. 245
Homines sensui dediti reprehenduntur. 247 248
Hominis triplex portio & vita. ib.
Homines spirituales qui sint, & quales, & quomodo ab aliis differant, sicut aues à piscibus licet eodem elemento natis. 2, 3
Homines inter se valde differunt. 249
Homines moribus diuersis degenerant in diuersorum animalium quodammodo naturam. ibid.
Hominis libertas seipsum immutandi. 251
Homo cur à Deo Creatore recens conditus, non est benedictus sicut cæteræ creaturæ. 250
Homo nobilitatur dũ obligatur à Deo ad amorem sui. 265
Honor exhibendus sex personarũ differentiis, parentibus, magistris, principibus, sacerdotibus & sanctis, & an diuitibus? 225.226
Honor ministris Dei exhibendus. ibid.
Honor est præmium virtutis. 227
Hostiæ spirituales quænam dicuntur. 182
Humanæ naturæ imbecillis potẽtia. 121
Humanitas Christi in supposito Diuino, non in proprio erat supponitanda. 24
Humilitas voluntarie assumenda. 25
Humilitas virtus nõ in veritate sita est. 98. 99. sed est sui contemptus & cognitio, ex Diuo Bernardo.
Humilitate virtute, tota fere Christiana

na virtus continetur, secundū D. August. estque Deo gratissima, illamq; Christus publice docuit quasi viam ad Cœlum. 201
Humilitas est pacis, & tranquillitatis mater ibid. atque hic, & in futuro habet præmium. ibid.
Humilitas mater omnium virtutum ostenditur. 203
Humilitate sublata ruunt omnes virtutes. ib.
Humilitas animam præparat & disponit ad grauiam & omnes virtutes. ib.
Humilitas est diuitiæ peccatoris. ibid.
Humilitas acquiritur assidua peccatorum, & vitæ præteritæ meditatione conferendo se cum præstantioribus. 204.
Humilitas eminere inter alios refugit, omnis enim eminentia notabilis nocet, adulatores fugit, reprehensorem amat; esse quam apparere mauult, o sequi gaudet, & imperare odit, &c. ibidem & inf.
Humilis longe ab hypocrisi, sed cupit aliis patefieri quam cognoscit in se miseriam. 176
Humilis laudari fugit, & omnibus se subiicit. ibidem.
Humilis prudenter pro loco, & tempore se subiicit, licet & aliquando omnes sibi anteponat. 177
Hypocritæ reprehenduntur. ibi.

I.

IAcobus Hispaniæ patronus. 123
Idololatræ crudele sacrificium 207
Illephonso se Virgo sacra conspiciendam exhibuit. 198
Illephonsus Toletanus Pontifex, virtutibus celebris Arrianam & Eluidiam perfidiam ex Hispania sustulit. 190. 191.
Illephonso cum rege Reciscundo & tota curia diuinitus insignis honor delatus. ibid. & 198
Illephonsi eximiæ virtutes. ibid.
Illephonsus Virgini sacræ deditissimus, ibidem.
Illuminationes subditas Deus in hac vita sanctis quandoque concedit. 43
Impunitas diuinæ iræ signum. 123
Iudicare seipsum est præuenire iudicium Dei. 208
Iugum Domini suaue est. 118
Iustitia veritatis est socia, & in principe magnopere esse debet. 93
Iustorum maior est tribulatio. 149
Iusti à malis vexantur. ibi.
Iusti cur vexari permittuntur: fortuna impiorum prospera, 113. vide Deus & tribulatio.
Iusti fulgent luce propria, & mali aliena. 193
Iustorum sunt virtutes connexæ. ibi.
Iustus incipiens, à iusto perfecto quomodo differt. 220
Iustus apte comparatur ligno. ibid.
Iusti quomodo illuminantur in hac vita à Deo. 237
Iustorum lætitia præsens & magnanimitas. ibid.
Iusti bonum famæ odorem spirant. 238
Iusti tranquilla est conscientia. ibid.
Iustis Deus speciale patrocinium impēdit. ibid.
Iustorum victoria de vitiis. ibid.
Iustorum fructus referuntur. 239
Iusti quibus meritis coronantur gloriam. ibi.
Iustorum magna est remuneratio. ibid. & inst.
Iusti proficiunt in melius 56. & ab accusatione sui incipiunt Dei laudes. 67
Iusti sunt stabiles. 162 163
Iustificatio per fidem simul & opera habenda est contra hæreticorum extremos errores. 189

L.

LAbores huius vitæ impares præmio quantum ex se est. 197
Labores quomodo fiunt dulces. 139
Laudare Deum valde laudabile. 49
Lex iusto quare non dicitur posita. 48
Lex Domini videtur aliquibus dura, sed in se suauis est. 138
Lex Domini seruāda antequam docenda. 542
Lex vetus exteriorem munditiam, lex Euan-

Euangelica etiam interiorem præcipit. 215
Legis nouæ à Mosayca differentia. 216
Legem veterem non semel tantum, sed & iterum fuit descripta in tabulis lapideis cuius mysterium habetur. ibidem.
Legis Dei dulcis meditatio. 220
Leges principum sunt obligatoriæ in conscientia. 226
Legis obseruatio ex amore est perfectorum. 235
Leocadia virgo & martyr publice apparuit honorem delatura D. Ilephonso Toletano Præsuli. 190
Lætitia spiritalis per mel significatur. 182
Leuitæ cur pilos iubebantur radere. 178
Libertas nostra vltimus beati. 133
Liberalitas principis virtus. 213
Liber conscientiæ, qui & rationum.
Liber creaturarum datur pro discipulis adhuc rudioribus, & quasi secundæ classis. 3
Loth cur præcipiatur non respicere retro, eiusque vxor cur in statuam sit conuersa. 178
Luna inconstans peccatori similis. 162. 163
Luxutia per hircum designatur. 182
Luxuriæ ac libidinis vitium reprehenditur esseque genus malum pernicioſum & periculoſum ostenditur late. 191
Luxuria, spiritui hostis 251. vide pudicitia.
Lux infunditur homini iusto. 237

M

MAgdalena in charitate emicuit. 254
Magdalenæ præstantia supra alios sanctos ostenditur. 258
Magdalena edidit egregia signa amoris erga Christum. 265
Magdalena gaudet sedere ad pedes Domini neque circa corporis obsequia distrahitur præ amore. ibidem.
Magdalenæ patrocinatur vtique Dominus. ibidem.
Magdalena plotabunda quærit Christum in domo Simonis. 266
Magdalena præ amore Christi aggreditur terribilia. 267
Magdalena amoris impetu rapitur ignara consilij. ibidem.
Magdalena præ amore Christi contemnit mundi bona. 266
Magdalena Apostolica fœmina Euangelium prædicat, in solitudinem secessit, & ibi amore languet. ibidem.
Magdalenæ exordium vitæ cum fine comparatur. ibid.
Magdalena commutat potius vitæ profanæ oblectamenta quam relinquit. ibidem.
Magdalena angelicis choris interest in hac adhuc vita. ibidem.
Magdalenæ pœnitentia viris debet esse confusioni & pudori. 267
Magistri quomodo honorandi. 226
Magnanimitas quomodo se habeat ad humilitatem. 200. 201
Magni appellati sunt aliqui. 99
Magnum nihil est, nisi quod Deus magnum esse voluerit. 93
Mahumetanorũ persecutio & ortus. 89
Mahumetus ludificator suis sectatoribus delicias promittit. 88
Manna victoris cibus, sic & sacræ Eucharistiæ non datur peccatori victo. ibid.
Manna visum est in sepulchro Ioannis Euangelistæ 104. 105
Manus sponsi Christi leua & dextra, quid significent. 6
Martyres comparantur vasis elaboratis & politis. 131 & virgis detracto cortice.
Martyres sanctos sæpe euulsis à tyrannis linguis eloquios fuisse loquutos Deumque glorificasse. 73
Martyrum cruciatus pœne incredibiles. 144
Martyres promissioni Christi fidentes. 134
Martyrum patiendi auiditas. 140
Martyrum passio ob Ecclesiam fundandam. 27

Martyrum sanguine oportuit fundare Ecclesiam. 145
Martyres dentibus comparantur. 475
Martyrium est quo passio Domini sentitur. 130. & cur à nobis Deus illud exigat, & illius præmium. ibidem.
Martyrio exploratur fides. 474
Martini sanctitas prodigiosa. 424
Martinus excellens erga pauperes pietas & eleemosynarum affectio à Christo & angelis mirabiliter honoratus ob egregiam humilitatem & pietatem. 214
Martinus dimidiatum pallium pauperi dedit. 213
Marthæ quærimonia in speciem iusta. 166
Mater Dei, nomen super omne puræ creaturæ nomen. 15
Matres præ amore filiorum insanire solent. ibid.
Matrimonio iuncti, vide coniugati.
Medici admonentur. 153
Meditationis legis Diuinæ vtilitas. 268
Mel non offerebatur olim Deo. 182
Meriti ratio æqualis in homine & Angelo. 77
Merito alieno solo saluatur nemo, nam aut sacramentum, aut proprius actus requiritur. 239
Merita examinantur à Deo. 250 251
Merita in diuina acceptatione fundantur, quæ acceptatio in eo quod Deus nos amat consistit. ibidem & infra.
Messiæ genus diligenter velut Spiritus sanctus describi. 9. tres ob causas. 11. & infra.
Ministros Dei debemus honorare propter Deum. 226
Miraculum maximum incarnatio verbi. 37 38.
Miracula Christi illius Diuinitatem probarunt sufficienter. 163
Miracula edunt ossa sanctorum, quia Deus in illis habitat. 269
Misericordiæ opera cur dicuntur in Euangelio commemoranda in die iudicij vltimi. 210
Misericordiæ opera cõmendantur. 122
Misericordia fratri exhibita misericordia valde prouocat. 193
Misericordia præsens est remedium aduersus peccata. ibidem.
Misericordia dicitur esse remedium peccati non quia alia remedia non sint necessario adhibenda, sed quia per misericordiã homo inuitat misericordiam Dei, vt præstet nobis necessarias dispositiones ad gratiam. ibid.
Molochidolon atrox sacrificium. 190
Molochidolon Salomoni cultum. 86
Moniales virgines quæ ab hominibus sunt turæ monentur vitare dæmonum insidias. 32. & properare ad perfectionem. 39
Monachalium ordinum institutor August. & illum alij patres sunt secuti. 175 & infra. & 165
Monialium status laudatur. 246
Monicha mater patris nostri Aug. deo no timoris affecta, ex Augustino. 215
Monichæ matris timor Dei eximius, & D.P. Augustino. 140
Mons Tabor cum Caluariæ monte cõparatur ille fuit gloriæ iste passionis locus, & de monte isto ad illum iaciendæ transmigratio est. 164 165
Mortis incertitudo & furi nocturno comparatur. 196
Mors alacriter recipienda. 195
Mors ab imperfectis timetur. 146
Moyses Dei amicus dictus. 229 230
Moysyci sacerdotis consecratio ritus & munus, 176. & infra. vide sacerdotium. 176
Mundi simul amplecti leges & delicias, & Deo inseruire fieri non potest. 137
Mundi atque sui ipsius abnegatio sequenti Christum necessaria. 73 & quomodo fiat. 132
Mundi opes relinquere est nauem exonerare iactatis mercibus ingruente procella. 188
Mundi vanæ promissiones. 240
Mundi creatio fuit ad modum fabricæ quam per ideam & exemplar fabricat artifex. 215
Mulieres illæ ab Angelis inuisuntur, ad quas viris non patet aditus. 29

Mulier infamis sui generis est ignominia 8
Musica, dæmonum expultrix 37.
Mutabiles & instabiles reprehenduntur 56

N

NAbuchodonosor regis peccata per eleemosynas curata 208
Nauis Ecclesiasticæ instrumenta omnia moraliter exponuntur 188
Nicolai Episcopi sanctitas & pastoralis cura 218. 219
Nicolaus sanctitatis opera designabat adhuc infans ibidem
Nicolaus resistit magistratui sæculari & Imperatori zelo Eccles. ib.
Nicolai excellens eleemosyna erga puellas nubiles ibid.
Nicolaus ab ipso vbere infans cæpit fructificare, deq; eius virtutib. 551
Nobilitate antiqua illustres cur humaniores sunt illis, quibus subita fortuna nobilitatẽ attulit 224.225
Nomina imposita laudem afferunt homini si modo diuinitus sint indita 107
Nominum profanorum impositiones hominibus factę reprehenduntur ibid.
Nomina temere indita præsagium non habent ibid.

O

OBedientia Deo in primis reddẽda 123
Obseruatio mandatorum diuinorũ necessaria ad iustitiam 235
Odium proximi aries significat 181
Olla amara quam dulce fecit Heliseus quid significet 140
Oleum gratiam significat, 244. & charitatem 245
Opera sine charitate facta sed pænarum solo metu contemnentur à Deo: quia meritoria non sunt licet alias vtilitates habeant 235
Opus piũ diligenter perficiendũ 57
Operis difficultas delectatione tollitur 250
Opera bona sæpe dulcedinẽ habent spiritualem magis quam ipsa oratio 57
Opera misericordiæ commendantur. 68
Opera cum fide necessaria ad iustificationem contra hæreticos 189
Opera bona sunt necessaria neq; sufficit declinare à malis & perlucernas designantur 193.194
Opera bona debent præcedere non subsequi nos: contra eos qui satis esse putant testamento illa iubere, etiam debent non tantum in voto, sed in re præstari ibidem
Opera nude examinanda in Diuino iudicio 211
Opera bona differentes & procrastinantes vsque in finem vitæ increpantur 223
Oratio debet breuiloquio absolui 58
Oratio est remediũ tentationis 143
Ordo rerum in Deo ab æterno, non secundum tempus, sed secundum dignitatis perfectionem 17
Ordo militaris D. Iacobi laudibus celebratur 123
Ordo, & lex Augustini & monachalium
Originale peccatum omnes filios Adam inquinat. 35

P

PArabolarum clausa mysteria Dominus claue addita aperit 142
Parabola decem virginibus summatim exponitur 6
Parentes qui inuictos filios & præsertim filias cogunt conditionem accipere, & monachas esse reprehenduntur 134
Paruulorum puerorum mores imitandi 86
Passionis causa attendenda 140
Passio est via ad gloriam 120
Paschalis agni esus Euchariſtiæ figura 159
Pastoralis cura non ambienda, sed ferenda dum imponitur 194.195
Pauli Apostoli & Iacobi in speciem dissonantes conciliatur circa fidei necessitatem 189

Paulus Apostolus getit se, ac si dubitaret de sui prædestinatione & salute. 244
Pacis abundantia & copia. 226
Peccatum omni ratione vitandum. 219
Peccatum in se, neque bonum est, neque iucundum. 220
Peccata dolore & amore curantur. ibid.
Peccata à pauperibus redimenda pecunia data. 208
Peccata tribus remediis emendantur. ibid.
Peccata animalium sanguine delecta non sunt. 207
Peccati impunitas signum diuinæ iræ. 12
Peccatum est causa cur labore quæramus victui & vestitui necessaria. 53
Peccatum fuit occasio incarnationis. 250
Peccatum quantum sit malum. 216
Peccata vitanda ascensuro in Cœlum. 41. & recepturo Spiritum sanctum. 51
Peccatores in peius ruunt. 51
Peccator insidens duabus viis quis sit. 125
Peccator est insensatus. 163
Peccator iuste priuatur à Deo cordis sensu 169
Peccator diuitias suas in humilitate habet, vide humilitas.
Peccator gradatim fit deterior, & gradus referuntur. 222. 223
Peccatores non resurgunt in iudicio proprio neque alieno. 221
Peccatoris obduratio explicatur. 234
Peccator in tenebris agit. 270
Peccatoris miseria exponitur. 239
Peccator sui ipsius est tortor. 225
Peccatores conuersi sæpe meliores sunt innocentibus iustis. 117
Peccatores damulis indomitis similes. 116
Peccatoris appetitus in idem recurrens, exponitur. 455. & inquietudo. ibid.
Peccator puluери apte comparatur ob instabilitatem. 221
Peccator dicitur non habere Dominum sui, vt vulgo dicimus, no es sennor de, propter vitiosum habitum peccandi. 259
Peccatores piscibus assimilantur. 252
Peccator destinato animi consilio à Deo recedit. 266
Peccator credit assensu cordis, sed factis negat Deum. 258
Peccator assimilatur dormienti, & excitatur à Deo. 38. & quomodo excitatur à Deo. ibidem.
Peccator figuratus per Sisaram clauo confixum per somnum. ibid.
Peccatoris alta Dei & sui obliuio. ibid.
Peccator ignorans. ibid.
Peccatoris ratiocinatio mala dum colligit ex breuitate vitæ vacandum esse voluptati. 209.
Pelagius, vide hæreticus.
Pœnæ damnatorum referuntur. 263.
Pœnitentia ascensus est purpureus ad gloriam. 196. & primus gradus scalæ. 57.
Pœnitentiæ dolor per turturem & columbam significatur. 182
Pœnitentia scopēdus spiritus. 249. 150
Perfectio in hac vita rara est. 90
Perfectionem affectanti difficultates occurrunt superandæ. 38 & infr. & alli non festinatis prohibetur, quæ segnitiem tollit, sed saltus, & transmigratio omissis mediis. 40
Perfectiora imperare debent minus perfectis tam in natura quam secundum rationem. 93
Perseuerantia in bono sine charitate non est. 143
Perseuerantia monetur. 39.
Petri Apostoli vmbra sanat ægrotos. 231.
Petrus Apostolus cur è naui prosilire & dare in pelagi fluctus iussus mergitur, & à Christo ad cimbam reducitur. 213
Petro Apostolo à Christo data Ecclesia regenda. 54
Petri Apostoli sedes immobilis futura promissione Christi. 20. 21
Philosophi aliqui quare negarunt prouidentiam Dei. 149
Philosophos amore sapientiæ abnegasse mundum sine merito. 136

Pilos radere quid significet. 178
Populares homines abstinere debent ab officio, docendi alios, & explicandi scripturam sacram. 165.166
Prædicatores debent à Deo interius arcana Doctrina imbui. 110.111
Prædicator callere debet exacte diuinam scripturam. 6
Prædestinat Deus terminum meritorum vniuscuiusque. ibidem. 109 110
Prædestinationis libera Dei voluntas est causa, qui non facit iniuriam dum hunc prædestinat & illum non. 219
Prædestinatio prima radix omnium bonorum, & necessario impletur. ibid.
Prædestinati peccant in tempore, sed delentur eorum peccata. 115
Prædestinationis imperscrutabilis est abyssus, & exemplo quodam exponitur. ibidem.
Prædestinatio est causa meriti, non est autem ipsa ex meritis præuisis, 3. 107.108.
Prædestinatio immutabilis. 4.108
Prædestinatio est summa gratia certa & ineffabilis, & origo omnium donorum cœlestium. 51.128 129
Prælati scandalizantes subditos reprehenduntur. 89
Prælati rationem reddituri de aliis, & humeris alios dicuntur portare. 177
Præmium beatitudinis exponitur. 99
Præparatio ad Eucharistiam necessaria. 74
Præscientia Dei non imponit necessitatem rebus. 221
Præsumptio, vide superbia.
Primi homines ambitione tentati, & victi. 120
Principes quare honorandi. 216
Pudicitia plurimum iuuat ad vitam spiritualem degendam. 87
Pusillanimitas taxatur. 139.

R.

RAtionale Mosayeum, hoc est ornamentum sacerdotale exponitur. 179.
Rationalem vitam agentes laudantur. 248
Ricidiuum cauendum. 133
Regula Diui patris benedicti quinque millibus martyrum illustrata. 218
Relatio in Deum saltem virtualis requiritur ad merendum. 226
Relinquere omnia quantum ad actualem possessionem, consilium est Domini non præceptum. 140
Religiosus quisque est castrum quo Deus inhabitat. 56
Religiosorum tepiditas reprehenditur. 42.
Religiosi dissolutæ vitæ reprehenduntur, & minus malum fuisset religionem monachismumq; non adisse. 87. & infra. 111.112.
Religiosi militaris ordinis prophanæ vitæ reprehenduntur. 123
Religiosi, perseuerantia necessaria. 127
Religiosi, ne respiciant retro oculosque ad mundum relictum conuertant monentur. 170. & infra.
Religiosi sæcularibus implicati reprehenduntur. 270
Religiosi prætextu pietatis discurrentes monentur. 221.222
Religiosi suæ professionis admonentur. 231.271
Religiosi sunt figurati per exploratores terræ promissionis: quæ figura late tractatur. 251
Religiosi impatienter longitudinem vitæ conquesti reprehenduntur. 274.
Religiosis perseuerantia necessaria. ibidem.
Religionis status fœlicitatem quandam habet in hac vita. 52. & laudatur valde. ibidem & infra
Religionis monasticæ labores faciles. 247. vide crux.
Religionis status laudatur. 277
Respublica tunc est recte ordinata, cum perfectiores alios regunt. 93
Reuelationes priuatim factæ non eligendæ. 167
Reuelationes priuatæ habent nonnunquam periculum. 188
Romani martyris & Monachi gesta egregia. 128
Romana Ecclesia caput orbis. 141

Romanæ Ecclesiæ stabilitas promissa Petro à Christo. ibid m.
Romanorum in Deis suscipiendis & colendis errores ridiculi. 135
Romani non nisi strenuos admittebant ad certamen. 136

S

SAcerdotum vita qualis. 177
Sacerdotes cur comedere peccata populi dicantur. 191
Sacerdotum prima cura populum Dei amantem reddere. 69
Sacerdotium triplex legitur, in scriptura, legale, Euangelicum, & spirituale. 76. vbi de officio sacerdotis Mosayci disseritur.
Sacerdotium spirituale explicatur contra hæreticos recentiores. 131
Sacerdotium spirituale quomodo metaphoricum sit, & differat ab Euangelico. ibid.
Sacrificia Synagogæ Deo per se non accepta & grata. 204
Sacrificia Mosayca moraliter exponuntur. 132
Sanguine respersa humanitas Christi. 88
Salomonis opera tripartita. 191. tribusque idcirco nominibus ipse appellatus.
Salomonis cantica epithalamium in nuptiis agni & columbæ continent. ibidem. vbi & argumentum totius libri exponitur.
Salomonis de virgine Prophetia. 222
Sancta sanctorum summæ veneratonis Hebræis. 48
Sanctitas plus requirit quam iustitia communis. 236
Sanctitatis pulchritudo per se valde amabilis. 235
Sancti mutati sunt ex parte virtutis Christi. 35
Sancti omnes, excepta sacra Virgine peccati aliqua labe affecti. 34
Sanctorum tres differentiæ. 90
Sanctorum festa quomodo celebranda. 106
Sancti homines equis similes sub sessore Deo. 124
Sancti cur in præsenti vita affligantur florentibus impiis. 149
Sancti comparantur soli. 162
Sanctis alia aliæ gratiæ communicatę 163
Sancti fulgent in Ecclesia quatuor modis. 164
Sanctorum merita diiudicare temerarium est. ibid.
Sanctorum diuitiæ quæ sint. 173
Sanct. in hac vita alij, aliis virtutibus excellunt. 206
Sanctorum festa cur celebrantur in Ecclesia. ibidem.
Sancti quomodo imitandi. ibid.
Sancti sunt Euangelium viuum, & quomodo imitandi 216
Sanctorum caro finitur, sed sanctitas est perpetua. 217
Sancti exempla nostra sunt cuius figura habetur. ibid.
Sancti viri sex conditiones ex Dauide collectæ. 220
Sancti fructificant aliis salutifera verba loquendo. ibid.
Sancti semper in melius promouent, & in virtute stabiles sunt. ibid.
Sancti comparantur arbori irriguæ. ibid.
Sanctorum verba & conuersatio & tota vita omni ex parte vtilis est. 221. & infra.
Sancti quomodo fructificant suum fructum. 224
Sanctis impendendus honor multas ob causas. 228
Sancti sunt spirituales parentes nostri, & ob beneficia ab illis accepta debemus illis honorem, & intercedunt pro nobis, ibidem, & infra.
Sancti amici Dei, & hæc amicitia illos honore dignissimos facit. 229. & infra. & quo amore Deus illos prosequatur infra.
Sanctis Deus arcana reuelat, & ab eis sunt aliquando edocti. 231
Sancti aliquando videntur dare Deo consilium in scriptura vsque à Deo familiarem se illis Deus præbet, cum aliis eximię familiaritatis argumentis.

dis. ibidem, & infra.
Sanctorum à morte reliquiæ honorantur à Deo. 232
Sanctorum honor in cœlis quantus sit. 233
Sanctorum in hac vita remuneratio. 235 & quæ intelligitur non tam in corporalibus, quam in spiritualibus bonis. ibidem, & infra.
Sanctorum gloria breui comprehensione explicatur. 236
Sanctis omnia cooperantur in bonum. 238
Sancti cur volunt laudari sua bona opera. ibid.
Sanctus, vide iustus.
Sanctorum intercessio sola non sufficit nobis ad salutem. 242
Sancti exploratores sunt terræ promissionis. 252
Sancti in ea virtute potissimum eminere creduntur, qua laudantur à Deo. 253
Sanctus altero præstantior quanto maiori virtute præstat. 255
Sanctorum celebritates non agebantur apud Hebræos. 268
Sanctorum ossa & rel quiæ edunt miracula, quia Deus in illis est. 269
Sapientia diuina euertit domum, vt dragmam humanę naturæ inueniat. 213
Satanas in Angelum lucis se transformat. 110
Saul reprobatus à Deo. 115
Scalæ spiritualis gradus tractantur. 56
Scandalum dare alicui criminosum est. 85 & infra.
Scandalum acceptum & pharisaicum contemnendum est. 88
Scientia sine pietate parum vtilis. 243
Scientiam debet præcedere bonitas. 174
Scriptura sacra virtutes & perfectiones angelorum per similitudines nobis exprimit. 79
Scripturæ sacræ donum nobis datum. 125
Sacra scriptura ab idiotis, & popularibus non est tractanda. 117
Scripturæ sacræ testimonium vincit authoritatem mundi. 184
Scriptura sacra mappæ nauigationis assimilatur. 187
Scripturæ sacræ necessitas. 6. & qualis in ea sapientia sit, & quæ dulcedo, & materia, & finis, inf. 2.
Secretorum reuelatio iudicium amoris. 117
Sedere coram Deo volentes puniuntur. 73
Serpentis imagine dæmon primos homines est agressus, ne deceptos se esse per insidias possent causari. 30
Sicli quinque in templo olim dati moraliter exponuntur. 48
Silentium laudatur. 58
Simeonis senis Hierosolymitani egregia sanctitas. 221. & ad Redemptorem oratio. 245. & desiderium. 47.
Simeonis sancti ad Virginem sactam prophetica oratio de Christi passione & futura matris anxietate. ibi. & infra.
Simoniæ vitium taxatur. 48
Synagogam Deus beneficiis multis affecit. 127
Sion speculatio interpretatur. 196
Solis proprietates explicantur. 163
Solis cursus incarnationis verbi typus quidam. 4
Somnus peccatoris notatur. 193
Somnus cur vitam præsentem repræsentat. 267
Species naturalis rerum per proprias differentias constitutas esse velut species numericas quæ addita vnitate mutantur diligenter exponitur. 77
Spes anchoræ nauticæ comparatur. 188
Spiritus sancti dulcedo sæpe in actione potius quam in oratione sentitur. 57
Spiritus sancti vnctione delibuti reddimur agiles ad virtutis laborem 115
Spiritus sanctus qualia pectora inhabitat. 43
Spiritus quam sensus suauiores esse delicias. 248 261
Spirituales homines qui sint, & quam egregij. 249 & quibus moribus. 250
Spirituales homines sæpe sine rationis discursu

discursu rapiuntur in virtutis opus. 249
Spiritualis suauitas vnctione comparatur. 105
Sponsæ Christi mores. 236
Sterilitas inuidiosa fuit in lege Mosayca. 31. & infra, vide virginitas.
Superbia per taurum significatur. 182
Superbia habet præsumptionem, & ambitionem. 201
Superborum amicitiæ & familiaritates vitandæ. 203

T

TAutina spectacula illicita, & improba. 84
Templum spirituale debemus interius fabricare Domino. 216
Templi interioris forma, & idea qualis. ibid.
Templum spirituale ex arte, & exemplari fabricandum, & quænam est ars, & quod exemplar ostenditur. ibid.
Templorum consecrandorum ritus antiquus Hebræorum. 267
Templa Ecclesiastica modo sanctiora sunt quam fuit templum Salomonis. 268. 269
Templa indecenter esse culta reprehenditur. ibidem. & infra.
Templorum externa consecratio figurat spirituale templi (quod nos sumus) sanctitatem. 269
Templa quibus ceremoniis consecrentur, & de mystico illarum sensu. 270
Tentationibus patitur qui virtutis initia inchoat. 56
Testimonia Christi adhuc paruuli. 46. 47
Testamenti vtriusque mirabilis concordia. 203
Testamentis fieri opera bona mandantes, quæ ab ipsis per vitam oportuit facta reprehenduntur. 223
Theologi Doctoris est explicare scripturam sacram non plebis 165. 166.
Theologia scholastica ab Augustino tradita est. 165. & illius vsus exponitur. ibid.
Thomæ Apostoli credendi duritia. 183. 1.
Timor Dei bonus, & necessarius. 48
Timor Dei fortis custodia virtutis. 67
Timore Deus nos ad se trahit. 234
Timoris diuini laudabilis effectus. 33
Timore seruare legem Dei licitum, sed minus perfectum. 234. 235
Timere debemus in hac vita de nostra salute & damnatione. 245
Timor mortis deponendus. 246
Toletanum templum celeberrimum virginisque sacræ vestigiis consecratum. 190
Tribulationem immittere peccanti gratiæ diuinæ est signum. 125
Tribulatione nos Deus ceu fræno domat & regit. 127
Tribulatio est in qua sentit homo passionem Domini. 130
Tribulatio perpetua est in hac vita. 142
Tribulationis septem vtilissimi fructus numerantur. 150
Trinitas sacræ opera ad extra indiuisa, & tota Trinitas operata est incarnationem verbi. 24
Trinitatis sacræ vnitas essentiæ amoris infinitate constat. 265

V

VAna gloria vitiat bonum opus. 222
Verbum incarnatum est liber idealis, & in exemplum positus. 10
Verbum Dei quasi liber scriptus est opera Spiritus sancti, ibidem, & velleri recte etiam comparatur. 10
Verbum Dei infinite bonum, & primo dilectum à Deo. 115. 116
Verecundia seculi infirmum peccati impedimentum. 67
Veritas videtur dura, quia est inflexibilis. 138
Veritas humilitatis germana. 201
Væ Domini duæ, quibus ad patriam tenditur misericordia & veritas. 127
Via ad beatitudinem arcta est. 243
Vigilare sæpe monentur homines à Christo 191 192
Vigiliæ noctis trifariam diuisæ in Euan-

Euangelio 196
Virgarum multi colorum Iacob myſterium ad ſanctorum exempla refertur 217
Virginitas coniugio melior 70
Virginitatis laudes 252
Virginitas angelorum ſocia 25
Virginitas probro dabatur olim 220
Virgo ſacra inuocanda quia mater noſtra eſt 12.21
Virgo ſacra ceu papyrus, vbi verbū Dei quaſi liber ſcriptus eſt opera Spiritus ſancti 21. & velleri recte etiam comparatur 8
Virgo ſacra antecedit omnes ſanctos ibid. & 86.
Virgo ſacra ex illuſtriſſima familia 11
Virginis ſacræ & Ioſeph ſponſi cognatio nota ibidem.
Virgo ſacra primo docuit cælibatum ibid. 33.
Virgo ſacra virginitatem vouit 11. & 23.
Virginis ſacræ heroica humilitas animiq; deiectio & modeſtia 11. 86
Virgine ſacra naſcente exultant Angeli 12
Virgo ſacra primæ mulieris damna compenſat ibidem.
Virginis ſacræ hiſtoriam parce ſcripſere Euangeliſtæ Spiritu ſancto aſpirati, quia ea laus potius cogitatione quam lingua, aut calamo exprimenda. ibidem, alteratio ib.
Virgo ſacra regina eſt inter omnes Virgines ibid.
Virginis ſacræ laudes omnes complectitur hoc quod dicitur, de qua natus eſt Ieſus. ibid. & 19. & 20. & infra.
Virgo ſacra ad dexteram filii ſui ſedet 14
Virgo ſacra mater Dei dicenda ibid.
Virgo ſacra perfectiſſime amabat Deum filium ſuum ibid. & infra.
Virgo ſacra valde amata à Deo filio ſuo 15
Virgo ſacra neminem hominum dedignatur ibid.
Virgo ſacra ordinata ab æterno ad ſummam inter creaturas perfectionem 16
Virgo ſacra electa vt ſit mater Dei & hominum aduocata ibid.
Virgo ſacra ex hoc quod eſt mater Dei infinitatem quandam nacta eſt 17
Virginis ſacræ corpori & morib. magis aſſimilabatur Chriſtus ſecundum humanitatem quam filii alii ſuis patribus, quia de ſola Virgine ſacra ſine patre creato ſumpſerat humanitatem 18
Virgo ſacra ante omnes ſanctos imitata eſt Chriſtum filium ibidem, & ideo illius fuit ſumma perfectio 21
Virgo ſancta præ omnibus ſanctis imitanda 20. pulchra vt luna, & aliæ laudes 15. & 32. de humilitate 35.
Virgo ſacra interne & externe depingitur. 15. ſine peccato corpta, ſine fomite prauaq; inclinatione, & in hoc eius caro comparatur Angelis, omniſq; perfectio in ſola Virgine eſt. 21. ſingulæque ſanctorum hominum virtutes 49
Virginis ſacræ Annuntiatio ſummi negotiires 21. & infr. & eius conuenientiæ 22
Virgo ſacra multis modis fuit Virgo 22
Virginis ſacræ aſſenſus poſcitur ad Incarnationem ibid.
Virgo ſacra turbatur, non tam viſo Angelo, quam audito. ibid quanquam etiam viſa pulchritudine inſolita in Angelo turbata ſit 83
Virgo ſacra adumbrata diuinitus quare dicatur 24
Virgo ſacra habuit communem cū Deo Patre filium ib.
Virginis ſacræ Deum incarnatum concipientis habitus velut depingitur 9
Virgo ſacra ſe ancillam vocat. ibi. & merito.
Virgo concepit mox vt dixit, fiat mihi, &c. ibidem.
Virginis ſacræ vterus eſt cæleſtis paradiſus vt concepit Redemptorem ibid.

Virginis sacræ exultatio inenarrabilis dum concipit filium Dei, ibid.
Virginis sacræ plenitudo gratiæ figurata in hydria Rebecæ vnde cameli potati sunt. 28. 29
Virgo sacra per Prophetas mystice celebrata, sed in nouo testamento succincte nimis laudes eius continentur. 29
Virgo sacra omne donorum genere cumulata, vt Pād. dici possit ib.
Virgo sacra in conclaui concluſa cū ab Angelo inuisitur. ibid.
Virginum clausura & secessus commendatur. ib.
Virgo sacra absque omni peccato, & in illa Deus extitit multis modis, quibus in nulla Deus existit creatura ibid. 34.
Virgines castæ suapte natura pauidæ & subrusticæ ac latere cupientes 30
Virginis sacræ circunspecta & cunctabunda prudentia. 30
Virginis sacræ modestia in sermone. 31
Virgo sacra spectatores virginitatis amore afficiebat talem vultus eius spirabat pudicitiam. 33
Virginis sacræ eximia fides ibid. quæ patriarcharum fidem superabat, & seueritas. 33
Virgo sacra silet propriam dignitatē qua mater est Dei, præ modestia & humilitate. ibidem.
Virgine sacra visitante Isabelam prægnantem paruuli veteris inclusi maternis mirabiliter certant 33 & ab originali peccato mundatur Ioan. Baptista celeriter. 33
Virginis sacrę cantus mysteriis diuinis plenus 35. & exponitur. 36.
Virgo sacra parienti Isabelæ cognatę affuit. ibid.
Virgo sacra non tenebatur ad legem de Purificatione parientium. 42.
Virgo miratur Simeone, & Anna Iesum paruulum celebrantibus in templo. 44
Virginis sacræ filium in templo præsentantis ad Deum patrem oratio. ibid.
Virgo sacra datis secundum legem quinque siclis filium redimit a sacerdote. 43. vbi de hac Virginis non nulla pie considerantur
Virgo sacra castellum est munitissimum. 21
Virgo sacra actiones Marthæ erga Redemptorem exercuit, ibid. & velut Sunamitis Prophetæ candelabrum mensam, & cætera parauit, & misericordiæ opera omnia illi exhibuit. 51
Virgini sacræ magnopere debitores sumus. 52.
Virgo sacra vtriusq; sororis Marthę, & Mariæ munera plene exhibuit ibid.
Virgo sacra sicut & Christus geminam portionem habuit distinctam, superiorem & inferiorem. 55
Virgo sacra passionis filii futuræ prę-scia, ib.
Virgo sacra acceptabat passionem filii, & eam secundum portionem inferiorem recusabat ibid. & infra, & in hac portionum diuersitate assimulata Christo ostenditur ibid.
Virgo sacra optimum gradum gloriæ est consecuta. 55. 58. 60. 66.
Virgo sacra Angelis est admirationi 58. & in f. & 76. & rosæ comparatur, & cæleſtis domus & curiæ ornamentum per apostrophen ad eam ascendentem. ibid.
Virgo sacra per arcam fœderis figurata est per translationem arcæ, eius assumptio designata. 60
Virginis sacræ resurrectio corporis ibid & per hypotesin quasi oculis subiecta, vbi & sylua figurarum, & epitheta rorum virginis sacræ 61
Virginis sacræ miracula non leguntur in Euangelio, contemplatio illius maxime refertur, de qua multa cumulantur 54
Virgini sacræ commissa Ecclesiæ, nō vt eam regeret, sed vt eam sapientia instrueret, ibid. fuit ineffabilis sapientia prædica.

Virginis ſacræ vita perpetua fuit cõtemplatio, 113. & illius paupertas triennis in templo fuit præfentata, ibi & illius vita ſummatim exponitur, ibidem.
Virginis ſacræ amor erga Deum filium 67
Virgo ſacra ferebat grauiter filii abſentiam, & hic in exilio detineri ibid. idcirco diuinitus à filio conſolatione cœleſti frequenter eſt recreata, & ad Virginem videndã certatim vndequaque tendebatur 69.
Virginis ſacræ mors glorioſa 76. deſcribitur reſurrectio & aſſumptio Chriſto filio obuiam cum cœleſti curia prodeunte, ibid & matris, & filii congreſſus deuota hypotipoſi exponitur.
Virgo ſacra Toleti viſa, atque diuum Illephonſum Toletanum antiſtitem honore inſigni affecit 191
Virgo api comparatur appoſitiſſime 179.
Virginum fœminarum fortitudo in martyrio 123
Virtus probata hominib. ſummam conciliat authoritatem pluſquam genus & dona alia 97
Virtutes ſine gratia modici ſunt valoris 250
Virtutum aliquarum moralium rigidi cultores obcarentiam charitatis ſæpe damnantur 254.
Virtutes connexæ in homine iuſto 163. & in ſacerdote eſſe debent 178.
Virtutes morales remi ſunt nauigii Eccleſiaſtici 188
Virtutem ſequi vitio poſthabito diuinæ eſt gratiæ 228. virtus eſt magnus honoris titulus 229.
Virtutum exempla rara ſed abundat nunc doctrina 216
Virtutes neceſſariæ homini vt à Deo habitetur 260
Vita actiua & contemplatiua, vide actio & contemplatio.
Vita præſens periculis plena 275
Vita præſens cur aſſimilatur ſomno 271.
Vita præſens fallax & figurata per hoſp tam interfectricem Siſaræ 276.
Vita præſens comediæ ſimilis eſt & ſtatuæ volubili rotæ ſubnixæ quæ faciem ſubinde commutat modo longa, modo breuis apparet ibid.
Vitæ præſentis breuitas, ibid. & infr.
Vita præſens aliis ſe oſtendit longã, aliis ſe fingit breuem, eſt enim doloſa 196. 197
Vita tripliciter diuiditur in animalẽ rationalem & ſpiritualem 247
Vita præſens habet temperatos dolores cum lætitia 124
Vita præſens militia eſt 127
Vitio vno polluuntur omnes virtutes
Vnicornis natura ferocitas & ra, verbi incarnationi aptatur. 28 & inf.
Vniones tres quas Bernardus admiratur 183
Voluntatis diuinæ ſumma libertas & facit ipſa bonitatem in rebus volitis. 16
Voluntas eſt qua in animam aliquid intrat quaſi per oſtium 69
Voluptas noſtra mutabilis 79
Voluntas Dei regula eſt & rationem practicam antecedit 162. & ideo ſtultum eſt eius rationem quærere ibidem.
Voluntatis propriæ ſuique ipſius abnegatio petita à nobis, videtur difficilis 147
Vtilium bonorum neglectio ſignum eſt amoris. 31.

Z.

Zacharias Angelo Dei non credens multatus 231.2.

FINIS.